UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria et disputationes scholastica in Summam D. Thomae Aquinatis

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Pars Prima Svmmae Theologiae S. Thomæ Aqvinatis Cvm Commentariis Et Scholasticis Dispvtationibvs R. P. F. Ioannis Pavli Nazarii Cremonensis, Ordinis Prædicatorvm, Sacræ Theologiæ Magistri, Et In ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-82303

Visual Library

PARS PRIMA
SVMMAE THEOLOGIAE
S. THOMÆ AQVINATIS
CVM COMMENTARIIS ET
SCHOLASTICIS DISPVTATIONIBVS
R. P. F. IOANNIS PAVLI NAZARII
CREMONENSIS, ORDINIS PRÆDICATORVM, SACRÆ THEOLOGIAE MAGISTRI, ET IN STVDIO GENERALI
Bononiæ nunc secundò Regentis.

TOMVS SECVNDVS
TRACTATVS DE TRINITATE.

Collegii Societ. Jesu Pad. Bornæ 1758.

QVAESTIO XXVII.

De processione diuinarum personarum, in quinque articulos diuisa.

CONSIDERATIS autem his, quæ ad diuinæ essentiæ vnitatem pertinent, restat considerare de his, quæ pertinent ad Trinitatem personarum in diuinis. Et quia personæ diuinæ secundùm relationes originis distinguuntur, secundùm ordinem doctrinæ, prius considerandum est de origine, siue de processione. Secundò de relationibus originis. Tertiò de personis.

CIRCA processionem quæruntur quinque.

Primò, Vtrum processio sit in diuinis.

Secundò, Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

Tertiò, Vtrùm præter generationem aliqua alia processio possit esse in diuinis.

Quartò, Vtrum illa alia processio possit dici generatio.

Quintò, Vtrum in diuinis sint plures processiones quàm duæ.

PARTITIO TRACTATVS, ORDO, ET modus in eo procedendi, & ratio ordinis articulorum primæ quæstionis.

COMMVNEM & absolutam diuinitatis essentiam, de qua disseruit huc vsque S. D. subsequuntur modo nostro intelligendi ea, quæ relatiua sunt ac singularum propria trium eiusdem numero naturæ personarum, de quib. præsens, cuius inscriptio est: De Trinitate, tractatus instituitur; quem hic S. Tho. in tria præcipua capita distinguit; quorum *primum* agit de origine siue de processione diuinarum personarum; secundum de relationibus originis; postremum autem de personis.

Partitio.

Ratio ordinis.

Ratio ordinis est; quoniam diuinæ personæ per relationes originis, id est, consequentes origines distinguuntur, & per easdem etiam constituuntur; igitur primò considerandæ sunt origines, siue processiones, secundò relationes & tertiò personæ. Cuius ordinis hanc etiam possumus ex Peripateticæ doctrinæ præscripto ratio-

A nem reddere singula tractatus capita complectentem. In qualibet scientia & in vnoquoque illius tractatu supponitur illius subiectum, cuius principia in prima doctrinæ parte considerãtur; deinde subiectum ipsum in communi, ac postea partes illius subiectiuæ, & demum proprietates & passiones ex eius quidditate & singularũ partium natura profluẽtes. Quem ordinem obseruat Arist. in libr. Phys. vt ibidem aduertit S. Thom. Cùm itaque subiectum huius tractatus sit diuinarum Trinitas personarum, quæ diuinas ipsas personas vnius essentiæ significat, vt numero ter-

B nario numeratas, iuxta prædictum Arist. documentum considerat primò S. Th. diuinarum personarum principia constitutiua & distinctiua, quę sunt relationes consequẽtes origines; de quibus, vt ipsarum relationum fontibus, primò agẽdum erat; *secundò* disserit in communi de nomine & ratione personæ secundùm illius absolutam considerationem; *tertiò* de singulis agit personis in particulari, vt de quibusdam partibus personæ subiectiuis; *quartò* docet conuenientia personæ communiter sumptæ, quatenus comparatur essentiæ, relationi & actui notionali. *Postremò*

C tradit proprietates ac quasi passiones personarum; quæ sunt æqualitas, similitudo, missio, &c. Ordinem autem earum partium, in quas hæc præcipua capita diuiduntur, aperiemus in singulis membrorum siue quæstionum exordijs.

Modus procedendi.

Sed antequam vlterius procedamus, recolẽda est doctrina D. Th. superius tradita *in 1. q. a. 8.* vbi tria dixit. *Primum*: Sacra doctrina non arguit ad

D sua principia probanda, sed ex eis procedit ad aliquid demonstrandum. *Secundum*: eadem sacra doctrina disputat arguendo contra negantes principia, quæ sunt articuli fidei, si aduersarij infideles aliqua ex eis concedant. *Tertium*: contra negantes & nihil concedentes disputat tantum soluendo eorum argumenta; quoniam, cùm fides innitatur infallibili veritati, rationes quæ possũt adduci contra fidem non sunt demonstrationes sed solubilia argumẽta. Verùm licet sacra Theologia non probet sua principia, ea tamen explicat & probabiliter ostendit esse vera, & demonstrat ea esse euidẽter credibilia; quod egregiè præstitit S. Tho. in tota doctrina sua, ac præsertim in quatuor libris contra Gentes. nam, quæ fidei sunt,

Societatis Jesv Paderborna

possunt probari secundùm communem rationem credibilis, vt docet S. Tho. 2.2.q.1.a.4.ad 2. vbi ait, ea quæ sunt fidei posse videri sub cõmuni ratione credibilis, non tamen in particulari posse demonstrari. Ex quibus facilè colligitur, quæ & qualis esse debeat tam audientis, quàm docentis intentio in hoc tractatu de SS. Trinitate. Nam cùm Personarum origines, relationes ac distinctiones non sint ex ijs, quæ naturali ratione, ex creaturarum cognitione consequi possumus; sed de eorum ordine, quæ à Patre luminum supra omnem humanæ mentis intelligentiam sunt reuelata, vt apertè testatur Dominus *Matth. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est*, non erunt à Doctore quærendæ, nec ab auditoribus expectandæ demonstrationes, quibus prædicta ex notioribus & quasi immediatis principijs concludantur; sed illud nobis in primis propositum esse debet, vt ex diuinarum litterarum oraculis & sacrorum Conciliorum definitionibus ac Sanctorum Patrum testimonijs cognoscamus, quid certa fide singulis huius altissimi mysterij credere debeamus. Deinde vt cum D. Tho. nonnullas rationes & exempla proferamus, quibus prædicta esse euidenter credibilia demonstremus, & ea esse vera probabiliter ostendamus, vt humanæ mentis imbecillitatis succurramus. Tertiò vt ex ijs quæ fidei sunt in hoc mysterio, quædam alia syllogistico discursu deducamus. Postremò, vt expositis fidei principijs & deductis conclusionibus oppositos errores confutemus.

Ordo articulorum.

Est igitur prima quæstio de processione diuinarum personarum, quam S. Thomas in quinque distinguit articulos; in quorum *primo* de processione disputat in communi, tractans simul an sit & quid sit; deinde ad eius species, siue modos descendens de ea primò tractat, quæ actio est intellectus, eamque verè & propriè generationem esse demonstrat; deinceps *in 3.a.* aliam, quæ actio voluntatis est, ex naturæ diuinæ, prout intellectualis est, ratione deducit. *in 4. verò art.* eam formaliter distinguit à processione, quæ est secundùm intellectum; & tandem ad doctrinæ complementum apponit *5.a.* de numero processionum.

ARTICVLVS I.

Vtrum processio sit in diuinis.

160 1. dist. 13. a. 1. Et 4. cont. c. 11. Et po. q. 20. a. 1. 19

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd in Deo non possit esse aliqua processio. Processio enim significat motum ad extra: sed in diuinis nihil est mobile, neque extraneum. c Ergo neque processio.*

2 Præterea. Omne procedens est diuersum ab eo, à quo procedit. Sed in Deo non est aliqua diuersitas, sed summa simplicitas. ergo in Deo non est processio aliqua.

3 Præterea. Procedere ab alio, videtur rationi primi principij repugnare: sed Deus est primum principium, vt supra ostensum est. ergo in Deo processio locum non habet.* Q. 2. a. 3.

Sed Contra est, quod dicit Dominus Ioann. 8. Ego ex Deo processi.

Respondeo. Dicendũ, quòd diuina Scriptura in rebus diuinis nominibus ad processionem pertinentibus vtitur. Hãc aũt processionẽ diuersi diuersimodè acceperũt. Quidã. n. acceperunt hãc processionẽ, secundũ quod effectus procedit à causa. Et sic accepit Arrius, dicens filiũ procedere à patre, sicut primam eius creaturã: c & Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, sicut creaturam vtriusque. Et secundùm hoc, neque Filius, neque Spiritus 215

A *sanctus esset verus Deus. Quod est contra id, quod dicitur de filio. 1. Ioan. vlt. Vt simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus. Et de Spiritu sancto dicitur 1. Cor. 3. Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti: templum autem habere solius Dei est. Alij verò hanc processionem acceperunt, secundùm quod causa dicitur procedere in effectum, inquantum vel mouet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimit. Et sic accepit Sabellius dicens, ipsum Deum Patrem Filium dici, secundùm quod carnem assumpsit ex Virgine: & eundem dicit Spiritum sanctum, secundùm quòd creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam mouet. Huic autem acceptioni repugnant verba Domini de se dicentis. Ioan. 5. Non potest facere à se Filius quicquam, e & multa alia, per quæ ostenditur, quod non est ipse Pater, qui Filius. Si quis autem diligenter consideret, vterque accepit processionem, secundùm quod est ad aliquid extra. Vnde neuter posuit processionem in ipso Deo. Sed, cùm omnis processio sit secũdum aliquã actionem, sicut socũdum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extra; ita secundùm actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intra. Et hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, sc. intelligere manet in intelligente. Quicunque autem intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua prouenientis, & ex eius notitia procedens. Quam* B 2 225 215

C *quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis. Cùm autem Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundùm modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora, sed secundùm similitudinem suprematum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ, à quibus etiam similitudo accepta defecit à representatione diuinorum. Non ergò accipienda est processio secundùm quod est in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum: sed secundùm emanationem intelligibilem, vtpote verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipso. Et sic fideles Catholica processionem ponũt in diuinis.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd obiectio illa procedit de processione, quæ est motus localis, vel quæ est D *secundùm actionem, tendentem in exteriorem materiam, vel in exteriorem effectum: talis autem processio non est in diuinis, vt dictum est.**

In cor. art.

Ad Secundum dicendum, quòd id, quod procedit secundùm processionem, quæ est ad extra, oportet esse diuersum ab eo, à quo procedit. Sed id, quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diuersum; immò quantò perfectius procedit, tantò magis est vnum cum eo, à quo procedit. e Manifestum est enim, quòd 2 *quantò aliquid magis intelligitur, tantò conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, & magis vnum. Nam intellectus secundùm hoc, quòd actu intelligit, & secundùm hoc fit magis vnum cum intellecto. Vnde, cùm diuinum intelligere sit in fine perfectionis,* E *(vt supra dictum est*) necesse est, quòd verbum diuinum* q. 14. a. 2. *sit perfectè vnum cum eo, à quo procedit absque omni diuersitate.* 218

Ad Tertium dicendum, quòd procedere à principio, vt extraneum, & diuersum, repugnat rationi primi principij: e sed procedere vt intimum, & absque diuersitate per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij. Cùm enim dicimus ædificatorem principium domus in ratione huius principij, includitur conceptio suæ artis, & includeretur in ratione primi principij, si ædificator esset primum principium. Deus autem, qui est primum principium rerum, comparatur ad res creatas, vt artifex ad artificiata. 188

Sen-

Sensus quæsiti.

QVATVOR explicat Cai. inscriptionis vocabula. *Primum* est *processio*; cuius significatio multiplex declaratur in corpore, & latius de potent. q. 10. a. 1. Sumitur aût hic cómuniter, prout abstrahit à quolibet processionis modo spirituali naturæ congruente; localis. n. & quæuis corporea processio ex perfecta simplicitate, de qua supra qu. 3. remouetur à Deo. Sermo itaque est de processione spirituali communiter sumpta; vt hic etiam adnotauit Sylu. *Secundum* est verbum illud, *sit*, quo significatur esse, vt distinguitur contra intelligi, id est esse secundùm rem, distinctum ab esse secundum rationem. *Tertium* est dictio *in*, quæ denotat inexistentiam, non causalem aut virtualem, sed formalem: atque ideò formaliter sumitur. *Postremum* est illud nomen *diuinis* quo significantur ea, quæ diuina sunt essentialiter, & non participatiuè tantùm; vt patet ex forma propositæ dubitationis in principio; sic enim ait: *Videtur, quòd in Deo non possit esse aliqua processio*; idem ergò significant duæ dictiones illæ, scilicet *diuinis* & *Deo*; constat autem nomen Dei propriè sumptum naturam essentialiter diuinam significare.

Forma Textus.

RESPONDET *primò* S. Tho. conclusione generali; cui omnes tam Catholici, quàm Hæretici consentiunt; *secundò* refert duos extremos errores circa modum specialem processionis & eos confutat; *tertiò* determinat veritatem.

CONCL. generalis est: *Sacra scriptura in rebus diuinis, quæ scilicet essentialiter sunt diuina, vtitur nominibus ad processionem pertinentibus.* Loca sacræ Scripturæ plurima sunt; præcipuus est ille, quem allegat S. Tho. *in arg. Sed contra, ex Io. 8. c.* vbi Dominus ait: *Ego ex Deo processi, & c. 15. Spiritus veritatis, qui à patre procedit, & Eccl. 24.* Sapientia genita de seipsa ait: *Ego ex ore,* (id est intellectu) *altissimi prodiui primogenita ante oẽm creaturã,* & *Mich. 5.* de Messia dicitur: *Egressus eius à principio, à diebus æternitatis*; & præterea, ea omnia loca, in quibus sermo fit de missione Filij à Patre, & de missione Spiritus à Patre & Filio, ad processionem pertinent.

Secundo loco refert S. Tho. duos errores circa specialem modum processionis. Primus error fuit Arrij, secundus Sabellij, & primò singulos confutat, deinde simul ambos. *Arrius* itaque hæreticus diuinam processionem, de qua sacræ literæ loquuntur, eam esse interpretatus est, secundùm quam effectus à sua causa procedit; Dixit enim Filium à Patre procedere tanquam primam eius creaturam, & Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, sicut creaturam vtriusque. Contra hunc errorem argumentatur S. Tho. Quia ex dicta opinione sequeretur, quòd neque Filius, neque Spiritus S. esset verus Deus; at hoc aduersatur sacris litteris; ergò falsa est dicta sententia. Probatur minor primò quoad filium. Nam *1. Io. vlt.* dicitur: *Vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus*; deinde quoad Spiritum sanctum *ex 1. Cor. 3. Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*: templum autem habere solius est Dei. Alius error fuit *Sabellij*; qui diuinam processionem, de qua loquuntur sacræ Scripturæ, interpretatus est de ea processione, qua causa dicitur in effectum procedere, inquantum vel mouet ipsum, vel illi similitudinem suam imprimit; dixit enim Deum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine, & eundem dici Spiritum sanctum, secundùm quod creaturam rationalem sanctificat & ad vitam mouet; hunc errorem impugnat D. Tho. auct. Domini *Ioan. c. 5.* vbi dicitur. *Non potest à se facere filius quicquam*, & alijs auctoritatibus, quibus ostenditur non esse eundem Patrem, qui Filius Tandem S. Thom. vtrumque errorem simul impugnat dicens in hoc vtrumque errare, quod neuter posuit processionem, in ipso Deo, sed vterque accepit processionem, secundùm quod est in aliquid extra.

Vltimò determinat veritatem. Circa quam primò distinguit, secundò probat alterum membrum, tertiò proponit conclusionem, & probat.

Distinctio est: *Duplex est processio*; quædam ad extra, & quædam ad intra; probatur. Omnis processio est secundùm aliquam actionem; at duplex est actio, vna scilicet quæ tendit in exteriorem materiam, & alia, quæ manet in ipso agente; ergò duplex etiam est processio; vna quæ attenditur secundùm actionem ad extra; alia secundùm actionem ad intra. Probat autem specialiter S. Thom. esse quandam processionem ad intra ex actione intellectus, quæ est intelligere quod manet in agente, tali ratione: Quicunque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quòd est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens; quam conceptionem vox significat & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis; ergò est quædam processio ad intra secundùm actionem, quæ manet in agente.

SECVNDA CONCL. est; *In diuinis accipienda est processio secundùm emanationem intelligibilem*, Probatur; quæ in Deo dicuntur, non sunt accipienda secundum modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora; sed secundùm similitudinem supremarum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ; ergo in diuinis non est accipienda processio, secundùm quod est in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum; sed secundùm emanationem intelligibilem, vtpotè verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipso. Antecedens probatur; quoniam Deus est super omnia. Consequens euidens est; quoniam emanatio intelligibilis conuenit supremis creaturis secundùm earum nobilissimum gradum & operationem.

Expositio Textus.

ERRORES Arrij & Sabellij latissimè confutat S. Thom. *in 4. cont. Gent. à cap. 5. vsque ad 11. inclusiuè.* De quibus etiam & alijs hæreticorum nostri temporis erroribus circa consubstantialitatem & distinctionem Personatum SS. Trinitatis, hic vberrimè disputant Barthol. Torres, Bannes. Zumell. Molin. Valent. & Vasq. ad 5. artic. & Suarez libr. 2. & 3. de Trinitatis mysterio.

Aduerte præterea, non solùm primam sed etiam secundam conclusionem certa fide tenendam esse, contra prædictos errores. Nam Filius à Patre procedit, & in ipso manet, sicut ipse de seipso ait *Io. 14. Ego in Patre, & Pater in me est.* Quod etiam D. Athanasius in expositione fidei intellexit significari in illis verbis *Ioan. 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Quod aperte significatur in illis verbis eiusdem capituli: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Quod idem de Spiritu sancto credendum est, cùm pro-

cedat secundùm actionem immanentem, quæ est velle siue diligere.

Obseruanda est etiam origo & propria ratio huius nominis processio, prout ad diuina transfertur; & origo quidem latè & elegãter aperitur à D. Th. *de ver. q. 10. a. 1.* Ratio verò, siue descriptio processionis, quam de duabus in Trinitate personis confitemur, hæc esse potest: Processio *est origo siue emanatio passiua, secundùm rationem formalem actionis immanẽtis diuinæ personæ ab alia vel ab alijs.* Dicitur *origo siue emanatio*; vt significetur vera, & realis productio; additur verò passiua, vt distinguatur ab actiua productione, qua Pater generat Filiũ, quæ generatio actiua nũcupatur; & ab actiua spiratione, qua Pater, & Filius spirãt Spiritũ S. Vltima verò particula, videl. ab alia, vel ab alijs, duas distinctas significat, vno processionis vocabulo comprehendi, diuinarum personarum origines, nimirum Filij, qui à Patre solo est, & Spiritus S. qui est à Patre, & Filio.

Processio quid sit.

Denique aduerte, processionem, quæ est secũdùm actionem transeuntem, Deo conuenire, quatenus æterna suæ virtutis operatione creaturam in tempore produxit; nec tamen propriè dici processionem hanc in Deo esse: nam processionis vocabulum propriè passiuam emanationem ab alio significat, quæ in Deo non est secundùm actionem transeuntem; nam aliquid in Deo esse idem est, quod formaliter illi secundùm se conuenire.

Prima Controversia.

An per actionem immanentem, ac præsertim per intelligere aliquid producatur, & quæ sit ratio producti?

QVI docent verbum idem esse cum actu intelligendi, hi consequenter etiã existimant, nihil per actionẽ intelligẽdi produci, quòd verè & propriè sit eius effectus; quãuis eorũ aliqui minus sibi consonè loquentes, verbi productionem affirment. Dur. *in 1. dist. 27. q. 2.* & Scot. quem refert & tuetur Rada *in 7. sua Contr. p. 1.* docent verbum idem esse quod intellectio obiecti distincta & explicita; & ait Rada de mente Scoti, verbum non esse terminum aliquem productum per intellectionem; quia intellectio est actio immanens, quæ non habet terminum productum; Addit tamen hanc quartam suam conclusionem: Verbum intellectus creati est ipsa actualis intellectio per actum dicendi producta; in qua re discordat à Durando, qui non agnoscit in intellectu actum aliquem dicendi distinctum ab actu intelligendi.

Sententiæ Doctorum.

Dom. Sot. *in 4. dist. 49. q. 2. a. 3.* ait, intellectionem esse ipsam obiecti similitudinem per modum actus secundi, sicut species impressa est illius similitudo per modum actus primi; atque ideò non distingui realiter à verbo, siue termino per eam producto sed formaliter tãtùm; quemadmodum calefactio & calor per eam productus sunt idem re, & formaliter differunt. Quæ fuit sententia Sylu. *super hoc art.* quam etiam sequitur Molina; qui sentit per omnem actionem immanentem, siue ea sit sensus siue intellectus, produci aliquam speciem expressam. Eandem sententiam sequitur Vasquez *supra quæst. 12. a. 2. c. 2.* Sed D. Thom. & eius Schola communiter negat per omnem actionem immanentem aliquid produci; Nam per actus externorum sensuum existimat nihil omninò produci; per actum autem phantasiæ & cogitatiuæ affirmat terminum aliquem effici, verbo mentis proportionalem. De actibus verò intellectus, varia est Thomistarum sententia. Nam Sylu. quem sequitur Ferrar. *in 1. con. Gen. cap. 53.* existimat, per omnem intellectionem siue humanam, siue Angelicam, siue diuinam siue naturalem siue supernaturalem produci verbum; quamuis de visione beata dicant vtranque partem posse defendi; de qua re satis diximus, *sup. qu. 12. a. 2. Contr. 2.* Cap. *in 1. dist. 27. q. 2.* sentit, per omnem intellectionem siue perfectam siue imperfectam formari verbum; sed in visione beata admittit tantum verbum inadæquatum. Iauellus excipit etiam intellectionem reflexam, qua verbum ipsum intelligitur, in qua negat formari verbum. Caietan. hic negat, non solum in visione beata, verùm etiam in intellectione, quam habet Angelus de se ipso, formari verbum; quamuis oppositum videatur admittere de Angeli cognitione, *sup. q. 14. a. 2.* vt ibidem notauimus; quam opinionem ait Bannes esse probabilem; sed oppositam sententiam, nimirum, per omnem intellectionem naturalem formari verbum, esse D. Thom. quam etiam affirmat Zumel.

Radix verò huius Controu. est, causa productionis termini siue obiecti intrinseci cognitionis; quam longè diuersam assignat Mol. & qui eum sequuntur, ab ea quam ex D. Tho. & Arist. proferunt Capr. Cai. & alij Thomistæ communiter; ait enim Molina actionem omnem esse alicuius termini productiuam, & cognoscere vt est actio realiter distincta à cognoscente, nil aliud esse, quàm potentiam cognoscentem exprimere, & producere in se vitaliter imaginem rei cognoscendæ. Thomistæ verò dicunt, ob eam causam per actum cognitionis produci terminum, vt cognoscens sit ipsum cognitum perfectè, & vt ipsum cognitum sit in actu secundo præsens in esse cognito potentiæ cognoscitiuæ; quæ causæ in sola intellectus, & phantasiæ cognitione locum habent; & quamuis duæ prædictæ conditiones visioni beatificæ congruant excellenter; ob infinitam tamen actualitatem essentiæ diuinæ, nullius in ea causant verbi productionem; prout ostendimus *in d. quæst. 12. artic. 2. Controu. 2.*

Radix Controuersiæ.

Vt autem statum intelligamus huius Controuersiæ, supponenda est in primis ea distinctio, quam hic significauit D. Thom. *ex 9. Metaphys. tex. 16.* Duplex nimirum esse actionum genus; vnum earum, quæ *transeunt* in externam materiam, vt calefacere & secare. Alterum earum quæ manent in agente vt intelligere, sentire & velle. Inter quas multiplex potest assignari differentia. *Prima est*: quam statuit S. Thom. *inf. q. 56. a. 1.* quod obiectum siue materia actionis transeuntis est ab agente separata; obiectum autem actionis immanentis vnitur agenti, ob eam causam vt scilicet producat actionem; quemadmodum sensibile vnitur sensui ad hoc, vt sentiat: Ita namque se habet obiectum vnitum potentiæ ad actionem immanentem sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus; sicut enim, exempli gratia, calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est formale principium visionis in oculo. *Secunda* differentia, quæ sequitur ex prima est, quòd actio transiens non est perfectio agentis sed passi; at actio immanens est perfectio agentis: sicut lucere est perfectio lucidi: hanc differentiam ponit S. Thom. *supra q. 18. a. 3. ad 1. & de ver. q. 8. a. 6. & alibi. Tertia differentia*, quæ sequitur ex prædictis est, quòd actio transiens infert ex se passionem, non autem immanens, vt supra dixit S. Tho. *q. 23. a. 2. ad 1. Quarta differentia* est, quàm statuit idem S. Th.

Status Controuersiæ.

Differentia inter actionẽ trãs. & immanentem.

S.Th.de ver. q.8. a.6. quòd actio transiens propriè dicitur actio; sed actio immanens propriè dicitur operatio; sequitur hæc differentia ex tertia; quoniam actio propriè nuncupatur illa, quæ infert ex se passionem. *Postrema differentia* est, quòd actio immanens est tantùm viuentium, & cognoscentium, sed transiens multis etiam alijs conuenit rerum generibus; vt notat S.Th.de *poten.q.10.a.1.*

Actio immanens duplex

Sed actio immanēs, de qua nobis hic est cum aduersarijs controuersia, duplex est; Nam *quædā* est operatio potentiæ cognoscitiuæ, vt intelligere & sentire; *quædam* autē est actio virtutis appetitiuæ, vt velle gaudere, tristari & irasci; quæ vt videre est in adductis exemplis distinguitur; nā quædam est omnino incorporea & immaterialis, vt intelligere & velle; quædam autem parum supra materiam elenata, simpliciter autem materialis & corporea; cùm sit operatio virtutis organicæ, vt sentire & irasci: De eo tantum operationis immanentis genere quæstio nobis cum aduersarijs est, quod ad vim pertinet cognoscitiuam; nam de actione virtutis appetitiuę, specialis erit controuersia *in hac ead.q.a.3.*

Præterea, cùm in quolibet cognitionis actu, præter potentiam, secundùm communiorem Philosophorum ac Theologorum sententiam, tria inter se distincta reperiātur: Primum est obiectum quod cognoscitur siue per sensum siue per intellectum: Secundum est species siue sensibilis siue intelligibilis. Tertiū est actus ipse cognoscendi; disputatio est inter doctores & interpretes D.Thom. an prædictis debeat addi quartum, nimirum species quædam expressa, quæ sit similitudo & imago obiecti cogniti per actum ipsum cognitionis intellectiuæ aut sensitiuæ productа, & quid sit illa species.

Resolutio. Quæ sit necessitas ver bi in intellect. & idoli in phātasia.

His Praemissis, quibus innotescit propositæ difficultatis sensus & nodus; ad eius solutionem *recolenda primò sunt ea*, quæ de productione verbi contra recentiores ex doctrina D. Tho. supra stabiliuimus, *qu 12.art.2.in 2.Controu.* vbi diximus, necessarium esse operationem omnem in actu positām ad obiectum aliquod in actu terminari; cū de ratione obiecti quatenus obiectum est, sit esse terminum operationis; rationem autem termini non exercet, nisi sit congruè præsens operanti: eo videlicet modo, quo postulat operationis natura; siue secundùm esse locale & naturale, vt visibile respectu videntis, siue secundùm esse obiectiuum, vt imaginationis obiectum: cuius esse naturale, aut localem præsentiam imaginatio non requirit; eò quòd æquè feratur in rem existentem secundùm esse naturæ, & in rem non existētem; in rem loco prę sentem & absentem; quæ ratio multò maior est in qualibet naturali intellectus operatione. Necesse est itaq; vt intellectus in omni intellectione præsens habeat obiectum, non in esse naturali sed obiectiuo, quo sit actu terminus intellectionis: nā quidditas rei materialis, quę est obiectum proportionatum intellectus nostri secūdum illud esse materiale & indiuiduale, quod habet in rerū natura, terminus esse non potest immediatus intellectionis, quæ immaterialis omnino est; & rem nō existentem æquè cognoscit, ac existentem & absentē siue distantem loco sicut præsentem; accidunt enim intellectus obiecto localis præsentia & existentia, sicut album & musicum humanæ naturę. Igitur necesse est, vt obiectum intellectus nostri constituatur per intellectionis actū in esse abstracto & immateriali; quod fieri nulla alia ratione potest, quā formando intra seipsum speciē quandam ipsius obiecti repræsentatiuam quoad eius essentiam, non repræsentatis eius indiuidualibus conditionibus, quam speciem nuncupamus verbum & intentionem intellectam, eò quod per eā sibi mens loquatur & obiectum vt sibi præsens in esse intelligibili contempletur. *Sequitur præterea*, rem quantumuis immaterialem intellectui præsentem secundùm esse naturale, ab eo nullo modo cognosci posse; nisi sit etiam actu præsens secundùm esse obiectiuum, ad quod non sufficit esse rei naturale immateriale; alioquin anima nostra seipsam per se ipsam, & habitus ac species & suas omnes potentias ac proprietates immateriales semper actu cognosceret. Ratio huius videtur esse; quia esse naturale formaliter & per se loquendo non habet nisi vt rem, cuius est esse, constituat extra causas suas in gradu entis; quod verò sit acto terminus, & obiectum intellectionis, accidit rei prout existit per esse naturale. De ratione verò per se primò termini intellectionis est, vt sit intra intellectum secūdùm esse intelligibile, vt ipsius actus & consummata perfectio; vt intellectus æquè cognoscat existens ac non existens; vnde rei existentia naturalis in actu exercito accidit termino intellectionis vt sic. Nec sufficit ad hoc species illa intelligibilis, quæ vocatur impressa; quoniam vt hic aduertit Cāi. cùm obiectum intellectus dupliciter possit esse præsens intellectui; vnō modo, vt comprincipium actus intelligendi; alio modo vt obiectū; priori modo fit prę sens obiectum intellectui per speciē impressam: posteriori verò modo per speciem expressam siue verbum; species enim impressa actus intelligēdi formale principium est; obiectum autē rationem habet termini: quæ duæ rationes non tantùm diuersæ sunt, sed etiam oppositæ, atque ideò diuersorum officia sunt. *Præterea* docet Arist. *in 3. de Anima* intellectum in actu esse rem intellectam in actu; at sine productione verbi id esse non potest; ergo necesse est in omni intellectione naturali produci verbū. Probatur minor; quia res intellecta secundùm seipsam, neque est intra intellectum neque vnum efficitur cum illo; nec sufficit species intelligibilis vt intellectus sit vnum in actu cum eo, quod intelligitur; quoniam Arist. *in 2.de Anima, tex. 59. & 60.* statuit differētiam inter intellectum & sensus exteriores, quòd horum obiecta sunt actu per se ipsa extra potentias sensitiuas; illius autem, sc. intellectus obiectum est intra ipsum intellectū; quæ differentia nulla prorsus esset, si sola sufficeret species impressa, vt intellectus sit vnum cum intellecto, & vt hoc sit in intellectu; cùm æquè recipiatur species sensibilis in sensu, sicut species intelligibilis in intellectu; igitur significat ibi Philosophus obiectū intellectus per speciem expressam, quæ conceptio est rei intellectæ, esse intra ipsum intellectum. Quo fit vt nulla sit in nobis naturalis intellectio intuitiua, & eadem ratione nulla intuitiua sensatio in phantasia: cùm neutrius obiectum immediatum sit extra sed intra. Dico autem obiectum immediatum, non solum per negationem obiecti tanquam rei prius cognitæ, sed etiam per negationem alterius quoūis modo prius terminantis actum cognitionis. Et ex his soluuntur quędam præcipua argumenta Molinæ.

Ratio verbi ex obiecto nostri intellectus.

Ratio vniuersalis ver bi ex obiecto intellectus vt sic.

Ratio efficax ex Aristot.

Videnda sunt, quæ supra diximus *in allegata Controuer.* & ea quæ scribit Ferrarienſis *in 1.cont. Gentes cap. 53.* ex quibus etiam patet, sensum exteriorem nullum sibi formare verbum, aut rei, quam sentit idolum; vt etiam apertè docet S.Th. *quol. 5. a.9. ad 2.* quod tamen ibidem affirmat de

Sensus exterior nullū format idolum.

virtute imaginatiua dicens; *Non autem ipsé sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem; hoc facit virtus imaginatiua, cuius formæ quodammodo simile est verbum intellectus*, & infra *q. 85. a. 2. ad 3.* sic ait: *Imaginatiua format sibi aliquod idolum rei absentis, vel etiam numquam visæ*; non habet tamen idolum illud propriè rationem verbi, sed similitudinem; quia vbi propriè est verbum, ibi locutio est, quæ solius est intelligentis naturæ: vnde, sicut de brutis non nisi improprie dicitur, ita & de sensibus; quod eleganter significauit Cicero *in 1. de Orat.* cùm dixit: Hoc vno præstamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo, sensa possumus; sed de hoc satis diximus *in alleg. Contr.* A

Secundò ad maiorem prædictorum intelligentiam, explicanda est diligenter conuenientia & differentia inter speciem impressam & expressam siue verbum. *Conueniunt* autem in hoc quòd vtraque est species & similitudo rei intellectæ; vt notat S. Thom. *in d. c. 53.* sed in *tribus differunt*: *primum* est quòd species impressa forma quædam est per quam fit intellectus in actu primo, & accedente animæ intentione fit etiam in actu secundo. Nam, vt ait S. Thom. *in dicto cap.* intellectus existens in actu per huiusmodi speciem sicut per propriam formam intelligit rem ipsam; species autem expressa, quamuis perfectio sit quædam intellectus, non tamen est forma ipsius constitutiua in actu primo vel secundo simpliciter, id est; omnibus modis; sed quoad perfectionem ipsius actus secundi; quæ differentia manifestatur ex *secunda*, nimirum, quòd species impressa principium est intellectionis; expressa verò terminus quidam est, vt intentio intellecta per illam producta; nam, vt ibidem inquit S. Thom. Per hoc quòd species intelligibilis, quæ est forma intellectus & intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur quod intellectus intentionem formet illius rei similem, quia quale est vnumquodque talia operatur. *Ex quibus duo sequuntur: Primum* est, intellectionem priorem esse specie illa expressa siue intentione intellecta quæ terminus est intellectionis, eo modo quo via quælibet proprium suum terminum antecedit, & fieri prius est quàm factum esse. Sed quoniam in intentione intellecta siue verbo, complementum est intellectionis, idcircò docet ibidem S. Thom. intellectum formando huiusmodi intentionem rem intelligere, & absolutè loquendo dicendum non est, intellectum intelligere nisi verbo formato. *Secundò sequitur*, speciem impressam non esse veluti semen, quod implicitè tantùm continet rem cuius est semen: vt docent hic Bannes, Zumellus & alij quidam expositores; nam ex relata doctrina S. Thom. perspicuè patet, speciem impressam esse formalem rei similitudinem; nec tamen sequitur, vt deducunt prædicti, intellectum semper intelligere, quamdiu species est in intellectu; nam cùm sit in eo per modum habitus, quo liberè vtitur intelligens, quando voluerit, nunquam exibit in actum secundum, nisi accedente intentione libera intelligentis. Ex quo sequitur *tertia differentia*; scilicet speciem expressam cessante intellectione cessare; quia nimirum terminus illius intrinsecus est, vt consummata perfectio: speciem autem impressam abeunte intellectione in intellectu manere; quia forma illius est, constituens illum in actu primo. B

Tertiò considerandum est, dupliciter intelligi posse speciem expressam seu verbum esse obiectũ seu terminum actus intelligendi; *vno modo*, quatenus res talis est; scilicet qualitas spiritualis, intellectum & eius actum perficiens; & hoc modo non est obiectum intellectus; nisi quoad actum reflexum, quo seipsum & suum actum, suamque perfectionem intelligit. *Alio modo*, quatenus imago est, & hoc dupliciter; vno modo in actu signato considerando scilicet ipsius naturam & quidditatem, quà à cæteris rerum generibus & speciebus distinguitur, quæ est etiam contemplatio verbi, vt res quędam est: & hoc etiam modo non cognoscitur, nisi cognitione reflexa; Altero modo potest intelligi verbum esse obiectum seu terminum actus intelligendi, quatenus est imago in actu exercito, prout scilicet exercet actum repręsentandi rem, cuius est imago; & hoc solo modo, directè fertur in ipsum intellectus, eodem actu quo rem intelligit verbo repræsentatam; vt hic aduertit Cai. & Ferr. *in d. c.* & Bannes *hic*, & alij quidam expositores ex doctrina Philosophi, *in lib. de Memoria & reminiscentia, c. 1.* dicentis: eũdem esse motum in imaginem, & id cuius est imago, quatenus sc. rem, cuius est imago, in actu exercito repræsentat; quo fit vt tali cognitione, qua scilicet cognoscitur verbum, & res eo repręsentata, discerni non possit inter verbum & rem, vt hic scitè notauit Bannes; sed vtriusque differentiam intuetur, cognita per actum reflexum verbi natura saltem imperfectè. C

Quartò sciendum est, notitiam à qua procedit verbum in intellectu nostro, dupliciter esse posse, scilicet per modum actus primi, & per modum actus secundi: & vtroque modo potest esse duplex, nimirum simplex aut complexa. Verbum per se loquendo procedit à simplici notitia per modum actus primi; fit enim intelligere ex actu primo, vt causa per se sufficienti ac simpliciter necessaria; quandoque tamen procedit à notitia per modum actus secundi, simplici vel composita; nam ex simplici intelligentia prioris quidditatis, generatur notitia posterioris, & ex simplici notitia accidẽtis generatur notitia quædam imperfecta substantiæ, & ex notitia complexa principiorum sit medio syllogistico discursu in nobis notitia conclusionis; sed quod ab actuali vel etiam habituali notitia complexa verbum procedat, non conuenit ipsi, vt verbum est, sed vt tale est; alioquin nunquam nisi ex actuali, vel complexa notitia formari posset, sicut semper formatur saltem mediatè ex habituali simplicium intelligentia; nec actualis sine habituali, nec habitualis complexa sine simplici, quam in se claudit, est per se sufficiens, & multò minus simpliciter necessaria ad verbi productionem; quamuis autem actus & verbum quo ad modum essendi sit nobilior habitu, siue actu primo, quia illa sunt actus simpliciter; habitus autem habet medium essendi modum inter actum & potentiam; quoad specificationem tamen æqualis est vtriusque nobilitas, & comparantur veluti effectus & eius vniuoca causa; & hoc solo modo, scilicet quoad specificationem producitur actus, & verbum à specie, vt hic scitè notat Caiet. contra Durandum; quod etiam docent expressè verba D. Tho *ex 53. illo cap. superius allegata*. Aduerte tamen circa prædicta *primò* quòd notitia habitualis, ex qua dicimus verbũ procedere, est habitualis intrinsecè & secundùm se; quamuis ex adiuncto actu secundo fiat actualis denominatiuè. *Aduerte secundò* notitiam illam actualem, à qua diximus quandoque verbum procedere, non esse ipsam verbi productionẽ; alioquin dicẽdum esset verbũ semper ab actuali notitia procedere, quia eius productio semper est actualis notitia; sed illa actua- D E

Significantur tres differentiæ inter speciem impressam & speciem expressam & explicatur, quomodo species expressa sit obiectum intellectus.

Species non est sicut semen, contra Bann. Zum. & alios.

Ex qua notitia procedat verbũ, & quibus nominibus fuerit à D. Th. significatum.

actualis notitia est proximum ac formale & effectiuum principium productionis & verbi; Nam ex actuali notitia prioris quidditatis vel præmissarũ, causatur effectiuè notitia posterioris quidditatis vel conclusionis.

Quintò notandum est, terminum illum siuè obiectum intrinsecum ab intellectu productum multis fuisse nominibus à D. Th. significatum. Nam primò dicitur *species expressa* vel constituta per intellectum *quodl. 5. art. 9.* quia exprimitur ab intellectu in actu primo constituto, & repræsentat in actu secundo formaliter intelligibile. Secundò dicitur *verbum cordis*, vt *hic & alibi sæpè*; quia, vt ait Aug. *lib. 15. de Trin. cap. 10.* duplex in B nobis est os, vnum scilicet corporis, & aliud cordis; prout apertè significat Dominus *Matth. 15.* dicens: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore coinquinat hominem*, & paucis interpositis: *Quæ autem procedunt de ore; de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; de corde enim exeunt cogitationes malæ &c.* Quibus verbis inquit Augustinus ostenditur apertissimè duplex in nobis os, nimirum corporis, & cordis; quod etiam ibidem probat ex pluribus alijs sacrarum litterarum testimonijs. Et quemadmodum duplex in nobis est os; ità duplex est locutio scilicet corporis quæ manifesta est, & cordis de qua *Sap. 2.* dicitur. *Dixerunt cogitantes apud se non rectè*; & *Matth. 9. dixerunt intra se*; *Hic blasphemat.* C At verò dicere nihil est aliud, quàm verbum proferre, vt ait S. D. *infra q. 34. a. 1. ad 3.* sequitur ergo duplex etiam esse verbum; vnum vocis & alterum cordis, de quibus *in dicto art. 1.* latius agendum erit cum D. Thom. Cai. & alijs. Turrianus *super hoc art. disput. 2. & 3.* vniuersa cõplexus est spectantia ad dictum primum articulum: *q. 34.* Tertiò dicitur *Conceptus mentis*; cuius rationem reddit Torres *in dicta disputatione tertia*, quem sequitur Zumel. *hic disp. 2.* Sed aptior locus erit *in 2. art. huius quæst.* Quartò dicitur *intentio intellecta, primo contra gent. cap. 53. & 4. cap. 11. & alibi*; quia in ea indifferenter intellectus intelligit rem præsentem & absentem, & à materialibus conditionibus abstractam; sine D quibus res materialis in rerum natura non existit; quod fieri nullo modo posset, nisi prædictam intentionem sibi formaret intellectus, vt scitè notat Ferr. *in dicto cap. 53.* Quintò dicitur primò & per se intellectum, & *terminus intellectionis, de Potentia q. 9. a. 5.* quoniam est immediatus terminus & obiectum intrinsecum intellectionis, & est ratio intelligendi rem ad extra. Per quam autem actionem intellectus producatur verbum, determinabitur *inf. in 3. huius a. Cont.*

Conclusiones deducet, & probatæ. Cognitio est naturalis dupliciter.

PRIMA CONCL. *Intellectus noster in qualibet intellectione naturali, siuè sit naturalis quo ad obiectũ, siuè quo ad modum format verbum.* Explicatur primò hæc conclusio, deinde probatur. Dixi naturali quo ad obiectum siuè quo ad modum: quia E cognitio viatoris dupliciter potest esse naturalis: *vno modo* quia est de obiecto naturaliter cognoscibili, qualis est ea quam habet Philosophus de rebus naturalibus & substantijs separatis: & hæc est naturalis simpliciter. *Alio modo* cognitio dicitur naturalis quo ad modum cognoscendi per species à rebus acceptas, componendo & diuidendo & discurrendo & conuertendo se ad phantasmata; quàmuis talis cognitio sit per lumen supernaturale aut etiam de obiecto supernaturali: qualis est cognitio fidei & prophetiæ, quæ supernaturalis est simpliciter, quo ad modum autem siuè secundum quid est naturalis. Conclusio nostra proposita est de cogni- A tione naturali tam simpliciter, quàm secundum quid. Probatur ex primo fundamento: Intellectus noster nullam rem potest intelligere, nisi prius fiat illi præsens vt obiectum; at nulla res potest fieri præsens intellectui vt obiectum, nisi per verbum in ipso intellectu formatum: ergo. Maior & minor supra probata est; Et procedit hoc argumentum, non solùm in cognitione nostra sed etiam in Angelica, vt bene aduertit Ferr. & alij. Secundò obiectum proportionatum nostri intellectus est quidditas rei materialis à singularibus abstracta: sed talis quidditas non potest esse obiectum immediatè terminatiuum nostræ intellectionis, quatenùs est in re; ergo necesse est in intellectu produci verbum, quod sit expressa illius imago, ad quam, vt obiectum intrinsecum terminetur immediatè actus intelligendi; Minor probatur; quia omnis quidditas existens in re est indiuidua & singularis; & quãuis per speciẽ impressã repræsentetur vt vniuersalis, non tamen exercet vt sic rationem termini vel obiecti, sed principij tantum formalis intellectionis. Ex dictis sequitur, non solùm in intellectione perfecta, sed etiam in imperfecta produci verbum, vt hic aduertit & deducit Caietanus & alij; Nã eadem semper militat ratio de necessitate præsẽtiæ & terminationis obiectiuæ, sine qua nulla nostra intellectio fieri aut esse potest.

SECVNDA CONCL. *Verbum non est idem, quod species impressa, & multò minus idem est, quod res intellecta.* Hæc patet ex dictis; quia nec species impressa, nec res per eam repræsentata sunt terminus intrinsecus & immediatus intellectionis; ergo.

TERTIA CONCL. *Verbum est expressa similitudo rei intellectæ, & obiectum intrinsecum ac terminus immediatus actus intelligendi per ipsum producti.* Hæc conclusio patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *Illa propositio, Quicunque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, &c. limitatè intelligenda est de homine tantùm viatore.* Hæc conclusio est Cai. Et probatur; quoniam D. Th. à notioribus, quæ in nobis ipsis agnoscimus, inchoans intendit nos eleuare ad inuisibilia & incomprehensibilia Dei: atque ideò procedit argumentando probabiliter ex ijs, quæ in nobis sunt. Cùm enim diuini verbi processio sit fide credita, nulla potest necessaria aut euidenti consequutione deduci ex ijs, quæ sunt nobis naturaliter nota. Vnde ratio D. Th. facilè solui posset ab infideli dicendo primo propositionem illam, *quicunque intelligit &c.* vniuersaliter acceptam, prout etiam ad Deum extenditur, falsam esse. Secundò in nobis etiam nõ esse omnino certam. Tertiò longè diuersam esse rationem intellectionis in Deo, & in nobis; quia diuina essentia, quæ est obiectum intellectionis Dei, actus purissimus est, atque ideò semper illi præsens vt obiectum intelligibile, & terminus intrinsecus, & immediatus intellectionis. Dicet igitur infidelis, non habere locum in Deo causam productionis verbi, sicut in nobis. Probatio itaque D. Th. acceptanda est, vt probabilis ex his, quæ satis euidenter cognoscimus, & experimur in nobis; sed de dicta propositione iterum redibit sermo.

VLTIMA CONCL. *Per actionem sensuum exteriorum, vel etiam sensus communis, nihil producitur.* Hæc patet ex primo fundamento. Et præsertim ex dicto Arist. ibidem relato. Et probatur ex il- *Arist.* la regula Arist. *in primo Poster. Si affirmatio est causa affirmationis; & negatio erit causa negationis.* At propria causa producendi verbum non est in

prædictis sensibus; quoniam eorum obiecta sunt per se sufficienter in actu in rerum natura, vt posita in debita distantia possint causare species, & earum actus immediatè terminare; igitur, nó est ibi necessarius terminus aliquis sensatione productus. Quod autem ait Molina, cognoscere nihil aliud esse, quam exprimere in se rei cognitæ similitudinem, falsum esse superius satis ostendimus scilicet *in q. 12. a. 2. Contr. 2.* Sed cognoscere est cognoscentem esse ipsum cognitum perfectè, vt *in dicto art.* explicauimus cum Caiet.

Argum. & Solutiones

CONTRA *primam concl.* sunt argum. Scoti Aur. Dur. & aliorum, quæ refert & soluit ex Capr. Cai. & alij.

Cõt. 1. conc. Ob. Rada. 1.

CONTRA eandem concl. argum. Rada *Primò*: species hæc expressa est eiusdem rationis & speciei cum specie impressa: quia vtraque repræsentat idem obiectum, à quo sumit speciem; at duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto secundum eos, qui hanc speciem dicunt verbum; ergo non est ponenda huiusmodi species: vel concedendum est duo accidentia solo numero differétia esse in eodem subiecto; quod fieri posse ipsi negant. *Respond. primò* duas illas species quo ad repræsentationem esse eiusdem speciei & rationis: sed quo ad modum causandi siuè concurrendi ad actum intellectionis, esse diuersarum specierum; quia vna concurrit vt principium; alia vt terminus & obiectum, vnde habent etiam diuersas causas; atque ideò dicendum videtur, eas simpliciter differre specie: & præterea differentias habent supra notatis. *Secundò dico* minorem intelligendam esse de eodem subiecto secundum eandem potentiam; dictæ verò duæ species in diuersa recipiuntur potentia; Nam species impressa informat intellectum immediatè; species autem expressa, mediante actu intellectionis, cuius est terminus & obiectum; vndè desinente intellectione cessat verbum, non species impressa. *Tertiò dico* duas has species concurrere diuersimodè ad perfectionem vnius actus, atque ideò simul esse posse magis quàm duo lumina, quæ ad vnius luminis perfectionem concurrunt; quia hæc, cum eodé modo concurrant, non retinent distinctionem, sicut species, quarum maxima est in concurrendo diuersitas.

Sol.

Obi. 2.

Secundò: superfluit illa species expressa; ergo non est ponenda; antecedens probatur. Talis species non repræsentat perfectius obiectum, quam illa quæ est in memoria; ergo superfluit: patet consequentia: quia respectu vnius obiecti, sufficit vnum repræsentatiuum perfectum. Probo antecedens; Quia ex August. *15. de Trin. c. 13.* Nihil plus est in prole, id est intelligentia, quàm in parente, id est memoria fœcunda: Esset autè plus, si illa species quæ est in intelligentia, perfectius repræsentaret obiectum, quàm illa quæ est in memoria. *Resp.* falsum esse antec. Ad prob. negatur primò consequentia; Quia verbum non est propter perfectiorem repræsantationem, sed vt sit terminus & obiectum interius intellectionis. Secundò negatur antecedens. Ad probationem ex Aug. Resp. ibidem Aug. loqui de æqualitate Verbi diuini cum Patre; nos autem loquimur de verbo creato ac præcipuè nostro.

Obiect. 3.

Tertiò: illa species non est necessaria ad intelligendum; ergo poni non debet. Probatur antecedens; quia si huiusmodi species esset necessaria, sequerentur duo inconuenientia; alterum quòd habitus nõ esset immediatũ principiũ actus & operationis: alterũ verò quòd habens habitũ nõ esset in potentia accidẽtali & propinqua ad agendum secundũ illum habitum, sed in potentia essentiali & remota, quod est contra Philosophũ. Sequela quo vt vtrunque inconueniens illatum patet; quia prærequireretur forma absoluta noua prior ipsa operatione, quo posito nec habitus esset immediatum principium operationis, nec habens habitum esset in potentia accidentali ad operandum; Nam tunc agens dicitur esse in potentia accidentali ad operandum, quãdo iam est in actu primo perfecto ad agendum, nec noua forma ad id requiritur. *Resp.* falsum esse antecedens. Ad probationem negatur sequela duorum inconuenientium; ad probationem dico verbũ non esse formam priorem intellectione, cum sit illius terminus & consummata perfectio.

CONTRA *eandem* conc. sunt argum. quæ referunt & soluunt Bannes, Zumellus & alij.

Tauellus ob. etiã cont. 1. concl.

CONTRA eandem conc. argum. Iauel. volẽs probare in cognitione reflexa, qua verbũ ipsum intelligitur, non formari verbum. Quia si intelligens verbum producit aliud verbum, erit processus in infinitum. *Resp.* nullum esse inconueniens in actibus intellectus reflexis procedi posse in infinitum; immò necesse est hoc admittere: cum anima possit intellectiones numero distinctas vsque in infinitum elicere & singulas intelligere, & eadem ratione terminos earum intrinsecos, qui sunt species expressæ.

Solut.

Molina obi. 1. cõt. 3. cõc.

CONTRA *tertiam concl.* argum. Mol. *Primò* quilibet intelligens experitur se non intelligere imaginem obiecti & in imagine obiectum: sed immediatè obiectum ipsum; ergo non ea ratione constituendum est verbum vt obiectiuè, & tanquàm quid cognitum concurrat ad intellectionem. *Resp.* verbum non ita esse intellectum, vt ratione sui, id est, vt tanquam res intellecta & repræsentata terminet actum intellectus; sed est terminus intrinsecus, vt imago in actu exercito. Vnde ad argumentum negatur antecedens; Nam cognitio imaginis vt imago est in actu exercito, nobis est euidentissima, sicut ipsa cognitio. *Secundò respondetur* imaginem vt imago in actu exercito, facilè posse latere in cognitione directa, cum non sit vltimus terminus intellectionis; de qua re videndus est Bannes *in responsione ad tertium suum argumentum*: verùm absolutè falsum est antecedens, quia etsi non experiamur talẽ nos habere imaginem, non tamen experimur nos illam non habere.

Ob. 2.

Secundò: sequeretur quòd intellectus omnia intelligeret in alio. Probatur sequela; nam quãdo Sortes conspicitur in speculo, ea ratione dicitur non videri in se, sed in alio, quia conspicitur in sua imagine recepta in speculo. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem dico exemplũ non esse simile; quoniam illud dicitur videri in alio, quod videtur per speciem continentis primò visi: eo modo quo res per speciem adæquatam repræsentata dicitur primò visa, sicut speculum primò videtur, quia per speciem speculo adæquatam repræsentatur oculo: hoc autem modo verbum non dicitur primò visum.

Solut.

Ob. 3.

Tertiò: quãdo in sensu externo est notitia intuitiua obiecti, etiã in sensu interuo & in intellectu est notitia intuitiua: quę nõ minus pendet à præsentia obiecti, cũ intuitiua sit, quã pẽdeat notitia sensus externi; Si ergo eiusmodi præsẽtia obiecti in causa est, cur sẽsus extern⁹ quãdo cognoscit, nõ producat speciẽ expresã obiecti, etiã erit in causa, cur sensus internus ac intellectus, quãdo cognoscũt per illas notitias nõ producant speciẽ expressam aut verbũ *Resp.* falsam esse propositionem

Solut.

nem assumptam quo ad notitiam intellectus; hęc enim nunquam pendet à præsentia obiecti, sed semper abstrahit ab hic & nunc; Nec intellectus noster in sua intellectione naturali vllam habet aut habere potest cognitionem intuitiuam.

Cont. eandē obijcit primo. *Contra eandem* conc. argum. Rada *Primò*: Verbum est effectus per se productus à memoria fęcunda; sed obiectum secundum esse cognitum non producitur per se; ergo non est verbum. Minor probatur; quia esse cognitum est ens rationis, quod nullius actionis & productionis potest esse per se terminus; est enim respectus quidam extrinsecus, qui actum intellectus consequitur. *Resp.* falsam esse minorem propositionē. *Sol.* Ad prob. negatur assumptum; nam vt aduertit Caiet. *in sequenti art.* Quāuis intelligi nihil ponat in re intellecta, intelligi tamē sic, id est, vt priū interius intellectū, aliquid reale ponit, nō quidē in re intellecta vniuersaliter, sed in re intellecta sic, id est secundū esse, ꝙ habet interi⁹ in cōceptu.

Ob. 2. *Secundò*: si verbum est terminus productus per intellectionem, impossibile esset nos intelligere intellectionem ipsam, quin simul intelligeremus aliquem terminum per ipsam produci; At consequens est falsum; nam experientia constat nos intelligere intellectionem, cum tamen non recordemur, quòd aliquid per ipsam producatur; ergo. Probatur sequela maioris; quia si intellectio haberet tanquàm terminum proprium verbum mentis, diceret ordinem essentialem & intrinsecum ad verbum, sicut calefactio ad calorem per ipsam productum; ergo nō posset intelligi sine ordine ad verbum, sicut nec calefactio sine ordine ad calorem; quia talis ordo est ei intrinsecus & essentialis. *Respond.* negādo falsitatem consequentis: *Solut.* Ad probationem dicitur; nunquam esse cognitionem perfectam intellectionis, nisi cognito illius ordine ad verbum; Nec mirum est ab eo naturam actus non intelligi, qui illius intrinseca non agnoscit. Secundò dicitur: omnes cognoscentes intellectionem cognoscere ordinem illius ad verbum; quāuis de verbi natura non conueniant; dum alij statuunt idem esse cum re cognita; alij cum ipso intelligere; & alij speciem esse distinctam realiter à prædictis. Tertiò negatur sequela maioris; Ad probationem negatur assumptum; quia verbum est propter intellectionem, & non è contra. Quartò respondeo intellectionem posse dupliciter considerari; vno modo vt actio est; & sic speciem sumit à specie impressa, quæ est eius principium, à qua etiam dependet in cognosci; alio modo potest considerari vt via quædam est & tendentia in suam perfectionem & obiectum; & hoc modo non potest intelligi sine verbo, sicut nec motus sine termino.

Ob. 3. *Tertiò* intellectio est actio immanens; ergo nō habet terminum per ipsam productum; ergo verbum non est terminus productus per intellectionem. Probatur prima consequentia ex Arist. *9. Metaph. cap. 7.* vbi distinguens actionem immanentem à transeunte ait; hanc habere aliquid operatum per ipsam tanquam terminum. illam autem scilicet immanentem nullum habere operatum. *Solut. 1.* *Respond. primò* cum Caiet. differentiam illam inter actionem immanentem & transeuntem intelligendam esse, vel quo ad necessitatem vt sensus sit: Operatio transiens habet necessariò operatum: immanens verò non necessariò infert aliquod operatum, quamuis possit habere aliquod operatum; quoniam habitus ex frequētatis actibus immanētibus generatur; Vel intelligēda est quo ad ordinē, vt sit sensus: Actio transiens habet opus sic, vt ordinetur ad ipsum; Actio verò immanens nō habet opus; quia non per se ordinatur ad opus aliquod, sed si quando habet opus, illud ordinatur ad ipsum. Sic igitur in proposito intelligere non necessariò producit verbū, nec quando producit ad illud ordinatur; sed è contra; quia conceptio ad perfectionem ordinatur actus intelligendi. *Secundò resp.* cum Capr. discrimen ab Arist. assignatum inter actionem transeuntem & immanentem esse, quòd per illam producitur aliquod operatum receptum in subiecto distincto à potētia operante, sed quod per actionem immanentem producitur, non recipitur in distincto subiecto, sed in ipsāmet potentia operante. *Solut. 2.*

Sed vtranque resp. impugnat Rada & primò probat expositionem Cai. non congruere textui Aristot. Quia Arist. in vniuersum asserit, actionem transeuntem distingui ab immanente, quæ est actus vltimus potentiæ: quia illa necessariò habet terminum per eam productum, hæc verò omni termino caret per eam producto; sic enim ait Philosophus: *Quamquàm autem in quibusdam vltimum est ipse vsus, vt videndi potentiæ visio, vbi nihil aliud à visu fit opus*; in quibus verbis vult Aristot. per actionem immanentem nihil produci. *Instantia 1. cont. 1. resp.* *Præterea* discrimen illud assignatum ab Arist. inter dictas duas actiones non est intelligendum per accidens, sed per se; ergo actioni immanenti, quæ est actus vltimus, per se competit omnis termini per ipsam producti esse omnino expertem. *Præterea* actio de genere actionis necessariò habet terminum per eam productum: sed secundùm Thomistas intellectio ad genus actionis pertinet; ergo actio immanens non distinguitur à transeunte penes hoc, quia quandoque habet terminum, quandoque non. *Instant. 2.* *Instant. 3.* *Denique* reprehendit dictum Caiet. de productione habituum ex actibus immanentibus, dicens aliter se habere habitum ipsum ad actus, à quibus producitur, & aliter terminum actionis respectu eiusdemmet actionis. Nam habitus (inquit) ad actus ex quibus gignitur, habet se sicut effectus ad suam causam efficientem; (exempli causa) sicut calor productus in ligno ad ignem producentem; terminus verò ad actionem, cuius est terminus, non se habet sicut effectus ad suam causam, sed sicut terminus ad actionem, per quā producitur; quo fit vt actus producentes habitum, non se habeant vt actio per quam producitur, sed vt principium quo producitur; sicut calor in igne respectu caloris in ligno; Actio ergo immanens potest habere effectum, cuius sit principiū quo; sed non terminū per ipsam productū tanquā per actionē; quia non est actio de genere actionis, sed qualitas *Resp.* autē Capr. sic. impugnat. Ex hoc quod actio habet aliquid pro termino, vel nō habet, cōcludit Arist. actionē esse in operāte, vel in eo quod fit; ergo nō distinguit vnā actionē ab alia, per hoc quod habet opus receptū in operāte vel extra operās. Antec. probatur; quia Arist. dicit actionē cuius est aliquod opus esse in re quæ fit, vt ædificationē in ædificato; actionem verò cuius non est opus præter vsum, esse in ipso operante, vt visionē in vidente. *Instāt. cōt. 2. resp.*

Ad primā impugnationem respōsionis Cai. resp. Verba illa Arist. optimè admittere glossas Caiet. mēs enim Arist. est, per actionē immanētē non produci necessariò terminū aliquē, vt patet in actionib' sēsuū exteriorū, quę nihil producūt. Cū verò ait, actionē imanētē esse vltimū manifestē significat eā esse finē cuiuscūq; ad eā cōcurrētis, siuè illud sit principium siuè terminus per eā productus. *Sol. instan. tiā cont. 1. resp.*

ctus. Et per hæc etiam patet solutio *ad secundam* A obiectionem. Nam discrimen assignatum ab Arist. inter dictas actiones intelligendum est per se; sed cum prædicta expositione vel glossa. Cuius rationem assignauimus *in q. 12. a. 2. Cont. 2. in 4. notabili. Ad tertiam* respond. Actiones immanentes non esse propriè actiones, sed operationes, vt supra notauimus ex D. Th. atque ideò ex se nullam inferunt passionem receptam in externo subiecto. De qua re videnda sunt, quæ diximus *q. 25. Contr. vnica, in solutionibus argumentorum. Ad vltimam autem* impugnationem dicti de productione habituum respondeo, falsum esse actus producentes habitum se habere tantum vt causas, & non vt actiones quibus producitur B habitus. Exemplum autem caloris in igne ex quo causatur calor in ligno, non est simile, sed actui quo causatur habitus, magis assimilatur calefactio; oportet enim habitum actione aliqua tanquam productione produci: nulla verò potest assignari præter ipsas actiones immanentes.

Sol. instan. tie cont. 2. resp. *Ad impugnationem* autem responsionis Capreoli negatur conseq. Nam Arist. ex receptiuo, siuè subiecto termini producti concludit subiectum actionis productiuæ dicens: Actionem illam, cuius nihil est productum extra operantem, esse in ipso operante; qualis est omnis actio immanens; Actionem autem illam, quæ terminum habet productũ extra operãtem, esse in eo quod C efficitur extra operantem.

Inst. *Sed contra* illam expositionem Cai. Actio immanens dicitur actus vltimus, non quia nihil sit in ea vlterius; sed quia ipsa non ordinatur ad aliud tanquàm ad finem, sed alia ad ipsam, sic argumentatur Rada. Si verbum producitur vt intelligamus; ergo intellectio subsequitur verbũ productum, sicut finis subsequitur medium; ergo verbum non producitur per intellectionem, vt intellectio est; quia actio productiua præcedit terminum productum, intellectio verò

Sol. subsequitur verbum. *Respond.* Intellectionem quatenus est in fieri & quasi via ad terminum, præcedere verbum, & eandem prout attingit obiectum verbo repræsentatum, esse verbo posteriorem; ab eo enim suscipit vltimum sui complementum: & per hoc soluitur argumentũ quoddam Molinæ simile.

Obi. 4. *Quartò* principaliter sic arguit. Intellectio est qualitas; ergo per ipsam tanquam per actionem nihil producitur: sed potius ipsa est

Solut. forma per aliquam actionem producta. *Resp.* Actionem immanentem propriè dici operationem, non autem actionem; quia nihil producit extra operantem; atque ideò non est actio de prædicamento actionis, sed de genere qualitatis, vt etiam notauit Capr.

Obiectio 5. *Quintò* Ex August. multis in locis suæ doctrinæ verbum non producitur ab intelligentia, sed à memoria; ergo non producitur per E intellectionem, quæ ab Augustino intelligentia nuncupatur. *Sol.* *Respond.* Sensum August. esse, verbum non produci ab intelligentia tanquã principio productiuo, sed à memoria; cum tamen producatur ab intelligentia, vt productione verbi.

CONTRA *vltimam* conclusionem sunt argumenta proposita & soluta *quæst. 12. art. 2. Contr. 2.*

SECVNDA CONTROVERSIA.

An Angelus intelligendo seipsum formet verbum?

Sententiæ Expositorũ, & Sensus quæstit.

DVAE *sunt* oppositæ sententiæ in proposita Controuersia. *Prior* est Sylu. *in conflato*, & Ferr. *in primo cont. Gent. cap. 53.* & Iauelli; quam ex recentioribus sequuntur Torres *super hoc artic. disp. 1. dub. 3.* Bannes *hic, dubio 2.* Mol. *disp. 8. membro 3.* Suar. *lib. 2. de attributis cap. 11.* & Zumel. *hic d.sp. 3.* qui tamen oppositam reputant probabilem, licet contrariam menti D. Th. B Hi dicunt Angelum in sui intellectione formare verbum.

CONTRARIVM sententiam tenet Caiet. *super hoc artic.* qui tamen priorem approbare visus est *in 2. a. q. 14.* vt ibidem ostendimus Eandẽ sententiam sequitur Ripa *in 2. cap.*

In hac Contr. vnum est quòd supponitur, & aliud quod quæritur. Id quod supponitur est, Angelum seipsum cognoscere non per superadditam speciem, sed per suam essentiam illi magis coniunctam, quàm per informationem scilicet per identitatem, vt ait D. Th. *infra q. 56. art. 1.* Quòd autem quæritur est: An Angelus sicut cognoscit se per suam essentiam, vt speciem impressam, sic per eandem quoque, vt verbum se C ipsum intelligat, adeò vt non formet Angelus aliud verbum, sed ipsamet Angeli substantia intellecta sit loco verbi; quemadmodum communiter affirmant Theologi, Diuinam essentiam esse verbum in intellectione essentiali, vt *infrà q. 34.* erit explicandum. Quærimus autem in hac re præcipuè mentem Angelici nostri Doctoris, quem vtriusq; sententiæ defensores in sui fauorem conantur inflectere.

Resolutio. Asseruntur & expedũtur dicta D. Thomæ in fauorem prioris sententiæ.

S. DOCTOR in pluribus suæ doctrinæ locis non obscurè significat, Angelum in sui intellectione formare verbum. Primus locus est *in 4. lib. cont. gent. cap. 11.* in quo proferens diuersos emanationis modos iuxtà diuersos naturarum gradus siuè ordines, qui sunt in vniuerso; sic demum de Angelis loquitur. *Perfectior igitur est in-* D *tellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori (sicut intellectus humanus) sed per se cognoscit se ipsum, nõdum tamen ad vltimam perfectionem vita ipsorum pertingit; quia licèt intentio intellecta sit eis omninò intrinseca; nõ tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia: quia non est in eis idem intelligere, & esse.* Nomine verò intentionis intellectæ certum est D. Thom. intelligere verbum, vt patet *ex cap. 53. lib. 1. & alibi*; prout etiam exponit Ferr. Affirmat ergo S. Thom. Angelum, cognoscendo se ipsum, per se ipsum, formare verbum de se ipso cognito. Secundus locus est *de verit. quæst. 4. art. 2.* vbi sic ait. *Verbum intellectus* E *nostri est id, ad quod intellectus nostri operatio terminatur, quod est ipsum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus, siuè sit conceptio significabilis per vocem incomplexam, vt accidit, quando intellectus format quidditates rerum; siuè per vocem complexam, quod accidit, quando intellectus componit, & diuidit; Omne autem intellectum in nobis est aliquid realiter progrediens ab altero, vel sicut progrediuntur à principijs conceptiones conclusionum, vel sicut conceptiones quidditatum rerum posteriorum à quidditatibus priorum: vel saltem sicut conceptio actualis progreditur ab habituali cognitione, & hoc vniuersaliter verum est de omni, quod à nobis intelligitur, siuè per essentiam intelligatur, siuè per similitudinem; ipsa enim*

enim conceptio est effectus actus intelligendi; vnde etiam, quando mens intelligit seipsam, eius conceptio nō est ipsa mens, sed aliquid expressum à notitia mentis. Hæc S. D. vbi ponderanda sunt illa verba: *Siuè per essentiam intelligatur, siuè per similitudinem;* quibus videtur significare mentem nostram, quouis modo etiam Angelico se ipsam intelligat, de se ipsa cognita formare verbum. Tertius locus est *de potentia, q. 9. a. 5. in c.* vbi S. Th. sic discurrit. *Oportet ergo, quòd intelligere Deo conueniat, & omnia, quæ sunt de ratione eius, quod est intelligere, & quod sit intelligens, & intellectum; Id autem, quod est per se intellectum, non est res illa, cuius notitia per intellectum habetur, cum illa sit quandoque intellecta in potentia tantùm, & sit extra intelligentem, sed est verbum interius, & quantum ad hoc non differt; vtrum intellectus intelligat se, vel intelligat aliud à se.* Hæc S. Th. quo loco obseruandum est S. D. loqui de intellectu & intelligere vniuersaliter, & non de tali puta humano; vt patet ex serie verborum. Quartus locus potest desumi *ex hoc art.* vbi S. Th. statuit propositionem illam vniuersalem: *Quicunque intelligit &c.* & addit ea, quæ dicuntur de Deo intelligi debere, non ad modum infimarum creaturarum, sed ad modum nobilissimarum; hæ verò sunt Angeli; igitur Angeli ex hoc ipso quod intelligunt verbum producunt; ergò etiam cum se ipsos intelligunt, formant verbum. Probatur hæc consequentia: Nam alioquin processio verbi in intelligente, non esset ex hoc ipso quod intelligit, sed ex aliquo alio, puta ex hoc quod intelligit hoc intelligibile vel tali modo; nec esset vera formaliter & per se propositio D. Tho. sed materialiter tantùm & per accidens. His addi possunt ea quæ diximus *in præcedente Contr. & q. 12. a. 2. Cont. 2. de necessitate verbi:* quæ locū habere videntur etiam ea cognitione Angeli, qua se ipsū per se ipsū intelligit.

Ostenditur probabilem esse sententiā Caietani & conformē mēti D. Thom.

Et quoniam arbitramur sententiam Cai. posse defendi, non tantum vt probabilem, sed etiam vt consonam doctrinæ D. Th. proponemus ea summatim, quæ huic videntur fauere sententiæ. Principio D. Th. *infra q. 56. a. 1 in fine corporis* sic tandem concludit. *Sic igitur, si aliquid in genere intelligibilium se habeat, vt forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum: Angelus autem cum sit immaterialis, est quædam forma subsistens, & per hoc intelligibilis actu, inde sequitur, quòd per suam formam, quæ est sua substantia, se ipsum intelligat.* Constat autem immaterialitatem formæ subsistentis esse rationem, quòd aliquid sit actu intelligibile, non tantum in ratione principij intellectionis, sed etiam in ratione termini & obiecti; Ergo non erit necessarius Angelo se ipsum intelligenti terminus aliquis, vel obiectum productum, ab ipsius Angeli substantia distinctū.

Resp. Banncij.

Sed ait Bannes discrimen esse inter speciem impressam, & expressam, quòd species impressa concurrit in ratione principij effectiui, atque ideo necessarium esse, vt concurrat secundum quòd actu existit; quia omne agens agit quatenus est in actu, ac propterea potest (inquit) Angelica substantia prout actu existit, speciei impressæ officium apte supplere: at verbum in ratione obiecti, & termini præsupponit iam actualem intellectionem, cuius est terminus formaliter repræsentans rem cognitam; & quia res intellecta vt sic abstrahit ab existentia actuali, necesse est vt verbū in ratione verbi nō repræsentet actualē existentiā, ac per consequens Angelica natura, prout est à parte rei, non potest habere rationem formalē verbi: quia prout est à parte rei est determinata ad actualē existentiam. *Hæc tamē*

Impugnatio.

A *solutio* plures patitur instantias. Nam primò species non efficit intellectionem secundum illud esse naturale, quo existit in rerum natura, prout est tale ens de genere substantiæ vel accidentis; sed prout est ipsum intelligibile factum vnum cum intellectu in esse intelligibili; & sic intellectionem efficit cum intellectu, non secundum esse naturale sed secundum esse intelligibile, secundum quod esse verbum etiam terminat actū intelligendi; erit igitur eadem quo ad hoc speciei impressæ & verbi conditio. Secundò quia cognitio Angeli qua se ipsum intelligit, necessariò est intuitiua; alioquin se ipsum non perfectè cognosceret; & cum se ipsum non liberè sed naturaliter semper intueatur, non poterit Ange-
B lus absolutè in sui cognitione abstrahere ab existentia. Dixi autem absolutè quia cum Angelus perfectè sui naturam intelligit, prout ab existentia distinguitur, quodammodo cognoscit illam præcisè ab existentia; sed quia eadem cognitione illam etiam vt existētem cognoscit, idcircò absolutè in sui cognitione non abstrahit ab existentia. Nec eadem est ratio de ea cognitione, qua ceteros Angelos ac res quæ sunt in vniuerso cognoscit; quia species horum repræsentatiuæ subsunt libero vsui voluntatis Angelicæ, atque ideò potest Angelus vti qualibet specie, prout est quidditatis repræsentatiua, non vtendo eadem quatenus repræsentat existentiā.
Denique si de ratione intellecti in actu esset ab-
C stractio ab existentia, & non sufficeret immaterialitas formæ subsistentis, necesse esset Deum in sui ipsius cognitione, & beatos etiam in visione Dei abstrahere ab existentia, quod est impossibile. Præterea ad hoc vt intellectualis substantia rem aliquam actu cognoscat, & vt res illa ad actum intellectionis concurrat, non tantum in ratione principij sed etiam in ratione termini, requiritur & sufficit vnio cum illa in esse intelligibili, vel per informationem perfectam vel per identitatem: at substantia Angeli vnitur cū ipso Angelo per identitatem in esse intelligibili; Ergo; Maior probatur. Tunc intellectus siuè intelligens actu intelligit ipsum intelligibile, quā-
D do est perfectè ipsum intelligibile; tunc autem est perfectè ipsum intelligibile, quando vnitur illi perfectè in esse intelligibili; hoc verò fit cū intelligibile coniungitur intelligenti per informationem perfectam, & multò magis si fuerit vnum per identitatem non solùm in esse naturali, sed etiam in esse intelligibli. Voco informationem perfectam illam, quæ fit per vtramque speciem scilicet impressam & expressam; ergo. Propositiones omnes assumptæ patent ex dictis *supra quæst. 12. a. 2. controu. 3.* Vltima verò probatur; quia tunc maximè est in ratione obiecti intrinseci vnio intelligibilis cum intellectu, quando intelligens vnum est cum illo per iden-
E titatem non solum in esse naturali, sed etiam in esse intelligibili: nihil enim vltra requiritur. Minor autem principalis argumenti probatur. Quia ex eadem radice nimirum immaterialitate prouenit, quod res aliqua sit intelligens & actu intelligibilis, vt explicauimus *in expositione textus a. 1. q. 14.* at Angelus est omninò immaterialis; ergo vnitur per idētitatē ipsi Angelo, nō solū in esse naturali sed etiā in esse intelligibili. *Sed ait Zumel. infra q. 56. a. 1. q. 2.* ℣ cognitio actualis requirit obiectū cognitū in actu, & nō sufficit vt sit actu intelligibile; quia intellectus respectu immediati obiecti actualiter intellecti nō est passiua potētia, sed merè actiua; atq; ideò intelligēdo, producit suū immediatū obiectū; essentia verò Angeli ex

Resp. Zumelij.

pro-

propria ratione essentiali non habet, vt sit actu intellecta; quia hoc illi conuenit accidentaliter, quatenus terminat cognitionem, quæ est accidens; igitur hoc habebit, quatenus intellectus trahit essentiam suam ad semetipsum per intellectionem formando expressam ipsius similitudinem, hoc est verbum. *Hæc verò nihil obsunt*; quoniam vt aliquid sit actu intellectum tamquam terminus intrinsecus intellectionis, tria sufficiunt. Primum est vt sit actu intelligibile. Secundum est vt quatenus actu intelligibile sit intra ipsum intelligentem. Tertium est actualis intentio ipsius intelligentis, & applicatio principiorum ad intelligendum, per quam ex actu primo fit operans in actu secundo. Constat autem ex dictis essentiam Angeli intelligentis esse actu intelligibilem, & esse intra ipsum intelligentem per identitatem, multò magis quàm sit intra ipsum quoduis aliud intelligibile per informationem; ac denique in Angelo esse perennem ac naturalem intentionem, & applicationem ad suę substantiæ cognitionem. Igitur non requiritur verbum; nam cum verbum ea tantum ratione sit intellectioni necessarium, vt scilicet intelligibile sit non; solùm actu intelligibile, sed etiam intra ipsum intelligentem vt vnum cum illo, sic vt per intentionem vel applicationem sit actu intellectum, idque conueniat essentiæ cuiuslibet Angeli respectu ipsiusmet Angeli, non erit in eius cognitione formatio verbi requirenda: alioquin etiam in visione diuinæ essentię necessariũ esset beatos formare verbum; quia diuina essentia respectu intellectus beatorum non est essentialiter actu intellecta, sed illi conuenit per accidens & ab extrinseco, prout terminat accidentalem cognitionem intellectus beati. Nec admittendum est quod ait Zumel. intellectum respectu immediati obiecti actualiter intellecti esse potentiam merè actiuam, cum possit ad illud habere habitudinem, non vt eius actiua potentia aut passiua, sed tantum vt ad terminum præexistentem saltem prius natura.

Confutatio.

Sed respondet Zumel. diuinam essentiam licet ex propria ratione non dicatur actu intellecta per intellectum beati, esse nihilominus illi intrinsecum & essentiale, vt sit intellecta per intellectum diuinum, & per ipsius intellectionem continentem eminenter intellectionem beati, & consequenter nullam potentialitatem habere posse in ordine ad intellectionem beati, posseq; per se ipsam esse immediatum principium intellectionis beati; sicut personalitas increata, quia eminenter continet omnem personalitatis rationem, potest se ipsa supplere vicem personalitatis creatæ, vt patet in mysterio incarnationis. *Sed in primis continentia* illa eminentialis impertinens est in re proposita in qua per se requiritur vnitas & intimitas intelligibilis cum intelligente, cum intentione seu applicatione iam dicta: vnde ea solum ad actualẽ intellectionem cõferunt, quæ modos per se dicunt vnitatis & intimitatis; at verò prædicta continentia nullum dicit formaliter vnitatis aut intimitatis modum respectu intellectus creati; quamuis actualitas infinita, quæ radix est prædictæ continentiæ, ratio sit vnibilitatis ipsius essentiæ diuinæ cum intellectu creato: è contra verò cuiuslibet Angeli essentia respectu ipsius vtrumque per se & essentialiter sibi vendicat scilicet vnitatem & intimitatem, & ex eiusdem natura prouenit actualis intentio & applicatio ad se ipsum intelligendum. Præterea non requiritur minor immaterialitas, actualitas & intelligibilitas, vt res aliqua subsistens sit actu principium intellectionis, quam vt sit terminus eiusdem intrinsecus, vt patet in simili; nam species impressa non est minus immaterialis & actualis cum actu causat intellectionem, quàm sit verbum ipsum, qui est eius effectus ex hoc quod est forma immaterialis & intelligibilis intima Angelo; at substantia Angeli per se ipsam principium est intellectionis; ergo eadem ratione eiusdem intellectionis erit terminus intrinsecus.

Respondet Zumel.

Confirmatio.

Vt autem contra Banness. Zumel. & alios sustineamus hanc partem secundum mentem Angelici nostri Doctoris; considerandum est verbum dupliciter posse distingui realiter à substantia intelligentis: vno modo secundum se; alio modo ratione intellectionis cuius est terminus: priori modo distinguitur verbum à substantia intelligentis in qualibet intellectione nostra, & in omni cognitione Angeli qua aliud à se cognoscit; posteriori verò modo distinguitur verbũ à substantia Angeli se ipsum intelligentis; nam cum se ipsum intelligit, actus intelligendi distinguitur realiter ab eius substantia; Ratio prædictæ distinctionis est; quia res cum suo termino computatur vt vnum, & ideò quandoque illi attribuitur aliquid ratione sui termini, & quãdoq; ratione sui, & similiter termino aliquid attribuitur ratione sui & aliquid ratione rei quam terminat. Nũcupatur autẽ Angeli substãtia, prout actu terminat eius intellectionẽ, intẽtio intellecta; quia vt sic exercet officium verbi, quod est intentio intellecta & ei vt sic accidit habere esse naturale idem cum ipso intelligente, & per se sibi vendicat tantum esse intelligibile. Propter quam causam videtur S. Thom. *in 4. cont. gent. cap. 11.* sub nomine intentionis intellectæ significare voluisse substantiam Angeli, prout actu terminat actum intellectionis loco verbi.

Nota and distinctio.

Svstinendo igitur vtramque partem vt probabilem etiam secundum mentem S. Thom duas proponimus conclusiones.

Conclusiones deducẽdæ, & probandæ.

Prima Conc. *Probabile est etiam in doctrina D. Th. Angelum in sui intellectione nullam formare verbum.* Hæc conclusio patet ex dictis, & magis eluceſcet ex solutione argumentorum aduersæ partis.

Secvnda Concl. *Multò probabilius est secundum mentem D. Tho. Angelum in sui ipsius cognitione formare Verbum.* Hæc patet ex dictis D. Th. supra relatis, & ex argumentis recentiorum inferius adducendis, quæ sufficientem quidem, sed non multum euidentem, habent solutionem.

Igitur argumenta ex doctrina D. Th. petita pro secunda conclusione aduersus primam sic facilè videtur posse cõfutari. *Nã primus* locus ex *4. cõt. gent.* seipsum explicat, cũ adducens rationem ait: *tamen ipsa intentio intellecta non est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere & esse*: quibus verbis significat se loqui de termino intrinseco intellectionis, quem appellat intentionem intellectam ratione actus intelligendi; qui quoniam in Angelis distinguitur ab eorum substantia, consequens est etiam, vt eius terminus quicumque sit ille, distinguatur ab Angeli substantia, si non ratione sui, saltem ratione ipsius actus intelligendi cuius est intrinsecus terminus. Cur autem substantia Angeli, quatenus actu terminat suam intellectionem, nuncupetur intentio intellecta, iam supra diximus. *Secundo dici* posset D. S. ibi loqui de intentione intellecta,

Respõdetur argumentis superius adductis pro vtraq; sententia, & alia quædã proponũtur, & soluuntur. Obi. 1. cõt. 1. concl. solut.

quam

quam format Angelus ex aliorum intellectione, vel de intentione intellecta absolutè siuè vniuersaliter respectu cuiusuis intelligibilis; hoc enim probat ratio adducta, quia scilicet in Angelo non est idem intelligere & esse: nam si intelligere Angeli esset suum esse, idem esset absolutè verbum cum substantia Angeli. Colligitur vtraque expositio ex sequentibus de intellectu nostro, sic enim ait: *Dico autem intentionem intellectam, id quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta, quæ quidem in nobis neque est ipsa res, quæ intelligitur, neque est ipsa substantia intellectus &c.* Cõstat autem primò intellectionẽ nostram vt plurimum esse de rebus à substantia nostra diuersis, nec vt ait Arist. nos ipsos cognoscimus nisi sicut alia. Secundò certum est, verbum nostrum absolutè & vniuersaliter distingui à substantia nostri intellectus. Loquitur ergo D. Th. ibi, vel de verbo quod ex aliorum cognitione formatur, vel de verbo Angeli absolutè.

Inst. *Sed huic responsioni* possent obijci sequentia verba; nam ibi concludendo dicitur: *Relinquitur quòd in Deo intelligente seipsum, sit idem intellectus, & res quæ intelligitur, & intentio intellecta*; igitur in præcedentibus sermo fuit de cognitione Angeli, qua se ipsum cognoscit. *Sol.* *Resp.* Deum in se ipso cognito etiam alia cognoscere; vt ibidem præmiserat D. Th. ac per hoc, nomine Dei seipsum cognoscentis comprehendi simul etiam Deum ipsum, sub ea ratione qua cognoscit alia; Sic enim tantum cognitio Dei perfecta est & cõprehensiua; loquitur ergo S. D. in illo capitulo de cognitione & intentione intellecta, tam Angeli quàm Dei absolutè & vniuersaliter respectu cuiusuis intelligibilis.

Ob. 2. Sol. *Ad secundum* locum *dico primò* ibi sermonem esse de intellectu nostro vt patet. *Secundò dico* nomine intellecti per essentiam ibidem accipiendũ esse id, quod intelligitur quidditatiuè; Nomine verò intellecti per similitudinem id, quod intelligitur in alia re simili cognita, quæ nuncupatur similitudo obiectiua.

Ob. 3. Sol. *Ad tertium* locum ex *quæst. nona de potentia*, dico *primò* S. Th. ibi loqui de intellectu nostro, vt patet ex ipso verborum cõtextu diligenter cõsiderato; manu ducit enim nos ex ijs quæ in nobis sunt vt euidentioribus ad ea, quæ diuinitus nobis reuelata de Deo credimus: *Secundò* dico sensum verborum S. Th. non obscurè colligi ex illis verbis: *id autem quod est per se intellectum, non est res illa, cuius notitia per intellectum habetur; cum illa sit quandoque intellecta in potentia, & sit extra intelligentem.* Significant enim non esse accipiendum vt vniuersaliter verum, rem illam cuius habetur notitia, non esse idem quod per se intellectum, nec è contra, ob eam causam, nimirum quia res intellecta quandoque est in potentia tãtum cognita, & est extra intelligentem; igitur si sit res aliqua, quæ non sit extra intelligentem, & sit semper actu intelligibilis & intellecta, qualis est substantia Angeli respectu proprij intellectus, vt ex supradictis patet, illa erit idem quod per se intellectum & verbum mentis.

Obi. 4. Sol. *Ad quartum* locum *ex hoc articul.* respondetur dictum illud intelligendum esse de intellectu nostro, vt docet hic Caiet. hinc enim manuducimur ad cognoscendum esse probabile, & valdè credibile, quod docet fides de verbi processione in diuinis; cum autem addit Sanct. Doct. ea, quæ dicuntur de Deo, esse intelligenda ad modum nobilissimarum creaturarum, interpretandum est de genere

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A siuè ordine creaturarum intelligentium absolutè, prout distinguuntur contra creaturas merè corporeas vel purè sensibiles; vt autem sit verum tale dictum sic absolutè & indeterminatè sumptum; satis est in vna illius generis specie, qualis est humana, similitudinis illius esse fundamentum. Et quoniam sermones interpretandi sunt iuxta subiectam materiam, idcircò particula illa *ex hoc ipso quod intelligit* accipienda est non de intelligere vt sic, sed de intelligere humano; de quo solo loquitur illa propositio: *quicunque intelligit &c.* vt sensus sit; quicunque scilicet homo intelligit, ex hoc ipso quod intelligit intellectione sibi congrua & suę naturæ consona, procedit aliquid intra ipsum,
B & sic vera est propositio: formaliter & per se, sed in tali specie intellectionis, & non vniuersaliter in toto genere intellectionis creatæ. Et quia Caiet. & quidam alij quærunt de sensu dictæ propositionis: *Quicunque intelligit &c.* etiam absque respectu ad præsentem litteram, id est absolutè; idcircò non erit ab re diuersos illius sensus expendere. Sunt verò quatuor: Nam *Primò* sumi potest vniuersalissimè, prout extenditur ad omnem intellectionem tam creatam quàm increatã; & sic quoad intellectionem Dei non est scita, sed credita. Dixi quo ad intellectionem Dei; nam absolutè falsa est sic vniuersalissimè sumpta, vt immediatè dicemus; est autem credita quo ad intellectionem Dei loquendo de processione reali; quia ratione naturali
C probari non potest diuini verbi processio. *Secundò* potest accipi dicta propositio vt communis ad omnem intellectionem creatam tam ordinis naturalis quàm ordinis supernaturalis; & in hoc sensu falsa est; ostendimus enim *in quæstione duodecima, artic. secundo* beatos non posse formare verbum de Deo clare viso. *Tertiò* sumi potest vt comprehendit tantum omnem cognitionem creatam naturalem quo ad rem siuè quo ad modum; & sic habet difficultatem, quam nunc examinamus de Angelo intelligente se ipsum. *Postremò* potest intelligi limitate de cognitione hominis viatoris; in quo sensu verissima
D est, & posita hic à D. Thom. vt ante diximus.

Sensus multiplex illius dict. Quicunque intelligit &c.

Contra eandem primam conc. argum. Torres: *Primò*; Anima cognoscendo se format verbum secundum D. Th. Ergo Angelus cognoscendo se format verbum; sequela probatur; quia vtrobique est eadem ratio. *Resp.* nullam esse consequentiam; Ad probationem dico non esse eandẽ sed longè diuersam rationem; quia anima nostra non cognoscit se ipsam per se ipsam, sed cognoscit se sicut alia, scilicet per speciem abstractam phantasmate rei sensibilis.

cont. 1 conc. obijcit Torres 1. *Solut.*

Secundò; Sicut per calefactionem producitur calor, ita per actum intelligendi producitur verbum; at nequit esse calefactio sine calore;
E ergo neque actus intelligendi sine verbo. *Resp.* maiorem absolutè falsam esse; quia per actionem transeuntem qualis est calefactio, necessariò producitur aliquid, non autem per actionem immanentem, qualis est intellectio, producitur aliquid necessariò, sed permissiuè tantum.

Obi. 2. *Solut.*

Tertiò probat verbum esse de ratione intellectionis, per dicta D. Thom. supra satis expo-sita, quibus non est necesse quisquam aliud addere.

Ob. 3. cũ sua sol.

Quartò probat idem argumento (vt ipse ait) efficacissimo. Si Angelus cognoscẽdo se nõ formaret verbũ, ob id esset; quia Angeli essentia est

Obiectio. 4.

immaterialis, atque satis præsens eius intellectui: At hæc ratio nullius ponderis est; quoniam diuina essentia est purus actus & immaterialis & intimè præsens diuino intellectui, & tamè Deus cognoscendo se producit verbum, vt ex fide constat; ergo Angelus cognoscendo se formatverbum. *Respondetur* falsam esse minorem; Ad probationem respondetur nullam esse consequentiam; quia Deus ex fœcunditate & infinita perfectione suæ naturæ producit verbum subsistens personaliter à dicente distinctum; quæ ratio nullo modo conuenire potest Angelo, qui finitæ perfectionis est.

Solut.

Cont. eandē obiecit Bannes 1.

Contra eandem conc. argum. Bannes. *Primò*: Si dicamus quòd de intrinseca ratione intellectionis est productio verbi, suauius & commodius intelligemus mysterium Trinitatis quantum ad generationem Filij; ergo ex his magis eligenda est à Theologo pars affirmatiua. *Resp.* nullam esse consequentiam; nam intelligentia mysterij diuinæ generationis quærenda est ex ijs, quæ nobis certa & euidentia sunt; non autem ex opinionibus soliditate carentibus.

B

Solut.

Obiect. 2.

Secundò: Angelus intelligens suam quidditatem abstrahit ab hic & nunc actuali; sed essentia Angeli secundum esse reale quod habet, non abstrahit ab hic & nunc, sed est determinata per existentiam actualem distinctam realiter ab essentia; ergo non poterit immediatè esse obiectū intellectionis Angelicæ; ergò necessarium est verbum. *Resp.* falsum esse maiorem; quia cognitio Angeli qua se ipsum intuetur, est illi naturalis, & simul terminatur ad essentiam, & eius vltimam actualitatem, quæ est existentia, vtriusque simul rationem & distinctionem comprehendens; Alia eiusdem expositoris argumenta facilem habent ex dictis solutionem.

C

Solut.

Cont. eandē obiecit Zumelius 1.

Contra eandem conc. argum. Zumel. *Primò*: Intentio intellecta, & intellectio ipsa in Angelo sunt eiusdem generis & naturæ: sed intellectio non est ipsa substantia Angeli; igitur neque intentio intellecta est eius substantia, sed quoddā accidens eius. Maior probatur; quia terminus intrinsecus cuiuslibet rei, & res ipsa, debent esse eiusdem ordinis & naturæ, ita vt vtrumque debeat esse substantia aut accidens. *Resp.* intentionem intellectam, & intellectionem in Angelis esse eiusdem generis & ordinis, quatenus ambo sunt in ordine immaterialium & intelligibilium, & quatenus intelligere est esse intentionis intellectæ vt actu intellecta est, & in hoc sensu vera est maior. Si verò intelligatur de identitate ordinis in esse naturæ, in quo vnum est substantia & aliud accidens: falsa est cum propositione ad eius probationem assumpta; vt patet etiam in visione beatifica, cuius terminus intrinsecus est diuina essentia.

D

Solut.

Obi. 2.

Secundò: Intellectus non potest rem aliquā intelligere, nisi habeat illam intra semetipsum in esse intelligibili tamquam obiectum actu cognitum, & intellectum; sed essentia Angeli non potest esse isto modo intra intellectum, nisi intellectus ipse formet verbum illius; ergo. Maior patet ex Arist. *in 3. de anima* dicente, quòd intellectus in actu est res intellecta in actu; Minor probatur; nam essentia Angeli ex propria ratione essentiali non est actu intellecta, quia hoc illi conuenit accidentaliter, quatenus terminat cognitionem quæ est accidens; ergo erit actu intellecta, quatenus intellectus trahit essentiam ipsam ad se ipsum per intellectionem formando expressam illius similitudinem, hoc est verbum.

E

Solus.

Respondetur falsam esse minorem. Ad probationem dico nullam esse consequentiam; nam ad hoc vt essentia Angeli sit intra eius intellectum vt actu intellecta, non est necesse, vt hoc sit de eius ratione essentiali; sed satis est vt sit ei connaturale, & quasi proprietas ex hoc, quod cum sit immaterialis & actu intelligibilis, est etiam eadem cum ipso Angelo intelligente, & est ei ratio intelligendi, meliori modo, quam quæuis species accidentalis impressa, & ab ea procedit intellectus in actu, & consequenter propter easdem causas & perfectiones, poterit etiam esse terminus & obiectum immediatum intellectionis, vt supra deduximus: Et eodem modo soluitur argumentum Baltasaris Nauaretæ *q. 12. a. 1.* quod in substantia idem est cum hoc postremo Zumel. Reliqua eius argumenta soluta remanēt ex prædictis.

Ad argum. pro sententia Caiet.

Nunc soluenda sunt argumenta, quæ produximus contra priorem sententiam explicatam in secunda conclusione. Quibus non video, quomodo satisfieri possit, nisi dicendo terminum intrinsecum intellectionis debere omninò esse eiusdem ordinis cum intellectione, quo ad rationem substantiæ vel accidentis; alioquin terminus intrinsecus esse non potest; sicut nulla substantia potest esse terminus intrinsecus calefactionis, dealbationis &c. Et quemadmodum diuina personalitas, ex hoc quod est infinita simpliciter continent eminenter in se omnem rationem & perfectionem cuiusuis naturæ & personalitatis creatæ, supplere potest personalitatem creatam & fieri diuina virtute terminus intrinsecus naturæ creatæ: ita diuina essentia quæ verbum est & intellectio perfectionis simpliciter infinitæ supereminenter continens omnem intellectionis & verbi rationem, potest in visione beatifica supplere verbum creatum & fieri terminus visionis intrinsecus. Cum itaque essentia Angeli talem non habeat continentiam respectu propriæ intellectionis & verbi accidentalis, quia simpliciter finita est; talis verò continentia perfectionem requirit simpliciter infinitam; consequens est vt Angelus in sui ipsius intellectione necessariò formet verbū. Ratio verò à priori est, quā tangit S. D. *in dicto cap. 11.* quia intelligere, prout passiuè significatur per verbum *intelligi*, est esse reale intentionis intellectæ siuè verbi, quo simpliciter esse dicitur; & consequenter vbi intelligere nō est substantia aut esse substantiale sed accidens, ibi quoque intentio intellecta siue verbum est accidens & non est substantia intelligentis aut alterius rei intellectæ; & è contra vbi intelligere est substantia vel esse substantiale; etiam intentio intellecta siuè verbum est substantia; quia soli substantiæ conuenit esse substantiale, quo simpliciter esse dicitur; sicut accidēti esse accidētale, quo simpliciter esse dicitur vel in esse. Cū igitur intelligere in Angelo sit esse quoddam accidentale, non poterit esse id, quo substātia Angeli simpliciter est; & ideò in Angelo substantia ejus non est intentio intellecta.

Ad authoritatem igitur D. Thom. *ex quæst. 56. articul. 1.* & ad rationem in ea fundatam dico immaterialitatem formæ subsistentis posse esse rationem, quod forma sit intelligibilis in ratione principij, non autem in ratione termini & obiecti immediati: Ratio differentiæ est; quia intelligere est esse intellectus speciei impressę & verbi; sed diuerso modo; nā est esse intellectus & speciei, nō simpliciter sed prout

Ad t.

sunt

sunt in actu secundo, verbi verò est esse simpliciter; Igitur intelligere Angeli quod est accidés, poterit actuare substãtiam suam in ratione actus secundi, sicut & intellectum; non potest tamen actuare substantiam suam, vt per intelligere habeat esse simpliciter, quòd est esse substantiale.

Ad 2. *Ad secundum* argumentum neganda est maior propositio. Nam vt res aliqua ad actum intellectionis concurrat, non tantum in ratione principij, sed etiam in ratione termini immediati, non sufficit vnio cum intelligente in esse intelligibili per identitatem, sed requiritur vt intelligere sit esse simpliciter ipsius termini immediati.

Plura alia argumenta à prædictis expositoribus proponuntur & soluuntur, quæ apud eos lege, si placet.

Tertia Controversia.

Qua intellectus actione producatur verbum?

Sententiæ Doctorum, & Expositorũ, ac sensus quæstii.

Scotvs *in 1. dist. 2. in solut. q. 7. & in quol. q. 1. & 1. dist. 27. q. 1.* affirmat esse in intellectu duplicem actum; alterum qui est operatio; & alterum qui est productio: quos ait esse formaliter distinctos ex natura rei, ita vt neuter alterum includat, neque sit alter formaliter. Hi verò sunt actus intelligendi & actus dicendi; primum appellat actum operatiuum: secundum productiuum; quia per hunc existimat verbum produci. Eandem sententiam de duobus actibus sequitur Syluester *super hoc a.* quos duos actus, vt explicat hic Mol. & Rada *in contr. 8. de productione verbi*, Scotus existimat contrarium habere ordinem in nobis & in Deo; quia dicere in nobis semper præcedit ipsum intelligere, sicut actio præcedit terminum: nam sicut (inquit) calor est calefactionis terminus, ita intelligere seu intellectio, quæ est verbum ipsum, est dictionis terminus. Ex quo deducit Rada de mente Scoti actum dicendi & intelligendi, non se habere vt duos effectus subordinatos, vt ei imponit Caietanus. Nam si se habent vt actio & terminus, iam non sunt vt duo effectus subordinati, sed potius vt effectio & effectus; At in persona Patris dicere & intelligere quo est formaliter intelligens, habent se sicut duo subordinati effectus ab eadem causa dimanantes, cum vterque sit actus secundus diuini intellectus; sed actus intelligendi quo Deus est formaliter operans & intelligens se ipsum, est prior actu dicendi, quo verbum gignitur atque producitur: nam diuinus intellectus ex vi sua prius est operatiuus quam productiuus, & prius intelligens quam dicens; quia omnis perfectio essentialis non includens respectum ad creaturas, est prior notionali quocumque in diuinis: intellectio verò est perfectio absoluta, actus autem dicendi est notionalis. Hanc partem approbat hic Mol. *disp. 8. membro 2.*

Dur. *in 1. dist. 6. q. 2.* & Greg. *in 1. dist. 10. q. vnica* dicunt verbum diuinum non procedere per actus intellectus, sed ex fœcunditate naturæ, sentiuntque omnem actum intelligendi esse verbum.

Torres *super hoc a. disputat. 5.* tria dicit. *Primũ*: dicere & intelligere sunt vnica intellectus actio. *Secundum*: verbum & verbi productio sunt priora (saltem natura) ipso actu intelligendi. *Tertium*: verbũ producitur per actionem intellectus, non vt est intelligere sed prout est dicere.

A Suar. *lib. 1. de myst. Tri. c. 6.* duo dicit. *Primum*, Thomistæ ponentes verbum creatum realiter distingui ab actu intelligendi, necessariò debent etiam affirmare realem distinctionem inter intelligere & dicere. *Secundum*, intelligere præcisè prout scilicet significat producere actum intelligendi & dicere, non distinguuntur in nobis realiter, nec formaliter seu ex natura rei, & multò minus in Deo: vt autem intelligere non tantum significat producere, sed etiam recipere & informari vitaliter ipso actu intelligendi, & percipere obiectum, quo modo frequentius sumitur, distinguitur in nobis ex natura rei ab ipso dicere.

B Vasq. *infra q. 34. a. 1. c. 4.* duo dicit. *Primum*: Productio speciei expressæ non est dictio & intellectio simul formaliter, nec eo est intellectio aut dictio quo productio. *Secundum*: Verbum mentis est qualitas expressa, quæ est ipsa intellectio obiecti, & eadem est dictio, non sui ipsius, sed rei intellectę.

Cai. & alij Thomistæ, & cum eis Val. tria dicunt de mente D. Th. *Primum*: Productio verbi intellectualis est dicere intellectualiter. *Secundũ*: Dicere in ratione sua claudit actum intelligẽdi: nam dicere & intelligere exprimendo, vel exprimere intelligendo, & intellectio ipsa est productio conceptus. *Tertium*: Dicere & intelligere distinguuntur distinctione rationis formaliter habente fundamentum in re.

C *Ex his relatis* opinionibus apparet statum controuersiæ in tribus consistere. Primũ est distinctio actus intelligendi ab actu dicendi. Secundũ est ordo dictorum actuum. Tertium est, quo nã actu formaliter procedat verbum, siuè creatum, siuè increatum. *Status controuersiæ.*

Resolutio. Quomodo differãt intelligere & dicere, tam in nobis quã in Deo.

Ex Tribvs propositis controuersiæ punctis, primum scilicet differentiam actus intelligendi ab actu dicendi, explicat egregiè S. D. *infra q. 34. a. 1. ad 3.* dicens in hoc eos ab inuicem discriminati, quòd intelligere dicit solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, quæ habitudo nullam importat realem originem siue emanationem rei intellectæ ab intelligente, sed quandam solùm informationem in intellectu nostro, prout intellectus noster sit in actu per formam rei intellectæ. At verò dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: cum nihil aliud sit dicere quàm verbum proferre; sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti: quemadmodum eãtam dicere vocale & sensibile, importat relationem realem ad verbum vocale productum, & eo mediante dicit relationem rationis ad rem verbo manifestatam. Nam dicere idem est quòd verbum rei verbo significatæ manifestatiuum proferre. Quo fit vt dicere intellectuale propriè loquendo quamuis importet principaliter relationem ad verbum per modum actionis, includat tamen intelligere; quia nihil aliud est dicere, quàm intelligere exprimendo, vel exprimere intelligendo, vt docet hic Caietanus & S. Th. *de ver. quæst. 4. articul. 2. ad 3.* vbi sic ait: *in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam cõceptionem; nec aliter possumus intelligere; nisi huiusmodi conceptionem exprimendo; & ideò omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere. Sed Deus potest intelligere sine hoc, quod aliquid ex ipso procedat secundum rem; quia in eo idem est intellectus, & intellectum, & intelligere; quòd in nobis non accidit; & ideò non omne intelligere in Deo propriè*

loquendo est dicere. Hæc D. Thom. & *infra quæst.* 34. *a.* 1. ait omnes personas diuinas esse intelligentes, dicentem autem esse solum Patrem propriè loquendo. Ex quo sequitur in diuinis distingui dicere ab intelligere, vt notionale ab essentiali communi intrinsecè clauso. A

An omne intelligere in Deo sit.

Sed obseruandum quòd intelligere Dei potest dupliciter considerari. *Vno modo* secundum se & absolutè; alio modo prout est in hac vel in illa persona, puta Patre vel Filio, quatenus scilicet huic vel illi personæ comparatur vt actus quo intelligit. Si priori modo sumatur intelligere, sic omne intelligere diuinum est dicere; quoniã, vt inquit S. Thom. *in* 4. *cont. gent. c.* 13. in Deo est vnicum & simplex intelligere; & ideò in Deo est vnicum verbum, & eadem ratione vnicum dicere, vt notat Ferr. *in dicto loco*. Si verò sumatur intelligere posteriori modo: sic non omne intelligere diuinum est dicere, sed tantum intelligere paternum; quia solùm prout est in Patre coniungitur habitudini producentis ad ipsum verbum productum, non autem quatenus est in Filio aut Spiritu S.

Ad cuius euidentiam considerandum est secundò, id quod alias docuimus ex Caiet. nimirum: ens illud per essentiam qui Deus est, ex infinita suæ naturæ perfectione, in vna simplicissima sui non solum entitate, sed etiam ratione formali secundum se, continere rem & rationem omnem absolutam tribus communem, & rem omnem ac rationem relatiuam & notionalem cuilibet personarum propriam: Et quemadmodum in vna re & ratione subsantiæ diuinæ necesse est duas esse rationes virtualiter distinctas: alteram absolutam quæ est essentiæ: & alteram relatiuam quæ est personæ: quia diuinæ illæ personæ vnã habent communem essentiam, & relatiuè personaliter distinguuntur; ita in vna re & ratione actionis diuinæ, necesse est inueniri duas rationes actionis virtualiter inter se distinctas: vnam absolutam tribus communem: alteram relatiuã non omnibus communẽ, sed vnius vel ad summum duarum simul propriam. Cuius ratio ex augustissimo Trinitatis mysterio hæc reddi potest. Nam cum tres personæ sint vnus Deus, cuius maximè perfectiones sunt intelligere & velle, necesse est prædictas & alias similes perfectiones tribus in vna Deitate personis esse communes: & quia eadem illa tria supposita ordinem habent originis inter se, quo vnum oritur ab alio secundum actionem immanentem, quæ in Deo non est, nec esse potest nisi intelligere & velle: necesse est actionem illam, qua vna persona producit aliam, puta, intelligere quo Pater generat Filium, quatenus actio illa productio est, esse aliqua ratione propriam personæ producentis; alioquin eadem actio quatenus productio, esset actio tam producentis quàm producti, quòd est impossibile. Hæc verò actio productiua si sit intellectus vocatur dicere, quia dicere nihil aliud est quàm verbum proferre: si sit voluntatis vocatur spirare, quo verbo significatur motus volũtatis in bonum cum productione amoris: Quemadmodum igitur inuenitur in Deo vno simplicissimo ratio substantię communis & absoluta quæ est essentia, & ratio substantiæ relatiua quæ est persona: quæ duæ rationes non nisi virtualiter distinguuntur, ita reperitur in eodem actio communis & absoluta puta intelligere, & actio respectiua siue notionalis quæ propria est puta dicere; inter quas sola potest esse virtualis distinctio, vt patebit ex dicendis *in q. seq. a.* 2. *& q.* 39. *a.* 1.

Sed *Vasq. infra q.* 34. *a.* 1. *c.* 4. negat intellectionem aut dictionem siuè dicere esse productionem conceptus siuè verbi, & eadem ratione negat verbum dici ab intellectu nostro dicens verbum intellectus nostri esse qualitatẽ expressam, quæ est ipsa intellectio obiecti, & hanc eandem esse dictionem non suiipsius sed rei intellectæ; sed de verbo diuino lõge aliam esse rationem; nam quia in Deo simul habet esse id quod intelligitur à Patre & quod producitur, ideò simul habet rationem verbi & simul etiam est dictum & prolatum, æterna patris dictione & prolatione, quæ est illius cognitio. Verum autem nostrum (inquit) non intelligimus actu directo, atque ideò non dicimus illud, nisi impropriè, & latiori significatione. *Sed hæc friuola sunt* B & ex supradictis *in prima huius articuli controuersia* remanent confutata, & eorum falsitas ex dicendis *in sequenti controuersia* magis eluescet. Nã si per actum intelligendi verbum producitur vt terminus & obiectum intrinsecum ipsius intellectionis rem intellectam expresè manifestans, sequitur quòd intelligere siuè intellectio quatenus est verbi productio, sit idem quod dicere, & quod verbum ipsum sit dictum; nam hoc ipso quòd verbum terminat actum intellectionis vt eius obiectum intrinsecum & imago obiecti extrinseci in actu exercito, verbum ipsum verè & propriè dicitur per actum intellectionis, magis quàm res verbo repręsentata. Vt enim *in prima Contr.* diximus cum D. Thom. verbum est C per se primò intellectum, atque ideò etiam per se primò dictum. Nam si per Vasq. illud tantũ propriè dicitur, quod intelligitur; sequitur vt id quòd primò intelligitur primò dicatur. Dicitur autem verbum per se primò intellectum, tùm quia primò & immediatè terminat intellectionem vt obiectum intrinsecum, tùm quia nõ nisi per ipsum & in ipso res externæ sunt & dicuntur intellectæ; quamquam verum sit ad res intelligendas verbum ordinari; sed hoc non efficit eas esse primò intellectas, sed eas duntaxat esse præcipuam intellectionis materiam, quæ per obiectum interius quod est verbum, ratio- D nem formalem induit intelligibilis & intellecti in actu. Hanc veritatem diuersis verbis expressit D. August. *lib.* 15. *de Trinit. c.* 10. vbi sic ait. *Formata quippe cogitatio de ea re quam scimus, verbũ est, quod in corde dicimus, quod nec græcum est, nec latinum, nec linguæ alicuius alterius.* & cap. 15. *cum verbum nostrum nostra cogitatione dicatur:* & paucis interiectis subdit: *& verbũ nostrũ, verũ, intimũ, nisi nostra cogitatione non dicitur*. His adde quæ supra notauimus *in* 1. *Contr.* ex eodẽ D. Aug. de duplici loquutione & duplici verbo interiori & exteriori.

ostenditur contra Vasquezium, non solùm rem verbo repræsentatã, sed etiã verbũ ipsum dici ab intellectu nostro.

Confutatio.

Verbũ cur per se primò intellectũ.

Sed ait Vasq. Aug. aliter Philosophari de verbo mentis quàm scholastici loquantur, & vocare E verbũ mẽtis scientiã certam quã habemus de re, vel certum iudiciũ post cogitationis vel intellectus inuestigationẽ: dictionem autẽ verbi apud Aug. esse cogitationem præcedentem: nam ibidem ait Aug. *cum dubitamus, nondum est verbum de re, de qua dubitamus*. Sed hæc interpretatio quamuis ex parte vera sit, absolutè tamen nõ assequitur mentẽ Augustini, qui de verbo nostro loquitur per analogiam ad verbum diuinum; atque ideò illud in nobis solum existimat dignum nomine verbi, quòd transacta dubitatione & volubili mẽtis cogitatione formatur; conceptũ autẽ quem actu dubitationis siuè cogitationis exprimit intellectus, non negat absolutè verbũ esse, sed tale verbũ negat, vt diuino verbo tanquã simi-

Responsio. Vasquez.

impugnat.

mile debeat comparari; sic enim ait: *etiam si concedamus, ne de controuersia vocabuli laborare videamur, iam vocandum esse verbum quoddam illud mentis nostræ, quod de nostra scientia formari potest, & priusquã formatũ sit, quia iã, vt ita dicam, formabile est, quis non videat, quanta sit hic dissimilitudo, ab illo Dei verbo quòd in forma Dei sic est, vt non antea fuerit formabile priusquàm formatum, nec aliquando posit esse informe?* Quibus verbis, conceptum actu cogitationis expressum, nõ negat August. verbum esse, sed ait esse formabile; quia nimirum caret vltima ac perfecta eidem possibili ac debita formatione, qua firmiter ac perspicuè veritas intellectui repræsentetur. Nam forma illa quam habet cogitationis conceptio, via est ac dispositio & vt quid materiale, & informe respectu perfectionis, & actus vltimi, qui est firma & certa cõceptio de veritate formata; quam solam conceptionem nomine verbi dignam existimat Augustinus ob dictam causam; sicut etiam naturalem hominis conceptum in vtero matris nunquam formatum esse dicimus, nisi post animæ rationalis aduentum; quamuis formas prius habuerit viuentis & animalis. Dicitur itaque per intellectionis actum non sola res ab intellectu cognita, sed etiam verbum ipsum, vt ratione probauimus D. August. testimonio roborata.

Prius in nobis esse verbũ quã intelligere, in Deo autem è contra; vbi ũ probiũ; tamen dicere esse formaliter intelligere.

Sed iam de secundo, ac tertio simul controuersiæ pũcto supereſt nobis cum Scoto & eius schola certamen.

Sciendum est igitur tertiò intellectionem posse dupliciter considerari, *vno modo* quatenus formata est & completa, prout scilicet terminatur ad obiectum; & quia ad obiectum non terminatur nisi mediante verbo, sequitur non esse aut intelligi formatam intellectionem, nisi per verbum productum; itaq; prius est productio verbi & verbum ipsum productum, quàm sit intellectio formata, prius inquam in genere causæ formalis. *Alio modo* potest intellectio considerari vt actio procedens ab intellectu & tendens vt via in terminum; & sic intellectio præcedit verbum ordine naturæ, eo modo, quo via præcedit terminum, & fieri factum esse. Vnde etiam dupliciter specificatur intelligere; vno modo vt actio & sic desumit speciem à principio, quod est intellectus in actu primo; nam ex principio cuiuslibet actionis species deriuatur, vt docet S. Th. *1. 2. q. 1. a. 3* Alio modo specificatur intelligere vt via siuè tendentia, & mutatio quædam in terminum; & sic completur ac formatur per terminum, vt hic explicat Bannes *dub. 2.* & Zumel. *in fine 3. & 4. disputationis.* Sed quoniam intellectio Dei aut personæ Patris non formatur aut completur per verbum, atque ideò nec per illud etiam specificatur, sed ab essentia ipsa diuina, quatenus rationem habet principij quo intellectionis secundum modum nostrum intelligendi, & prout est eiusdem obiectum; idcircò locum non habet in intellectione Patris respectu Verbi per eam producti præfata distincto de intellectione vt completa, & de eadem vt via; sed in Patre ante Filij generationem intelligitur perfectissimus actus intelligendi ad ipsam diuinam essentiam vt obiectum intrinsecum ac verbum essentiale terminatus; quem intellectionis actum sicut & cæteras diuinæ naturæ perfectiones Pater communicat Filio, eo ipso generationis actu quo suam illi cõmunicat deitatem. Nã, vt ostendemus infra cum D. Tho. essentialia & absoluta præintelliguntur in Deo perfectissima ante omnia relatiua & notionalia: Et præterea si non intelligeretur perfecta Patris intellectio nisi producta persona verbi, sequeretur Patrem æternum intelligere per verbum & sapientem esse sapientia genita; quod nullus Theologorum admittit, & apertè negat D. August. *in primo retract. cap. 26.* Quamuis igitur in nobis actus intelligendi quatenus via quædam est & verbi productio se ipsum præcedat, quatenus formatum est atque completum, ac per hoc dicere sit prius in nobis aliqua ratione quàm intelligere, quia dicere est ipsa verbi productio, sine quo non est intellectio perfecta; secus tamen est in intellectione diuina; quæ, vt diximus, ante verbi productionem completa est in Patre, nec indiget à verbo procedente formari; prius igitur in ea cõcipimus rationem eius, quod est intelligere quã dicere. Dixi autem in nobis aliqua ratione prius esse dicere quàm intelligere, quia si consideretur actus intelligendi, non vt productio est formaliter, sed vt intellectio est exiens ab intellectu, sic videtur prius esse quàm eadem intellectio, vt productio est: non prioritate causalitatis, quæ hic omninò nulla est, sed ea tantum ratione, quia actio intellectus vt exit ab ipso intellectu actuato specie intelligibili, magis habet rationem intellectionis quàm dictionis; vt vero tendit ad terminum intrinsecum quod est verbum, sic est eius productio & dictio magis quã intellectio. Sed absolutè loquendo affirmandũ est vtrumque simul immò idem esse, scilicet actum intelligendi vt exit ab intellectu, & ipsum dicere quod est productio verbi; nam hoc ipso, quod intelligere est ab intellectu, vt via ad terminum, dictio quædam videtur esse verbi productiua.

Dicere in nobis præcedit intelligere; non autẽ in Deo.

Quare falsa est opinio Scoti dicentis, quòd dicere & intelligere etiam in Deo sic formaliter distinguuntur, vt neutrum alterum includat, neque sit alterum formaliter. Quòd efficaciter probatur his argumentis. *Primò* quia si dicere in diuinis non est formaliter intelligere; ergo non est actio intellectus formaliter vt intellectus est; ergo Verbum diuinum non procedit per intellectum diuinum, prout exercet actum intelligendi; ergo non habet ex vi suæ processionis vt sit sapientia Patris, quod est contra communem Sanctorum doctrinam, ac præsertim Athan. *in oratione contra gregales Sabel.* & Aug. *lib. 6. de Trin. c. 1. & 2.* Prima conseq. probatur; quia intellectus vt sic per se ad intelligendum ordinatur, sicut visus ad videndum & voluntas ad volẽdum. Aliæ consequentiæ sunt per se euidentes. *Secundò*: Pater æternus verbum producit dicendo: sed non dicit nisi intelligendo formaliter; ergo producit verbum per dicere, prout est intelligere formaliter Minor probatur; quia dicere paternum per se postulat intellectum constitutũ nõ solum in actu primo, sed etiam in actu secundo intellectionis, cũ intelligere sit esse prius intellectus in actu, & etiã ipsius Dei, vt cũ D. Th. & Cai. probauimus & explicauimus *supra q. 14. a. 3.* Tertiò: Pater æternus producit verbũ, quòd est persona subsistẽs, quatenus est intellectualis per essentiã; ergo quatenus est per essentiã intelligẽs; ergo quatenus est ipsũ intelligere per essentiam; ergo producere quòd est dicere, idẽ est formaliter quòd intelligere. Antecedens patet. Consequẽtia probatur; quia quòd est intellectuale per essentiã, actus purissimus & perfectissimus est in gradu intellectualitatis, & consequenter est actu per essentiã intelligens, & eadẽ ratione est ipsum intelligere; atq; ideò producit vt est formaliter intelligens & vt est ipsum intelligere; & cũ producat etiam vt dicens, sequitur quòd dicere sit

Primũ arg. contra Scotum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

intelligere formaliter. *Denique* D. Th. cum Aug. & alijs Patribus probat duas esse tantum in Deo processiones, quia sunt duæ tantum actiones immanentes in natura intellectuali; quæ probatio nullius esset omninò valoris, si per alium aliquē actum, qui non sit formaliter intelligere vel amare, producitur aliqua diuina persona; posset enim aliquis iuxta numerum actionum immanentium in intellectuali natura, & consequenter etiam in Deo processionum numerum affirmare; cum non sit nec facilè fingi possit apparens ratio, cur ex tribus vel quatuor immanentibus operationibus, vnà magis quā alia sit productio.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONC. *Verbum procedit per actionem intellectus, quæ est dicere.* Hæc patet ex dictis & amplius patebit ex dicendis *in vltimo artic. huius quæstionis*, quo ad priorem partem.

„ SECVNDA CONC. *Dicere includit formaliter*
„ *intelligere, sed & significato respectu ad verbum pro-*
„ *ductum distinguitur ab eo ratione formaliter.* Hæc conclusio patet ex doctrina D. Th. relata & explicata in primo notabili: Vnde dicere eo ferè modo est formaliter intelligere, quo homo est formaliter animal; quamuis aliquid includat homo quod non includit animal, per quod inclusum formaliter ab animali distinguitur; in quo sensu accipienda sunt notata in vltimo fundamento.

„ TERTIA CONCL. *Dicere non distinguitur rea-*
„ *liter, nec ex natura rei ab intelligere, nec in Deo nec*
„ *in nobis.* Hæc patet ex dictis; Vide etiam probationes Bannes. & Zumel. Et intelligenda est quo ad absolutum per vtrumque importatum.

„ QVARTA CONCL. *Dicere siue dictio est pro-*
„ *ductio verbi, cui per se primò cōuenit dici ab intellectu.*
Hæc probata fuit contra Vasq.

„ QVINTA CONCL. *Intelligere in nobis prius est*
„ *aliquo modo quàm dicere; sed tamen dicere præcedit*
„ *intelligere completum & formatum.* Probatur hæc postrema pars; quia dicere est verbum proferre; At prolatio verbi præcedit verbum, per quod formatur & completur intellectio. Ergo etiam dicere præcedit intellectionem, vt est completa & formata.

„ VLTIMA CONCL. *Intelligere in Deo prius est quàm dicere.*

Argum. & solutiones

GONTRA *primam* conc. sunt argum. Dur. quæ refert & soluit Cai. *in vltimo articulo huius quæstionis* & alij.

Cōt. 2. conc. Ob. Rada. 1.

CONTRA *secundam* conc. præter argum. Scoti relata & soluta à Cai. & alijs recentioribus, sunt etiam argumenta Ioannis Radæ. *Primum.* Si actus productiuus verbi esset intellectio Patris; sequeretur quòd Pater non communicaret Filio essentiam perfectè beatam, nec posset intelligi perfectè beata vt communicata sibi à Patre. Cōsequens est manifestè falsum; ergo. Probatur consequentia: quia tunc intellectio & terminus eius intrinsecus puta verbum, præcederet quēcumque actum diuinæ voluntatis, & sic essentiæ dilectionem, sine qua non intelligitur perfectè beata; quia perfecta Dei beatitudo in vtraque operatione, visione scilicet & amore cōsistit; quod probatur (inquit) quia verbum est per se terminus intrinsecus intellectionis; Ergo sicut intellectio præcedit actum voluntatis quemcumque, ita & verbum; quià non est intelligibile actionem præcedere aliquid, quod similiter non præcedat terminus eius intrinsecus; quia inter

Sol.

actionem & terminum nihil mediat. *Respondetur* nullam esse consequentiam. Ad probationem negatur consequentia siuè conditionalis assumpta. Ad probationem respondetur in diuinis intelligere dupliciter sumi posse; vno modo absolutè; alio modo prout est in Patre tamquàm dicente; & similiter duplicem esse terminum intrinsecum intellectionis, siuè duplex verbum scilicet essentiale & personale. Primum est terminus diuinæ intellectionis absolutè. Secundum autem est eiusdem terminus, prout est in Patre, & prout est productio siuè dictio; priori modo intellectio cum suo termino essentiali præcedit modo nostro intelligendi omnem actum voluntatis, non autem posteriori modo.

Replicat Rada.

Sed responsionem hanc sic arguit Rada. Idem actus formaliter ex natura rei penitus indistinctus, nō potest esse productiuus & non productiuus, habere terminum & non habere terminum productum; ergo. *Resp.* falsum esse antec. de actu, qui

Sol.

sit vnus formaliter secundum se & plures virtualiter, quæ etiam distinctio virtualis inter essentialia & notionalia aut personalia sufficit ad statuendum inter ea dictum rationis ordinem; & per hoc soluuntur alia quæ idem Rada frustra multiplicat.

Obi. 2.

Secundò: In diuinis secundum naturalem intelligentiam, præintelligitur ante verbi productionem actus perfectus intelligendi; ergo verbum non producitur per actum intelligendi formaliter. Consequentia videtur euidens; quia quod naturali intelligentia præintelligitur alteri, non est illud saltem formaliter. Antecedēs probatur: quia essentialia notionalibus sunt priora. *Resp.* antec. verum esse de actu intelligendi

Solut.

absolutè sumpto, non autem prout est in Patre siue Patris; quia vt est in Patre est productio verbi formaliter, & è contra, videlicet productio verbi est intellectio Patris formaliter. Secundò negatur cōsequentia: Ad probationem dico assumptum verum esse de identitate formali adæquata, falsum autem de inadæquata: Nam animal præintelligitur homini, & tamen homo est formaliter animal, sed inadæquatè; & similiter intelligere in diuinis præcedit dicere, & tamen dicere est formaliter intelligere, sed inadæquatè; quia omne dicere est intelligere, sed non è conuerso.

Obiect. 3.

Tertiò: Actus intelligendi ex natura sua atque ex eius ratione formali est infecundus: actus verò dicendi ex sua ratione formali est actus seu actio verbi productiua; ergo ab inuicem sunt

Sol.

formaliter distincti. *Resp.* antec. falsum esse, primò quia licet actus intelligendi absolutè sumptus non sit fecundus ex natura sua, non tamen vendicat sibi ex natura sua infecunditatem; quia vt diximus intelligere Patris vt sic est productio verbi. Vnde quamuis intelligere absolutè non sit productio siue dictio, tamen intelligere Patris vt sic est formaliter productio & dictio.

Obi. 4.

Quartò: Pater actu toto, quo producit verbum qui est actus dicendi, distinguitur à verbo; ergo actus ille neque est intelligere formaliter, nec vllo modo ipsum formaliter includit: Patet consequentia; quia Pater non distinguitur à Filio formaliter per intelligere: quoniam sicut est vnum & idem esse trium personarum, ita & idem sapere & idem intelligere, vt ait D. Augustus. 7. *de Trin. cap. 7.* Antecedens probatur: quia actus quo Pater producit Filium, est simplicissimus & indiuisus, & consequenter toto illo actu distinguitur Pater à Filio, supposito, vti res se habet, quod per ipsum distinguatur à Filio.

Solut.

Respond. antecedens multipliciter intelligi posse; primò de actu toto realiter id est quo ad omne id, quod realiter est actus ille, & sic falsū est; quia

actus

actus ille realiter est essentia, qua Pater nõ distinguitur à Filio: & similiter realiter est intelligere, quo Pater non distinguitur à Filio: secũdò potest intelligi de actu toto formaliter, & hoc dupliciter; *Vno modo* sincategorematicè, quoad omne id, quod in eius ratione formaliter clauditur; & sic etiam est falsum. Nam actus ille, qui est verbi productio, est non tantum realiter, sed etiam formaliter secundùm se ipsamet essentia, & ipsum intelligere, vt *in sequenti quæstione* probabimus contra Scotum & alios. *Alio modo* potest intelligi de actu toto categorematicè, quoad eius integram rationem formalem, quatenus modo nostro intelligendi consurgit ex rationibus in ea formaliter clausis; quèadmodum ratio hominis tota, i. integra, consurgit ex animali & rationali, quę sunt in homine formaliter clausa, & sic verum est antecedens: sed tunc falsa est consequentia. Nam sicut nõ valet, homõ se toto formaliter categorematicè distinguitur à leone; ergò homo nõ est formaliter animal, in quo cum leone conuenit; ita non valet: Pater actu toto categorematicè, quo producit verbum, distinguitur à verbo; ergò actus ille neque est intelligere formaliter, neque ipsum includit. *Ad prob.* autem antecedentis, quatenus militat contra datas responsiones, *respondet Zumellus* actum illum simplicissimum quidem esse secundùm rem, sed tamen includere plura secundùm rationem, s. intelligere, & relationem ad verbum tamquam ad productum: & actum illum distinguere Patrem à verbo, non ratione ipsius intelligere, sed ratione relationis quam importat. *Sed hanc resp.* sic impugnat Rada. Actus generandi omni opere intellectus secluso, distinguit secundùm rem Patrem à Filio, non virtualiter & fundamentaliter tantùm, sed actu & formaliter; ergò cùm secundùm rem sit simplicissimus & vnicus, non includens pluralitatem etiam formalitatum, impertinens est quod secundùm rationem illam includat, ad hoc vt se solo, vel secundùm partem distinguat; quia non distinguit actu & realiter, secundum quod à ratione apprehenditur vt talis, sed prout à parte rei est talis. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem dico, distinctionem rationis, de qua loquimur, intelligendã esse ratione sui fundamenti, quod est res infinita continens absolutum & relatiuum in vna re & ratione formali, & vtriusque munus exercens perfectissimè. Vnde distinctio illa realis quã efficit vt relatiua & conuenientia quam habet vt absoluta, sunt veluti effectus procedẽtes, non ex causa vniuoca, quæ sit distinctio actualis absoluti & relatiui, sed tãquam ex causa æquiuoca existente in actu formaliter, & distinctionem illam absoluti & relatiui virtualiter continente, vt annotauit Caietanus *infra q. 39. art. 1. in fine Commentarij.*

CONTRA *eandem* concl. & tertiam simul argumentatur Suar. Duæ qualitates realiter distinctę per actiones realiter distinctas producuntur; sed verbum & actus intelligendi sunt duæ qualitates realiter distinctæ secundùm Thomistas, & productio verbi est dicere: productio autem actus intelligendi est intelligere, quatenus est actio; ergò necesse est etiam, vt Thomistæ dicant cum Scoto realiter distingui dicere & intelligere. Maior probatur; quia actiones distinguuntur ex terminis, & vnaquæque actio cũ suo termino habet realem identitatem, licet modaliter distinguatur. *Resp.* primò maiorem esse veram de qualitatibus omninò distinctis, ita vt vna non sit alterius terminus intrinsecus. Secundò dico maiorem nõ esse veram de qualitatibus, quæ sunt operationes, qualis est intellectio: Nam operatio nõ producitur alia operatione; alioquin esset processus in infinitum. Tertiò dico falsam esse minorẽ quoad eam partẽ, quæ affirmat productionem actus intelligendi esse intelligere, quatenus est actio: nam idem omnino est realiter & formaliter intelligere & actus intelligendi, qui ex intellectu in actu primo immediatè procedit: sicut calefactio ex calore, & sensatio ex sensu per speciẽ actuato.

Contra eandem concluſ. argumen. Vasq. *Primò:* si eo esset intellectio, quo est productio illi⁹ qualitatis quæ est verbũ: sicut dicitur qualitatem illam producere, diceretur etiam qualitatem illam intelligere; at qualitas illa non intelligitur, cùm tamẽ producatur; ergo productio illa non est eo intellectio quo productio. *Resp. primò:* Propositio nem illam *eo est intellectio quo productio* duplicitur intelligi posse; vno modo vt eadem sit præcisè & adæquatè ratio intellectionis & productionis, & sic est falsa; quia productio addit super intellectionem respectum ad terminum productũ; alio modo vt eadem sit vtriusque ratio, non tamen præcisè nec adæquatè, sicut eadem est ratio hominis & animalis, licèt homo plus includat formaliter quàm animal: & sic vera est dicta propositio. Secundò dico falsam esse minorem, vt superius ostendimus.

Secundò sic arguit. Si intelligere formaliter est producere, aut saltẽ includit producere directè, cùm intelligere vnicus & simplex actus sit, quicquid diceretur intelligi diceretur produci: & è cõtra, id quod per intellectum produceretur, diceretur intelligi. *Resp.* duo claudi in hoc quod est intelligere, & in hoc quod est producere, nimirum absolutum & respectiuum: quoad primũ idem sunt formaliter, non autem quoad secundum: Argumentum autem procedit quo ad secũdum, non quo ad primum; vnde est fallacia figuræ dictionis ab absoluto ad relatiuum.

Tertiò: Arist. *in 3. de Anima, cap. 7.* ait sentire non esse actum imperfecti, sicut neque intelligere & dicere; at si intelligere & sentire essent ipsa actio producendi speciẽ expressam, absq; dubio essent actus imperfecti, eisque diffinitio motus tradita ab Aristot. *in 3. Phys. c. 2.* nempè actus in potentia prout in potentia conueniret; ergò &c. Minor probatur. Quia illud dicitur imperfectum, quod est in potentia ad factum esse formæ; tale autẽ est subiectum; quatenus in se recipit fieri, & viam ad factum esse alicuius formæ. *Resp.* falsam esse minorem propositionem de re ipsa loquendo; Nam si sermo sit de modo concipiendi & significandi, nullum est inconueniens actum secundũ se & absolutè perfectum & instantaneè productum, qualis est intellectio, concipi ad modum vię & motus & vt in fieri; quia insensibilia & simplicia siue indiuisibilia concipimus ad modum sensibilium & compositorum siue diuisibilium. Ex dictis soluuntur etiam argumenta, quæ possent afferri contra tertiam conclusionem.

CONTRA *quartam* concl. argu. Vasq. & probat verbum non dici à nostro intellectu: *Primo,* quia interrogãti quid dixisti in mẽte tua? Nemo respondebit, qualitatem & repræsentationẽ equi vel hominis: sed verbovocis explicabit rẽ ipsam, quam interius intellexit seu enunciauit. *Resp.* verbum etsi primò & immediatè dicatur; ordinari tamẽ per se primò & essentialiter ad rem verbo repræsentatam dicenti manifestandam. Propter quã causam, ex communi iam loquentiũ vsu, in dicta aut simili interrogatione, ordinem illũ intelligimus significari; atq; ideò interrogãti; quid dixisti in mente tua? Non respondemus *verbum*

Replica. *Solut.* *Cont. 2 & 3. concl. obi. Suar.* *Obi. 1. Vasq.* *Sol.* *Obiectio 2.* *Solut.* *Obi 3.* *Solut.* *Cont. 4. cõc. obi. Vasq. 1.* *Solut.*

prout res ipsa & recta loquendi forma postularet, sed rem exprimimus verbo repræsentatam.

Obiectio. *Secundò.* Cùm aliquis interrogatur, quid intus dicat, respondet verbis vocis: At verba vocis non significant conceptum formalem siue verbum, sed conceptum obiectiuum; ergò &c. *Resp.* falsam esse minorem, vt ostendimus *q. 13. a. 1. Controu. vnica.*

Sol.

CONTRA *quintam* concl. non sunt argumenta alicuius momenti; sed omnia quæ ex interpretibus possent afferri, facilem habent solutionem ex antedictis.

QVARTA CONTROVERSIA.

An verbum nostrum distinguatur ab intellectione realiter aut formaliter tantum?

Sensus quæsiti, & Sententiæ Doctorum.

QVAESTIONIS huius sensus est: An verbum nostrum distinguatur ab actu intelligendi tanquam res à re; ita vt sint duæ res realiter distinctæ, licèt non sint ab inuicem separatæ: sicut patet de materia & forma, de essentia & esse, natura & personalitate; & alijs similibus; An autem sint vna res duas habens quidditates siue rationes formales, vt quidam dicunt de relatione & fundamento, de motu & eius termino, & de actione & passione.

SCOTVS *in 1. dist. 3. q. 6. & dist. 27. q. 1.* affirmat dicere in nobis esse elicere intellectionem, & esse prius natura intellectione ipsa, eo modo quo cæteræ actiones veræ præcedunt suos terminos, & intellectionem esse terminum huius quod est dicere siue elicere intellectionem. Et addit; quòd dicere, siue elicere intellectionem est vera actio immanens, per quam producitur intellectio: intelligere verò qualitas est primæ speciei, & non actio propriè sed actionis terminus & formaliter idem quod verbum. Quam sententiam sequitur & pro posse tuetur Rada, & Syluester approbat *in constato super hoc articulo*; negans tamen dicere esse actionem propriè loquendo, sed ait esse intellectum sub specie actualiter relata ad obiectum. Cum Scoto conuenit Durandus, qui intellectionis identitatem affirmat cum verbo: sed actum dicendi ab actu intelligendi distinctum non cognoscit; ait enim actum intelligendi seipso, & nulla alia actione media ab intellectu produci.

Dominicus Sotus *in 4. dist. 49. q. 2. a. 3.* docet per intellectionem verbum produci, quod sit illius terminus idem cum ea realiter, & ab ea formaliter tantùm distinctas, sicut calefactione producitur calor vt eius terminus formaliter tantum ab ea diuersus. Hanc sententiam recentiores asscribunt Victoriæ, & sequitur Molina *disput. 8. memb. 2.* Vasq. *inf. q. 34. c. 4.* & Suar. *lib. 1. de mysterio Trinitatis c. 6. & lib. 9. c. 2.* quam esse probabilem existimat Torres *disp. 4.* & Ban. *dub. 3.*

Capr. *in 1. dist. 27. q. 2.* docet de mente D. Thom. verbum nostrum distingui realiter ab intellectione. Idem sentiunt Caietanus, Torres, Bannes, Zumel. & Ripa *super hoc a.* & Ferrariensis *in 1. cont. Gent. cap. 53.* & alij Thomistæ communiter.

Resolutio. Non pertinere ad præsentem controuersiam quæstionem illam de esse actionis in agente sed quæ dicta sunt de necessitate verbi.

ADVERTENDVM EST PRIMO ad huius controuersiæ solutionem, nihil omninò pertinere quæstionis illius diffinitionem: An in omni agente, præter actionem quæ recipitur in passo, sit ponenda quædam alia actio, quæ sit actualitas quædam absoluta & ipsius agentis perfectio? Primò quia intellectio, de qua loquimur & quælibet actio immanens, magis propriè dicitur operatio quàm actio, vt supra *Contr. 1.* notauimus ex D. Tho. & vt aduertit Cai. *inf. q. 79. a 2.* actiones immanentes qualitates sunt, non actiones aut passiones: & intelligere nihil aliud est quàm intelligentē esse actu intellectum; & anima ex sui gradus nobilitate quem habet supra naturam, se ipsa quandoque se habet vt somnus, & quandoque vt vigilia; ac propterea modum quendam habet magis quàm rationem aut proprietatem actiui & passiui: Quo fit vt quemadmodum grauitas lapidea procedit à lapide & in eodem recipitur; ita quælibet immanens operatio sit eiusdem à qua deriuatur virtutis perfectio. Hanc veritatem subtiliter explicat Cai. *in a. seq.* vbi notat quod intellectio diuersa ratione est esse intellectus, & speciei intelligibilis & verbi. Nam quia intellectus & species actiua principia sunt, ideò eorum esse est intellectio actiuè concepta, quatenus scilicet est intelligere; & quia verbum terminus est intellectionis & intellectum siue obiectum ad intra: idcircò eius esse est intellectio passiuè sumpta, prout scilicet est intelligi. In operationibus igitur immanentibus non habent locum illæ distinctiones, quas ex alijs Thomistis & ex ipso D. Th. retulimus & explicauimus supra *q. 25. ar. 1. contr. vnica* de actione transeunte, quæ sola verè, & propriè actio est. Ex quo patet defectus Sylueſtri *super hoc articulo* dicentis, quòd sicut in omni actione transeunte oportet ponere aliquam actionem quæ sit in agente à qua denominatur agens intrinsecè, *Qua est* (inquit) *ipsa forma qua agens agit sub relatione actuali ad obiectum; ita etiam oportet suo modo ponere in actione immanente aliquam actionem in principio formali agendi, quæ est ipsum principium agendi sub relatione actuali ad ipsam operationē; quia sicut actio transiens transit extra agens & tamen illud intrinsecè denominatur agens; quòd ita etiā operatio immanens transit extra principium formale operandi vt sic, & tamen ipsum principium formale denominatur formaliter agens vt quo, put a intelligimus; vnde sicut ibi, ita hic oportet dicere, quòd ipsa actiua emissio actionis immanentis sit ipsum principiū sub relatione ad obiectum in esse obiectiuo.* Hæc ex Sylueſtro, qui ibidem affirmat emissionem hanc actionis immanentis idem esse quòd dicere, quòd existimat Scotus distingui realiter ab intelligere; & hoc scilicet intelligere idem esse realiter cum verbo. *Sylu. lapsus.*

Ex hac opinione Sylueſtri occasionem Torres accepit erroris; affirmat enim controuersiam hanc ex prædictæ quæstionis diffinitione maximè dependere. Nam qui docent (inquit) actionem esse in patiente, consequenter tenentur respondere idem re esse actum intelligendi & verbum mentale; qui verò oppositam tutantur sententiam, tenentur concedere actum intelligendi & verbum mentale distingui realiter. Verùm, vt ostendimus, in actione immanente locum non habet prædicta distinctio, nec opinionum diuersitas, sicut in transeunte, nisi apud eos quos propria latet actionis immanentis natura; de quorum numero videntur fuisse Sylueſter & Torres; cuius sententiam siue dictum impugnant Zumellus, Molina & Rada, locis superius allegatis. *Error Torres.*

SECVNDO *recolenda sunt ea*, quæ de necessitate verbi diximus supra *q. 12. a. 2. contr. 2. & in hoc a. controu. 1.* ex eis enim præcipuè pendet præsentis quæsiti resolutio.

Proba-

Probatur ex verbis D. Thomæ realis verbi distinctio ab actu intelligendi.

TERTIO sciendum est, ex D. Tho. *de potent. q.8. a.1.* posse intelligentem actu ad quatuor habere ordinem, scilicet ad rem quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus. *Quæ quidem conceptio (inquit S.D.) à tribus prædictis differt. A re quidem intellecta; quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu. Iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat. Differt autem à specie intelligibili; nam species intelligibilis qua fit intellectus in actu, consideratur vt principium actionis intellectus; cùm omne agens agat, secundum quod est in actu: actu autem fit per aliquam formam, quam oportet esse actionis principium. Differt autem ab actione intellectus; quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsum constitutum: intellectus enim sua actione format rei diffinitionem, vel etiam propositionem affirmatiuam, vel negatiuam. Hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur, hoc enim est, quod verbo exteriori significatur; vox enim exterior, neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem.* Hæc D. Thomas, & quibusdam interpositis: *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cùm ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto.* In quibus verbis tria sunt maximè ponderanda.

Tria ponderanda. Primum. Ordo verbi ad rem intellectam est realis.

Primum est habitudo verbi ad rem intellectã, quam exprimit S. Th. dicens conceptionem intellectus ordinari ad rem intellectam sicut ad finem. Hunc autem ordinem esse realem, ex ipsius rei ordinatæ natura quæ verbum est, aperte colligitur iuxta doctrinam A. nostri D. *de Potent. q. 5. a.10.* superius explicatam *q.13. a.7. Contr. vnica*; vbi diximus cũ D. Th. in relatiuis tertij modi causam relationis realis in altero tantum relationis extremo reperiri; vt quòd inter scientiam & scibile sit relatio realis, in sola sciẽtia causa est, quia dependet à scibili & ad illud cognoscendum tanquam ad finem ordinatur. Et eadem ac ferè maior ratio est de verbo quod ad rem ab intellectu cognitam repræsentandam, & actu cognoscendã, tanquam ad finem est institutum; atque ideò in sui natura causam habet realis ordinis siue relationis ad ipsam. Ex quo sequitur primò, vt ratio manifestatiui siue repręsentatiui in verbo nostro dicat relationem realem, quamuis in diuino verbo sit relatio rationis tantum? *Secundò sequitur*, quòd esse manifestatiuum non quomodocũque sed obiectiuè, id est vt ôbiectum interius, sit propria & adæquata ratio verbi absolutissimè sumpti, i. tã cõmuniter quàm propriè accepti; in qua ratione sicuti non includitur explicitè, ita nec excluditur processus ab alio. Vnde diuina essentia, vt obiectum est ac terminus intellectionis diuinæ, verbum est communiter dictum, vt suo loco probabitur ex D. Tho. & tñ à nullo verè procedit, quanquam intelligatur vt procedens, vt ait S.D. *de veritate q.4.a.2.* vbi etiam docet in verbo propriè & non tantùm cõmuniter dicto quatuor esse: Primum vt sit aliquid expressum à notitia mentis: Secundum vt dicat relationem originis ad dicentem: Tertium vt sit manifestatiuum rei intellectæ: Quartum vt sit intellectum ad intra. *Tertiò sequitur* manifestationem obiectiuam fundamẽtaliter sumptam esse ipsam essentiam verbi quo ad absolutum quod in verbo clauditur, formaliter autem sumptam esse realem relationem ad rem manifestatam; sicut similitudo fundamẽtaliter qualitas est, formaliter autem est relatio. Vnde quemadmodum simile nõ reducitur ad similitudinem formaliter aut fundamentaliter sumptam, eo modo & ordine quo participans reducitur ad id quod est per essentiam: ita nec manifestatiuum reducitur ad manifestationem vtrouis modo sumptam. Et ex his *tandem sequitur* intellectus & iudicium eorum, quæ hic tradit Caietanus de ratione manifestatiui contra Durandum.

Secundò ponderanda est cum D. Thom. in verbis ante relatis habitudo verbi ad intelligere siue intellectionis actum. Est enim habitudo effectus ad effectionem siue productionem & termini ad operationem, vt in dictis verbis significat sanctus Thomas, & *in hoc articulo* dicens. *Quicunque intelligit ex hoc ipso, &c.* & apertius de verit. quæst. 4. art. 2. in cor. vbi sic ait: *Ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi.* Et paulò post: *Concessum est aliquod expressum per actum intelligendi.* Quibus verbis non significat S. D. intellectionem esse causam effectiuam verbi, sed esse illius effectionem siue productionem, vt diximus: dicitur enim effectus nõ solùm à causa, sed etiam ab ipsius causæ productione produci, & ex habitudine dependentiæ ad vtrumque nuncupatur effectus. Hæc verò quæ hucusque de verbo diximus, absq; reali ipsius distinctione ab actu intelligendi non videntur posse consistere. Nam intellectio terminus intellectionis esse non potest nisi per actum reflexum, cùm tamen verbum actu intellectionis directo cognoscatur, vt per se primò intellectus obiectum. Et quamuis motus & via cum termino in vnam rem persæpè conueniant, nunquam tamen in rebus creatis coincidit operatio cum suo per se primo obiecto, vt patet discurrẽti per singula. Præterea: verbum intellectus in nobis est quod verbo exteriori significatur; at verbum exterius nõ significat actum intellectus, sed conceptionem intellectus; ergo verbum non est intellectio, sed aliquid ab ea re distinctũ; Discursus est D. Tho. in supra notatis verbis: Minor probata fuit supra *qu.13.a.1.* & probatur secundò; quia alioquin hæc propositio *Homo est animal* esset falsa; nam si per eam significatur intellectio; sensus est: intellectio hominis est intellectio animalis, quæ prædicatio omnino falsa est. Et cõfirmatur; quia nomina significãt ex intẽtione & vsu loquẽtiũ. Constat autẽ intentionem & vsum loquentium non esse nominibus significare operationes intellectus, sed res ab intellectu cognitas & rerum conceptiones vt earum imagines. *Huic argumento respondet* Rada verbum exterius duo significare, nimirum intellectionem & obiectum siue rem intellectam; sed obiectum principaliter, intellectionem verò vt medium ordinatum ad rem significandam; veritatem autem & falsitatem propositionis attendendam esse ex principali vocum significatione, non autem ex minus principali. *Sed iam superius* ostendimus *in q.13.a.1. Contra vnica*, voces per se primò non significare res, sed animæ conceptiones, iuxta dictum Aristotelis *in 1. Perihermenias*: *Voces sunt signa earum, quæ sunt in anima passionum*; & D. Thomæ dicentis: *Voces sunt signa intellectuum.* Si igitur nomina significant intellectionem, erit intellectio eorum principale significatũ, quod esse falsum probatur. Quoniam cùm profero hoc nomẽ *homo*, aliud est nomẽ quod profertur, & aliud

Secundum.

Contra.

Rada resp.

est

est actio qua profertur. Nec actio est illa quæ significet hominem, sed nomẽ ipsum actione prolatum illud est quod significat hominem. Similiter itaque actus intelligẽdi quo producitur verbum, non est similitudo obiecti manifestatiua, sed verbum ipsum intellectione productũ. Confirmatur secundò: Effectus productus per aliquam actionem in quolibet ordine ille est, qui assimilatur principio quo illius actionis, non autem ipsa actio. Nam ideæ artificis nò assimilatur ædificatio sed domus; ergò eadem ratione verbũ intellectione productum similitudo est obiecti, non autem actio verbi productiua. *Sed ait Rada* intellectionem non esse actionem de genere actionis, sed qualitatem: *quòd quamuis* absolutè verum sit, negandum tamen non est intellectionem esse veram operationem termini productiuam, vt supra probauimus; ac per hoc non ipsam sed eius effectum siue terminum, esse similitudinem obiecti per speciem, quæ principium est intellectionis repræsentati. Præterea: Si intellectio est expressa rei cognitæ similitudo, viderent beati diuinam essentiam per creatam similitudinem, quæ esset ipse actus videndi; quod in se falsum esse & doctrinæ D. Thomæ contrarium, multis argumentis ostendimus *sup. q. 12. a. 2.* Igitur intellectio ex sui natura non est obiecti similitudo, sed aliquid intellectione posterius, & realiter ab ea distinctum. Neque enim dici potest illud ad essentialem intellectionis perfectionem pertinere, sine qua similitudo non est obiecti: Nam quid essentialis deesse potest perfectionis visioni beatæ, quæ omnium intellectionum est perfectissima? Hanc veritatem pluribus confirmat Zumel. & alij.

Resp. Rada.

Confutatio.

Tertium. *Denique considerandum* est dictum illud: *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cùm ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto*: Videntur enim hæc verba fauere opinioni Syluestri, Soti, & aliorum negantium realiter distingui verbum ab intelligere. Verùm, vt Ferrariensis aduertit *in dicto cap. 53.* nihil aliud intendit S. D. quàm, quòd licèt verbum sit aliquid per actum intelligẽdi productum & ab ipso realiter distinctum; est tamen eidem intrinsecum, id est, necessariò coniunctum; adeò vt nec intelligere valeat esse sine verbo, nec possit verbum absque intellectione consistere; sicut lineę terminus illi intrinsecus est, cùm esse nequeat linea sine termino, qui tamen à linea realiter distinguitur, & eius nihilominus cõplementum est intrinsecum, id est, necessariò connexum, & in eius diffinitionẽ ponitur in obliquo: dicimus enim lineam esse longitudinem sine latitudine, quæ termino vel terminis concluditur. Similiter itaq; verbum realiter distinguitur ab intelligere, sed tamen est eius intrinsecum complementum, id est, & necessariò connexum, & ad eius diffinitionem pertinens in obliquo: cùm intellectio nihil aliud sit quàm operatio intellectus verbo formata.

Ex comparatione intellectionis ad motum ostenditur illam realiter à verbo distinguit. & differẽtia.

POSTREMO *obseruandum est*, quòd licèt nonnulla sit similitudo siue proportio inter motum prout motus comprehendit etiam mutationem, & inter ipsum intelligere: duplex tamen est inter hæc in proposito differentia. *Prima* est, quòd motus comparatur ad terminum vt imperfectum ad seipsum perfectum, & vt via ad seipsum sub esse perfectiori; nã motus est actus imperfecti & existentis in potentia. Vbi verò proceditur de potẽtia ad actum, idem est, quod prius habet esse imperfectum, deinde perfectum; & idcò motus & forma ad quam terminatur motus, sunt idem realiter; intelligere verò non est actus imperfecti sed perfecti; non enim est actus existentis in potentia sed existentis in actu; & ideò non comparatur ad verbum sicut via ad seipsum sub esse perfectiori; ac propterea non est idem realiter cum verbo producto. *Secunda differentia & differẽtia.* est, quòd forma, ad quam tendit motus, puta albedo ad quam tendit albefactio, est tantùm terminus motus & eius perfectio & complementũ: at verbum est etiam obiectum in actu in esse immateriali constitutum repræsentans obiectum ad extra: quo fit vt intellectio eon sit eadem res cum verbo; non enim actus cognoscitiuus idem est cum suo obiecto; alioquin omnis cognitio esset reflexa.

Sed ait Mol. primam differentiam non satisfacere, quoniam illuminatio & cæteræ alterationes instantaneæ non distinguuntur re à suis terminis, etsi non habeãt adiunctam rationem motus; igitur quòd actio coniũgatur, vel non coniungatur cum ratione motus, impertinens est, vt sit aut non sit idem re cum suo termino. *Sed si formaliter* intelligatur dicta differentia, liquet eam optimè proposito deseruire, quamuis absque secunda non possit omnino firma subsistere. Dico itaque motum omnem & mutationem etiam instantaneam, ex sua ratione formali comparari ad suum proprium terminum, quatenus formaliter eius terminus est, vt imperfectum ad perfectum & vt via ad seipsum sub esse perfectiori. Nam licet in mutatione instantanea sit simul fieri & factum esse: vtrumque tamen ineſt ei formaliter; ratio verò fieri vt sic est ratio viæ & tendentiæ in terminum & imperfecti; & quamuis simultanea termini positio realem excludat tendẽtiam & imperfectionem; eandem tamen virtualiter & fundamentaliter admittit; adeò vt in re præsenti æquiualeat eisdem formaliter acceptis. Nam quòd actio siue operatio siue motus aut mutatio sit vna res cũ termino, ex hoc vt propria causa prouenit, quod eidem formæ conuenit fieri, cui etiam conuenit factum esse. Quòd autem fieri sit cum reali successione, tendentia & imperfectione per accidens est & nihil attinet ad identitatem cuiusuis prædictorum cum suo termino. Intelligere verò propriè loquẽdo actio non est, sed est esse ipsius intelligentis vt sic, & consequẽter in eo propriè & formaliter non est fieri & factum esse. Sed quia intelligere est productio verbi tanquam termini; idcircò secundùm hanc partem induit rationem eius, quod est fieri; sed quia verbum non est præcisè terminus, sed per se primò intellectionis obiectum, propterea meritò eximitur ab illa communi motuum, & mutationum turba, quæ in vnam rem coincidunt cum suo termino.

Obi. Mol.

Resp.

PRIMA CONCL. *Intellectio non est terminus dictione productus.* Hæc conclusio patet ex dictis *in præcedenti Controuersia*; & probatur etiam Primò; quia dictio siue dicere, est actio immanens; at Scotus & eius Schola negant per actionem immanentem quicquam produci; igitur intellectio non est terminus dictione productus. Secundò; si intellectio quæ secundùm Scotum idem est quod verbum, est dictionis effectus siue terminus; iam non erit verbum ex memoria fœcunda, sed ex actu secundo qui est dicere. Quòd si respondeat verbum esse ex memoria fœcunda vt ex principio quo; ex dicere verò vt productione: ita dicimus nos verbum esse ex memoria fecunda, id est, intellectu actuato specie vt principio quo, & ex intelligentia siue intellectione vt productione; quod tamen non admittit Sco-

Conclusiones deductæ, & probatæ.

tus

tus existimans, hoc dicendi modo non saluari dictum Augustini dicentis: Verbum esse ex memoria fœcunda.

» Secvnda Concl. *Intellectio non est rei cognitæ similitudo siue verbum; sed realiter ab eo distinguitur:* Hæc satis probata remanet ex toto præcedenti discursu, & ex ijs quæ diximus de necessitate verbi *in 1. Contr.*

Argum. & solutiones Contra *primam* concluſ. militant plura argumenta soluta *in præc. Contr.*

Obi. 1. cõt. 2. concl. Contra *secundam* concl. argum. Syluester: *Primò*; Actio & passio & motus & terminus intrinsecus sunt idem, vt patet *in 3. Phys.* at intelligere est quoddam agere & pati & moueri; ergò &c. Eodem argumento vtitur Molina & alij recentiores. *Resp.* falsam esse minorem propriè loquendo, vt antè diximus. Nec verbum est terminus præcisè, sed est etiam per se primò obiectum, cui repugnat identitas cum actione ad ipsum terminata.

Obi. 2. *Secundò*: S. Th. crebrò facit hanc consequentiam: intelligere Dei est eius intellectus; ergò & verbum est intellectus; quæ consequentia nulla esset, si verbum & intelligere essent duo distincta realiter. *Resp.* illam consequentiam valere in materia diuinorum tantùm, vbi nulla est realis distinctio, nisi ea quæ fit per oppositionem relatiuam.

Sol.

Vasq. 1. obi. cont eand. concl. *Contra* eandem conclusionem argumentatur Vasq. *sup. q. 12. a. 2. c. 2. Primò*: Intellectio est actio de genere qualitatis; ergò est similitudo expressa obiecti, qua formaliter intellectus redditur intelligens aut videns, sicut ab albedine corpus efficitur album. *Resp.* nullam esse conseq. Nam licèt sit actio de genere qualitatis, eo quòd non inferat propriam & realem passionem ab ea distinctam, est tamen vera operatio sui proprij termini, qui similitudo est expressa rei intellectæ productiua.

Solut.

Obiectio 2. *Secundò*: Augustin. *lib. 9. de Trinit. cap. 10.* asserit cognitionem esse similitudinem rei cognitæ.

Solut. *Resp.* cognitionem ab August. dici similitudinem obiecti, non ratione sui sed ratione principij, id est speciei impressæ à qua procedit; vel etiam ratione termini quo completur, qui est species expressa siue verbum. *Sed hanc resp.* reprehendit Vasq. *Primò*, quia quod secundùm se non est tale, ineptè nuncupatur tale solùm quia principium tale est.

Replica 1.

Replica 2. *Secundò*, in patria non erit species creata diuinæ essentiæ secundum Thomistas; ergò visio diuinæ essentiæ nec secundùm se nec ratione principij, similitudo illius poterit appellari; at Augustinus contendit nos futuros perfectissimè similes visione ipsâ: *quia videbimus eum, sicuti est*; ergò putat ipsam visionem secundùm se esse similitudinem. *Resp. ad 1.* in ijs quę naturaliter connexa sunt, & ad vnius complementum concurrunt, non ineptè vnum ex alio denominari, vt de actione notauimus *sup. q. 25. a. 1.*

Sol.

Ad 2. resp. similitudinem illam, de qua loquitur Aug. non consistere in ipsa visione formaliter, vt scilicet visio sit ipsa diuinæ essentiæ similitudo in esse intelligibili; sed in perfecta mentis vnione cum Deo, per summam ac nobilissimam operationem, qualis est illa visio beatifica, vt explicauimus *sup. q. 12. a. 2. Contr. 1. an solutione argum. Suar.* Est igitur visio similitudo non in esse cognito, id est, quæ sit imago obiecti in intellectu existens, sed in esse rei, quia facit videntem esse Deiformem ac Deo similem.

Obi. 1. Rada cont. eand. concl. *Contra* eandem concluſ. argum. Rada. *Primò*; quia ex omnibus quæ reperiuntur in mente, nihil potest habere rationem verbi, nisi actualis intellectio genita atque producta ab intellectu. Ergò &c. Anteced. (inquit) probatum est supra.

Sol. *Resp.* falsum esse antecedens, & eius probationes fuisse sup. confutatas.

Obi. 2. *Secundò* arguit ex diffinitione verbi à se conficta: verbum est actus intelligentiæ productus, &c.

Solut. *Respond.* verbum non esse actum intelligentiæ, sed terminum & imaginem ex ea productam.

Obi. 1. a *Contra* eandem concluſ. sunt argumenta quæ producunt & soluũt Expositores; ex quibus hoc videtur præcipuum. Productio verbi quatenus actio, non distinguitur realiter ab ipsa productione quatenus est passio: At productio verbi quatenus est passio non distinguitur realiter ab ipso verbo producto; ergò productio verbi quatenus est actio identificatur materialiter cum ipso verbo. Maior est communis sententia Philosophorũ dicẽtium, quod idem motus est actio & passio, Minor inductiuè probatur. Creatio passiua non distinguitur à re creata, &c.

Sol. *Huic argumento respondent* Bannes & Zumellus. Primò negando maiorem quæ examinabitur in art. seq. Secundò itaque neganda est minor; quia actus intelligendi passiuè sumptus, quomodo est esse verbi distinguitur realiter ab ipso verbo. Ad probationem iam dictum est non esse eandem rationem de mutationibus etiam instantaneis & intellectione: quoniam terminus intellectionis hoc habet peculiare, vt illius sit obiectum, quod nulli alteri mutationi perspicuum est conuenire. Hanc responsionem videntur significasse prædicti duo Expositores, quamuis eam non satis expresserint.

Notationes circa responsiones argumentorum.

Responsio *ad 2. argum.* D. Th. innititur vnitati intellectus cum intelligibili superius à nobis explicata, scilicet *q. 12. a. 2. Contr. 3. & q. 14. a. 1. Contr. 1.*

Responsio ad 3. latè explicatur à D. Th. *inf. qu. 45. art. 6.* & ibidem à recentioribus ac præsertim Ban.

Articvlvs II.

Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

Ad *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd processio, quæ est in diuinis, non possit dici generatio.* 161 4 con 8. 10. & 11 & op. c. 52. *Generatio enim est mutatio de non esse in esse corruptioni opposita, & vtriusque subiectum est materia. Sed nihil horum competit diuinis. Ergo non potest generatio dici in diuinis.*

*2 Præterea. In Deo est processio secundùm modum intelligibilem, vt dictum est: *sed in nobis talis processio non dicitur generatio. Ergo neque in Deo.* *Art. præc.*

3 Præterea. Omne genitum accipit esse à generante. Esse ergo cuiuslibet geniti est esse receptum. Sed nullum esse receptum est per se subsistens. Cum igitur esse diuinum sit esse per se subsistens (vt sup. probatum est) sequitur, quod nullus geniti esse sit esse diuinum. Non est ergo generatio in diuinis.* *q. 7. a. 1. & q. 11. a. 4.*

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 2. Ego hodie genui te.

Respondeo. Dicendum, quòd processio verbi in diuinis dicitur generatio.

Ad cuius euidentiã sciendũ est, q̃ nomine generationis dupliciter vtimur. Vno modo cõmuniter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & sic generatio nihil aliud est, q̃ mutatio de nõ esse ad esse. Alio modo ,,priè inviuetib. & sic ge-

sic generatio significat originem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto: & hæc propriè dicitur nati-
567 *uitas.* c *Non tamen omne huiusmodi dicitur genitum: sed propriè quod procedit secundùm rationem similitudinis: Vnde pilus, vel capillus non habet rationem geniti, & filij, sed solùm quod procedit secundùm rationem similitudinis non cuiuscunque. Nam vermes qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licet sit similitudo secundùm genus: sed requiritur ad rationem talis generationis, quòd procedat secundùm rationem similitudinis in naturâ eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine, & e-*
464 *quus ab equo.* c *In viuentibus autem, quæ de potentia in actum vitæ procedunt, sicut sunt homines, & animalia, generatio vtramq; generationem includit. Si autem sit aliquod viuens, cuius vita non exeat de potentia in actum, processio (si qua in tali viuente inuenitur) excludit omnino primam rationem generationis, sed potest habere rationem generationis, quæ est propria viuentium. Sic igitur processio verbi in diuinis habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & à principio coniuncto, vt supra iam dictum est:* * *& secundum rationem similitudinis. Quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens. Quia*
q 3 a. 4. & q. 14. a. 4. *in Deo idem est intelligere, & esse, vt supra* * *ostensum est. Vnde processio Verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum verbum procedens dicitur filius.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd obiectio illa procedit de generatione secundùm rationem primam, prout importat exitum de potentia in actum. Et sic non inue-
Inter. art. *nitur in diuinis, vt supra dictum est.**

Ad Secundum dicendum, quod intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Vnde verbum, quod secundùm intelligibilem operationem procedit in nobis, non est eiusdem naturæ cum eo à quo procedit. Vnde non propriè, & completè competit sibi ratio generationis. Sed intelligere diuinum est ipsa substantia intelli-
q. 14. a. 4. *gentis, vt supra ostensum est.** *Vnde verbum procedens, procedit vt eiusdem naturæ subsistens. Et propter hoc, propriè dicitur genitum, & filius. Vnde & his, quæ pertinent ad generationem viuentium, vtitur Scriptura ad significandam processionem diuinæ sapientiæ, scilicet conceptione, & partu. Dicitur enim ex persona diuinæ sapientiæ. Prouerb. 8. Nondum erant abyssi, & ego*
c d. 106 *iam concepta eram. Ante colles ego parturiebar. Sed in intellectu nostro vtimur nomine conceptionis,* c *secundùm quod in verbo nostri intellectus inuenitur similitudo rei intellectæ, licèt non inueniatur naturæ identitas.*

Ad Tertium dicendum, quòd non omne acceptum est receptum in aliquo subiecto, alioquin non posset dici, quòd tota substantia rei creatæ sit accepta à Deo, cùm totius substantiæ non sit aliquod subiectum receptiuum. Sic igitur id, quod est genitum in diuinis, accipit esse à generante, non tanquam illud esse sit receptum in aliqua materia, vel subiecto, quod repugnat subsistentiæ diuini esse. Sed secundùm hoc dicitur esse acceptum, in-
quantum procedens ab alio habet esse diuinum, non quasi aliud ab esse diuino existens. In ipsa.n. perfectione diuini esse continetur & verbum, intelligibiliter pro-
q 14. a. 2. & q. 14. a. 4. *cedens, & principium verbi, sicut & quæcunque ad eius perfectionem pertinent, vt supra dictum est.**

Ratio ordinis, & Sensus quæsiti.

AGIT nunc S. D. de processionibus in particulari. Et quoniam ea processio, quæ est secundùm operationem intellectus, quæ in diuinis est generatio, præcedit eam quæ est secundùm voluntatem: idcircò S. Thom. primò quærit: An aliqua processio in diuinis generatio dici possit: deinde in sequentibus quæret de illa, quæ est secundum operationem voluntatis. In quo A quæsito duo sunt obseruanda. Primum est ex parte subiecti: quæritur enim, an aliqua processio, non autem an omnis processio in diuinis possit dici generatio; nam hoc secundum pertinet ad quartum articulum, in quo quæritur; an processio amoris in diuinis sit generatio; nam si processio amoris in diuinis esset generatio, omnis processio in diuinis esset generatio; cùm non sint nisi duæ processiones. Secundum est ex parte prædicati; nam illa verba *possit dici generatio* intelligenda sunt propriè & formaliter, ita vt ei conueniat diffinitio generationis, & omnes conditiones per se requisitæ ad generationem.

B

Forma Textus.

PRAEMITTIT *primò* distinctionem S. D. & singula membra describit. *Secundò* ea adinuicem comparat; *postremò* proponit conclusionem & probat.

Distinctio est. Nomine generationis dupliciter vtimur: *vno modo* communiter ad omnia generabilia, & sic generatio describitur quod est mutatio de non esse ad esse, sicut generatio ignis, lapidis, plantæ, animalis & hominis est mutatio de non esse ad esse; proceditur enim de potentia ad actum, & de priuatione ad formam in omni ge-
C neratione rei corruptibilis. *Alio modo* vtimur nomine generationis propriè in viuentibus, & sic generatio describitur quod est origo viuentis à viuente coniuncto secundùm similitudinem naturæ eiusdem speciei; & hæc propriè dicitur natiuitas. Manifestat S. Th. has duas vltimas particulas scilicet *secundùm similitudinem naturæ eiusdem speciei*. Dicitur *secundùm similitudinem*, quoniam pilus vel capillus, non habent rationem geniti & Filij; quia non procedunt similes in natura. Dicitur *naturæ eiusdem speciei*: quoniam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem geniti vel filij, licèt sint similes secundùm genus: quoniam non procedunt vt similes in natura eiusdem speciei, sicut homo procedit
D ab homine, & equus ab equo.

Secundo comparat S. Thom. prædictos duos modos generationis ad inuicem quo ad separabilitatem & coniunctionem vtriusque. Nam duo sunt manifesta. Primũ est, quòd prima generatio potest separari à secunda, vt patet in rebus naturalibus vita carentibus; generatio enim ignis non includit generationem viuentibus propriam. Secundum manifestum est, quod secunda in viuentibus, quæ apud nos sunt, includit primam: quoniam hæc viuentia procedunt de potentia in actum vitæ, sicut plantæ homines & animalia. Ex quibus necessariò sequitur, quòd si est aliquod viuens, cuius vita non exeat de potentia in actum, eius processio includit omni-
E no primam rationem generationis, & habebit rationem generationis, quæ est propria viuentium. Consequentia euidens est, quoniam ea solum ratione generatio secunda includit primam generationem; quia genitum procedit de potentia ad actum. Si ergò &c.

Postremò S. Thom. proponit conclusionem, & probat.

CONCLVSIO est: *Processio verbi in diuinis habet rationem generationis secundo modo*, probatur. Processio viuentis à viuente coniuncto secundùm similitudinem naturæ specificæ, est generatio secundo modo; sed processio verbi est talis. Ergò: Maior patet ex dictis. Minor probatur quo ad singulas particulas. Et primò quòd sit processio viuentis à viuente; quoniam processio

vel-

verbi est operatio vitalis, quia est operatio intelligibilis, quæ perfectissimè est vitalis. Secundò quòd sit à principio coniuncto, patet ex præcedenti articulo, & præsertim *in resp. ad 2.* vbi dictum est, quòd id quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diuersum, immò quantò perfectius procedit, tantò magis est vnum cum eo, à quo procedit &c. Tertiò quòd sit secundùm rationem similitudinis; quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ: quòd denique sit in eadem natura, probat S.D. quia in Deo idem est intelligere & esse: ergò processio verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum verbum procedens dicitur Filius.

A

Expositio Textus.

Explicatur ex doctrina D.Th generationis diffinitio quo ad singulas partes.

1. particula.

CONSTAT diffinitio generationis propriè dictæ tribus præcipuis partibus, quarum *prima* est: *Origo viuentis à viuente*; cui non adiunxit S. Thomas vlteriorem determinationem, scilicet cognitionem habente. Primò quoniam loquebatur de generatione viuentium, vt extenditur etiam ad non cognoscentia. Secundò quoniam generatio cognoscentium non conuenit illis formaliter, quatenus cognoscentia sunt, sed quatenus sunt viuentia. Nam principium generationis in eis non est forma cognita vt sic, sed forma naturalis, nisi in generatione verbi diuini, ob rationē assignatam in textu, quæ in nullo ex creatis viuentibus locum habet; concurrit tamen in cognoscentibus cognitio, & appetitus eam consequens vt applicans actiua passiuis. *Quapropter* absque sufficienti ratione Molina aliam præsè ac proprijssimè dictam quæ cognoscentium tantum sit, generationem distinxit, in cuius diffinitione particulam illam inseruit, scilicet cognitione prædita. Nam etsi cognoscentiū sit magis perfecta generatio, quàm viuentium tantùm; vtrisq; tamen æquè formaliter ac propriè conuenit generationis nomen & ratio; sicut animalis natura æquè formaliter & propriè conuenit vrso & homini: quamuis perfectiorem habeat essendi modum in homine. Et sapientia non minus propriè ac formaliter conuenit homini quàm Deo, licet perfectior sit in Deo: & ex maiori perfectiori, nō autem ex maiori proprietate generationis in cognoscentibus euenit, vt in eis generans nuncupetur Pater, genitus verò dicatur Filius.

Contra Mol.

B

C

D

2 particula. *Secunda particula* posita in diffinitione, siue descriptione generationis viuentium, est dictio illa: *coniuncto*; quam latè explicat S. Th. *4. con. gen. c. 11.* & Ferr. *ibid.* Sed breuiter sciendum est: generationem viuentium dici esse à viuēte coniuncto ipsimet genito, saltem in principio generationis, non per solum contactum quantitatis; sed per intimam inexistentiā rei generandæ in ipsomet generante. Et quanto aliqua natura est altior, tantò id quod ex ea procedit, magis est intimum; quod explicatur discurrendo per omnes gradus. Nam in rebus inanimatis id quod ab eis emanat, nullo modo est intimū generanti; cùm in diuersis rebus emanationes aliter esse non possint quàm per actionem transeuntem vnius in alterum; sicut ex igne generatur ignis, dum ab igne corpus extraneum alteratur, & ad qualitatem & speciem ignis perducitur. Supra inanimata corpora proximum locum tenent plantæ, in quibus est primus gradus vitæ, quoniam seipsas aliquo modo mouent ad agendum: in eis id quod procedit coniunctum est generanti in principio, licet in fine separetur; nam humor plantæ intraneus conuertitur in florem, deinde flos in fructum qui primò est arbori coniunctus; sed cùm fuerit perfectus, ab arbore separatur & in terram cadens sementina virtute producit aliam plantam. Igitur planta genita in sui principio erat generanti coniuncta, in fine verò separata. Supra vegetabilia sunt animalia, quæ habent sensum: in quibus propria emanatio, quæ est sensatio, ab exteriori quidem incipit, scilicet à sensibilibus, quæ formam suam ingerunt externis sensibus, sed in interiori terminatur: Et quantò emanatio magis processerit, tanto magis ad intima deuenitur. Nam à sensibus externis forma sensibilis procedit in imaginationem, & vlterius in memoriæ thesaurum. Nec tamen est in sentientibus omninò vita perfecta; quoniam emanatio fit semper ex vno in alterū, nec potest sensus in seipsum reflecti causando in seipso sui ipsius similitudinē. Est igitur supremus gradus vitæ, qui est secundùm intellectum; nā quilibet intellectus in seipsum reflectitur, & seipsum intelligere potest: causat enim in seipso suijpsius & aliorum similitudinem scilicet speciem expressam, in qua seipsum vel alia contempletur. Vnde id, quod procedit in intellectuali natura, est maximè intimum & coniunctum; & quanto intellectualis natura fuerit nobilior, tāto intimius est id quod per actionem intelligibilem in ea procedit, vt latè *in d.c.* explicat S. Th.

Est ergò de ratione generationis viuentium, quòd sit à principio coniuncto modo explicato. Quamobrem, nec rerum creatio quæ fuit à principio viuente, sc. ab intellectu diuino, potest dici generatio; nec artificiata, quæ sunt ab intellectu artificis per vitalem operationem, quæ est intelligere, possunt dici genita; quoniam non procedunt à viuente coniuncto, nec in principio, nec in termino: & sermo est de coniunctione secundū esse naturale: Nā de coniunctione secundùm esse intelligibile dicitur Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vnde Arist. *in 8. Ethic. c. 12.* dixit oportere genitum esse magis coniunctum generanti, quā factum facienti. Ad huius particulæ expositionē plura accumulat Molina minimè necessaria.

3. particula. *Tertia particula* est: *Secundùm similitudinem in eadem specie*, quæ debet intelligi per se, & ex primaria intentione generantis, & consequenter de naturali generatione; nam per accidens & præter intentionem generantis, ac præternaturaliter potest aliter euenire propter materiæ impedimentum, & tamen erit propriè generatio. Nā processi muli ex equo & asina, & generatio propriè & strictè sumpta, & mulus dicitur natus ex equo & filius equi, & tamen non procedit in similitudinē speciei, sed tantum generis: sed hoc est per accidens ac præternaturaliter, propter improportionem, seu indispositionem materiæ ex qua fit generatio. Et hoc est, quod significauit Arist. *in 7. Metaph. tex. 28.* in illis verbis: *Nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum generet*, volens dictam particulam intelligendam esse de generatione naturali, quæ per se & ex primaria intentione ad specificam similitudinem tendit in qualibet viuentis generatione, quæ est expositio D. Tho. *in com. ad tex. præd.*

Explicantur præcipua loca S. Scripturæ significātia diuini verbi generationem.

CONCLVS. huius artic. probant recentiores esse fide tenendam ex multis sacrarum litterarum oraculis & sacrorum Conciliorum definitionibus, ac sanctorum Patrum dictis. Præcipua Scripturarum loca sunt *Prouerb. 8.* vbi dicitur in persona Sapientiæ genitæ quæ est verbum diuinum; *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et post pauca: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Et *Psal. 2.* dicitur in persona Filij: *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Quæ verba exponit Apost. *ad Heb. 1.* de diuina & æterna ver-

na verbi generatione. Denique *Psal. 109.* dicitur, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Ad quorum locorum intelligentiam considerandum est ex D. Tho. *4. con. gent. c. 11.* in humana generatione duo semper esse principia; vnum actiuum quod est in patre, & aliud passiuum quod est in matre; adeò vt in humanæ prolis generatione, diuisa sint à natura principia & distinctis suppositis distributa. Nam actiuè communicare naturã ac speciem proli, tribuitur patri: concipere verò ac parere conuenit matri. Sed cùm diuina natura nihil imperfectionis admittat, nullum erit passiuum, sed actiuum tantum diuinæ generationis principium, quod Pater est; in quo excellenter vniuersa, quę ad humanam generationem necessaria sunt, seclusis imperfectionibus continentur. Quo fit vt sacræ litteræ nomina Deo tribuant, vteri, conceptus & partus, ad exprimendum iuxta modulum intelligentiæ nostræ, diuinæ generationis sacramentum. Vnde etiam Mercurius Trimegistus, vt refert Augustinus Eugubinus *lib. 1. de perenni philosophia, c. 23.* diuino forsitan ductus afflatu diuini verbi generationem sic exprimit: *Intelligentia illa Deus, cum maris ac fœminæ vim haberet, & vita & lumen esset, genuit verbum alteram scilicet mentem opificem.* Dei verò Patris vterus, in quo filius concipitur, est eius intellectus. Et quoniam id quod generatur, quandiu in generante manet, dicitur conceptum; idcircò vt intelligamus sapientiam genitam, quæ Filius est, non recedere à Patre, sed in eo semper manere, dicitur concepta. Sed quia dum proles in vtero continetur, nondum habet vltimam sui perfectionem, vt per se subsistat; vt ostendatur omnino perfecta, subditur *Sap. 8. Quando præparabat cœlos aderam cum eo cuncta componens.* Concipitur itaque diuinum verbum à Patre & in eo manet & ab eo procedit ac propria personalitate subsistit: Similitudo autem illa, qua vtitur D. Augustinus *lib. 9. de Trinit. cap. vlt.* & recentiores amplificant, sobriè ac (vt aiunt) cum grano salis est intelligenda. Est autem hæc similitudo. Quemadmodum ad materialem animalis generationem tria requiruntur, scilicet pater & mater ac seminis infusio in vterum matris, quo semine locum viri gerente fœmina prægnans efficitur, proles concipitur & generatur, & tandem sequitur partus per quem proles in lucem emittitur; ita pariter ad intellectualem verbi conceptionem, & generationem tria concurrunt in nobis, obiectum actu intelligibile quasi masculus seu pater, anima seu intellectus possibilis quasi mater, & species intelligibilis impressa quasi semen, ab obiecto tanquam patre, in vterum intellectus tanquam in matris vterum transmissum loco viri, scilicet obiecti, quo semine scilicet specie, anima per intellectum efficitur prægnans, & concipit verbum quod est species expressa, tandem parit ac prolem in lucem emittit; quatenus verbum à producente, immò & ab ipsa productione & productionis principio remanet in nobis realiter distinctum. *In qua similitudine* cauendum est, ne dicamus obiectum esse principiũ conceptionis vt quod, & consequenter etiam existimemus diuinam essentiam, quæ obiectum est per se primò diuini intellectus, esse principium vt quod diuinæ conceptionis & generationis; de hoc enim fieret consequens necessariò diuinam essentiam esse Patrem diuini verbi & realiter ab eo distingui, quod est hæreticum. Accipienda est igitur Patris, quoad hoc tantum cum obiecto similitudo, vt vtrumque intelligamus in suo ordine conceptionis esse principium, quamuis vtriusque sit valdè differens modus ac ratio principij. Nam in materiali ac sensibili generatione patet principium est generationis vt quod; in intelligibili verò conceptione, obiectum secundum esse suum intelligibile, principium est & ratio conceptionis vt quo: intellectus autem siue potius intelligens actuatus ipso intelligibili per speciem repræsentato, principium est intelligibilis conceptionis & generationis vt quod. Et ex his apparet intellectus illius sacræ metaphoræ *Psal. 109. Ex vtero ante luciferum genui te.* Sensus enim est: Ex intellectu meo, præsentia substantiæ siue essentiæ meæ & eiusdem secum vnitate fœcundo genui te.

Augustini similitudo

Controversia Vnica.

An & quomodo sit efficax probatio conclusionis?

Status controuersiæ. Sententiæ Expositorũ, & rationes dubitandi.

QVAMVIS de processione diuini verbi probetur in hoc discursu generationis propriè dictæ diffinitio quo ad singulas eius partes: de solius tamen vltimæ particulæ probatione nobis est hic cum expositoribus controuersia: Nam cæterarum probationes partim ex prænotatis sunt euidentes, & partim erunt diligenter examinandæ in 4. huius q. a.

POSTREMA *diffinitionis* particula est, *vt similitudo sit in eadem natura.* Hanc de verbi diuini generatione sic probat S. D. In Deo idem est intelligere & esse: ergò processio verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum verbum procedés dicitur Filius. Cuius probationis vim explicat S. Tho. *in 4. con gent. c. 11.* vbi sic loquitur: *Cum autem intellectus diuinus non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus; oportet quòd substantia intellectus diuini, sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus: esse autem verbi interius concepti, siue intentionis intellectæ est ipsum suum intelligi: idem ergo est esse verbi diuini, & intellectus diuini, & per consequens ipsius Dei, qui est suus intellectus: esse autem Dei est eius essentia, vel natura, quæ est idem, quod ipse Deus, verbum igitur Dei est ipsum esse diuinum, & essentia eius est ipse verus Deus. Non autem sic est de verbo intellectus humani; cum enim intellectus noster seipsum intelligit, aliud est esse intellectus, & aliud ipsum eius intelligere. Sequitur ergò, quòd aliud sit esse intentionis intellectæ, & aliud intellectus ipsius: cum intentionis intellectæ esse sit ipsum intelligi. Vnde oportet, quòd in homine intelligente seipsum, verbum interius conceptum non sit homo verus naturale hominis esse habens, sed sit homo intellectus tantùm, quasi quædam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa.* Hæc D. Thom. Cuius discursus tota vis in hoc videtur consistere, quòd hæc omnia sunt idem realiter in Deo, nimirum intelligere, intelligi, esse verbi, esse intellectus, esse Dei, intellectus Dei, Deus ipse, & eius essentia. Ex quo sequitur, quòd verbum Dei sit ipsum esse diuinum & essentia Dei & Deus ipse. Nam vt hic aduertit Caietanus, vbicunque intelligere, quòd semper identificatur cum intelligi, est accidens, ipsum quoque verbum est accidens realiter distinctum ab intelligere & intelligi; vbi autem intelligere est esse substantiale, ipsum quoque verbum est substantia. Cùm igitur in Deo intelligere sit esse substantiale, in nobis autem accidentale, ipsum quoque Dei verbum est substantia, nostrum autem accidens. Radix huius veritatis est; quia esse rei naturale consequitur essentiam rei vt eius vltima actualitas, & ad idem genus & speciem pertinet cum re, cuius est esse. Vnde quemadmodum essentia lapidis spe-

ſpecies eſt ſubſtantiæ : eſſentia verò lucis ſpecies qualitatis,ita eſſe lapidis ad ſpeciem lapidis,& ad genus ſubſtantiæ pertinet;eſſe verò lucis ad ſpeciem attinet lucis & ad genus qualitatis . Et quia diuinum eſſe, quod eſt idem cum eſſentia diuina,non poteſt eſſe actus alicuius ab eo diuerſi : idcircò ſi eſſe diuinum eſt eſſe verbi , neceſſe eſt vt verbum ſit idem , quod eſſe & eſſentia Dei.

Sed hunc dicendi modum cùm ſubtili defenſione Cai.& Ferr.inferius explicanda,reijcit Syluеſt.*in conſlato,* quem ſecutus eſt Val. dicens expoſitionem Cai.nec eſſe ſatis firmam, nec ſatis ad rem pertinere.Eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Mol.qui ait probationē hāc vix apud Sectatores D.Tho.explanationem habere,quæ omninò intellectum expleat; Ipſæ verò communiori ac faciliori quadam via virtutem explicat probationis. Zumellus eandem Cai. & Ferrar. explicationem reprehendit, eo quòd rem exactè non aperiat &difficultatem non diſſoluat ac pleraq; falſa contineat.Eius rationes inter argumenta proponentur . Profert autem duos modos exponendi propoſitionem illam *intelligi eſt eſſe verbi,* diſtinctos(vt ipſe ait)à ſenſuCaiet.& Ferr.quos tamen nec ſatis explicat nec apparet eorum diſtinctio à modo dicendi dictorum expoſitorum:quinimmò in explicanda ſua ſententia & diſſoluendis argumentis,vtitur paſſim doctrina & expoſitionibus Cai.& Ferr.

Partitio. Vt *verò* breuis &perſpicua quantum fieri poterit,ſit propoſitæ Controuerſiæ reſolutio:proponemus *primò* rationes dubitandi.*Secundò* ex D. Th.Cai.& Ferr.proferemus &explicabimus fundamenta veritatis . *Tertiò* propoſitis ſingulis dicendi modis ex alijs expoſitoribus , oſtendemus eorum minus æquam fuiſſe cenſuram in Caiet. & Ferr.*Poſtremò* deductis concluſionibus,quæ contra ſingulas militant aduerſariorum argumenta, confutabimus.

Rationes dubitandi. Svnt Avtem duæ rationes dubitandi. *Prima* eſt: quia ſi eſſe verbi conſiſtit in intelligi, ſequitur quòd intelligi non ſit eſſe reale ipſius conceptus,nec ſit idem quod intelligere, & conſequenter quòd in Deo non ſit idem quod ipſum eſſe diuinum & ipſemet Deus. Probatur ſequela : quoniam intelligi nihil reale ponit in re intellecta. *Secunda* ratio dubitandi eſt;quia actus intelligendi diſtinguitur realiter à verbo, & eſt ipſum eſſe intellectus in actu perfecto ; igitur non poteſt eſſe ipſum eſſe conceptus . Conſeq. probatur;quia non apparet, quomodo duo realiter ab inuicem diſtincta poſſint habere vnum & idem eſſe.

Reſolutio. Proponitur & explicatur duo omni veri ocō mumma. *Pendet huius quæſtionis reſolutio* ex duobus communibus,& duob.alijs diuinæ naturæ particularibus. Primvm Commvne eſt eſſe reale verbi quod eſt intelligi,& modus quo eſt eius eſſe reale. Hoc verò ſubtiliter hic explicat Cai.qui tria conſiderat in verbo mentis.Primum eſt quod ſit intellectū in actu; ex quo ſequitur vt eſſe verbi, quatenus ſic actu intellectum eſt , ſit intelligi; quemadmodū eſſe rei viſæ in actu, quatenus actu videtur,eſt videri;& eſſe rei imaginatæ vt ſic eſt imaginari ; nec de hoc vlla poteſt eſſe dubitatio. Secundum eſt quòd verbum ſit interius intellectum,i.intra intellectum exiſtens,vt actualis imago,& per ſe primò intellectus obiectū,in quo res intellecta actu intelligendi exprimitur & manifeſtatur intellectui.Et ex hoc ſequitur,quòd eſſe verbi in hoc conſiſtat,quòd eſt ſic intelligi,nimirum vt intellectum interius, i.vt per ſe primò intellectū, in quo res intellecta exprimitur actu & intellectui manifeſtatur . Hoc verò quod eſt ſic intelligi,non eſt ens rationis ſed reale:quoniam eſt eſſe expreſſam actu ſimilitudinem obiecti, quod eſt eſſe reale , ſicut & ipſa ſimilitudo realis eſt. Cuius rei argumentum eſt, quòd ceſſante tali eſſe,nimirum intelligi ſic &c.definit & ipſa ſimilitudo,ſcilicet verbum ipſum,quod abſque actuali intellectione paſſiua nō exiſtit. Tertium ſequitur ex ſecundo. Nam ex eo quòd verbum eſt interius obiectum, ac per ſe primò intellectum , in quo &c.habet, vt ſit vnū ex ijs quæ ad perfectionē intellectus in actu concurrūt ex quo ſequitur vt intellectio , quæ eſt eſſe intellectus in actu, ſit etiam eſſe verbi , cùm verbum ſit vnum , & quidem præcipuum ex ijs quæ concurrunt ad perfectionem intellectus in actu;quemadmodum quia manus & pes partes quædam ſunt concurrentes ad vnius corporis humani perfectionem:ideò vno & eodem humani corporis eſſe ſubſiſtunt:& punctum quod ad lineæ complementum concurrit,idem habet eſſe cum linea.

Eſſe intelligi hũ interius eſt eſſe reale

Conſtituētia intellectum in actu. Cùm igitur ad conſtituendum intellectum in actu tria partium inſtar cōcurrant ſcilicet intellectus,ſpecies impreſſa,verbum, & quartum, ſcilicet intellectio non ſit pars, ſed eſſe intellectus in actu;erit etiam eſſe trium prædictorum,quamuis diuerſo modo. Nam quatenus intellectio actiuè ſumitur videlicet vt eſt intelligere , eſt eſſe intellectus & ſpeciei: vt verò paſſiuè ſumitur,prout ſcilicet eſt intelligi,eſt eſſe verbi;quæ differētia pendet ex alia;quia nimirū intellectio eſt eſſe intellectus &ſpeciei,vt principiorū à quibus elicitur & quorum eſt operatio;verbi verò tāquam termini ipſius intrinſeci,cui per ſe primò conuenit intelligi.Ex qua ſequitur etiam alia,videlicet vt intellectio ſit eſſe intellectus & ſpeciei , vt vnius completi ſubiecti; quia eſt actio immanens, cuius principium eſt eius ſubiectum; verbi verò ſit eſſe,vt obiecti ſcilicet intrinſeci,& per ſe primò intellecti,& partis intellectus in actu. Denique intelligere nō ita eſt eſſe intellectus &ſpeciei vt ſit illud,quo ſimpliciter intellectus, & ſpecies exiſtant in rerū natura:Cùm nullo intellectu cōſiderante ſit intellectus,&in eo ſpecies per modū habitus ; igitur intelligere eſt eſſe intellectus & ſpeciei,prout ſunt in actu completo in genere in telligibiliū & multò magis verbi; in quo ordine proprium illius eſſe eſt eſſe cognitum vt obiectū interius;adeò vt oppoſitū implicet contradictionē.Nam ratio verbi conſiſtit in hoc,vt ſit terminus intrinſecus intellectionis, & obiectum interius ac per ſe primò intellectū, vt ſæpè diximus; at hæc ſine actuali intellectione neque eſſe neque intelligi poſſunt;igitur nec etiam diuina virtute poteſt verbum , ſeruata ratione verbi, ab actuali intellectione ſeparari; nam hoc ipſo quod fuerit ab intellectione ſeparatum,iam non erit illius terminus,neque erit obiectum intrinſecum, nec per ſe primò intellectum,id eſt,in quo cognito tanquam imagine cognoſcat obiectū extrinſecū:Niſi enim hęc inſint actu verbo,non erit verè verbum, ſed imago ſimplex: Et quemadmodum implicat eſſe intellectionē,quę actu ab intellectu non procedat , ita pariter implicat eſſe verbum, quod non actu pēdeat ab intellectu media intellectione;quia ſicut intellectio eſt eſſentialiter operatio vitalis;ita verbum eſſentialiter eſt vitalis terminus intellectionis;de cuius ratione eſt actu emanare ab intrinſeco principio . Et hoc eſſe quod habet verbum in genere intelligibiliū, eſt etiam proprium eſſe verbi ſimpliciter , quod illi conuenit,prout qualitas quędam eſt. Quamuis enim æquiuocè dicatur eſſe de exiſtētia ſimpliciter,

Intelligere eſt eſſe intellectus , ſpeciei & verbi.

Verbi exiſtentia ſimpliciter ſequitur ad eſſe intelligibile.

ter,& de esse in ordine intelligibilium;nam illud ponit rem simpliciter extra nihil & est vltima rei actualitas simpliciter ; hoc verò minimè, sed est tantùm vltima in tali genere;in re tamen proposita coincidunt esse simpliciter & esse in genere intelligibiliũ, vt perspicuè patet ex supradictis.

Nota comparationem

Ex his sequitur primò quòd intelligere in nobis, nõ ita distinguatur realiter à verbo , vt sit omninò distincta qualitas habẽs esse, sed est ipsum esse verbi, atq; ab eo distinguitur eo ferè modo, quo distinguitur in rebus naturalibus esse à forma cuius est esse. Dixi autem *ferè*;quoniam intelligere ad verbum duplicem habet respectum ; vnum tãquam actio ad terminũ per eam productũ; aliũ tanquam esse ad rem per esse existentem in actu. Quare sicut in ordine naturalium non quæritur aliud esse,quo existat ipsum esse existentiæ,sed ipsum est quo res existit ; ita in ordine intelligibilium non est quærendum aliud esse intelligibile , quo ipsa intellectio existat in tali ordine, sed ipsa est esse quo sit intellectus in actu,& consequenter etiam verbum ipsa intellectione productum ; quòd dico propter visionem beatificam , quæ nullum habet verbum productum, quod per eam existat.

Nota differentiam.

Secundò sequitur ex dictis differentia inter intelligi respectu obiecti ad intra quod est verbũ, & idem intelligi respectu obiecti ad extra quod verbo repræsentatur. Nam intelligi nihil ponit in obiecto extrinseco,nisi relationem rationis & extrinsecam denominationem,qua dicitur intellectum ; in intellecto autem ad intra siue verbo, ponit esse reale intelligibile,sc.esse imaginem rei intellectæ,& esse terminum,& obiectum intellectus.

Exemplum.

Quòd quidam explicant exemplo oris corporei;Nam cùm sensibiliter loquimur,duo dicimus, sc.verbum & rẽ verbo significatam;& in re quidẽ significata nihil ponit nostra locutio , nisi respectum rationis & denominationem extrinsecam,qua res nuncupatur dicta vel significata;at in verbo sensibiliter prolato ponitur ipsa locutione siue dictione , totum illud esse reale quod habet: verbum enim sensibile nullum aliud habet esse quàm illud , quod ipsa prolatione suscipit , à quo proindè denominatur intrinsecè dictum Sic itaque intellectio nullum esse reale ponit in re verbo repræsentata , sed ipsi verbo dat totum esse reale formaliter.

Secvndvm Commvne est identitas ipsius intelligere,& intelligi,quod ex Ferr.*in d.c.11.* probatur: In rebus sensibiliter motis eadem res sunt actio &passio:igitur similiter etiam in rebus quę insensibiliter operãtur &metaphysicè mouẽtur, vna & eadem erit operatio , à qua principium operationis denominatur per modum agentis , & terminus operationis denominatur per modum patientis, atq; ita in proposito intelligere erit vna operatio cum intelligi,solo respectu differẽs; nam quatenus significatur cum habitudine ad intellectum vt à quo est , nuncupatur intelligere; quatenus autem connotat habitudinem ad terminum, sc.verbum vt intellectum,appellatur intelligi; & ideò S.D.ex hoc, quod esse intellectus est ipsũm intelligere,& esse verbi est ipsum intelligi , bene deducit quòd idem est esse intellectus diuini & verbi;nam si intelligi est esse verbi & intelligi est ipsum intelligere, de primo ad vltimũ sequitur,quòd esse verbi sit ipsum intelligere; & quia intelligere est esse intellectus , consequens est vt esse verbi sit ipsum esse intellectus.

Duo declarantur ſe-

Primvm autem speciale ac diuinæ naturæ proprium est , vt in Deo omnia vnum sint vbi non obstat relatiua oppositio. Ex quo sequitur, non solùm intelligi quod est esse verbi, idem esse quod est intelligere , sed etiam cum qualibet alia perfectione , & cum diuina natura ac Deo ipso , & cum verbo cuius est esse ; & consequenter verbum idem esse quod Deus & diuina natura: cùm hæc nullam inter se habeant oppositionem relatiuam: ac proinde diuinum verbum à dicente procedere in eadem non solùm specie,sed etiã numero natura;atque ideò eius processionem esse verè ac propriè generationem , & verbum ipsum esse genitum ac Filium. *cialia diuinæ naturæ, vt intellectiua est. 1 speciale.*

Secvndvm Speciale est intelligere diuinum posse dupliciter sumi;*vno modo* vt est personæ Patris , & sic idem est quod dicere & generare , quod est notionale ac proprium Patris, & distinguitur realiter ab intelligi , prout idem est quod dici & generari , & ab ipso verbo expresso & generato propter oppositionem relatiuã:& hoc modo non sumit intelligere S. Th. in probatione vltimæ particulæ cùm ait in Deo idem esse intelligere & esse. *Alio modo* sumitur intelligere absolutè;& sic idem est intelligere & intelligi,quocunque modo sumatur intelligi;quia omne absolutum in diuinis idem est cum quolibet absoluto , & cum quolibet etiam relatiuo; & hoc modo sumit S.D.intelligere in dicta probatione.*In 4.* verò *cont.gent.* vbi ait,intelligere & intelligi idẽ esse, sumit etiam intelligi absolutè, sic enim propriè est esse verbi , & idem cum intelligere conuertibiliter;nam prout idẽ est,quod generari formaliter , relatio est per modum operationis significata, quæ non est idem conuertibiliter cum intelligere : quia hoc commune est, illud autem est verbi proprium. *2 speciale.*

Quomodo autem intelligere sit esse intelligẽtis,siue intellectus in actu, & sit idem non solum realiter,sed etiam formaliter quòd esse Dei, latè explicauimus *sup q.14.a.5.*

Iam Vero ex dictis,de recentiorum expositionibus , non est difficile iudicare. *Et in primis aut Val* rationem consequentiæ esse,quia si intelligere diuinum , propterea quod est in Deo , est ipse Deus , habens proinde naturam & esse diuinum:eodem etiam modo verbum diuinum,cùm etiam ipsum maneat & sit in Deo , est ipse Deus. Omisit enim id, vnde pendet tota efficacitas argumẽti,quod ex proprijs ipsius intelligere & verbi deducitur:nimirum,idẽtitatem ipsius intelligere cũ intelligi;ex quo infertur, quòd intelligi sit idem quod esse & essentia Dei,& quod Deus ipse , & consequenter etiam verbum sit Deus vt supra deduximus. Secundùm autẽ dictum expositorum ratio D. Th.non procedit,nisi ex valdè communibus: Et quemadmodum in antecedente assumpsit intelligere, potuisset quamlibet aliã assumere Dei perfectionem , puta potentiam aut intellectum & voluntatem,sic arguendo:si potentia diuina,propterea quòd est in Deo,est idem quod ipsemet Deus &c. eodem etiam modo verbum diuinum &c. Constat enim eandem esse vim argumenti quauis assumpta diuina perfectione in antecedente. *Ex prædictis communibus,& specialibus rei ipsius expositiones Val Mol. & Zum.*

Et eodem morbo laborat expositio Mol.quãnis propi⁹ videatur ad veritatẽ accedere;ait enim sensum hunc esse probationis D. Th.quia intelligere essentiale & esse atque adeò essentia in Deo sunt idem,sit vt verbum quoad absolutum quod includit , & ratione cuius habet quòd sit imago & similitudo Patris, procedat vt simile in eadem numero natura & essentia cum Patre . Nam quòd verbum includat intelligere absolutè sumptum , hic non probatur , nec probari potest ex proprijs & immediatis,nisi per hoc, quòd intelli- *Mol.expositio reiecta.*

ge-

ligere est idem cum intelligi, quod est esse verbi. A Nec verum est, quòd ratione talis essentialis verbum sit imago, sed ex propria ratione qua ab eo distinguitur.

Zum. expositio reiic. *Quòd autem* ait Zumell. propositionem illam D. Th. *intelligi est esse verbi* exponi posse probabiliter de intelligi, non secundum eam rationem qua dicitur de re intellecta per denominationem extrinsecam, sed eo modo quo dicitur de ipsa ratione, quę est imago, per quam denominatur res intellecta: adeò, vt ipsa imago siue verbũ sit ipsum intelligi, & è contra: & secundum hoc rationem D. Th. sic procedere: Idem est quo res aliqua dicitur intelligens, & quo res cognitæ dicuntur intellectæ; Ergò sicut Deus per suum esse est intelligens, ita illud idẽ esse est ipsum intelligi, à quo res ab eo cognita denominatur intellecta; Ergò & verbum diuinum habet illud esse idem, quod est intelligi: *Hoc inquam nulla ratione* potest subsistere; Nam communiter loquendo de verbo & intelligi, vt modo loquimur cum D. Tho. in illa propositione falsum est in doctrina D. Th. verbũ idẽ esse quod intelligi. Et prętera quæ sup. diximus de ratione verbi, ac præsertim verbum esse obiectum interius, ac per se primò intellectũ & terminum intellectione productum: manifestè conuincunt verbum nostrum ab intelligi realiter esse distinctum. Nec sequitur formaliter loquendo, ex hoc quod idem est, quo res aliqua dicitur intelligens, B & quo res cognitæ dicuntur C intellectæ: quòd sicut Deus per suum esse est intelligens; ita per illud idem esse sit ipsum intelligi, sumendo intelligi propriè pro operatione passiuè; quia id quo tanquam medio res aliqua dicitur intelligens, & quo etiam res dicitur cognita, est similitudo & verbum ipsum; nec tamen sequitur; ergò id quo res dicitur intelligens vel intellecta tanquã medio est ipsum intelligi; nam intelligi non est id, quo res dicitur intelligi tanquam medio, sed tanquam operatione passiuè sumpta: nisi apud eos qui verbum ab actu intelligendi non distinguũt. Prætera falsum est, quòd esse diuinum sit illud, quo Deus intelligit, formaliter loquendo. Denique falsum est, verbum D esse id, quo Pater intelligit: sic enim Pater esset Sapiens Sapientia genita.

Alia vero interpretatio eiusdem Expositoris est; quòd intelligere est esse verbi; quia vel per actum intelligendi verbum existit (vt ait Cai. & Ferrarien.) aut quia ad ipsum intelligere consequitur esse, quo verbum existit: vel coincidit cũ expositione Cai. si de existere simpliciter loquatur, & non tantum de esse in tali odine; vel secundùm membrum non est verum; nam, vt diximus, esse in tali ordine est idem quod esse simpliciter in hac materia scilicet verbi. Ad rationes autem dubitandi in principio positas patet responsio ex dictis. Nec impossibile est plura distincta realiter eodem esse gaudere; vt patet de E materia prima & composito, quorum est vnum esse.

Conclusiones deductæ, & probatæ. PRIMA CONCL. *Intelligi vt intellectum interius, id est, vt per se primò intellectum in quo res intellecta manifestatur intellectui, est esse verbi, tam simpliciter quàm in genere intelligibilium.* Hæc patet ex dictis.

„ SECVNDA CONCLVS. *Intellectio est esse intel-*
„ *lectus, speciei & verbi, sed diuerso modo.* Hæc probata
fuit ex doctrina Cai. Videnda sunt etiam ea quæ
diximus *sup. q. 14. a. 4. & q. 12. a. 2.*

„ TERTIA CONCL. *Intelligere & intelligi sunt*
„ *eadem operatio realiter diuerso modo concepta & si-*
„ *gnificata.*

QVARTA CONCLVSIO. *Ex identitate ipsius* „
intelligere & intelligi, tanquam ex proprio & imme- „
diato principio, probatur in Deo verbi processionem esse „
generationem: adiuncta ad argumenti complementũ, „
cæterarum omnium perfectionum identitate, tam in- „
ter se, quàm cum personalibus & notionalibus. Hæc „
patet ex dictis.

CONTRA *secundam concl.* arg. Sylu. Quia si in- *Argum. & solutiones Sylu. obi. cõt. 2. concl.* tellectio est esse intellectus, speciei & verbi, sequitur quòd aliquãdo esset esse verbi vel speciei sine verbo & sine specie; At consequ. est absurdũ, ergò & antecedens. Probatur sequela; quia intellectus est aliquando sine specie, & species sine verbo, & tamen non sunt sine suo esse; quia nulla res est sine suo esse: ergò erit aliquando esse speciei sine specie, & esse verbi sine verbo. Falsitas autem consequentis probatur; quia tunc esset perfectio sine perfectibili in his, quæ non faciunt vnum per se vt actus primus & secundus; quod est ridiculum. *Resp.* nullam esse conseq. *Sol.* Nam cùm esse intellectus & speciei ac verbi in genere intelligibili sit intelligere, quod non est sine verbo: nunquam erit esse verbi sine verbo. Ad probat. autem dico nullam rem esse sine suo esse simpliciter, quo est extra nihil: potest tamen esse sine tali esse, quod non est eius esse simpliciter; sicut in proposito, intellectus habet esse existẽtiæ, antequam recipiat speciem; & species habet esse existentiæ cessante intellectione: tamen non habent esse actuale sed potẽtiale tantum, in genere intelligibilium sine intellectione per quam fit intellectus in actu.

Contra eandem concl. arg. Zum. *Primò*: Si verbũ *Zum. contr. eand. obi. 1.* & actus intelligendi sunt duæ qualitates realiter distinctæ; ergò vnaquæq; habet suum esse existẽtiæ sibi proportionatũ & identificatũ; ergò neutra est esse existentiæ alterius. *Resp.* nullã esse con- *Solut.* seq. Nam licet intelligere sit qualitas; cùm hoc tamen habet vt sit vltima actualitas, & consequẽter sit formaliter esse verbi, tã in genere cognoscibilium siue intelligibilium, quàm in genere rerũ.

Secundò: Licet vna res sit ab alia vt terminus ab *obi. 2.* actione, non ideò vna res est esse alterius: sicut illuminatio formaliter non est esse luminis. *Resp. Solut.* argument. peccare secundùm fallaciam, quæ est secundùm non causam vt causam. Nam causa ob quam intelligere est esse verbi in genere intelligibilium, non est quia verbũ producatur per intelligere, sed quia intelligere est vltima actualitas in tali genere, & consequenter hoc ipso est esse eorum, quæ sunt in tali genere vt sic.

Tertiò: Dato quòd verbum sit imago, in qua *Obi. 3.* res ad extra cognoscitur tanquã in obiecto proximo; tamen in illa imagine potest distingui esse proprium & intrinsecum ab esse cognito. nã illud esse repræsentatiuũ obiecti ad extra, & illud esse imaginis adhuc haberet, quãuis nõ intelligeretur actu, posset namq; Deus cõseruare illam imaginẽ nullo intelligẽte aliquid in illa. ergò intelligi etiã respectu illi⁹ imaginis, esset denominatio extrinseca, & non aliquid illi inhærens. *Resp.* falsum esse *Sol.* anteced. Ad probat. nego consq. quia in eo casu tolleretur ratio verbi, de cuius ratione est vt sit terminus intrinsecus intellectionis.

Quartò: Beati non formãt verbum, & Deus est *obiectio 4.* intra intellectum beatorum vt intellectus ab ipsis & concurrit ad perfectionem intellectus in actu; & tamen intelligi non est esse Dei secundùm intrinsecam denominationẽ; ergò &c. *Resp.* nullã *Sol.* esse conseq. Nam Deus non concurrit in visione beata ad perfectionẽ intellectus in actu vt pars; cùm nõ sit eiusdem ordinis cũ intellectu creato; sed concurrit vt primum principium & fons intel-

tellectus in actu; Nam omnis actualitas in genere intelligibilium deriuatur à prima actualitate per essentiã intelligibili, quæ est diuina essentia, quæ speciali & ineffabili modo concurrit cum intellectu beati ad actum visionis, supplens vices speciei & verbi seclusis imperfectionibus; quarum vna est, quòd species & verbum actuentur per intelligere creatum realiter ab eis distinctum.

Chi, cont. 4. concl. CONTRA *quartam* concl. est hoc arg. Manus hominis & pes habent idem esse, cùm per eãdem numero formam sint; & similiter materia & forma & tamen manus non est pes, sed sunt duæ substantiæ: nec materia est forma; ergò non sufficiẽter concluditur *in d.c.11.* intellectum & verbum idem esse in Deo, ex hoc quod habent idem esse. Cai. *Resp.* primò cum Ferrar. rationem D. Th. non esse accipiendam vt vniuersalem in omni natura, sed in simplicibus tantùm, qualis est intellectus diuinus & id quod in ipso est. Secundò dico rationem D. Th. non procedere ex sola identitate esse ipsius intellectus & verbi, sed etiam ex identitate cæterarum perfectionum &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione verbi.

162 1. dist. 18. q. 1. a. 2. & 4. cont. c. 23 fi. & pot. q. 10. a. 2. AD *tertium sic proceditur. Videtur, quòd non sit in diuinis alia processio à generatione verbi. Eadem enim ratione erit aliqua alia processio ab illa alia processione: & sic procederetur in infinitum, quòd est inconueniens. Standum est igitur in prima, vt sit vna tantùm processio in diuinis.*

163 c *2 Præterea. In omni natura inuenitur tantùm vnus modus communicationis illius naturæ.* c *Et hoc ideo est, quia operationes secùndum terminos habent vnitatem, & diuersitatem. Sed processio in diuinis non est nisi secundum communicationem diuinæ naturæ. Cùm igitur sit vna tantum natura diuina (vt supra* ostensum* q. 11. a. 3. *est) relinquitur, quòd vna sit tantùm processio in diuinis.*

3 Præterea. Si sit in diuinis alia processio ab intelligibili processione verbi, non erit nisi processio amoris, quæ est secundum voluntatis operationem. Sed talis processio non potest esse alia à processione intellectus intelligibili: quia voluntas in Deo non est aliud ab intellectu, vt supra ostensum est. Ergo in Deo non est alia processio* q. 19. a. 1. *præter processionem verbi.*

Sed contra est, quòd Spiritus S. procedit à Patre, vt dicitur Io. 15. Ipse autem est alius à Filio, secũdum illud Ioann. 14. Rogabo patrem meum: & alium paraclitum dabit vobis. Ergo in diuinis est alia processio præter processionem verbi.

Respondeo. Dicendum, quòd in diuinis sunt duæ processiones, scilicet processio verbi, & quædam alia.

Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd in diuinis non est processio nisi secundùm actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Huiusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus, & actio voluntatis. Processio autem verbi attenditur secundùm actionem intelligibilem. Secũdum autem operationem voluntatis inuenitur in nobis quædam alia processio. s. processio amoris, secundùm quã amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi, res dicta, vel intellecta, est in intelligẽte. Vnde & præter processionem verbi, ponitur alia processio in diuinis, quæ est processio amoris.

Ad Primum ergo dicendum, quòd non est necessarium procedere in diuinis processionibus in infinitum. Processio enim, quæ est ad intra in intellectuali natura, terminatur in processione voluntatis.

Ad Secundum dicendũ, quòd quicquid est in Deo, est q. 4. a. 3. & 4. *Deus, vt supra ostensũ est.* Quod non contingit in alijs rebus. Et ideò per quamlibet processionem, quæ non est ad extra, communicatur diuina natura, non autem alia natura.*

Ad tertium dicendum, quòd licèt in Deo non sit aliud voluntas & intellectus, tamen de ratione voluntatis, & intellectus est, quòd processiones, quæ sunt secundũ actionem vtriusq; se habeant secundum quendam ordinem. Non enim est processio amoris nisi in ordine ad processionem verbi. Nihil enim potest voluntate amari, nisi sit intellectu conceptum. Sicut igitur attenditur quidam ordo verbi ad principium à quo procedit, licet in diuinis sit eadem substantia intellectus, & conceptio intellectus, ita licet in Deo sit idem voluntas, & intellectus, tamen quia de ratione amoris est, quòd non procedat nisi à conceptione intellectus, habet ordinis distinctionem processio amoris à processione verbi in diuinis.

Ratio ordinis, & Sensus quæsiti.

RATIO amoris prout conuenit intellectuali naturæ, postulat, vt ab intellectus cõceptione procedat, vt dicitur hic *in resp. ad 3.* Igitur tradita processionis diuini verbi notitia, sequitur immediatè processionis diuini amoris articulus. De qua processione *primò quærit* an sit & quid sit, quę duo simul in hoc explicãtur articulo; in quo non solũ probatur esse processionẽ amoris in diuinis, sed affertur etiã propria ratio distinctionis realis à processione verbi. Quam distinctionis rationẽ ex propria processionis, quæ secũdùm voluntatẽ est, natura desumit A. D. *in d. resp. ad 3.* Tres sunt in quęsito particulę, ex quarũ explicatione depẽdet ei⁹ intelligẽtia. Prima est dictio illa *alia*, quę significat verã alietatẽ; & quia coniũgitur cũ verbo *sit*, quod realitatem importat; denotat alietatẽ realem; non enim, vt hic aduertit Cai. vera esset alietas processionum, si non esset realis. Secũda est dictio *in*, quæ propriè sumitur, prout denotat modum essendi in aliquo formaliter. Tertia est vox illa *diuinis*, quæ strictissimè sumitur pro ijs quæ verè sunt Deus: Nam quicquid formaliter est in Deo, est ipse Deus; ac proinde quærere vtrũ in diuinis præter generationem verbi sit alia processio, est quærere vtrum quemadmodum per eã processionẽ quę est verbi generatio procedit Filius, qui est verus Deus: ita per aliquam aliam emanationem procedat alia persona, quæ sit verè Deus. Quæ fuit quæstio tractata & definita in Cõcilio 1. Constantinopolitano contra Macedonium, qui negabat Spiritum S. esse verum Deum.

Forma Textus.

CONCL. est: *In diuinis, præter processionem verbi, est alia processio, quæ est processio amoris.* Probatur: In natura Intellectuali apud nos, præter processionem verbi secundùm actionem intelligibilem, est alia processio, sc. amoris secundum operationem voluntatis; Ergò in diuinis præter processionem verbi, est alia processio &c. Antec. probatur ex proportionali similitudine inter dictas duas processiones; quia sicut per conceptionẽ verbi intellectum est in intelligente, ita per processionem amoris amatum est in amante. Conseq. probatur: quia in diuinis non est processio, nisi secundùm actionem immanentẽ naturæ intellectualis, quæ actio immanẽs in natura intellectuali est duplex sc. intellectus & voluntatis actio.

Expositio Textus.

DOCTRINAE huius explicatio pendet ex multis pro subsequẽtis immediatè controuersię resolutione notandis; ex quibus perspicuę fient rationes terminorũ, & vis discursus S. Th. & alia quædam *ad seq. a.* & *q. 37.* cognitionem necessaria.

PRI-

Prima Controversia.

An per actum voluntatis producatur aliquid, quod sit terminus eiusdem actus intrinsecus?

Sensum quæstionis, & opiniones Doctorum.

Quaestio hæc est de voluntatis actu absolutè, abstrahendo ab humano, Angelico & diuino: quamuis recentiores ad solum nostræ voluntatis actum controuersiam arctare videantur, ob eam causam; quòd ea quæ ad humanam pertinent voluntatem, euidentiora nobis sint, & ex ijs quæ de diuinæ voluntatis actu fide credita sunt, esse rationi consona, & euidenter credibilia videamus. Sed quamuis de hoc, vt præcipuo discursus principio, sit disputatio; rationes tamen quas hic & alibi producit S. Th. ad processionem amoris in voluntate probandam ex natura voluntatis & actus eius absolutè procedunt. Sit igitur æquè lata & absoluta propositæ quæstionis materia; nec de sola termini productione quærimus, verum etiam de propria illius causa & de modo & qualitate termini.

Scotvs *in 1. dist. 6. & 7.* negat per actum voluntatis aliquid produci, quod sit terminus volitionis; sed affirmat actum ipsum volitionis, quem ait esse non actionem sed qualitatem, produci per actionem propriè dictam, quæ est elicere volitionem, esseque volitionem terminum actionis productæ. Eandem sententiam sequitur Sylu. *super hoc a.*

Mol. duo dicit. *Primum:* Cai. & alij qui ea ratione verbum constituendum esse censent, vt in eo tanquam in obiecto cognito principale obiectum agnosceretur, vix assignant rationem ob quam eiusmodi terminus constitui debeat. *Secundum:* Ratio cur admitti debeat prædictus terminus ea est, quia implicat contradictionem esse actionem, quin producat aliquem terminum. Cum itaque volitio sit actio & non qualitas, necesse est per eam terminum produci, qui sit de prædicamento qualitatis, cum nullus alius fingi possit.

Sed D. Th. & eius Schola longe aliter de processione amoris, quæ est per actum voluntatis, philosophantur vt ex sequentibus apparebit.

Resolutio. Quæ sit conuenientia, & differentia processionis verbi, & amoris præsertim quo ad nominū proprietates.

Cvm In diuinis sint duæ processiones: vna per modum intellectus quæ est processio verbi; alia per modum voluntatis quæ est processio amoris; quoniam vt ait S. Thom. *infra q 37. a. 1.* prior est magis nota nobis, ideo ad singula significanda quæ in ea considerari possunt, propria fuerunt inuenta vocabula. Nam diuini verbi processio dicitur generatio, conceptio & dicere; id verò quod procedit, nuncupatur genitum, Filius cóceptus & verbum. At amoris processio & ea quæ naturaliter attinent ad eius complementum, quia nobis occultiora sunt, non ita proprijs fuere nominibus designata. Nam processio amoris appellatur amor, spiratio & processio; Id verò quod procedit, proprio nó gaudet nomine, sed nuncupatur amor, dilectio, donum & Spiritus Sanctus: quæ nomina secundū se communia sunt tribus in vna deitate personis: sed notionaliter sumpta propria sunt personæ procedenti per actum voluntatis. *In hoc tamen conuenit* processio, quæ est secundum voluntatem cum ea quæ est secúdum intellectum, quod sicut ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam actualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, pro-

Conuenientia.

A uenit, inquit S. Thom. quædam impressio rei amatæ in amantis affectu, secundum quam amatum dicitur esse in amante: quemadmodum intellectum est in intelligente. Cum igitur seipsum aliquis intelligit & amat, est in seipso non solùm per identitatem rei, sed etiam vt intellectum in intelligente & vt amatum in amante.

Sed Ad maiorum dictorum explicationem *sciendum est secundò* tria esse in vtraque processione: Primum est actio ipsa puta intellectio vel volitio, quæ significatur cum habitudine ad rē intellectam vel amatam. Secundum est habitudo principij ad id quod procedit. Tertium est habitudo procedentis ad principium à quo procedit. Exempli gratia, in processione quæ est B secundum intellectum, primò est ipsum intelligere, quod significat actionem intelligentis cum respectu ad rem intellectam; & quoniam hæc actio cum dicto respectu communis est tribus personis & Deo conuenit vt Deus est; idcircò intelligere essentialiter tantum dicitur. Secundò in eadem processione est respectus principij ad id quod ex principio procedit: hunc autem respectum importat dicere; nam dicere est verbum proferre, quo res verbo repręsentata dicitur: consequens ergò est vt dicere primò significet habitudinem ad verbum procedens, secúdariò autem ad rē verbo dictam: cū, præsertim dicere formaliter includat intelligere, vt ante diximus. Quo fit vt in diuinis dicere sit notionale propriè loquendo, ob dictam habitudinem C vni tantum personæ scilicet Patri dicenti propriam primò significatam. Tertiò in dicta processione quæ est secundum intellectum, est habitudo procedentis ad suum principium, hæc verò importatur nomine verbi: & ideò verbum in diuinis dicitur personaliter.

Tria in processione verbi, & eorū nomina.

Cum itaque tria prædicta sint etiam in processione, quæ est secundum voluntatem: propria tamen, ob assignatam superius causam, non habent vocabula; vnde nomina quæ significant habitudinem amantis ad rem amatam, vt dilectio & amor, quæ tribus communia sunt personis, adaptantur ad significandas etiam duas alias D habitudines, nimirum eam quæ est principij ad id quod ex principio procedit: & ipsius affectionis procedentis ad principium ipsum. Itaque nomine amoris vel dilectionis quandoque significamus actum amantis cum sola habitudine ad rem amatam; & hoc modo sumitur essentialiter amor siuè dilectio; quandoque denotamus habitudinem amantis ad affectionem procedentem per actum amoris: & sic accipitur notionaliter & significat proprietatem notionalem cōmunem Patri & Filio, quæ est spiratio actiua; quandoque tandem significamus habitudinem affectionis ad suum principium: & hoc modo significat ipsum Spiritum sanctum vel eius passiuam originem: in hoc enim sensu nomen amo- E ris importat amorem procedentem: quemadmodum si verbum diceremus intelligentiam conceptam vel sapientiam genitam. Et similiter etiam diligere dupliciter sumitur scilicet essentialiter vt significat actum cum habitudine diligentis ad rem dilectam; & notionaliter vt significat habitudinem diligentis ad affectionem siuè impressionem siuè terminum per dilectionem productum.

Tria in processione amoris, & eorum nomina.

Tertio *obseruādum* est ex D. Th. *1. 2. q. 28. a. 1.* vnionem tripliciter ad amorem pertinere, siuè vt ait S. D. ad amorem se habere: Nam quædam vnio præcedit amorem & causa illius est: & hæc in amore quo quis seipsum amat vnio sub-

Amoris tres vnionis modi comparantur vnioni

intellectio-nis & explicatur quomodo à maiùs fit in amante & è conuersò.

stantialis est; in amore verò quo quis amat alia, A causa illius est vnio similitudinis in natura vel qualitate. Quædam autem vnio est essentialiter amor ipse, & hæc est vnio secundum coaptationem affectus siuè complacentiam: quæ quidem vnio assimilatur vnioni substantiali; Nam amãs in amore amicitiæ se habet ad amatum vt ad seipsum; in amore autem concupiscentiæ vt ad aliquid sui. Demum est quædam vnio amore posterior & eius effectus; & hæc est vnio realis eo modo quo amori conuenit, vt scilicet amici colloquantur, sit inter eos familiaris conuictus & consuetudo. Si itaque comparentur amor & intellectio quo ad omnes vnitates vtrique seorsum B congruentes: maior apparebit amoris quàm intellectionis vnio: nam realem vnitatem efficit amor, intellectio verò solùm vnit secundum esse intelligibile. Quòd si fiat comparatio secundum eam solam vnionem, quam vterq; scilicet amor & intellectio formaliter efficit: sic longè maior est intellectionis vnio quàm amoris: quoniam,

Auerroes. vt ait Auerroes *in 3. de Anima*; magis fit vnum ex intellectu & intelligibili, quàm ex materia & forma; nam intellectus in actu est intellectum in actu, amans autem non est amatum in actu, ac proinde intellectio facit formaliter intellectum esse rem intellectam in actu; amor verò non facit formaliter amantem esse rem amatam, sed esse vt amatum, & è contra scilicet amatum vt amantem in amore amicitiæ; in amore verò concupiscentiæ facit amantem se habere ad amatum vt ad aliquid sui nimirum amantis: maius autẽ est esse aliquid, quam se habere ad illud vt ad seipsum, vel vt ad aliquid sui; Igitur maior est formalis vnio cognitionis quam amoris.

QVARTO *notandum est* tribus modis (quod attinet ad rem præsentem) dici aliquid esse in alio, vno modo per identitatem essentiæ: sicut in diuinis Filius est in Patre, & è conuerso. Secundò per similitudinem: sicut cognitum est in cognoscente. Tertiò per impulsum siuè inclinationem aut complacẽtiam per quam est impressum amatum in amantis affectu, vt vel delectetur in eo, aut in bonis eius eo præsente, vel si D fuerit absens, per desiderium tendat in ipsum amatum per amorem amicitiæ, vel in bona, quæ vult amato per amorem concupiscentiæ. E conuersò autem dicitur amans esse in amato; Per amorem quidem concupiscentiæ: quatenus non requiescit in quacunque extrinseca aut superficiali adeptione vel fruitione amati; sed quærit aliquo modo amatum perfectè habere, quasi ad intima illius perueniens. Per amorem autem amicitiæ dicitur amans esse in amato: quatenus æstimat bona vel mala amici sicut sua, & voluntatem amici tanquam suam; adeò vt in amico suo videatur ipse bona vel mala pati, quasi idem factus amico; sicut è contra dicitur amatum esse in amante, inquãtũ amãs vult & agit propter amicũ E sicut propter seipsum: quasi reputans amicũ idẽ sibi, vt ait S. Th. *1. 2. q. 28. a. 2.* quo loco vide, si placet, materiam hanc latius explicatam, & interpretatione Caietani perspicuam. Et quoniam amatum, vt diximus, est in amante per inclinationem siuè complacentiam, quæ etiam nuncupatur impulsus; idcircò vt ait S. D. *in 4. contra gent cap. 19.* amatum est in amantis voluntate vt inclinans & quodammodo impellens intrinsecus amantẽ in ipsam rem amatã. Quapropter, vt hic aduertit Cai. fieri vt amatũ in voluntate non est fieri vt tractũ, sed vt trahens ipsam voluntatem; & amari non est trahi sed trahere amantẽ; quòd non aduertit Aure. apud Capr. *in 1. distinct. 10.*

Actũ intellectus & voluntatis habere triplicẽ conuenientiã, & quinque differentias.

POSTREMO *obseruandum est* multiplex conuenientia & differentia, inter actum intellectus & voluntatis. *Conueniunt enim primò*; quòd sicut per actum intellectus producitur aliquid reale quod est terminus illius intrinsecus: ita per actũ voluntatis emanat quidam intrinsecus illius terminus, vt docet hic S. Thom. & infra *q. 37. a. 1.* & omnes Thomistæ communiter; Et manifestatur exemplo motus localis impulsiui, quo mouens imprimit mobili vim quandam & impetum, quo mobile propendet in terminum: vt patet in sagitta vi proijcientis emissa. *Secundò* sicut verbum non est habitualis sed actualis similitudo expressa: ita terminus per volitionem productus non est habitualis inclinatio, sed est terminus complens actualem inclinationem, & ad eam pertinens: sicut verbum pertinet ad actualem intellectionem vt eius complementum. *Tertiò* sicut id, quod per actum intellectionis producitur, non durat nisi dum intellectio perseuerat; ita id quod per actum volitionis emanat, non durat nisi manente volitione: Quæ cõuenientia sequitur ex præcedente; Nam quod actualis tantum est operationis intrinsecus terminus & eius complementum: impossibile est ea non existente manere, cum ex ea & in ea tantum existat.

Differunt autem actus intellectus & voluntatis: *Primò*, quòd terminus intrinsecus intellectionis est eius obiectum per se primò: sed volitionis intrinsecus terminus non est eius obiectum. Probatur ex differentia inter obiectum & modũ operandi intellectus & voluntatis; Nam vt ait Philosophus *in 6. metaph. tex. 8.* obiectum intellectus quod est verum est in intellectu; Bonum autem quod est obiectum voluntatis in rebus existit. Et S. D. *in art. seq. & alibi sæpè* statuit differentiam inter intellectum & volutatem: quòd intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu per suam similitudinem; voluntas autem fit in actu non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in volũtate sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam; igitur obiectum per se primò intellectus est in intellectu: obiectum autem per se primò voluntatis non erit in voluntate sed in rebus, vt magis patebit *in seq. a.* Secundò differũt, quod terminus intrinsecus intellectionis est formalis similitudo rei intellectæ: sed terminus intrinsecus volitionis non est similitudo rei volitæ. Hæc differentia sequitur ex præcedenti: & probatur à D. Th. *in a. seq.* vbi etiam ab interpretibus explicatur vberrimè. *Tertiò differunt*, eo quod res siuè qualitas illa quę terminus est in intellectu, modum habet ac nomen termini: verbum enim est quod dicitur, & conceptio est id quod in vtero concipientis formatur. Cum itaque verbum & conceptio, rem ab intellectu specie intelligibili perfecto procedentem & in ipso manentem significent, terminum designant intrinsecum actus intelligendi eiusdem completiuum; ob eam præcipuè causam quod prædictis nominibus importatur rei cognitæ similitudo per modum obiecti, vt in præcedentibus satis ostendimus. Res verò siuè qualitas terminans actum voluntatis, quamuis secundum rem sit terminus, nec modum tamen nec nomen habet termini; est enim & significatur vt inclinatio in aliud tendens; conditio verò est non termini sed viæ in aliud tendere, vt hic scitè notat Cai. Quamobrem S. Thom. *de veritate quæst. 4. a. 2. ad 7.* dixit in voluntate nihil procedere nisi per modũ operationis, secus autẽ esse in intellectu.

ctu. Quod dictum Capr. *in 1. dist. 18. q. 1.* Sylu. *in conflato*, & Ferr. *in 4. contra gent. c. 19. in vltima dubitatione* censent intelligendum esse, vt excludat tantum à voluntate procedens siuè productum, quod sit similitudo rei volitæ, & quod sit obiectum voluntatis ad modum voliti; non autem omne operatum aut productum; quam expositionem sequitur Iauellus, Torres & alij recentiores. Vnde non est audiendus Zum. affirmans D. Tho. mutasse sententiam *Quartò differunt*, quoniam in intellectionis actu obiectum intellectus media similitudine expressa, siuè verbo per actum intelligendi producto in intellectu, trahitur ad ipsum intellectum; At obiectum voluntatis non trahitur ad voluntatem per impulsum illum productum, sed potius trahit & rapit ad se voluntatem; nam licet amatum fiat in amante per impulsum illum, non sit tamen in ipso vt tractum, sed vt trahens, vt ante diximus cum D. Thom. & Cai. *Postremò differunt* actus intellectionis & volitionis in modo vnionis vtrique conuenienti vt ex prædictis elucet.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Per actum voluntatis producitur aliquid reale, quod est terminus intrinsecus actus voluntatis; & appellatur inclinatio, impulsus, amor & affectio.* Probatur: quia volitioni non minus debetur perfectio & complementum, quàm intellectioni: Sed hæc completur intrinseco termino quod est verbum; Ergò etiam illa completur impulsu producto vt intrinseco termino. Ex quo patet vanam esse censuram Mol. prædictam. Causa verò ab eo assignata nulla est; ait enim rationem cur admittatur terminus productus in voluntate, eam esse: quia implicat contradictionem esse actionem, quin producat aliquem terminum; superius enim ostendimus falsitatem assumpti; nam nec actiones immanentes propriè actiones sunt, nec omnes sunt productiuæ, vt aptè probauimus de actu sensus externi.

Molina censura vana.

„ SECVNDA CONCL. *Hic terminus pertinet ad*
„ *complementum actus secundi, nec durat nisi eodem*
„ *actu, siuè operatione manente.*

„ TERTIA CONCL. *Etsi per antedictum termi-*
„ *num fiat vnio rei amatæ in amante, adeò vt non solùm*
„ *amans sit in amato, sed amatum etiam sit in amante;*
„ *nõ tamen hic terminus est obiectum voluntatis intrin-*
„ *secum, nec similitudo rei amatæ.* Hæc patet ex dictis, & videtur esse contra Ferrariensem *in dicto cap. 19.* vbi ait per affectionem siuè complacentiam quæ est amor, amans esse quodammodo rem amatam, sicut vna res quæ est alteri proportionata, & est principium motiuum in illam, est quodammodo ipsa. Sed longè aliud est rem aliquam esse in aliquo, & illud in quo res est, esse rem illam quæ in eo est, præsertim si res in alio existens nõ sit ab eo dependens vt effectus à causa: & valde differunt vnum esse aliud, & vnum se habere ad aliud, vt ad seipsum, vel vt ad aliquid sui, vt supra notauimus cum Cai. Sed quia Ferr. dictione illa *quodammodo*, sententiam suam ita moderatur, vt improprium etiam sensum admittat; non multum videtur à scopo deuiasse.

„ QVARTA CONCL. *Quamuis quod actu volun-*
„ *tatis producitur, sit vere terminus: nec modum tamẽ,*
„ *nec nomen habet termini, sed viæ.*

Argum. & solutiones.

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ proponunt & soluunt Caiet. Ban. Zumel. & alij.

Obi. cont. 3. concl.

CONTRA *tertiam* concl. sunt argum Aur. apud Capr. quorum vim proponit hoc loco Cai. & soluit, quem alij sequuntur interpretes. Contra eandem concl. est argum. tale. Pater & Filius per actum voluntatis producunt Spiritum S. qui est terminus volitionis & obiectum amatum ab eis; Ergò nos per actum voluntatis producimus aliquid, quod sit eius obiectum atque amatum ab ea. *Resp. Torres*, & negat consequentiam; quoniã (inquit) maximum est discrimen inter voluntatem humanam & diuinam; quia obiectum voluntatis diuinæ est intra ipsum Deum, & ob id per actum ipsius producitur aliquid, quod est ab ea amatum scilicet Spiritus S. At obiectum humanæ voluntatis est extra. Sed hæc responsio falsum admittit, quod assumitur in argumento, videlicet Spiritum S. qua ratione terminus est actione voluntatis productus, esse eiusdem voluntatis obiectum; Nam obiectum diuinæ voluntatis per se primò & adæquatum est ipsa diuina bonitas, quæ tribus personis est communis: nec ab earum vlla procedit: nec terminus est productus per actum amandi, sed communicatus tantum; amor verò productus qui terminus est diuinæ volitionis, prout est Patris & Filij, non est formaliter obiectum diuinæ voluntatis; amor enim productus persona est Spiritus Sancti realiter ab alijs distincta, & vt productus ac terminus volitionis formaliter, non est diuina bonitas; alioquin diuina bonitas formaliter esset producta, quod est hæreticum. *Neganda est* itaque prædicta pars accidentis, & dicendum amorem productum siuè Spiritum S. esse diuinæ voluntatis obiectum, ea ratione tantum qua secundum rem idem est cum ipsa diuina bonitate, non autem quia procedat per modum obiecti siuè vt obiectum formaliter.

Responsio Torrensis.

Turriani responsio reijcitur.

vera solutio.

TERTIVM *argum.* S. Th. est. Si in diuinis sit alia processio ab intelligibili processione verbi, non erit nisi processio amoris, quæ est secundum voluntatis operationem: At talis processio non potest esse alia à processione intelligibili intellectus; Ergò in Deo non est alia processio præter processionem verbi. Probatur minor: voluntas in Deo non est aliud ab intellectu; Ergò processio quę est secundum operationem voluntatis, non est alia à processione intelligibili intellectus. *Respondet* S. D. & negat minorem: At probationem negat consequentiam & affert rationem negationis duplicem. Prima est: quoniam licet in Deo non sit aliud voluntas & intellectus; tamen de ratione voluntatis & intellectus est, vt processiones quæ sunt secundum actionem vtriusque, se habeant secundum quendam ordinem; quoniam non est processio amoris, nisi in ordine ad processionem verbi; nam nihil potest voluntate amari, nisi intellectu conceptum. Secunda ratio est à simili: Nam sicut attenditur quidam ordo verbi ad principium à quo procedit, licet in diuinis sit eadem substantia intellectus & conceptio intellectus; ita licet in Deo sit idem voluntas & intellectus, tamen quia de ratione amoris est, quod non procedat nisi à conceptione intellectus, habet ordinis distinctionem processio amoris à processione verbi in diuinis.

Proponitur in forma tertiũ argumenti S. Thomæ & eius responsio, ac explicatio.

Cuius argumentationis intentio eo tendebat, vt ostenderet non esse maiorem distinctionem inter processiones intellectus & voluntatis, quàm sit inter intellectum & voluntatem; ac proinde quemadmodũ inter intellectum & voluntatẽ nõ

est

est realis distinctio, quæ propria ac vera est alie- A tas: ita nec inter processiones vera est alietas siuè realis distinctio. Scopus autem respõsionis est ostendere longè maiorem esse distinctionem inter processiones, ea distinctione quę est inter intellectum & voluntatem, quæ virtualis tantum est, adeò vt actualiter & simpliciter sint vna res intellectus & voluntas. Cuius differentiæ causam affert; quia inter processiones est ordo originis, quo vna est ab alia: quem ordinem non habent formaliter intellectus & voluntas. Dixi *formaliter* quia sicut in Deo causatur virtualiter æternitas ex immutabilitate: ita voluntas ex intellectu, vt patet ex ijs, quæ supra diximus *q. 10. a. 2. & q. 19. a. 1.* Sed quamuis non sit realis distinctio, nec ordo originis inter intellectum & voluntatem; ex rationibus tamen intellectus & voluntatis oritur veluti ex prima radice realis ordo originis, quem habent processiones adinuicem: oportet enim processionem illam quæ est per voluntatem, oriri ex ea quæ est per intellectum; quia ex intellectuali boni cognitione nascitur eius amor in voluntate: nec amari possibile est à voluntate, quod prius non apprehendit intellectus vt bonum. Cum enim voluntatis obiectum sit bonum apprehensum ac iudicatum vt bonum: necesse est obiectum voluntatis prius quodammodo perfici per actum intellectus, quã in illud actu feratur voluntas. Rationes igitur intellectus & voluntatis, quæ sumuntur ex or- C dine ad obiecta, sunt primæ radices realis ordinis, quem habent eorum processiones: & eadem ratione personæ procedentes; quamquam intellectus & voluntas secundum se sint vna res & vna ratio simplicissima. Quod maximè consonat ijs, quæ perspicuè cernimus in multis efficientibus causis ad suos effectus comparatis. Nam ex vna prima causa quæ Deus est, tota quæ in vniuerso est processit entium multitudo; & ex vna animæ rationalis essentia plurium numerus effluit potentiarum: & ex vnica solis virtute tot in elementis ac mixtis generantur effectus. Cum igitur rationes intellectus & voluntatis principia sint vt quo vel quibus dictarum processionũ; poterit in processionibus veluti in principiatis esse distinctio, cum summa principiorum in- D tellectus scilicet ac voluntatis vnitate.

Ordo originis vnde sit.

Vbi aduerte cum Caiet. *in fine com.* aliud esse dicere ordinem originis siuè distinctionem processionum pendere ex rationibus intellectus & voluntatis; & aliud eundem ordinem siuè distinctionem pendere ex distinctione intellectus & voluntatis. Primum enim verissimum est: nam ratio intellectus & voluntatis significant rem realem, quæ potest esse radix dicti ordinis & distinctionis, vt ostendimus. Secundum autem significat ens rationis, ex quo non pendet ordo realis, qualis est inter processiones diuinarum personarum & inter ipsas personas procedentes.

Lapsus Molinæ, Turriani & Zumelii.

Et ex his patet defectus Mol. & Barth Torres, E quem ex parte sequitur Zumel. in hac respõsione ad tertium, qui nititur sustinere distinctionem realem posse ex distinctione rationis dependere, quòd omninò falsum est. Nam etsi distinctio realis oriri possit ex fundamento distinctionis rationis, non erit tamen ex eo vt ratione distinguente, sed vt à conditione tantum.

Prima Dvbitatio.

De sensu illius propositionis: De ratione amoris est, vt non procedat nisi à conceptione intellectus.

Sensus quæstiõis, & propositionis interpretatio.

Dvo sunt propositæ dubitationis membra: *Primũ* est: *an sit de ratione amoris in primo modo dicendi per se, quod procedat à verbo, siuè conceptione intellectus, & consequenter quòd processio sit à processione?* Secvndvm est: *an de ratione amoris sit, vt procedat à verbo quatenus verbum est; an solum quatenus verbum est res intellecta?* Nam si de ratio- B ne amoris est, vt procedat à verbo vt verbum est, poterit ex dicta propositione, vt efficaci principio probari aduersus Græcos, Spiritum sanctum à Filio procedere. Sin minus, probabilis tantum erit deductio. Ratio huius differentiæ est: quia verbum vt verbum est, dicit respectum originis ad dicentem: significat enim conceptionem intellectione productam; res autem actu intellecta vt sic, nullum dicit ordinem originis ad intelligentem; alioquin diuina essentia vt à Deo & beatis intellecta, per Dei & beatorũ intellectionem produceretur. Igitur verbum vt verbum est, personaliter dicitur: sub ea verò ratione qua obiectum est, solam dicit essentiam, quæ obiectum est adæquatum intellectus Dei vt C Deus est, igitur, si de ratione amoris est, quòd procedat à verbo vt verbum est, sequetur necessariò Spiritum sanctum à Filio procedere, qui verbum est Patris. Si verò de ratione amoris sit, vt procedat à verbo quatenus verbum est res intellecta: non erit necessaria sed probabilis tantum deductio. Nam vt Caietanus aduertit *infra q. 36. a. 2.* dicere posset aliquis Patrem amorem sui notionalem producere cognoscendo seipsum essentialiter. Sed tamen rationabile valdè est, vt qualis est ordo inter essentialia, talis sit etiam ordo inter vtriusque notionalia: ac proinde sicut amor essentialis oritur secundum rationem & modum nostrum intelligendi ex conceptu essentiali, quo formaliter Pater omnia nouit: ita notionalis amor qui est Spiritus sanctus, sit ex D cõceptu notionaliter sumpto quod est verbum.

Resolutio.

Propositae dubitationis solutio pendet ex multis, quæ diligenter erunt examinanda. Hic ea dumtaxat summa breuitate colligemus, quæ præsenti materiæ ac instituto fuerint opportuna. Sunt autem tria; quæ Caiet. subtiliter ac doctè tangit *hic, & infra q. 36. a. 2.* quorum explicatio nodũ difficultatis absoluet. Primvm est; Propositionem illam de cuius sensu dubitamus, nimirum *De ratione amoris est, vt non procedat nisi à conceptione intellectus* intelligendam esse de conceptione naturali, quæ nõ potest esse sine verbo: tametsi supernaturalis aliqua sit absque verbo, vt beatifio. Et præterea supponi debẽt cõmunia, videlicet bonum cognitum esse principium productiuum amoris, vt ait Philosoph. *in 3. de anima, & 12. Meth.* & quòd esse cognitum sit esse mente conceptum: de quo supra disseruimus cũ Caietano; Ex his enim sequitur de ratione amoris esse in primo modo dicendi per se oriri à conceptu, quatenus est res cognita vt sic. Probatur vt sequi: quoniam esse cognitum cognitione naturali idem est, quod esse conceptũ mente; ipse verò conceptus, vt ante diximus, est ipsum cognitum in esse obiectiuo; bonum autem cognitum est productiuum amoris, vt eius propria causa; Ergo &c. Probatur sequela. Nam cuilibet effectui conuenit per se primò dependen-

dentia ex propria causa: Et quoniam accidit verbo, quatenus est ipsum cognitum in esse obiectiuo, vt ab intelligentia procedat; sicut homini sub ea ratione qua animal est accidit rationale (vnde diuina essentia, prout est ipsum cognitũ in esse obiectiuo, à nullo procedit) ea propter, ex ea propositione *De ratione amoris est &c.* non potest necessariò deduci processio amoris à verbo, quatenus verbum est: quia vt sic dicit originem à dicente, quæ eidem accidit, vt obiectum est; & consequenter etiam accidit amori, vt procedat à verbo vt verbum est.

Verbũ esse amoris causam effectiuam.

Secvndvm Est rem cognitam vt sic, ac proinde conceptum ipsum siuè verbum, esse amoris causam in genere causæ efficientis; quod apertè significat D. S. in hac responsione, cum ait amorem habere ordinem originis ad conceptum; constat enim ordinem originis in proposito esse ordinem secundum modum efficientiæ, vt notat Cai. & significauit Auerroes *12. Metaph. tex. 36.* cum dixit Balneum in anima est agens desiderium. Est autem verbum amoris causa effectiua, non quo ad exercitium (hæc enim est voluntas) sed quo ad specificationem actus, cuius specificationis voluntas non potest esse causa sufficiens; alioquin omnes eius actus à nullo habitu procedentes vnius essent speciei sicut ipsa voluntas; Actus verò, qui in voluntate habitu affecta puta charitate procedunt, non possunt ab habitu sufficienter specificari, sed necesse est, vt concurrat obiectum in ratione principij formalis & rationis agendi & causandi effectiuè, à quo solo specificatur actio, vt actio est in genere naturæ: quamuis ex habitu moralem speciem trahat: quæ tamen naturalem actus speciem, quæ ex obiecto est, secundum esse quod habet in mente, præexigit necessariò; sicut etiam verbum præsupponit inclinationem habitualem in voluntate, quæ rursus præsupponit habitualem notitiam in intellectu. Dixi autem *secundum esse quod habet in mente*; quoniam vt ait Auer. *12. Meth. tex. 36.* appetibile mouet appetitum duplici genere causæ scilicet effectiuè, quatenus est apprehensum; & finaliter, prout est extra animã, & vtroque modo specificat actum; priori modo vt ratio agendi effectiuè; posteriori verò modo vt finis & terminus actus. Et quia modus causandi effectiuè vt ratio agendi participat causalitatem efficientis & formæ; & medium, quia sapit extremorum naturam, quandoque distinguitur contra vnum extremum, & nonnunquam contra aliud; ea propter S. Tho. hunc modum causandi actiuè vt ratio agendi, nonnunquam distinguit contra modum causandi effectiuè. Nam *in 1. 2. q. 9. art. 1.* ait causalitatem appetitus esse efficientis, obiecti verò formæ; Et quia hæc agendi ratio conuenit obiecto ex ratione finis tãquam ex radice: cum appetibile sit appetitui agendi ratio, quia finis est; idcircò S. Th. *infra q. 82. a. 4.* considerans modum causalitatis effectiuè conuenientem obiecto diminutè, & dictam eius radicem dixit intellectum non mouere voluntatem, eo modo quo voluntas mouet intellectum, sed illã effectiuè mouere, hunc autẽ vtfinẽ.

Quod autem obiectum vt apprehensum causet effectiuè. Probatur; quoniam subsistentia adiuncta alicui causæ non variat causalitatem illius ex vno genere causandi in aliud, sed modum causandi tãtum; quia causa subsistẽs causat vt quod, nõ subsistens verò causat vt quo; At verbũ diuinũ est amoris principiũ productiuũ effectiuè vt quod; Ergo verbũ absolutè; producit amorẽ effectiuè; non .n. requiritur realis bonitas obiecti ad extra ad specificãdũ actũ in ratione principij sed tantũ ad specificandũ in ratione termini. Et quãuis substantia, actus & eius species sint idem realiter: differũt tamẽ ratione fundamentaliter, & in distinctas causas reducuntur: sicut etiã de actu beatifico diximus *q. 12. a. 5. Cont. 2.* Et quia obiectum vt apprehensũ, siuè verbũ est ratio agendi voluntati ad modũ formæ extrinsecæ reducentis ad actũ, & determinantis ad speciẽ; idcircò dicitur voluntas potentia passiua ab obiecto, quãuis, vt dixim⁹, obiectũ nõ sit verè actiuũ, & efficiẽs, sed diminutè tãtũ, modo quo dixim⁹.

Et ex his breuissimè dictis patet intellectus eorũ quæ traduntur à D. Th. & Cai. *infra q. 80. a. 2. & q. 82. a. 4. & 1. 2. q. 9. a. 1.* Et solutio etiã obiectionũ Ferr. *in 1. cõt. gent. c. 44.* & Val. & Vasq. *1. 2. in dicto a. 1.* & Barth. Torres *super hoc a* & Ban. *inf. q. 80. a. 2. dub. 2.* qui tamen *ibi concl. 4. & 5.* optimè explicat & tuetur sententiam Cai. sed de hoc alibi fortassis agemus vberius.

Quæ sit conuenientia, & differentia quoad principiorum vtriusque causalitatẽ, modum & vnitatem.

Tertivm est conuenientia & differentia inter verbum & amorem, quoad principiorum vtriusque causalitatem, modum & vnitatem: nã in principiorum effectiua causalitatẽ conueniunt; Sicut enim verbum effectiuè procedit ab intellectu & intelligibili: sic etiam amor effectiuè oritur à volũtate & à re amabili cognita. Differunt autem primò, quia verbum producitur ab intellectu & intelligibili prout habent rationem entis siuè rei, & quatenus vnum integrant completum efficiens, immò quatenus vnum est aliud, & è conuerso; Ex quo sequitur verbum ab intellectu & intelligibili procedere vt simile, quia ab vtroque producitur vt agente in ratione rei; omne enim agens agit sibi simile secundum formam qua agit, quando forma est ratio agendi in ratione rei; sicut in proposito forma intellectus quæ est ipsum intelligibile, quod est species vnita intellectui, est ipsi ratio agendi in ratione rei secundum esse intelligibile. Nam intellectus quia tali informatur forma, vel potius quia in tale transiuit intelligibile, tale producit verbum, quod est proprium agentis in ratione rei. Quamuis enim intelligibile ante productionem verbi sit in intellectu secũdum esse cognitu siuè intelligibile: non est tamen ibi vt obiectum cognitionis, sed vt principium tantum; & ideo non causat vt cognitum, sed vt forma quædam habens talem essendi modum causat verbum in eodem essendi modo scilicet immateriali & intelligibili. Amor autem à voluntate producitur vt agente in ratione rei scilicet vt talis res est; & ideo quemadmodum voluntas impulsus quidã est in actu primo: sic amor ex ea similis oritur, qui impulsus est in actu secundo. Ab amabili verò producitur agẽte in ratione cogniti: qm amabile vt cognitũ amorẽ parit: Ab vtroq; verò simul scilicet à voluntate & ab amabili procedit amor quasi ab agente & ratione agendi; ita tamẽ vt agens scilicet voluntas agat in ratione rei, ratio verò agendi scilicet amabile agat in ratione cogniti; sicque amor ab vtroque diuersa ratione procedit. Ex quo sequitur alia differentia, nimirum quòd amor non producitur à voluntate & amabili vt integrantibus simpliciter vnum agens; tum quia diuersa ratione concurrunt; tum etiam quia amabile non inest voluntati sed intellectui: agit. n. quasi forma extrinseca. Sed quia simul concurrunt vt agens & agendi ratio; idcircò secundum hoc admitti potest ex his vt partialibus causis integrari totale agens, quod Caiet. *in artic.* sequenti nominat agens per modũ impulsus seu vitalis appetitus. Sequitur prẽterea

terea quòd comparando amorem ad quasi partiales causas, oritur partim à simili, quatenus scilicet est à voluntate: & partim à non simili, quatenus est ab amabili: quòd si totali eius agenti conferatur, quod est voluntas vt agens & amabile vt agendi ratio; sic absolutè procedit à non simili; quoniam amor non est similitudo rei amatæ, sed actualis in eam inclinatio. Denique ex dictis sequitur solutio propositæ dubitationis quo ad vtramque partem; ostendimus enim de ratione amoris esse in primò modo dicendi per se vt à verbo procedat, nó quatenus verbum est, sed prout est ipsum intelligibile actu in intellectu; sic enim verbum est agendi ratio voluntati, non autem vt verbum est id est qua ratione procedit à dicente, hoc enim extraneum & impertinens est ad rationem intelligibilis vt sic. Et ex his etiam patet solutio duarum obiectionum Iauelli, quæ satis friuolæ sunt.

Iauellus.

Secvnda Dvbitatio.

An ex ordine originis præcisè distinguantur realiter diuinæ processiones, ita vt eo remoto, nulla sit inter eas realis distinctio?

Pertinet hæc quæstio *ad secundum a. q. 36. & ad 2. & 3. 40.* vbi propositis Scoti & aliorũ opinionibus, diligenter examinabitur in forma Controuersiæ. Nunc satis erit ad explicationem præsentis doctrinæ summatim quædam præcipua veritatis documenta colligere, quæ ad subsequentium intelligentiam lucem afferant.

Sensus quæstionis.

Sciendum est itaque primò nomine processionis non intelligi generationem actiuam, & spirationem actiuam, quæ in Patre realiter idem sunt; sed emanationes passiue sumptas, nempè generari & spirari, quibus diuinæ personæ procedunt scilicet Filius & Spiritus sanctus. De processionibus ergò passiuè sumptis quæritur: an ex ordine originis, quo vna oritur ab alia, realiter distinguantur?

Resolutio.

Secundò aduerte, tria inter se ratione distincta in vtraque processione considerari. *Primum* est operatio siuè actio immanens absolutè sumpta, puta intelligere & amare. *Secundum* est relatio originis personæ procedentis ad principium à quo procedit, vt verbi ad dicentem, & amoris ad spirantem. *Tertium* est ordo originis inter ipsas diuinas processiones, quo vna præsupponit aliam & ab ea procedit; Possunt itaque processiones tripliciter sumi: Primò essentialiter & incompletè, & sic non differunt adinuicem nisi ratione: Secundò modo sumi possunt cum relatione prædicta ad principium, & sic sumuntur notionaliter & incompletè, neque vt sic præcisè distinguuntur realiter, secluso namque siuè præciso ordine originis inter ipsas processiones, sola remaneret inter eas formalis distinctio, & esset vna realis processio, & vna persona procedens secundum rem, quæ vna relatione reali duplicem habente rationem formalem referretur ad primam personam; vt Filius ad generantem, & vt amor, siue Spiritus S. ad spirantem, vt dicemus *in art. sequenti Cont. 2.* ex D. Th. *de Pot. q. 10. a. 5.* & Cai. *infra q. 36. art. 2.* Igitur tertio modo sumuntur diuinę processiones, prout in sui ratione claudunt tria prædicta: & ita sumuntur completè, & realiter abinuicem distinguuntur secundum ordinem originis vnius ad aliam, sicut & ipsæ diuinæ personæ procedentes; Et quamuis origo passiuè & ordo originis idem sit quod ipsa relatio constitutiua personæ procedentis; aliquid tamen exprimit ordo originis, quod relationis personalis vocabulo non exprimitur; exẽpli gratia; processio prout est relatio constitutiua Spiritus S. solum exprimit relationem ad spiratorem vt sic, quicunque ille sit, siue sit vna persona siue plures; sed ordo originis emanationis quæ est per modum voluntatis, ab emanatione, quæ est per modum intellectus, dicit non tantùm ordinem ad principium talis emanationis, qui est spirator: sed etiam ad emanationem, quæ est per modum intellectus.

Tertiò notandum est non esse realem ordinem in diuinis nisi originis; nã solæ relationes originis realiter distinguũtur in diuinis: neq; est alia relatio ordinis & alia originis: neque alia sunt extrema secũdum rem relationum & originis; quia productum, puta filius, siuè verbum & eius origo passiua, puta generari & dici, sunt vna relatio; Et similiter Spiritus S. & eius processio sunt vna relatio, & eodem ordine quo productum scilicet Spiritus sanctus est à producto scilicet à Filio, processio illius, nimirum Spiritus sancti est à processione istius scilicet Filij; hoc verò est processionem oriri à processione.

Aduerte tamen cum Ban. *in sequenti artic. dub. vlt. concl. 4.* cum asserimus processiones habere inter se ordinem originis, non affirmare quòd processio filij producat processionem Spiritus S. sed quod Filius, quatenus tali processione procedit, producit Spiritũ S. adeò vt vna processio nõ habeat ordinẽ originis ad alteram, tanquã producens aut productum vt quod, sed veluti radix ex qua personæ sic procedenti cõuenit aliã producere. Nihilomin' si sumatur processio Spiritus sancti, vt idem est quod persona Spiritus sancti; dicendum est eam habere ordinem originis ad processionem passiuam Filij, prout est idem quod Filius, eo modo quo est ordo originis inter Spiritum sanctum & Filium. Possent autem prædicta luculentius explicari dicendo Filium per generationem passiuam habere vim spirandi Spiritum S. Nam ex eo quod Filius procedit vt verbum, hoc ipso procedit vt amoris principium simul cum dicente; amor verò procedit per spirationem passiuam; Itaque spiratio passiua Spiritus Sancti ordinem habet originis ad generationem passiuam Filij, non quasi immediatè, sed mediantè Filio; Nam Filius generatione Filius est, & consequenter spirator; spiratio verò passiuè sumpta est, qua tanquam productione siue processione Spiritus S. est spiratus; atque ideò sicut spiratus est à Filio tanquam quod producitur, à principio quod producit: ita processio Spiritus sancti est à processione Filij, tanquam productio qua producitur Spiritus Sanctus à productione qua producitur Filius; quod est productionem Filij passiuam esse radicem passiuæ productionis Spiritus sancti. Quemadmodum si ad generationem Platonis Filij necessariò requireretur, vt esset actu ea generatio, qua genitus est Sortes eius Pater; tũc enim non solùm Plato esset à Socrate, sed etiam generatio Platonis esset à generatione Socratis, licet alio & alio modo, vt dictum est. Et hæc videtur fuisse mens Caiet. & S. Th.

Processiones quomodo habeant inter se ordinem originis.

Caiet. S. Thom.

Ex his patet responsio ad quæsitum & solutio argumentorum Scoti, quæ refert Caietanus & soluit; nam processiones ita realiter distinguuntur per ordinem originis, vt eo remoto, non sit inter eas nisi virtualis distinctio, vt ante diximus.

Mol. *disp. 4.* volens diuinarum processionũ

Non esse

ac

Virtualem causalitatē inter essentiam, & paternitatem, & alias relationes vt voluit Molina.

ac SS. Trinitatis mysterium explicare, multa congerit ad subsequentes quæstiones pertinentia: ac proinde præsenti loco non satis oportuna. Ex quibus vnum est, quod cum doctrina S. Th. & SS. Patrum, non satis apparet esse cósentiens; sic enim ait: *Meditanda est diuina essentia tanquam radix relationum, proprietatumue omnium personalium virtute in se eas continens: ea verò in illo priori per intellectum seipsam intelligente, quasi resultat à parte essentiæ relatio eius, à quo alius per intellectum, ex qua & essentia (quæ intelligere ipsum, cæteraque omnia attributa includit) constituitur Pater &c.* Et infra: *Quia essentia diuina virtute continet in se personas diuinas, proprietatesue, ac relationes, quibus personæ constituuntur, atque abinuicem distinguuntur; ex fœcunditate, quæ per intellectum, & voluntatem prouenit, quòd in Deo sit gloriosissima Trinitas personarum; inde est, quod nostro intelligendi modo cum fundamento in re ab essentia ad seipsam respiciente, seque ipsam intelligente, quasi resultare intelligatur paternitas in ipsamet essentia, vnà cum essentia constituens suppositum relatiuum Patris &c.* Hæc ille. Quæ quamuis ab eodem ad bonum sensum trahantur, dum ait nullam hic esse realem ac propriè dictam productionem aut resultantiam paternitatis ex essentia, sed secũdum nostrum modum intelligendi tantum: Absurdum tamen videtur primò dicere diuinam essentiam esse radicem relationum ac proprietatum omnium personalium: nam proprietas personalis patris, quatenus est hypostatica forma, personam Patris constituens, subsistentia est pertinens ad complementum diuinæ naturæ; atque ideò non est à nobis ad modum proprietatis ex natura profluentis contemplanda. Ex quo sequitur minus benè dictum fuisse, quasi resultare à parte essentiæ relationem à quo alius per intellectum, ex qua simul cum essentia constituitur Pater, ex eo quod in illo priori essentia per intellectum seipsam intelligit. Nam essentia ante personalem subsistentiam, etsi considerari possit vt subsistés essentialiter; ea tamen subsistentia nec intelligitur completa ante subsistentiam personalem: cõcipitur enim vt determinabile subsistentia personali incommunicabili; nec operatio naturæ vt sic subsistentis potest modo nostro intelligẽdi causare personalem Patris proprietatem, quæ est hypostatica forma illius constitutiua: Nam intelligere quod concipimus in natura diuina essentialiter subsistente ante personalitatem Patris, essentiale est; igitur ex eo non intelligitur resultare in Deo nisi aliquid essentiale eo posterius; non enim apparet res aut ratio determinans essentiale præcisè sumptum ad causandum constitutiuum huic personæ proprium. Et confirmatur: Quia perfectiones siue rationes illæ, quas in Deo concipimus vt causas & effectus virtualiter in essendo, proportionaliter se habent ad ea, quæ cognoscimus in creaturis; At in creaturis ea quæ substantialia & personalia sunt, non sequuntur in re ex eiusdem operatione; nec specialis aliqua ratio poterit vnquam assignari, cur aut quomodo ex essentia diuina seipsam intelligente essentialiter resultet in ea relatio personæ Patris constitutiua; Nam si de relatione paternitatis, quatenus relatio est in actu exercito ad Filium, fermo sit, certum est eam in persona Patris resultare ex intellectione notionali quæ est generatio; vt docet infra S. Th. *q. 40. a. 1. & 2.* in quo deceptus videtur fuisse Mol. non distinguẽs inter relationem paternitatis, vt forma hypostatica est & vt est relatio.

Melius itaq; videtur dicendum cum D. Th. & *Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.* Capr. & alijs antiquis Theologis, diuinã essentiam secũdum se & ex seipsa determinari ad subsistendum in tribus personis ordine quodam, vt scilicet in Patre sit tanquam ingenito; in Filio vt à Patre per actum intellectus qui est generatio procedente; in Spiritu sancto verò, vt à Patre & Filio per actum voluntatis qui spiratio est emanante; adeò vt nullus sit ordo virtualis causalitatis inter essentiam seipsam intelligentem, & Paternitatem prout est Patris constitutiua; quamuis concipi possit essentia in concreto, vt hic Deus intelligens, antequam concipiatur in Deo Paternitas; nam, vt diximus, nulla apparet omninò ratio talis causalitatis.

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum processio amoris in diuinis sit generatio.

1 62. 1 dij. 13 ar. 3. & 4. cõtra cap. 23.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod processio amoris in diuinis sit generatio. Quod enim procedit in similitudine naturæ in viuentibus, dicitur generatum, & nascens. Sed id quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in similitudine naturæ, alias esset extraneum à natura diuina, & sic esset processio ad extra. Ergo quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit vt genitum, & nascens.

2 Præterea. Sicut similitudo est de ratione verbi, ita est etiam de ratione amoris. Vnde dicitur Eccl. 13. quod omne animal diligit simile sibi: si igitur ratione similitudinis, verbo procedenti conuenit generari; & nasci; videtur etiam, quod amori procedenti conuenit generari.

3 Præterea. Non est in genere, quod non est in aliqua eius specie. Si igitur in diuinis sit quædam processio amoris, oportet, quòd præter hoc nomen commune, habeat aliquod nomen speciale. Sed non est aliud nomen dare nisi generatio. Ergo videtur, quòd processio amoris in diuinis sit generatio.

Sed contra est, quia secundum hoc sequeretur, quòd Spiritus sanctus qui procedit vt amor, procederet vt genitus, quod est contra illud Athanasy. * *Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* In suo symbolo fidei.

Respondeo. Dicendum, quòd processio amoris in diuinis non debet dici generatio. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod hæc est differentia inter d intellectum, & voluntatem, quòd intellectus sit in actu per hoc, quòd res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem sit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; e sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis. Et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. c Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filius, sed magis procedit vt Spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio, & impulsio designatur: prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.

d 773. 99. 194.

Ad primum ergo dicendum, quod quicquid est in diuinis, est vnum cum diuina natura. Vnde ex parte huius vnitatis non potest accipi propria ratio huius processionis, vel illius, secundum quam vna distinguatur ab alia: sed oportet, quod propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundum ordinem vnius pro-

ceßionis ad aliam. Huiuſmodi autem ordo attenditur A *ſecundum rationem voluntatis, & intellectus. Vnde ſecundum horum propriam rationem ſortitur in diuinis nomen vtraque proceſſio, quod impoſitum ad propriam rationem rei ſignificandam: & inde eſt, quod procedens per modum amoris: & diuinam naturam accipit, & tamen non dicitur natum.*

Ad ſecundum dicendum, quod d *ſimilitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem; nam ad verbum pertinet, inquantum ipſum eſt quædam ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis: ſed ad amorem pertinet, non quod ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed inquantum ſimilitudo eſt principium amandi. Vnde non ſequitur, quòd amor ſit genitus, ſed quòd genitum ſit principium amoris.*

d 2.26.

Ad tertium dicendum, quod Deum nominare non B *poſſumus niſi ex creaturis, vt dictum eſt ſupra.* * *Et quia in creaturis communicatio naturæ non eſt niſi per generationem, proceſſio in diuinis non habet proprium, vel ſpeciale nomen niſi generationis. Vnde proceſſio, quæ non eſt generatio, remanſit ſine ſpeciali nomine: ſed poteſt nominari ſpiratio, qua eſt proceſſio ſpiritus.*

q. 13. art. 1.

Senſus quæſiti.

QVAERITVR hic formalis differentia proceſſionis amoris à generatione, prout optimè declarat Caiet. quem ſequitur Sylueſt. & Zum.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. qua directè reſpondetur quæſito eſt. *Proceſſio amoris in diuinis non eſt generatio.* Probatur. Hæc eſt differentia inter intellectum & voluntatem, quòd intellectus habet tria ſeſe ordinate conſequentia. Primũ quòd ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundum ſuam ſimilitudinem. Ex quo ſequitur ſecundum, nimirum quod proceſſio quæ attenditur ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis. Ex quo ſequitur tertium, ſcilicet proceſſionem intellectus poſſe habere rationem generationis: quia omne generans generat ſibi ſimile. Voluntas autem tria habet prædictis oppoſita. Primum eſt, quod non fit in actu per hoc quod aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc quod inclinationem quandam habet in rem volitam. Ex quo ſequitur ſecundum ſcilicet quòd proceſſio, quæ attenditur ſecundum rationem voluntatis, non conſideratur ſecundum rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellentis & mouentis in aliud. Ex quo ſequitur tertium, videlicet, *proceſſionem amoris non eſſe generationem, & id quod procedit non eſſe genitum aut Filium, ſed magis vt Spiritum procedere*; quod probatur: quia Spiritus importat quandam vitalem motionem & impulſionem, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum: ergò procedens per modum amoris procedit vt ſpiritus, quæ eſt SECVNDA CONCLVSIO, qua reſpondetur intento, vt hic aduertit Caietanus.

Expoſitio Textus.

ADVERTE primò vtramque concluſionẽ eſſe fidei confeſſionem, vt probant recentiores diuinarum ſcripturarum oraculis, Sacrorum Conciliorum definitionibus, & commnni Patrum conſenſu. Vide Bann. & Mol. *ſuper hoc a.* & Suar. *lib. 11. de Trinitate, cap. 3.*

Secundò obſerua cum Caiet. fundamentum diſcurſus conſiſtere in ea particula *ſecundum ſimilitudinem*, quæ ſupra *art. 2.* poſita eſt in diffinitione generationis. Nam ex hoc quod proceſſio, quæ attenditur ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis, deducit D. Th. eam poſſe habere rationem generationis: quia (inquit) omne generans generat ſibi ſimile; & ex eodem principio negatiuè ſumpto probat proceſſionem Spiritus S. quæ eſt ſecundum rationem voluntatis, non eſſe generationẽ, & Spiritum S. non eſſe genitum aut filium: quia ſcilicet hæc proceſſio non eſt ſecundum rationẽ ſimilitudinis. Vbi ſpeculanda eſt ars Angelici noſtri Doctoris in modo loquendi; Nam ex eo principio affirmatiuè ſumpto, non deducit proceſſionem ſecundum intellectum, eſſe generationem, ſed poſſe eſſe generationem: ſi nimirum cęteræ nõ deſint conditiones ad rationem generationis requiſitæ. Ex eodem verò principio negatiuè ſumpto deducit abſolutè Spiritum S. non procedere vt genitum ſiuè vt Filium; quia ad rei quidditatem ſiuè rationem formalem ab aliquo negandam ſiuè deſtruendam, ſufficit vnius particulæ negatio vel defectus. Quia rerum diffinitiones ſiuè rationes formales ſunt ſicut numeri, quibus nihil tam parum poteſt addi vel minui, quin varietur ſpecies, vt ait Philoſ. *in 8. Meth. text. 10.* Ad negandam igitur rationem generationis à proceſſione Spiritus S. ſatis fuit defectus illius conditionis ſiuè particulæ *ſecundum ſimilitudinem*, vt hic etiam aduertit Caiet. Quamuis prædictum modũ loquendi non obſeruauerit.

PRIMA CONTROVERSIA.

An ſuppoſita veritate fidei de diſtinctione reali, tàm Filij à Spiritu ſancto, quàm proceßionis Filij à proceßione Spiritus ſancti, poßit ratione aliqua ſufficienti probari proceßionem Verbi eſſe generationem, ac Verbum ipſum eſſe genitum & Filium: Proceßionem autem Spiritus ſancti non eſſe generationem, & Spiritum D *ſanctum non eſſe genitum ſiuè Filium?*

RATIO *dubitandi eſt*; quia quemadmodum vt proceſſio aliqua ſit generatio; neceſſaria eſt ſimilitudo producti ad producentem abſolutè: ita requiritur vt ea ſimilitudo ſit ſecundum eſſe naturale ſpecificum; igitur ſicut ob defectum illius conditionis, quæ eſt eſſe ſecundum rationem ſimilitudinis, proceſſio amoris non eſt generatio; ita propter defectum illius alterius conditionis, vt ſcilicet ſimilitudo ſit ſecundum eſſe naturale ſpecificum, proceſſio verbi non erit generatio; at proceſſio verbi ex ratione ſua non habet, vt ſit ſecundum ſimilitudinẽ in eſſe naturali; alioquin verbum lapidis in humana mente haberet eſſe lapidis naturale; ergo neque proceſſio verbi diuini eſt ſecũdum rationem ſimilitudinis in eſſe naturali formaliter, nec propriè poterit dici generatio. *Et confirmatur*: Quia ſicut verbum diuinum non eſt ſimile in natura vt verbum procedens ſecundum emanationem intellectus abſolutè, ſed vt procedens ſecundum emanationem intellectus diuini, in quo intelligere idem eſt quod eſſe; ita amor vt ſic non habet, vt ſit ſimilis in natura, ſed quatenus procedit per volitionem diuinam, quæ eſt idem quod eſſe diuinum, ſic procedit vt ſimilis in natura. *Confirmatur ſecũdo*: Quoniã ſicut Filius ex vi ſuę proceſſionis procedit vt Deus, & cõſequẽter

Ratio dubitandi.

E

Conf. 1.

Conf. 2.

vt similis in natura, ita & Spiritus S. ex vi propriæ suæ processionis procedit vt Deus, & consequenter vt similis in natura. Ex his igitur apparet eadem ratione processionem Spiritus S. esse generationem, qua est processio Filij, vel si illa non est generatio: nec etiam hanc dici aut posse esse generationem.

Sensus quæstii.

ANTEQVAM *sententias* Expositorum referamus, distinguendus est sensus quæsiti; qui potest esse triplex. *Primus* est: An possit assignari ratio quæ supposita fide distinctionis diuinarũ processionum ostendat euidenter differentiam inter eas quo ad rationem generationis: & in hoc sensu perspicuam habet solutionem. Nam sicut euidentem harum processionum rationem, aut intelligentiam habere non possumus; ita nec valemus earum differentiam euidenter agnoscere. Secundus sensus est: An supposita fide, quod processio verbi sit generatio & processio Spiritus sancti non sit generatio sed spiratio, possit afferri ratio demonstratiua, per quam ostendatur Spiritum sanctum non esse genitum? Et in hoc sensu, qui parum differt à præcedenti, quæstio soluitur ab Aug. *lib. 15. de Trin. c. 27.* Athan. *in Epistola ad Serapionem*, Amb. *lib. 1. de Fide c. 5.* Damas. *lib. 1. fidei Orth. c. 10* dicente se rationem ignorare, modum ac differentiam nescire generationis & processionis. *Tertius* igitur sensus est: An supposita fide mysterij diuinarũ processionum possit homo viator medium aliquod excogitare, quo probabilis esse demonstretur & firmiter etiam aduersus infidelium sophismata defendatur hęc doctrina fidei, nimirum differentia prædicta inter processionem Verbi & processionem Amoris: & quæ sit optima ratio, cur illa sit & dicatur generatio, hæc verò minimè. Et hic est sensus examinandus in proposita controuersia.

Sententiæ Doctorum.

MVLTAE *fuerunt* ab antiquis Ecclesiæ Patribus & à Scolasticæ Theologiæ doctoribus rationes probabiles excogitatæ, quibus diuinarum processionum differentiam secundum rationem generationis & spirationis, nituntur ostendere: quas distinctè referunt & examinant Ban. *hic dub. 1. post argumenta*, Zum. *disputatione 1. concl. 4.* Val. *puncto 4. Vasq. infra art. 5. c. 3. & sequentib.* Suarez *lib. 11. de Trinitate c. 5.* & alij. Ex interpretibus verò D. Thom. tres colliguntur sententiæ; *prima* est Turriani siuè Torrensis Episcopi, qui *supra a. 2. in 4. p. Com.* censet ideò verbum Dei esse Filium & eius productionem esse generationem; quia de ratione Filij est vt procedat à Patre, non solum vt similis in natura, sed etiam per modum imaginis: verbum autem procedit à Patre dicente per modum imaginis. Et quia processio Spiritus S. est secundum rationem voluntatis, secundum quam id quod procedit non procedit per modũ imaginis, quamuis procedat per modum similitudinis ex vi suæ processionis; idcircò productio Spiritus S. non est generatio, nec Spiritus S. est genitus siuè Filius. Eandem sententiã sequitur Vasq. *infra a. 5. c. 7.* dicens Spiritum S. ex vi suæ processionis procedere vt similem in natura. Quam etiam approbat Zum. licet postea *in eadem disputatione* illam impugnet. Hæc opinio non videtur displicuisse Pesantio.

SECVNDA *sententia* est Suar. *loco superius allegato* dicentis verbi productionem in Deo esse generationem; quia diuina natura est intellectualis per essentiam, & actualis intellectio est quasi formale eius constitutiuum; verbo autem diuino formalissimè communicatur intellectio, vt intellectio est, eo ipso quod per intellectionem producitur tanquam verbum: atque ideò formaliter etiam communicatur ipsi natura illa secundum propriam rationem formalem talis essentiæ & naturæ ex vi suæ processionis, sed amor ex ratione sua est tanquam quid consequens intellectionem: sicut vniuersaliter appetitus consequitur esse rei; & ideò formaliter non censetur constituere naturam rei, sed illam constitutam comitari. Et ex hac ratione differenti deducit verbi processionem esse generationem, & verbum esse Filium: processionem autem amoris nõ esse generationem nec amorem siuè Spiritum S. esse Filium. Hunc dicendi modum, quem sequitur Pesantius *super hoc articulo*, excogitauit Zum. *in allegata disputatione, in capite incipiente Quæ diximus, in fine, cuius inscriptio est. Defensio rationum S. Thom. &c.* quibusdam tamen exceptis, & desumptus videtur ex doctrina Caiet. *in quæst. 12. a. 2. & q. 14. art. 4.* & expressius *art. 2. huius quæstionis*. Quamuis Suar. omittat nonnulla & quædam addat, ex quibus apparet illius sententiam longè distare à mente D. Thom. & Caiet.

TERTIA *sententia* est D. Thom. *in hoc a. & alibi sæpè*, quam latè explicat Caietanus & alij Thomistæ, ac præsertim Zum. *super hoc artic.* & Ferr. *in 4. cont. gent. cap. 11.* Qui omnes docent processionem verbi esse generationem in Deo, quia est secundum rationem similitudinis in eadem natura; & verbum esse genitum, quoniam ex vi suæ processionis procedit vt similis in eadem natura; processionem autem Spiritus sancti non esse generationem, quia non est secundũ rationem similitudinis: nec Spiritum S. esse genitum, quoniam ex vi suæ processionis non habet vt sit similis in natura suo principio.

Resolutio. Processionẽ verbi nẽ autem amoris, esse generationẽ: quia illa est per modum similitudi nis, hæc autẽ minimè.

TAMETSI recentiores in hac Contr. verba multiplicent & difficultates exaggerent; nobis tamen sufficient pauca quædam principia ex ipsius rei, de qua disputamus, natura deprompta ac bene perpensa: vt inspecta (quantum materia patitur) veritate, non ea tantum argumenta diluamus, quæ communi Sanctorum Patrum & Scholasticorum ac fidei doctrinæ sunt infensa: verum etiam illa quæ modum dicendi D. Tho. ac discipulorum eius videntur infringere. Suppositis igitur ijs quæ supra diximus de diffinitione generationis *in 2. art.*

CONSIDERANDVM *est primò* ex D. Th. *de potentia q. 10. a. 2.* distinctionem diuinarũ processionum sumi nõ posse ex parte attributorum siue perfectionum, quæ per ipsas processiones communicantur personis procedentibus. Nam sicut personæ procedenti secundum rationem intellectus communicat Pater, quidquid habet scilicet naturam, intellectum, voluntatem, potentiam & quidquid absolutè dicitur; ita personæ procedenti secundum rationem voluntatis, quæ est Spiritus S. eadem numero communicatur natura, cum omnibus attributis & perfectionibus: adeò vt sicut tres personæ diuinæ sunt vnus Deus: ita sint vna diuinitas, vnus intellectus, vna voluntas, vna virtus &c. Cum igitur ex perfectionibus communicatis sumi non possit ea processionum distinctio formalis, de qua loquimur: necesse erit illam accipere ex diuerso modo communicationis & acceptionis eiusdem naturæ siuè ex diuersa ratione formali, sub qua natura communicatur & accipitur. Quemadmodum etiam in rebus creatis inuenitur eiusdem specie naturæ diuerso modo & sub diuersa ratione facta communicatio. Nam leonis natura quæ per creationem fuit in principio duobus eiusdem suppositis à Deo com-

municata, eadem per generationem perpetua A
ſucceſſione communicatur naſcentibus; Et quãuis hæc cum illis ſint eiuſdem naturæ: illorum tamen productio creatio eſt, non generatio; ſicut è contra, horum productio eſt generatio & non creatio; & quæ priori illo modo procedunt, creata ſunt non autem genita; quæ autem hoc poſteriori modo ducunt originem, genita nuncupantur & non creata formaliter & immediatè. Sicut etiam ſi Petrus ex proprio ſemine, ſicut ex alia quauis ſui corporis parte, diuina virtute formaret hominẽ, eo modo quo formatur à figulo vas ex luto: & præterea naturali generatione produceret alium hominem; prioris productio non eſſet generatio, ſed poſterioris tantùm; nec prior dicetur genitus aut Filius, ſed poſterior: quamuis vterque ab eodem principio materialiter coniuncto, eandem ſpecie naturam accipiat; quia nimirum diuerſo modo & ſub diuerſa ratione formali naturam accipiũt. Sic igitur in propoſito per vtramque proceſſionem tota communicatur natura, cum omni ſua perfectione: non tamen idem eſt modus ſiuè ratio formalis communicationis in vtraque; cum vna ſit ſecundum rationem intellectus, alia verò ſecundum rationem voluntatis; ea quæ eſt ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundum modum & rationem formalem ſimilitudinis; quæ verò eſt ſecundum rationem voluntatis, eſt ſecundum modum & C
rationem formalem impulſus; vt perſpicuè probat diſcurſus præſentis articuli. Nam quamuis nulla ſit actualis diſtinctio inter intellectum & voluntatem, neque inter huius & illius operationem eſſentialem, quæ ſunt intelligere & velle; diſtinguuntur tamen communi illa diſtinctione virtuali, qua cætera omnia diſtinguuntur attributa diuina; ex quo ſequitur vt verbum, qui terminus eſt intellectionis intrinſecus, producatur intellectione formaliter, non volitione; & conſequenter vt procedat per modum ſimilis, & non per modum impulſus, atque ideò dicatur Filius; amor autem qui terminus eſt volitionis intrinſecus, producatur volitione formaliter & non intellectione, & propterea dicatur Spiritus, non autem Filius; Et hoc eſt quod communiter
dicimus, verbum ex vi ſuæ proceſſionis habere D
vt ſit ſimile, & ideò dici genitum & Filium; amorem autem ſiuè Spiritum ſanctum, quamuis ſit ſimilis ſuo principio, non habere tamen ex vi ſuæ proceſſionis vt ei ſit ſimilis: quia non procedit vt ſimilis, ſed vt impulſus. Nam procedẽs habere aliquid ex vi ſuæ proceſſionis, eſt habere illud ſub ea ratione formali, ſub qua proceſſio tendit ac terminatur ad id quod procedit, ſiuè tanquam proceſſionis formalem terminum. Et ex his apparet particulam illam ſiuè declarationem *ex vi ſuæ proceſſionũ*, neceſſariam eſſe ad rationem generationis, nec ſufficere vt ſit à principio coniuncto, vt arbitratur Vaſq. *a. 5 c. 6.*

Sed operæ precium eſt primam dictæ differen- E
tiæ radicem ex vtriuſque virtutis ſcilicet intellectus & voluntatis natura & vnitate cum eorũ obiectis inueſtigare. Ad cuius euidentiam.

Aſſignatur ratio differentiæ proceſſionis intellectiuæ & voluntatis, ex differenti modo vnionis obiecti vtriuſque poſſibilis.

Secundò aduertendum eſt quamlibet intellectus operationem dependere ex intellectiua potentia & eius obiecto, vt conſtituentibus vnum totale principium illius productiuum, & eius intrinſeci termini ſcilicet verbi; quòd idem proportionaliter dicendum eſt de operationibus voluntatis, vt ſupra notauimus. Nam voluntas & eius obiectum ſcilicet bonum apprehenſum per intellectum, conſtituunt vnum totale productiũ amoris; quamuis valdè differenter, vt antè diximus, & ſtatim latiùs explicabimus. Cõcurrunt autẽ ad dictas operationes obiecta vt rationes agendi, à quibus ſpecificantur operationes ipſæ, tamquam ab earum principijs. Quemadmodũ calefactio ab ignis calore producta, ab ipſo calore vt formali principio ſiuè ratione agẽdi ſpecificatur iuxta doctrinam D. Th. *12. q. 1. a. 3.* Sed differentia eſt inter obiectũ intellectus & voluntatis, quo ad conſtitutionem vnius totalis principij operationis productiui; Nam, vt ſæpè diximus, obiectum ita coniungitur intellectui, vt ex ipſo & intellectu fiat magis vnũ in eſſe intelligibili, quam fiat ex materia & forma in eſſe naturali: intellectus enim fit ipſum intelligibile, B
& è conuerſo; materia verò non fit forma.

Ineſt igitur intelligibile intellectui magis intimè, ac maiori cum vnitate, quam per informationem, quæ materialiter, ac per accidens interuenit in intellectione creata; quæ alio modo fieri nõ poteſt, niſi ſuſcipiendo ſpeciẽ ab obiecto, qua ſpecificatur & informatur intellectus; ſed hoc per accidẽs eſt reſpectu operationis intellectus, quæ per ſe requirit vnitatem identitatis ipſius intellectus cum intelligibili; & de hoc multa diximus ſupra cũ Cai. *q. 14. a. 1. Contr. 1.* Bonũ autem cognitũ, quod eſt obiectũ voluntatis, non ita coniungitur cũ ipſa voluntate, vt fiat voluntas ipſa, & è contra: neq; per aliquam ſpeciem ſiuè ſimilitudinem, aut per ſe ipſum ineſt volũta- C
ti, vel eã informat, vt ſimul cũ ea conſtituat vnũ amoris principiũ; ſed per apprehenſionem ſiuè ſecundum eſſe intelligibile reſidẽs in intellectu, ratio eſt agendi voluntati; bonũ enim apprehẽſum vt ſic effectiuè mouet voluntatem: Quòd quomodo fieri poſſit, optimè declarat Caietanus *infra q. 80. a. 2.* & Ban. *ibidem.* Et ex hac differentia ſequitur alia, nimirum vt quod ſecundũ rationem intellectus procedit, ſit ex vi ſuæ proceſſionis ſimile totali ſuo principio conſtituto ex intellectu & intelligibili; Obiectũ enim quod eſt formale principium & ratio agendi, verè ſecundũ rem coniungitur in eſſe reali intelligibili cũ intellectu, ad integrandũ vnũ agens; quod autem procedit ſecundum rationem voluntatis, nõ habet ex vi talis proceſſionis, vt ſit ſimile totali D
ſuo principio conſtituto ex bono apprehenſo per intellectum & voluntatẽ: quoniam, vt diximus, bonum apprehenſum ac volitum, nõ ineſt realiter voluntati, neq; per ſe ipſum neque per aliquam ſui ſimilitudinem, ſed eſt in intellectu tantùm: atque ideò non eſt ratio agendi in ratione rei ſed vt cognitum; Ex hoc autem quod aliquid cognoſcitur tale, non ſequitur per ſe ac neceſſariò aliquid ſimile illi: ſed per ſe apta nata eſt ſequi in illud inclinatio voluntatis; quia bonũ cognitum aptum natum eſt mouere voluntatẽ & eam actu mouet, cum intellectus per vltimum practicum iudicium illud iudicauerit appetendum; vt oſtendimus ſupra *q. 19. a. 10.* Cum autem dicimus cognitionem eſſe cauſam amoris, ſenſus E
eſt: Bonum vt ſtat ſub cognitione eſſe cauſam amoris, vel cognitionẽ ratione ſui intrinſeci termini quòd eſt bonum cognitum vt ſic, eſſe cauſam amoris; Et per hoc diluitur cauillus Radæ contra Cai. *Comr. 14. a. 1.* Et hæc eſt differentia, quam ſtatuit Cai. *in hoc a.* inter intellectum & voluntatem; quam explicauimus *in præcedenti artic. in poſtremæ parte primæ dubitationis.*

Iam verò ex his, quæ communia ſunt, ad ea, quæ diuinarum proceſſionum propria ſunt, explicanda mentis aciem, & ſtylum dirigamus.

Sciendum eſt igitur tertiò Deo maximè ac per- *Ratio cur proceſſio*
fectiſſimè vitam conuenire: quoniã, vt ait Philoſo-

verbi, non autē amoris sit secundā rationē similitudinis in eadē natura: Ex qua satisfit etiā rationi dubitandi.

losophus *in 12. Diuinorum tex. 39.* Deus est ipsa vita; quod ita probat: Actus intellectus id est intelligere vita quædam est, & perfectissimū quod est in vita; sed Deus est ipse actus: nam intellectus eius est ipsum suum intelligere, & eius substantia est actus; ergo ipsa substantia Dei est vita, & actus eius est vita ipsius optima & sempiterna, quæ est secundum se subsistens; ex quo sequitur, formale constitutiuum diuinæ naturæ modo nostro intelligendi, esse ipsum intellectionis actum: iam autem supra *a. 2.* diximus esse verbi consistere in intelligi, quod idem est cū ipso intelligere, per quod intelligere verbum procedit, igitur verbo communicatur intelligere, hoc ipso quod per intellectionem procedit. Cum igitur intelligere Dei sit eius essentia siuè natura ac esse substantiale; cōsequens est vt verbo diuino per actum intellectionis communicetur formaliter diuina natura siuè essentia & esse substantiale; ac proinde verbi processio sit generatio, & verbum ipsum sit genitum ac Filius; sic enim ex vi suæ processionis formaliter accipit eandem naturam, quæ est in dicente: & consequenter ex vi suæ processionis habet vt sit similis suo principio secundum identitatem naturæ eidem, intellectione vt intellecti est, communicatæ; quod non aduertit Suarez in suo illo satis prolixo discursu. Amor autem, cum ex ratione sua non procedat vt similis, quamuis per actum voluntatis eandem numero naturam accipiat, per quam verè ac perfectè similis est suo principio, non dicitur genitus aut Filius. Quòd autem ex sua ratione procedat vt quid consequens intellectionem, quæ est ipsa natura & esse Dei, non est causa propria cur non sit genitus; cum ita cōsequatur naturam vt sit idem quod ipsa natura & eius processio sit ipsius naturæ diuinæ communicatio, quamuis non intelligatur actus amādi vt diuinæ naturæ constitutiuus; sed hoc ad tollendam rationem generationis non sufficeret, si non deesset prædicta particula, scilicet *secundum similitudinem.* Nam in viuentibus, quæ apud nos sunt, in quibus proprijssimè est generatio, actus naturæ communicatiuus non est naturæ constitutiuus; sed eam sequitur media potentia realiter à natura profluente & ab ea distincta. Vnde facilè posset totus ille Suarezij discursus eludi dicendo verbum, quatenus est prima persona procedens, esse per actum intelligendi naturæ constitutiuum: amorem autem esse per actum eandem naturam consequentem, quatenus est secunda persona procedens; & cum per vtrūque actum communicetur natura, vtramque etiam personam procedentem esse genitam. Optimus igitur est dicendi modus, quo S. D hic vtitur, ad probandum processionem amoris non esse generationem; quia scilicet amoris processio non est secundum rationem similitudinis, sicut processio verbi. Ad cuius euidentiam suppositis ijs quæ hucusque diximus.

Quartò obseruandum est ex Ferrariensi *in 4. cōtragentes cap. 11.* quem alij recentiores sequuntur interpretes, dupliciter posse considerari processionem verbi diuini. Vno modo absolutè & quasi genericè, quatenus scilicet est verbi processio abstrahendo ab hac & ab illa, puta humana, angelica & diuina: Alio modo, quatenus est talis species processionis verbi, quæ scilicet est omnium perfectissima; vtpotè quæ perfectissimā cognitionē includat ac proindè ad verbum perfectissimum, vt terminum eius intrinsecum terminetur. Si priori modo cōsideretur processio, nō habet, vt sit generatio, licet sit secundū rationem similitudinis: quia ea similitudo non est secundū esse naturale eiusdē speciei, sed tantū secundū esse intelligibile: Vnde processio verbi in intellectu nostro non est generatio, etiam quando anima producit verbū de sui cognitione, quia verbum illud est accidēs, anima verò est substātia. At posteriori modo, quatenus scilicet processio verbi est perfectissima, verè ac propriè generatio est, longè perfectiori modo, quā quæuis alia viuentiū generatio, vt explicat D. noster A. *in dicto 11. c.* Nam ex communi ratione processionis verbi producti, ex ea cognitione qua cognoscens se ipsum cognoscit, conuenit verbo diuino vt sit simile producenti: ex summa verò perfectione processionis idem sibi vendicat esse naturale cum producēte. Nam, vt ante diximus, intelligere quòd est esse verbi, intellectus & species, in Deo est eius essentia & esse naturale ac Deus ipse. At amoris diuini processio, siuè sumatur in communi, siuè vt perfectissima species amoris, non habet vt sit secundum rationem vel modum similitudinis neque vt procedens tali processione, quatenus sic procedit, sit formaliter simile. Nam processio amoris vt sic & consequenter omnes eius per se differentiæ sunt secūdum rationem impulsus, non autem secundum rationem similitudinis; Processio autem verbi vt sic & omnes eius per se differentiæ sunt secundum rationem similitudinis, & consequenter processio verbi perfectissima est secundum rationem perfectissimæ similitudinis, quæ est in eadem essentia & in eodem esse substantiali. Nā quantò perfectior est verbi processio, tantò verbum procedens intimius est, ac magis vnitum intelligenti; quare si fuerit infinitæ perfectionis verbi processio, erit etiam summo ac perfectissimo modo possibili verbi cum intelligente coniunctio; hæc verò est, vt vna numero sit ipsius verbi ac dicentis essentia; qui discursus desumitur *ex primo a. huius q. in resp. ad 2.*

Quòd autem diuinus amor sit eiusdem naturæ cum producente, non habet ex vi suæ processionis, vt processio est amoris formaliter, sed tantum quatenus diuinus est & eius processio diuina, siuè in Deo, in quo omnia sunt idem quod Deus & eius essentia. Ad cuius euidentiam lege quæ scribit Cai. *infra q. 35. a. 2.* de duplici modo distinguendi siuè contrahendi amorem scilicet per differentias per se & per differentias extraneas; qui desumitur ex doctrina Arist *7. Metaph. tex. 43. & lib. 1. de partibus an. capit. 3.* Vnde Spiritus S. ex vi suæ processionis formaliter vt scilicet processio est secundum rationem voluntatis siuè amoris, non habet vt sit Deus: sed id tātùm habet ex vi suæ processionis materialiter & identicè, quatenus scilicet diuina est; nec Spiritus S. formaliter vt Spiritus est, Deus est; sed quatenus in Deo est in quo omnia Deus sunt.

Soluitur ratio dubitandi.

Ex dictis patet responsio ad rationem dubitandi in principio positam: Nā licèt processio verbi diuini secundū rationē quasi genericam, quatenus scilicet est processio verbi, non habeat vt sit secundū similitudinem in esse naturali: hoc tamē habet vt est processio verbi perfectissima: quatenus dictio illa *perfectissima* significat differētiam per se contractiuam verbi ad talē speciē, quæ est omnium perfectissima. Vbi aduerte similitudinē hic sumi fundamentaliter, sic enim est ratio à priori, quòd processio sit generatio: nā si sumatur formaliter scilicet pro relatione, posterior est generatione & ad eam sequitur.

Explicatur ratio ima-

Postremò notandum est similitudinem ad imaginem comparari vt magis commune ad minus com-

Ignis & similitudines, tàm absolutè quàm in materia diuinarum processionũ, & confutatur sententia Turriani & Vasquesij.

commune, vel vt genus ad speciem, sumendo vtrumque, scilicet similitudinem & imaginem fundamentaliter; omnis enim imago est similitudo sed non è contra. Nam similitudo dicit conuenientiam in qualitate; & si fuerit perfecta erit in vna qualitate specifica. Qualitas autem hic latè sumitur prout extenditur ad formas & differentias, siuè rationes rerum essentiales; Imago verò postulat conuénientiam in specie, vel saltem in signo speciei, & addit etiam originem ex ea re, cuius est imago. Vnde licèt vnum ouũ sit alteri perfectè simile, non est tamen eius imago; quia non est de illo expressum, vt ait S. Th. *infra q. 35. a. 1.* ex Aug. Et quamuis prædicta differentia vera sit absolutè loquendo; in materia tamen diuinarum processionum idem est procedere secũdum rationem perfectæ similitudinis, & procedere secundum rationem imaginis; nam processio viuentis secundũ rationem perfectæ similitudinis claudit formaliter omnia requisita ad processionem secundum rationem imaginis; quoniam hoc ipso quod est processio viuentis est etiam origo; omnis enim processio viuentis à viuente est origo, & è contra; qua origine suppositа omnis perfecta similitudo, quæ scilicet est secundum speciem, est imago; igitur in diuinis non distinguitur processio per modum similitudinis, à processione per modum imaginis. Vnde S. D. *in a. 2. dict. q. 35.* probat filium esse imaginem; quia procedit per modum similitudinis: & Spiritum sanctum non esse imaginẽ; quia nõ procedit per modũ similitudinis. Vnde SS. Patres, Greg. Nazian. Athan. Aug. Ans. & alij, quos refert Vasq. *c. 2.* & Torres *loco allegato*, non distinguunt inter imaginem & similitudinem habitam ex processione, vt etiam aduertit Suar. Rectè igitur probat S. D. processionẽ Spiritus sancti non esse generationem: quia non est secundum modum similitudinis, sicut processio verbi. His adde æquè ineuidens esse Spiritum S. non esse imaginem ac non esse genitum; immò magis certum esse Spiritum S. non esse genitum, quam non esse imaginem. Nam Græci primum catholicè confitentur; secundum autem negant; dicunt enim Spiritum S. esse Patris imaginem; Non igitur ita rectè probatur Spiritum S. nõ esse genitum; ex hoc quod non est imago, sicut idẽ probatur, ex hoc quod non procedit vt similis.

Contra Torrensem, & Vasquez.

Nec verũ est quod ait Torres & post eũ Vasq. ad rationem imaginis non sufficere similitudinẽ ex vi processionis, sed necessariũ esse vt res, quæ dicitur imago, procedat similis ad repræsentandum; atque ideò verbum esse imaginem, quia & simile est & ad repræsentandum procedit: Spiritũ S. autem non procedere ad repræsentandum; quamuis procedat vt similis ex vi processionis: & ideò non esse genitum siuè Filium. Nam res dicitur procedere ad repræsentandum, vel ex intentione expressa artificis, sicut imagines fictæ vel depictæ: vel ex intentione naturæ, quando scilicet res talis procedit vi suæ processionis, vt eo ipso repræsentet id à quo procedit; sicut Filius est imago substantialis Patris ad repræsentãdum producta; At Spiritus S. ex vi suæ processionis talis procedit, vt eo ipso repræsentet principium à quo procedit scilicet Patrem & Filium; ergo Spiritus sanctus procedit ad repræsentandum, & consequenter est imago; quod tamen rectè negat Vasquez cum D. Th. & Patribus Latinis. Maior est Vasq. *in dicto c. 7.* Minor probatur ex eiusdem & Torrensis sententia; quia Spiritus S. ex vi suę processionis est similis suo principio; ergo ex vi suę processionis procedit talis, vt eo ipso repræsentet suũ principiũ; ergo procedit ad repræsentandũ. Antecedens est dictorum expositorũ. Prima consequentia probatur. Quia omne perfectè simile tale est, vt eo ipso repræsentet suum principiũ; igitur si Spiritus S. ex vi suæ processionis est perfectè similis, sequitur vt ex vi suæ processionis sit talis, vt eo ipso repræsentet suum principiũ. Secunda verò consequẽtia probatur ex prædicta maiori, quæ est propositio Vasq. Et confirmatur vis argumenti. Quia Filius non alia ratione dicitur repræsentare Patrem & esse imago illius; nisi quia à Patre procedit per actionem vi suæ naturæ communicatiuã; At hoc est procedere per modum similis ex vi suæ processionis; igitur ex hoc ipso, quod aliquid procedit per modum similis, procedit ad repræsentandum, & consequenter etiam vt imago; quod non admittunt prædicti expositores.

Responsio Vasquez.

Sed respondet Vasq. in humanis ex eo solùm dici aliquem filium, quod habeat eandem naturã cum producente: quia in hoc solùm est fundamentum relationis imaginis, in quo sufficienter saluatur ratio filij: Nam ex sola (inquit) similitudine naturæ producti cum producente, si sit intellectus, cui repræsentare possit, nascitur ratio formalis imaginis; At in Deo sola similitudo naturæ producti cum producente non cõstituit rationem filij: quia hæc sola similitudo non est sufficiens fundamentum relationis imaginis, sed requiritur etiam proprietas verbi, quatenus est per intellectum: ideò enim Patri verbum repræsentat, non quia habet eandem naturam cum illa (sic enim & Spiritus sanctus repræsentaret) sed quia est eiusdem naturæ, & eam habet coniunctam cum verbi proprietate producti per intellectum. *Sed hæc voluntaria*, ac friuola sunt; Nam quamuis diuinum verbum supra communẽ modum repræsentandi qui est per similitudinem eiusdem naturæ cum producente, singularem habeat repræsentandi modum; adhuc tamen Spiritus S. verè & perfectè repræsentabit suũ principium propter naturæ identitatem cum eo, & multo magis quàm quilibet Filius in humanis Patrem repræsentet, propter maiorem naturæ identitatem, quàm habet Spiritus S. cum suo principio, quam quilibet filius humanus cum Patre. Et confirmatur quia Spiritus sanctus secundum dictos expositores ex vi suæ processionis eandem habet naturam intellectualem & intelligibilem & actum intellectionis cum Patre & Filio; ergo etiam ex vi processionis habet veram & perfectam repræsentationem.

Confut.

Prima Responsio.

Huic argumento respondent, de ratione imaginis esse vt alicui repræsentet: Spiritum Sanctum autem nulli repræsentare Patrem & Filium; quia nec illi cognoscunt se in Spiritu S. nec etiam Spiritus S. eos in se ipso cognoscit. *Sed hæc responsio* falsa est quo ad vtramque partem. Nam vt ait S. Th. *in 1. dist. 28. q. 2. a. 1.* Ratio imaginis consistit in imitatione, vnde & nomen imaginis sumitur; dicitur enim imago quasi imitago; at imitatio perfecta esse potest, antequam alicui repræsentet; quoniam imitatio ex repræsentatione nõ dependet, sed è conuerso; ergo etiam imago ab actuali repræsentatione non dependet, sed è cõtra. Falsa est etiam altera pars responsionis; nam licet Pater non intelligat seipsum Filio, nec Spiritu S. intelligit tamẽ seipsum in Filio & in Spiritu S. in quibus est secundum essentiam, secundum relationem & secundum originem, vt probat S. Th. infrà *q. 42. a. 5.*

Confut.

Secunda Responsio.

Secundò respondent, quòd sicut ignis ab igne procedens non repræsentat ignem à quo procedit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cedit nec est eius imago; quia licet sit similis, non est tamen similior alijs; ita Spiritus sanctus non repræsentat Patrem nec est eius imago; quia non est similior illi quàm Filius, nec habet rationem verbi sicut Filius. *Confutatio.* *Sed hæc responsio* falsum implicat vel supponit, nimirum esse de ratione repræsentatiui & imaginis, vt magis assimiletur suo principio quàm alijs. Nam quandoque filius maiorem habet similitudinem cum fratre quàm cum Patre, & tamen non est fratris imago sed Patris, & Patrem per se repræsentat non autem fratrem; sicut quilibet effectus similis vniuocæ suæ causę, illam per se repræsentat, non autem alium eidem causæ & effectui æquè similem. Propria itaq; ratio, cur Spiritus S. processio non sit generatio, ea est quam ex doctrina S. Tho. & eius schola superius assignauimus.

Conclusiones deducte, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Spiritus S. ex vi suæ processionis formaliter non procedit vt similis.*

SECVNDA CONCL. *Ratio propria cur processio verbi sit generatio, non autem processio Spiritus S. non est: quia Filius procedat per modum imaginis, non autem Spiritus S. accipiendo imaginem in eo sensu, quo explicatur à prædictis expositoribus.* Probatur hæc conclusio. Quia imago sic explicata posterior est ratione generationis, & ad eam sequitur sicut effectus ad causam; non igitur potest esse propria ratio generationis. Antecedēs probatur; quia prius est esse genitum quàm repræsentare alicui, quòd esse de ratione imaginis contendunt oppositæ sententiæ defensores. Secundò quia ratio imaginis sic explicata communis est vtrique processioni & procedenti, vt superiùs ostendimus ex principijs aduersariorum.

TERTIA CONCL. *Ratio prædictæ differentiæ inter processionem Filij & Spiritus S. non est ex hoc præcisè, quòd intellectio, quæ est quasi constitutiuum diuinæ naturæ, communicetur verbo formaliſsimè; amor verò diuinus ex ratione suæ sit tanquam quid consequens dictam intellectionem.* Hęc patet ex dictis contra sententiam Suar. Et probatur ex diffinitione generationis, quæ est origo viuentis, &c. prout superius explicauimus ex D. Th. & Arist.

QVARTA CONCLVSIO. *Ideò processio verbi diuini generatio est, non autem processio Spiritus S. quia illa est secundùm rationem siue modum similitudinis fundamentaliter in eadem natura, hæc verò minimè.* Probatur hæc conclusio. Processionem esse secūdùm rationem similitudinis fundamentaliter nihil aliud est, quàm processionem esse acceptionem eiusdem naturæ ex vi ipsius processionis; at hæc est propria ratio generationis; ergo. Maior patet ex ratione similitudinis fundamentaliter acceptę, quæ nihil aliud est quàm forma siue natura duorum vel plurium, quatenus in eis habet vnitatem specificam vel genericam vel saltem analogicam. Minor probatur ex diffinitione generationis superius expositа, quæ est origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ.

Argum. & solutiones.

CONTRA *primam* concl. sunt arg. quæ proponunt & soluunt Cai. Ferr. & alij nostri temporis expositores; ex quibus Zum. latissimè ac diligenter omnia tam antiquorum quàm recentiorum argumenta refert & soluit.

Vasq. 1. obi. com. 1. concl.

Contra eandem concluſ. argum. Vasq. *Primò:* Vel Filius procedit similis in natura ex vi processionis quatenus est per intellectum aut quatenus est per talem intellectum; Non quatenus per intellectum; Sic enim omnis processio per intellectum esset generatio; ergò quatenus est per talem intellectum: at Spiritus sanctus ex vi talis processionis procedit similis in natura; ergò Spiritus S. non erit minus genitus quàm Filius. *Resp.* Cùm dico talem intellectum & talem processionem, dictio illa *talem* significat differentiam contractiuam intellectus & processionis; quæ differentia potest esse duplex, scilicet per se distinguens & cōtrahens intellectum vt intellectus est, prout distinguitur per differētias intellectualitatis formaliter, quæ sumitur in ordine ad actus intelligendi, & obiecta vt obiecta sunt: & sic distinguuntur intellectus secundum diuersos modos quibus respiciunt & sunt ipsum intelligibile, vel vt purus actus, sicut intellectus diuinus, vel medio modo inter actū & potentiam, vt intellectus Angelicus, vel vt pura potentia, sicut intellectus humanus, vt ait Caietanus *infra q. 79. a. 7.* de qua re multa diximus *q. 12. a. 1. Controu. 1.* Potest etiam intellectus contrahi per differentias per accidens siue extraneas, vt cùm distinguitur in diuinum, Angelicum & humanum; quoniam subiecta hæc non dicunt formaliter diuersas rationes intellectualitatis vt sic: Similiter processio aliqua, puta voluntatis, potest dici talis dupliciter. Primò vt dictio *talis* significet differentiam per se & formaliter contractiuam & constitutiuam speciei processionis: & sic distinguitur per differentias & modos impulsus; vt cùm distinguitur in amorem amicitiæ & amorem concupiscentiæ &c. Secundò potest distingui & contrahi per differentias accidentales siue extraneas; vt cùm distinguitur in processionem quæ est amor diuinus, & in eam quæ est amor Angelicus, & in eam quæ est amor humanus. Sunt enim hæ differentiæ subiectorum, non autem impulsus vt sic, qualis est processio voluntatis. *His præmissis ad argumentum dico* primò, Filium procedere similem in natura, quatenus eius processio est per talem intellectum, qui scilicet est talis per differentiam per se intellectus, vt intellectus est, quæ in proposito constituit intellectum perfectissimum, cuius intelligere est eius esse & verbi procedentis: & consequenter eius processio formaliter est secundùm perfectissimam similitudinem, quæ est in eadem numero natura; & quod tali processione procedit, habet ex vi suæ processionis per se & formaliter vt sit simile, & sit genitū & Filius. Dico secundò Spiritū S. ex vi talis processionis voluntatis, quæ s. constituitur per differentiam per se processionis voluntatis, quæ processio amor est, non procedere vt similem; quia nulla differentia per se amoris vt sic dicit rationem similis; sed tātum rationem impulsus. Quod igitur Spiritus S. sit similis, habet quatenus talis est, ex differentia extranea scilicet natura diuina, cui identificatur: non autem ex differentia per se amoris, vt amor est.

Sol.

Secundò sic arguit Vasq. Amor Dei est amor essentialiter increatus, cuius amoris natura est esse non accidentarium sed subsstantiale, & idem cū ipso esse Dei; ergò ex vi propriæ naturæ & specificæ differentiæ habet procedere simile in natura. Probatur consequentia; quia est subsstantialis amor. *Resp.* amorem Dei esse essentialiter increatum secundùm rem, sicut est essentialiter Deus & quælibet diuina perfectio; non tamen dictio illa *increatus* significat differentiam amoris per se constitutiuam, siue contractiuam ad speciem amoris, vt amor est, sed differentiam extraneam formaliter, sicut etiam illæ dictiones *substantialis* vel *accidentalis* differentias extraneas significant; & ideò consequentia & eius probatio nulla est.

Obi. 2.

Sol.

Tertiò: Hæc est propositio in quarto modo di- *Obi. 3.*

cendi per se; Amor diuinus producit Deum; ergò hoc conuenit illi ex vi principij in quo recipitur. *Solut.* *Resp.* nullam esse consequentiam: quia dictio illa *diuinus* est differentia extranea amoris vt amor est; significat enim naturam siue essentiam Dei, cui identificatur amor: principium autem *amoris* proprium est voluntas cum bono cognito, quod principium vi sua formaliter nunquam producit simile. Nec obstat, quòd amor non sit à nuda voluntate cum obiecto, sed ab ea vt est in natura diuina, & ab ea quodammodo fœcundatur; nam, vt dicemus inferius, natura non producit amorem nisi per modum voluntatis; & ideò natura & voluntas computatur vt vnum principium amoris.

Obi. 4. *Quartò sic arguit.* Vel esse diuinum est extrinseca differentia intellectionis vel intrinseca; si extrinseca; ergò quòd procedit in Deo ex vi intellectionis diuinæ, ex propria differentia non procedit vt genitum, sed ratione subiecti, & extraneæ differentiæ; si verò esse diuinum est intrinseca differentia intellectionis, erit etiam amoris; & ita vtraque persona procedet similis ex vi processionis. *Solut.* *Respond.* nomen diuini significare differentiam extraneam formaliter. Ad argumentum in contrarium nego sequelam; nam ostensum est supra, quomodo ex propria & per se differentia intellectionis verbum diuinum procedat, vt simile in natura.

Obiect. 5. *Quintò*, Spiritus S. quatenus procedit à verbo Deo, procedit vt similis; ergò ex principio suo proprio exit similis in eadē natura, & dilectio qua producitur ex eodem principio habet producere simile. *Solut.* *Resp.* falsum esse antecedens formaliter loquendo de verbo Deo, quatenus principium est amoris, qui est Spiritus sanctus, quo ad differentiam eius per se, vt amor est; sic enim concurrit vt bonum cognitum formaliter, ad quod per se & formaliter non sequitur simile, sed affectio tantum & impulsus in illud. Secundò negatur consequentia; quia dictio illa *Deo* dicit differentiam extraneam. Et per hæc patet solutio ad quædam alia similia eiusdem expositoris sophismata.

Obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam* conclusionem argumentatur Vasquez. Quia Athanasius, Nazianzenus, Anselmus & sanctus Thomas *in 4. con. gent. cap. 11. & cap. 19.* probant verbum esse Filium, quia est imago Patris: & Spiritum S. non esse genitum siue Filium, quia non est imago Patris & Filij. *Solut.* *Resp.* primò prædictos Patres sumere nomen *imaginis*, prout idem est quod similitudo, vt patet ex eorum verbis à Vasquezio relatis, vt etiam notauit Suarez. Secundò dico sumi ab eisdem Patribus nomen *imaginis* fundamentaliter, non vt actu repræsentat alicui, prout accipiunt Torres & Vasquez in quo sensu non potest ex imagine Filius, vt ex propria ratione rectè probari, sed potius è contra, vt antè probauimus.

Obi. 1. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam* conclusionem argumentatur Suarez & *primò* contra priorem partem. Diuina natura est intellectualis per summam actualitatem intellectus; ergò ipsa actualis intellectio est quasi formale constitutiuum illius naturæ; At verbo diuino formalissimè communicatur intellectio ipsa, vt intellectio est, eo ipso quòd per intellectionem producitur tanquam verbum; ergo ex eodem principio rectè concludimus formaliter etiam communicari ipsi naturam illam, secundùm propriam rationem formalem talis essentiæ & naturæ, vi suæ processionis, & consequenter verbum esse genitum & Filium. *Solut.* *Respon.* hoc argumento probari nostram quartam A conclusionem; nam ex formali communicatione naturæ non potest deduci generatio, nisi media ratione fundamentali similitudinis, quæ in diffinitione generationis exprimitur, & in dicto Suar. discursu virtualiter clauditur.

Secundò contra posteriorem partem conclusionis sic argumentatur. Amor ex ratione sua est tanquam quid consequens intellectionem, sicut in vniuersum appetitus consequitur esse rei; At quod consequitur esse rei, non censetur constituere naturam rei, sed illam constitutam comitari; ergo nec etiam amor constituit naturam rei; igitur ob dictam causam processio amoris non est generatio. *Obi. 2.* *Resp.* sequelam vltimam nullam esse: *Sol.* B Nam communicatio naturæ formaliter loquendo non fit per actum ipsius naturæ constitutiuum, sed per operationem potentiæ, quæ præsupponit naturam iam constitutam; nec generatio Filij in diuinis ex hoc formaliter est generatio, quia intellectio per quam communicatur natura, est naturæ constitutiua, nam communicatur natura per operationem vt operatio est, non vt habet rationem constitutiui, si secundùm rem sit constitutiua; quia communicatio & generatio vt sic est actus secundus; constitutiuum autem vt sic est actus primus; Igitur intellectionis diuinæ communicatio infert communicationem naturæ, non ex hoc formaliter quod illa intellectio est naturæ diuinæ constitutiua, sed ex C hoc quod illa intellectio est formaliter ipsum esse substantiale Dei, & ipsamet natura diuina, quæ vt modum induit operationis suijpsius communicatio est.

CONTRA *vltimam* conclusionem sunt argumenta relata & soluta à Caiet. & alijs expositoribus D. Th.

Proponitur in forma primum argumentum D. Th. & eius solutio.

PRIMVM *argumentum* S. Thom. est. Quòd procedit in similitudinem naturæ in viuentibus, dicitur generatum & nascens; sed id quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturæ; ergo quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit vt genitum & nascens. Probatur minor; quia aliàs id, quod procedit per modum amoris, esset extraneum à natura diuina, & sic esset processio ad extra. *Respondet* S. Thom. Maiorem esse veram de eo, quod procedit in similitudinem naturæ secundùm propriam rationem suæ processionis, siue ex vi suæ processionis; non autem de eo quod procedit vt simile ex vi naturæ acceptæ. Ad minorem respondet, quod id, quod procedit per modum amoris, procedit vt simile naturæ in diuinis, non ex vi & modo talis processionis, quæ est secundùm rationem voluntatis, sed ex E vi naturæ diuinæ per talem processionem acceptæ. Nam quidquid est in diuinis est vnum cum natura diuina. Rationem huius responsionis reddit S. Thom. quoniam ex parte vnitatis naturæ diuinæ, non potest accipi propria ratio huius vel illius processionis, secundùm quam vna distinguitur ab alia; sed oportet vt propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundùm ordinem vnius processionis ad aliam; qui ordo attenditur secundùm rationem voluntatis & intellectus. Ex quo sequitur, quòd secundùm propriam rationem intellectus & voluntatis, sortitur etiam rationem & nomen vtraque processio; & quia propria ratio intellectus habet, vt fiat in actu per similitudinem rei cognitæ: propria autem ratio voluntatis habet, vt fiat in actu per incli-

clinationem eo rem cognitam: hinc sequitur vt A id, quod procedit per modum intellectus, procedat vt simile & vt natum; id verò quod procedit per modum voluntatis & amoris, non procedit vt simile nec vt natum, licet diuinam naturam accipiat.

Secvnda Controversia.

An processiones distinguantur seipsis formaliter siue proprijs earum rationibus?

Ratio dubitandi. NAscitvr hæc Controu. non tam ex opinionũ diuersitate, quàm ex dictis nostri A. Doctoris, quæ primo aspectu videntur sibi contraria. Nam *in q. de potentia q.10.a.2.* negat has processiones distingui seipsis, & ait eas distingui per ordinem originis, sic enim loquitur: *Solus ordo processionum, qui attenditur secundùm originem, processiones multiplicat in diuinis, vnde, conuenienter dixerunt, qui posuerunt vnam processionem esse per modum naturæ, & intellectus; aliam per modum voluntatis, quantum ad id, quod processio, quæ est secundùm naturam vel intellectum, non præexigit aliam processionem; processio autem, quæ est per modum voluntatis, aliam processionem præexigit. Nam amor alicuius rei non potest à voluntate procedere, nisi præintelligatur præcessisse ab intellectu illius rei verbum conceptum: Bonum enim intellectum est obiectum voluntatis.* Hæc C D. Th. *In c.* autem *huius a.* determinat eas distingui proprijs earum rationibus, quod est eas distingui seipsis formaliter: sed *in præmissa resp. ad 1.* videtur vtroque modo eas distinguere.

Sententiæ Doctorum Tres *sunt* de proposita difficultate sententiæ. *Prima* est AEgid. *in 1. sent. dist.13.* qui asserit diuinas processiones distingui per suos terminos totales, qui sunt ipsæ personæ productæ, sicut etiam motus distinguitur penes terminos.

Secunda sententia est Scoti, quam refert & sequitur Rada *1.p.Contr.14.a.2.* quæ dicit quatuor. *Primum:* Distinctio emanationum non est sumenda penes terminos, ita vt termini sint principia D distinctionis. *Secundum:* Istæ emanationes habẽt principia formalia inter se formaliter ex natura rei distincta, quæ sunt intellectus & voluntas. *Tertium;* Istæ emanationes distinguuntur seipsis formaliter, siue se totis formaliter, siue (quod idem est) seipsis sunt primò diuersæ. Nam licèt cõueniãt in aliqua realitate, puta in hoc, quòd sunt processiones diuinæ personæ, quòd sunt immateriales, &c. id tamen in quo conueniunt, non est aliquid contrahibile per differentias, sicut communis realitas generica; & ideò dicit Scotus & eius schola, eas distingui se totis subiectiuè, non autem se totis obiectiuè; Nam ea distinguũtur se totis obiectiuè secundùm eos, quæ in nullo quidditatiuo conceptu etiam entis conueniunt. *Postrèmò* dicit hæc sentẽtia emanationes istas distingui E manifestatiuè penes suppositа producta, quia per ipsa dignoscitur, & manifestatur earum distinctio.

S. Thom. *Tertia sententia* est D. Tho. cuius tamen verba non eodem modo interpretantur eius discipuli.

Capreol. Nam Cap. *in 1. dist.13.q.1.* tribus concl. mentem D. Th. expressit. *Prima* est. Istę processiones passiuè acceptæ non distinguuntur seipsis formaliter. *Secunda.* Istæ processiones non distinguuntur realiter ex hoc, quod vna est per modum intellectus, & alia per modum voluntatis. *Tertia:* Istę processiones distinguũtur per relationes originis. Quẽ dicendi modum sequitur expresse Iauell. *sup. hoc a.* Recentiores etiam scil. Ban. Zumel. & Ripa in eundem incidunt.

Sed Cai. hic, & Ferrar. *in 4. cont. gent. c.14.* duo dicunt de mente S. Tho. *Primum:* Diuinæ processiones distinguuntur seipsis formaliter. *Secundum;* Eædem processiones non distinguuntur seipsis primò.

Status controuersiæ. *Vt autem videas*, quæ sit inter has duas expositiones differentia & nodum agnoscas difficultatis, ac mentem A. nostri D. intelligas. Aduerte primò duplicem esse distinctionem inter prędictas duas processiones: vnam realem & alterã formalẽ. Realis est ex ordine originis, quem habent dictæ processiones ad inuicem, vt cum Cai. diximus *in a.præc.* & hic adnotat Ban. *in 4. sua concl.* & Capr. *in dicta dist.13.* & efficaciter demonstrabitur B *infra q.36.a.2.* Formalis verò distinctio non est ex ordine originis, sed ex rationibus formalibus vtriusque processionis, quæ rationes formales dependent ex rationibus principiorum, scilicet intellectus & voluntatis, & ex rationibus obiectorum vtriusque potentiæ & processionis, vt in sequentibus ostendemus: & de hac distinctione loquitur S. Th. *in hoc a.* & in hoc sensu interpretati sumus cum Caiet. sensum quæsiti: Nec in corpore articuli fit vlla mentio de ordine originis, sed tantùm de rationibus intellectus & voluntatis, & processionis vtriusque; quamuis *in resp. ad 1.* prædictæ distinctioni ordinem vnius ad alteram adiunxerit, cuius rationem adducemus C inferius; Et quoniam expositores, qui priorem sequuntur dicendi modum, verba S. Tho. in hoc articulo paulò maturius considerare neglexerũt; idcircò de vtraque processionum distinctione differunt non satis opportunè, & vt prouerbio dicitur, Extra chorum saltant.

Resolutio. Distinguitur & explicatur nomẽ & ratio processionis, distinctionis formalis, & eius relatiui. Svmenda est propositæ Contr. resolutio ex quatuor distinctionibus, cum breui singulorum membrorum explicatione. *Prima distinctio* est. Duæ processiones verbi scilicet & amoris in Deo dupliciter sumi possunt; vno modo *actiuè* & sic productiones siue operationes productiuæ propriè sunt, vt generatio prout est actio Patris generantis, & productio Filij; & spiratio D prout est actio Patris & Filij spirantium, & productio Spiritus sancti. Alio modo sumuntur *passiuè*, quæ est propria earum acceptio; quia nomen processionis vt sic, significat emanationem producti ex producente; vt generatio passiuè sumpta est emanatio Filij à Patre, & spiratio passiuè sumpta est emanatio amoris à Patre & Filio; quamuis hic nulla interueniat vera & propria passio, sed tantum grammaticalis. De processionibus vtroque modo sumptis, quoad earum formalem distinctionem, procedit huius articuli doctrina, vt ex dicendis apparebit.

Processio actiuè & passiuè.

Processionis ratio duplex, sc. completa, & incompleta. *Secunda distinctio est.* Prædictæ duæ processiones passiuè sumptæ dupliciter sumi possunt: E Vno modo secundùm suas integras rationes; id est secundùm omnia in eis intrinsecè clausa: & sic includunt ordinem originis vnius ab alia, distinguunturque realiter inter se per talem ordinem: sic enim continent oppositionem relationem, immò sunt idem quod relationes constitutiuæ Filij, & Spiritus sancti, vt supra diximus. *Alio modo* sumi possunt secluso ordine originis inter eas; & sic accipiuntur secundùm earum rationes incompletas, nec propriè sunt duæ totales acceptiones eiusdem naturæ diuinæ; sed prima scilicet processio verbi sic sumpta est acceptio naturę simpliciter; secunda verò scilicet amoris processio eodem modo sumpta, nimirum, sine ordine originis ad processionẽ verbi, non est eiusdem naturæ acceptio simpliciter, sed

sed tantùm secundùm quid. Nam si tollatur aut A mentis considerationè præscindatur ordo originis, qui est inter generationem verbi & processionem Spiritus S. eadem persona esset realiter Filius & Spiritus S. & vna esset emanatio realiter generatio Filij, & processio Spiritus S. & vnica illa persona procedens primò acciperet per generationem naturam simpliciter & esset Filius: secundò per spirationem acciperet eandem naturam secundùm quid & esset Spiritus sanctus; nam generatio dat rei genitæ esse simpliciter, id est absolutè. Itaque si eadem res genita intelligatur procedere alia processione, impossibile est vt per illam aliam processionem acquirat esse simpliciter, cùm illud iam habuerit per generationem; accipit ergò per illam secundam processionem esse secundùm quid; quia scilicet acquirit rationem amoris, quasi superadditam genito perfectionem. Et in hoc posteriori sensu quærimus, & cum Scoto præcipuè disputamus de distinctione diuinarum personarum, quàm esse tantum formalem nobiscum affirmat Scotus & eius schola; sed dissensio tota est de modo distinctionis.

Distinguuntur aliqua seipsis formaliter dupliciter.

Tertia igitur distinctio ex Cai. quem recentiores sequuntur hæc, est. Valdè distat aliqua distingui seipsis formaliter & distingui formaliter seipsis primò. Ea distinguũtur seipsis formaliter, quorũ C distinctio fit per aliquid eis intrinsecum & essentiale, siue illud sit pars diffinitionis siue tota diffinitio; sicut homo sola rationalitate distinguitur à leone, sed tota diffinitione differt à lapide. Ea verò distinguuntur formaliter seipsis primò, quorum distinctio non sumitur ex alio distinctiuo, quæ proinde primò diuersa dicuntur: & hæc sunt omnia & sola entia absoluta, quæ scilicet relatiua non sunt nec relatione prædicamentali nec relatione transcendentali, vt omnes species substantiæ completæ & quantitatis. Dico autem *substantiæ completæ*; quia partes substantiæ, vt materia & forma non sunt primò diuersæ; quoniam eorum distinctio desumitur ab extrinseco, veluti primo distinctiuo; diffinitur enim materia per formam, & è contra. Ad cuius euidentiam sit.

Entia absoluta & relatiua.

Quarta distinctio entia quædam absoluta sunt & quædam relatiua. Absoluta sunt quæ secundùm suam rationem formalem nullum dicunt ordinem ad extrinsecum, vt substantia & quantitas, & eorum species ac genera subalterna, & hæc vt ante diximus, dicuntur distingui formaliter seipsis primò; quia cum nullum essentialem ordinem habeant ad extrinseca, claudunt intra seipsa prima suæ distinctionis principia, nec in suis diffinitionibus quidquam includunt, quod sit extraneum ab essentia definiti. Quædam verò

Ens relationum duplex

alia sunt entia relatiua, quorum duæ sunt differentiæ siue modi. Nam quædam in prædicamento relationis continentur, vt Pater & Filius, Dominus & Seruus, quæ ideò prædicamentalia nuncupantur; quædam autem per plura vagantur genera & cuiusuis prædicamenti metas transcendunt, ac propterea dicuntur à Metaphysicis transcendentalia, vt motus cum singulis suis speciebus, potentiæ, actus, habitus, materia & forma, & alia similia quæ sunt entitates quędam mediæ inter ea, quæ sunt simpliciter absoluta, & ea quæ sunt omnino respectiua. Quia cùm ad genus relationis prædicamentalis non pertineant, extrinseca quædam non per superadditum ordinem, sed per suam ipsarum naturam in ea essentialiter propensam respiciunt; adeò vt nec per primam intellectus operationem absque talibus extrinsecis concipi valeant; non quòd extrinseca illa sint eorum essentiales, & intrinsecæ differentiæ, sed ob eam causam; quia eorum differentiæ sumuntur ex ordine ad extrinseca. Nam essentialis ac propria differentia motus intrinseca quidem est motui; sed quia motus suaptè natura tendentia quædam est in terminum, ac proinde essentialiter habet ad illum ordinem; ideò propria & essentialis differentia motus ab eius termino sumenda est; quod idem dicendum est de potentia in ordine ad habitum, actum & obiectum, & de actu siue operatione in ordine ad obiectum: & de materia in ordine ad formam, & è contra. Hæc enim singula ad propria sua iam dicta extrinseca B ordinem habent intrinsecum, ab eorum essentijs minimè distinctum, quo totæ seipsis in ea propendunt; atque ideò nec sine eis concipi possunt aut deffiniri, cùm ex illis nimirum extrinsecis dependeant horum ac similium entium differentiæ. Vnde quemadmodum relatiua prædicamentalia deffinimus ea esse, quæ hoc ipsum quod sunt ad aliud dicuntur, intelligendo cum Alberto & Caietano in Prædicam. per dictionem *aliud* terminum formaliter, ac præcisè absque omni causalitate: ita relatiua hæc transcendentalia congruè deffiniri possunt ea esse, quæ hoc ipsum quod sunt ad aliud dicuntur, ex quo secundum C aliquem modum causalitatis tota pendet eorum essentia, vt patet in exemplis superius adductis de motu, potentia, actu &c.

Ostenditur quomodo se ipsis formaliter distinguantur diuinæ processiones, & cõcluditur sententia.

Iam Vero ex his, quæ hucusque diximus, perspicuè patet, an & quomodo seipsis distinguantur hæc entia transcendentalia relatiua. Dicendum enim est primò ea se ipsis formaliter distingui, si dictio illa *seipsis* denotat proprias eorum essentias; nam essentiales differentiæ, quibus huiusmodi res ab inuicem formaliter distinguũtur, ad ipsarum rerum essentias pertinẽt. Quòd si dictio illa *seipsis* nominet proprias rerum essentias, vt conceptas præcisè ab ordine illo transcendente, quem habent ad extrinseca, & non ab ipsis extrinsecis tantùm: dicendum est secundò ea entia seipsis formaliter non distingui; D quoniam impossibilis est talis distinctio, sicut etiam impossibilis est talis præcisio; Implicat enim manifestam contradictionem præscindi rem ab eo, quod illi intrinsecum est & essentiale, in quo fundatur gradus specificus & ratio vltimę differentiæ, qualis est ordo ille transcendentalis in dictis entibus. Ex quo sequitur tertium nimirum, hæc entia non distingui formaliter seipsis primò; quoniam ordo ille essentialis quem habent ad extrinseca, dependentia quædam est ab extrinseco quo ad propriam & specificam quidditatem, & vltimam differentiam eius constitutiuam, quæ ab illo extrinseco terminante, tanquam à propria causa deriuatur.

Opinionum consensus.

E Et ex his communibus facilè est de proposita difficultate & opinionibus Doctorum relatis in principio iudicare. Nam si prædicta vera sunt, nulla est sententiarum oppositio aut vera diuersitas, sed multiformis eiusdem veritatis expressio. Nam AEgidius affirmans diuinas processiones distingui per suos terminos totales, qui sunt ipsæ personæ productæ; loquebatur de primo distinctiuo radicaliter, quo sensu etiam negat S. D. *de potent. q. 10. a. 2.* & Capreolus eas distingui se ipsis; quia scilicet primum distinctiuum radicale extrinsecum est; sed loquendo de formali distinctiuo, quod necessariò intrinsecum est, affirmat S. Thomas & eius schola, diuinas processiones seipsis formaliter distingui. Scotus autem loquens de eodem formali distinctiuo, pronuntiat eas

for-

formaliter seipsis primò distingui ; non ob eam causam quòd formalis distinctio ab extrinseco distinctiuo, scilicet termino non dependeat: sed ea tantùm ratione, quòd hæ processiones, quamuis in multis conueniant , puta , quod sint substantiales, diuinę, infinitæ, perfectę, &c. hęc tñ nõ sunt eis communia ad modum generis, quod per differentias contrahitur. Thomistæ negant eas distingui formaliter seipsis primò ob dictam causam ; quia scilicet earum differentia sumitur ab extrinseco; & præterea etiam quia conueniunt in vno aliquo prędicato communi, quasi ad modum generis, quod est processio diuina, cuius per se differentiæ sunt rationes diuersæ vtriusque processionis, vt processio est, scilicet esse secundùm rationem intellectus & similitudinis , & esse secundùm rationem voluntatis & impulsus ; quanquam in diuinis nullum sit propriè genus aut species.

Radæ conciliatio reijcitur.

Quòd autem ait Rada D. Th. loqui de distinctione reali processionum , Scotum autem de formali iam supra refutatũ est; quia S. Th. in huius articuli discursu de sola loquitur distinctione formali; quod etiam Ripa non aduertit. In responsione autem ad primum meminit sanctus Thomas de ordine originis, quo realiter distinguuntur diuinæ personæ, vt illum reducendo in proprias radices, quæ sunt rationes intellectus & voluntatis, ex eis concluderet distinctionem formalem processionum, quæ ex parte vnitatis naturæ vtraque processione communicatæ desumi nequaquam potest , vt perspicuè patet in textu.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Entia relatiua, vtralis relatione distinguuntur seipsis formaliter , sed non primò.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Diuinæ processiones tam actiuè quàm passiuè sumptæ , distinguuntur seipsis formaliter.* Probatur: quia habent intrinseca distinctiua formaliter.

TERTIA CONCLVSIO: *Processiones diuinæ quouis modo sumptæ scilicet actiuè vel passiuè , non distinguuntur seipsis primò formaliter.* Probatur primò: quia habẽt speciem à terminis, qui sunt productum vt simile, & productum vt impulsus: siue diuina essentia vt communicata per modum similitudinis , & vt communicata per modum impulsus, loquendo de terminis formalibus. Secundò quòd neque in sensu Scoti per se primò seipsis distinguantur probo; quia in multis prædicatis conueniunt , ac præsertim in hoc quòd sunt processiones & communicationes diuinæ naturæ ; quod eis commune est ad modum vniuoci & instar generis , quod per differentias per se descendit ad species , vt ante diximus.

QVARTA CONCLVSIO. *Distinctio formalis diuinarum processionum vtroque modo sumptarum oritur , vt ex causa virtualiter in essendo , ex rationibus intellectus & voluntatis , prout fundamentaliter sunt distincta.* Hæc satis apertè colligitur *ex resp. ad 1.* vbi sic dicitur. *Vnde secundum horum* (scilicet intellectus & voluntatis) *propriam rationem sortitur in diuinis nomen vtraque processio , quod imponitur ad propriam rei rationem significandam.*

QVINTA CONCL. *Distinctio formalis dictarum processionum non est ex ordine originis.* Probatur quia ordo originis præsupponit formalem distinctionem intellectus & voluntatis & operationum vtriusque; ergo: Probatur antecedens: quia essentialia præcedunt notionalia. Secundò quia ordo originis est relatio realis, quæ non est inter formaliter distincta, qua ratione formaliter distincta sunt; sed qua ratione tantùm potest realis inter ea esse distinctio, vt magis patebit ex dicendis *in seq. Contr.* Tertiò quia præciso ordine originis, adhuc remanet inter eas formalis distinctio, vt supra diximus.

Argum. & solutiones.

CONTRA *primam* concl. non sunt argumenta alicuius momenti, sed quæ possunt adduci, facilem habent solutionem ex dictis & ex doctrina Cai. *inf. q. 72. a. 3.* quo loco Bannes latius difficultatem extendit & aduersariorum argumenta dissoluit.

Obi. cont. 2. concl.

CONTRA *secundam* conclusionem argumentatur Capr. ex doctrina D. Th. quia vnumquodque distinguitur ab alio specie per id, à quo speciem habet; sed nulla processio siue motus habet speciem à se, sed à principio vel à termino ; ergò istæ processiones non distinguuntur ex seipsis formaliter. *Resp.* hoc argument. probari primò diuinas processiones non distingui primò seipsis formaliter. Secundò minus propriam & inconsuetam esse loquendi formam asserere talia entia seipsis distingui : quoniam vt hic aduertit Caietanus , non est in vsu talis modus loquendi , nisi in vltimate distinctiuis & distinctis.

Sol.

CONTRA *tertiam* concl. multa loquitur Rada, sed nullum aduersus eam producit argumentum.

Obi. cont. 4. concl.

CONTRA *vltimam* concl. argum. Ban. ex verbis D. Th. *in a. præced. ad 3.* vbi ait, quòd processiones, quæ sunt secundùm actiones intellectus & voluntatis, se habent secundùm quendam ordinem , ita sanè vt processio amoris originetur à processione verbi; ergò huiusmodi respectus intrinseci distinctas eas formaliter faciunt. *Resp.* D. Th. in toto illo articulo tractare de distinctione reali diuinarum processionum, quam etiam sustinet in dicta responsione , ex ordine originis inter eas existente. Vnde ad argumentum negatur consequentia. Nam ex tali ordine sequitur tantùm realis distinctio , formalis autem sumitur ex proprijs rationibus processionum, ex eorum principijs & terminis , eo modo quo diximus.

Solut.

TERTIA CONTROVERSIA.

An distinctio realis diuinarum processionum sit numerica tantùm, an verò formalis & specifica.

Sententiæ Doctorum.

IOan. Rada *Contr. 14. ar. 3.* quatuor conclusionibus respondet ad quæstum. *Prima* est; Hypostases diuinæ non differunt propriè numerica differentia. *Secunda*; Ex eo quòd proprietates personales constituentes hypostases diuinas sint alterius rationis, & quasi alterius speciei, non licet inferre , quòd hypostases diuinæ per eas constitutæ sint alterius rationis & speciei. *Tertia* eiusdem conclusio est. Hypostases diuinæ simpliciter & absolutè sunt eiusdem rationis & speciei , eo modo quo species concedi potest in diuinis: etsi proprietates earum constitutiuæ sint alterius rationis. *Postrema* demum eius conclusio est. Processiones in diuinis sunt alterius rationis & speciei ex proprijs rationibus formalibus, & non ex differentia proprietatum personalium. Hanc quo ad secundam partem statuit contra Bannesium. Hæc sententia non exiguè distat à mente & doctrina D. Th. quam sequuntur Bann. & Zumellus *super hoc articulo*. Ad cuius euidentiam.

Scien-

Resolutio. Quomodo sit in diuinis vnitas, & distinctio specifica.

Species duplex in diuinis.

Sciendum est PRIMO ex D. Thom. *de potentia, q. 10. a. 2. ad 12.* in diuinis non dici propriè genus & speciem, vel vniuersale & particulare; secundùm tamen quandam similitudinem creaturarum de diuinis loquendo Pater & Filius & Spiritus sanctus distinguuntur, sicut plura individua vnius speciei, vt ait Damascenus *lib. 2. orthod. fid. c. 4.* Sed obseruandum est in quolibet individuo generis substantiæ posse nos duplicem speciem considerare; nimirum speciem ipsius hypostasis, & speciem proprietatis individualis. Nam si ponamus Sortem esse album, Platonem verò nigrum, & albedinem ac nigredinem esse proprietates eorum individuales; tunc Sortes & Plato erunt vnum specie humanitatis, sub qua vt eius hypostases continentur; sed distinguentur secundùm speciem proprietatis individualis; quoniam albedo & nigredo specie differunt: itaque Pater & Filius in diuinis, quatenus conueniunt in vna deitatis natura, cuius sunt hypostases, considerantur vt vnum specie; sed quia paternitas & filiatio, quibus vt proprietatibus personalibus constituuntur & distinguuntur, sunt relationes specie diuersæ; idcirco Pater & Filius differunt specie proprietatis personalis. Ratio huius conuenientiæ & differentiæ est; quoniam processiones diuinæ non sunt sicut generationes in rebus creatis, quæ per se ordinantur ad speciem; Ex quo sequitur, vt natura speciei multiplicetur in rebus creatis iuxta multiplicationem suppositorum; sed diuina processio est ad multiplicationē hypostasum, in quib. est vna numero natura Deitatis; Quo fit vt in diuinis processiones sint quasi secundùm species differentes, propter differentiam proprietatum personalium, quamuis sit vna numero procedentibus natura communis; qui discursus non est alius ab eo, quem format Doctor noster Angelicus *in d. respons. ad 12.* Hanc doctrinam ex parte videtur amplexus fuisse Scotus *in 1. dist. 7. & dist. 8. quæst. 2.* vbi docet in diuinis non esse propriè genus nec speciem aut differentiam specificam, sed impropriè tantum ibi dici posse speciem & differentiam specificam, sumendo speciem pro ratione formali Dei, & differentiam specificam pro differentia secundùm rationem formalem; sed melius dici in diuinis aliqua esse eiusdem rationis vel alterius, quàm eiusdem speciei, vel alterius. Qui dicendi modus non differt, sed maximè consonat cum relata doctrina D. Tho. cui etiam assentitur Rada dicens; ea quæ secundùm proprias rationes formales distinguuntur, esse alterius rationis simpliciter; sed dici alterius speciei non absolutè, sed cum addito, vt puta quasi alterius speciei.

Duplex esse constituentium & distinguentium genus, quæ non eodem modo ad cōstituta comparantur; et qualia constituentia sint diuinæ relationes.

SECVNDO *Notandum est* duplicem esse constituentium & distinguentium ordinem. Nam quædam sunt per se primò à natura instituta ad constituendum & distinguendum: quales sunt omnes rerum essentiales differentiæ, quæ ex sua ratione formali non sunt completæ species, sed ad specierum pertinent complementum simul cum generibus; sicut rationale & irrationale, quę speciei naturam significant quo ad illud tantum, quod in ea formale & actuale est; quemadmodum genus puta animal eandem naturam significat quo ad id, quod in ea est potentiale, vt ait D. Thom. *de ente, & essentia, c. 3.* Quædam verò constituentia sunt & distinguentia, quæ ex sua ratione formali significant species rerum completas; sicut nigredo & albedo, paternitas & filiatio; sed quatenus sunt in tali natura, sic habent & actum exercent constituendi & distinguendi; vt videre est in casu dato de albedine & nigredine respectu Sortis & Platonis, & vniuersaliter in omnibus formis accidentalibus aduenientibus subiecto iam ad speciem determinato. Illæ enim formæ non sunt per se ad constituendum in specie & distinguendum institutæ; alioquin subiectum cui aduenirent esset per se in duplici specie & in duplici genere; & ex rebus diuersorum generum fieret vnum per se, non tantùm in ratione individui sed etiam in ratione quidditatis contra doctrinam Aristotelis & D. Th. *de ente & essentia, c. 7. & alibi sæpè*; Sed quemadmodum formæ illæ vnitatem habent cum subiecto per accidens & secundùm quid, ita constituunt in specie per accidens & secundùm quid; nam per albedinem qua fit homo albus, constituitur homo in specie albedinis, non per se & simpliciter, sed per accidens & secundùm quid scil. quatenus albus siue ratione albedinis. Paternitas autem & filiatio, quia formæ sunt hypostaticæ diuinarum personarum constitutiuæ & per se subsistentes & realiter eædem cum diuina natura: idcrico personæ singulæ per eas constitutæ sunt vnum per se; sed quia relationibus præintelligitur essentia deitatis, quæ communicatione non diuiditur in personis, sed vna numero perseuerat; ideò relationes non constituunt hypostases in specie simpliciter sed secundùm quid siue cum addito scilicet in specie proprietatis personalis, & eodem modo distinguunt.

Constitutiua diuina.

Conueniunt itaque primæ constituentia cum secundis, quòd vtraque faciunt distinctionem secundùm rationem formalem: sicut enim rationalitate distinguitur homo formaliter à bruto; ita paternitate distinguitur Pater in diuinis, vt Pater est formaliter à Filio vt Filius est; sicut etiam albedine distinguitur homo albus vt albus est formaliter à nigro. *Sed dupliciter differunt. Primò*, quòd priora constituentia maiorem habent inter se necessariò distinctionem, quàm habeant eorum constituta; nam rationale & irrationale minus conueniunt, quàm homo & brutum; quia homo & brutum conueniūt in animali, & de illis prædicatur quidditatiuè & formaliter: de rationali aūt & irrationali non prędicatur formaliter animal & quidditatiuè; quoniam, vt ait Philosophus *in 4. Top. c. 3.* differentia non participat genus, cùm de illa non prædicetur genus, vt dicitur *in 3. Metaph. tex. 10.* Posteriora verò constituentia non necessariò sed permissiuè tantùm, & quatenus talia sunt siue in tali materia, maiorem habent distinctionē quā sua cōstituta; non enim est maior albedinis & nigredinis distinctio, quàm sit hominis albi & parietis nigri; sed minor: quoniam albedo & nigredo vnam tantùm habent specificam distinctionem; sed homo albus & paries niger, non solùm eam habent distinctionem, quæ est secundùm albedinem & nigredinem; sed etiam illam quam habent ipsa subiecta secundùm se. Sed vbi constituentia formæ sunt hypostaticæ modo supradicto, vt paternitas & filiatio: plus inter se formaliter distinguuntur, quàm eorum constituta scilicet Pater & Filius; Nam paternitas & filiatio prout à nobis concipiuntur, non conueniunt formaliter in essentia diuina, quæ de illis formaliter non prædicatur, sed identicè tantùm; hæc enim propositio *Paternitas est essentia vel Deus* falsa est formaliter loquendo; quamuis identicè vera sit; At verò Pater & Filius conueniunt in essentia concretè sumpta, quæ de illis formaliter prædicatur: hæc enim est vera & formalis *Pater est Deus* & hæc *Filius est Deus*; nam in personis intrinsecè clauditur essentia. Aduerte tamen,

Conuenientia constituentium.

2. differentia.

tamen, quòd si formaliter de constiutiuo & distinctiuo, vt constitutiuum & distinctiuũ est loquamur, pari passu currunt constitutiua & constituentia quo ad distinctionem; nam si constitutiua & distinctiua, distinctionem aliquam habent, quam non communicent constitutis, iam secundum eam rationem non sunt constitutiua & distinctiua. Itaque paternitas & filiatio, qua ratione sunt Patris & Filij cõstitutiuæ, & distinctiuæ, magis iner se distinguũtur, quã Pater & Filius, quatenus dictis relationibus constituuntur, & distinguuntur; nam quòd Pater, & Filius includant communem essentiam, non habent ex constitutiuis formaliter sed materialiter tan-
2. differẽtia tum, prout scilicet idem sunt realiter cum ipsa essentia Dei, ratione cuius identitatis etiam ipsa constitutiua conueniunt. *Secundò differunt*; quoniam priora constituunt in specie siuè quasi in specie simpliciter & absolutè, vt patet de rationali & irrationali; posteriora verò nõ cõstituunt in specie vel quasi in specie simpliciter & absolutè, sed secundũ quid & cũ addito. s. in specie talis proprietatis aut formæ, vt puta paternitatis & filiationis, vt ante diximus. Et pendet hæc posterior differentia ex ea, qua primò distincta sunt hæc duo constituentium genera, nimirum, quòd illa ex sua ratione formali per se primò sunt ad constituendum instituta, hæc autem minimè. Dixi autem *ex sua ratione formali*, quoniam paternitas & filiatio formaliter & præcisè sumptæ relationes sunt contra genus siue rationem substantiæ distinctæ: sed quatenus diuinæ sunt & subsistentes, sunt per se diuinarum personarum constitutiuæ; quomodo verò sub expressa ratione relationis personas constituant, suo loco dicemus.

Nota. *Ex dictis sequitur primò* hanc consequentiam non valere: rationale & rugibile, quæ sunt constituentia & distinguentia, in nullo vniuoco formaliter conueniunt; ergo nec etiam constituta. s. homo & leo, in aliquo vniuoco conueniunt; Non valet inquam hæc consequentia; quia deductio fit à constituentibus, prout sunt quędã entitates secundum se, & non sub ea ratione qua constitutiua sunt, ad constituta formaliter vt constituta sunt, prout. s. sunt ex constituentibus, vt sic; nã licet constituentia illa secundum se in nullo vniuoco conueniãt, considerata tamen vt constituentia sunt, in idem vniuocũ conueniunt cum suis constitutis, licet non eodem modo; Nam constituta, puta homo & leo sunt ea, quæ sunt vniuoca sub animali, & de quibus prædicatur animal, quod est esse vniuocum vt quod; sed constituentia, puta rationale & rugibile, non sunt vniuoca vt quæ, sed vt quibus ipsa constituta sunt vniuoca sub animali: sicut albedo non est alba vt quæ, sed vt qua nix est alba; vnde dici congruè potest, rationale & rugibile, vt constitutiua formaliter hominis & leonis, conuenire in animali, quatenus constituunt species sub animali; duę enim oppositę differentię non constituunt species, nisi actuando idem genus, quod hoc ipso commune est vniuocum speciebus constitutis.

Sequitur secundò hanc conseq. valere: Rationale & rugibile formaliter distinguuntur vltima distinctione; ergo etiam homo & leo eodem modo distinguuntur; quia totum formale, quod est in constituto quatenus est constitutum, est à constituente; igitur si constituentia secundum eam rationem qua constituentia sunt, formaliter & vltimò differunt: necesse est vt eodem modo differãt constituta; vnde si constituentia sunt

A formaliter indiuisibilia vt vltimæ differentiæ: necesse est etiam ipsa cõstituta esse formaliter indiuisibilia, vt species infimæ; Constat autem diuisibilitatem vel indiuisibilitatem formalem conuenire constitutiuis vt constitutiua sunt formaliter; quoniam tota diuisibilitas vel indiuisibilitas constitutorum pendet ex constituentibus, quæ magis vel minus determinant generis, siue communis determinabilis potestatẽ, vt patet intuenti prædicamẽtales coordinationes; adæquantur enim in hoc constituens & constitutum, vt causa formalis & eius effectus.

Proponuntur, & explicantur quatuor in termino processionis considerata; ex quibus pendet vnitas, & distinctio personarum, & processionum.

B

Tertio *obseruandum est* in termino diuinæ processionis quatuor considerari: *Primum* est, ipsa persona procedens quæ est terminus qui: *Secundum* est, diuina essentia communicata, quæ est terminus quo siue terminus formalis; & quoniam diuina essentia est eadem specie & numero in principio producente, & in termino producto; ideò simpliciter loquendo, tres personæ sunt vnius speciei eò modo quo species est in Deo; quia sunt vnius naturę Deitatis & vnus numero Deus. *Tertium* est modus siue ratio sub qua diuina essentia est terminus quo processionis; nam in processione verbi diuina natura est terminus per modum similitudinis: in processione autem amoris eadem diuina natura est terminus, sed per modum impulsus; & ex hoc distinguuntur formaliter diuinæ processiones, & consequenter etiam diuinæ personæ procedentes, quia scilicet vna procedit vt similis, alia vt impulsus. *Quartum* est proprietas indiuidualis, videlicet filiatio & spiratio, quæ sunt relationes constitutiuæ personarum; quæ quidem relationes sunt secundùm speciem diuersæ, si non propriè quia in diuinis non est species neque genus; saltem secundùm quandam similitudinem ad relationes creaturarum; quo fit vt etiam ipsæ per-
C sonæ per tales proprietates constitutæ differant specie, non simpliciter (quia nec per eas constituuntur simpliciter in specie sed per naturam deitatis) sed quòd differant specie proprietatis indiuidualis, vt iam satis ostendimus. Quoniam igitur in terminis diuinarum personarum tot continentur, per quæ singula distinguuntur ipsi termini, prętèrquam per secundũ quod est diuina essentia; meritò diuinæ processiones, ideò dicuntur distingui secundùm terminos; quia secundùm omnia aut singula prædicta in terminis contenta distinguuntur; cùm præsertim processio in diuinis non per se ordinetur ad speciem, sicut generatio in rebus creatis, sed ad multiplicationem hypostasum, vt docet S. Th. *de potentia*
E *q. 10. a. 2. ad 2.* Et ex his soluuntur obiecta Radæ *Radæ obiecta corruũt.*
Controu. 14. a. 3.

Prima Concl. *Hypostases diuinæ simpliciter loquendo sunt eiusdem rationis & speciei, eo modo quo species admitti potest in diuinis.* Probatur; quia triũ personarum diuinarum vna numero est essentia; ergo vna species modo dicto. *conclusiones deductæ, & probatæ.*

Secvnda Concl. *Hypostases diuinæ differũt quodammodo numero, non tamen propriè.* Probatur prior pars conclusionis; quia sunt suppositа Deitatis realiter distincta, nec differunt specie naturæ; ergo numero solo absolutè loquendo. Et cõfirmatur; quia vna diuina persona alteri comparata, vel est eadem numero cum illa, vel numero

distinguitur ab ea; non primũ: alioquin non esset vera & realis trinitas personarum in diuinis; ergo secundum. Differunt autem numero per hoc communi, quod est hypostasis vel persona. Posterior verò pars probatur; quia absolutè loquẽdo sunt vnum numero, quia sunt vnus numero Deus; nec sunt plura indiuidua Deitatis, propter vnitatem naturę, licèt sint tria suppositа propter tres oppositas relationes subsistentes.

» TERTIA CONCLVSIO: *Hypostases diuinæ*
» *differunt secundùm speciem proprietatis personalis.*
Hæc est D. Th. & patet ex dictis.

» QVARTA CONCLVSIO. *Ex hoc quod proprie-*
» *tates personales specie differunt, sequitur optimè diui-*
» *nas personas differre specie proprietatis personalis.*
Probatur; quia idem est constitutiuum in specie & distinctiuum, vt patet inductiuè.

» VLTIMA CONCLVS. *Processiones diuinæ sunt*
» *differentes quasi secundùm speciem dupliciter ; Vno*
» *modo propter differentiam proprietatum personа-*
» *lium, Alio modo propter differentem modum siue ra-*
» *nem termini formalis, vt explicatum est.*

Argum. & solutiones. CONTRA *secundam concl.* quo ad priorem eius partem possunt afferri tria argumenta Radæ, pro sua prima conclusione, quæ tantùm probant posteriorem huius nostræ conclusionis partem. Contra quam vide si placet argumenta Banncs. & Zum. ab eis soluta.

Rad. obi. 4. cons. CONTRA *quartam concluſ.* argument. Rada. Magis conueniunt constituta quàm constituentia; ergò ex distinctione specifica constituentium diuinas personas, non licet inferre distinctionem earundem personarum specificam. Conseq. probatur; quia constituentia non distinguunt cõstituta eadem distinctione, qua inter se distinguũtur; nam differentiæ vltimæ specificæ sunt inter se primò diuersæ, non tamen species per eas constitutæ. *Respond.* antecedens falsum esse in sensu formali, vt satis ostendimus. Si autem intelligatur de constituentibus, vt entia quædam sunt secundùm se, negatur sequela; quia specifica distinctio constituenrium, non potest illis conuenire nisi vt constituentia sunt, vt ante diximus; Ad probationem dico; eam procedere de ea distinctione, quę conuenit constituentibus tantum secundùm se & materialiter, non vt constituentia sunt. Vnde Aristot. *in 3. Metaph.* ex propria ratione differentiæ, prout distinguitur à rationib. speciei & generis, probat de illa non prædicari genus; quo loco vide si placet expositionem D. Th. ex quo patent etiam solutiones, quas adhibet Rada quibusdam argumentis pro hac nostra conclusione, nullius esse valoris.

Solut.

Rada obi. vlt. concl. 1. CONTRA *vltimam concluſ.* argumentatur idem author. *Primò*: Si differentia istarum productionum desumenda est ex differentia proprietatum personaliũ; ergò huiusmodi emanationes per se tendunt tanquam in terminos formales in huiusmodi proprietates; sed consequens est falsum; ergò. Probatur consequentia; quia secundùm doctrinam D. Th. distinctio emanationum, sicut & motuum, ex terminis formalibus desumitur; Falsitas consequentis probatur; quia tunc nulla istarum productionum esset vniuoca: quia producẽns & productum non conuenient in termino formali productionis, nec primo nec secundario. *Resp.* nullam esse consequent. Ad probationem resp. D. Tho. loqui de distinctione quæ fit secũdùm speciem simpliciter siue absolutè; non autẽ de illa quæ fit secundùm proprietates indiuiduales. Secundò dico processiones diuinas esse ad multiplicationem hypostasum in vnitate naturæ, & ideò processionem per se primò terminari ad naturam, vt terminum formalem siue vt quo: ad personam verò procedentem vt terminum productum, ad proprietatem autem concomitanter siue consequenter. Nec est necesse producens & productum conuenire in termino concomitante vel consequente, & præsertim si illud concomitans sit proprietas indiuidualis. Et per hæc patet solutio ad quædam alia similia eiusdem authoris argumenta.

Sol.

Processionis terminus duplex.

Secundò: Proprietates personales diuinarum hypostasum, habent se respectu earum, quasi ad modum differentiarum indiuidualium in creaturis; sed ex differentia & distinctione differentiarum indiuidualium, non licet inferre, quòd eadem distinctione distinguantur productiones indiuiduorum, quorum sunt differentiæ; ergo nec ex distinctione proprietatum personarum diuinarum specifica licet inferre, quòd productiones earundem personarum distinguantur specie. Probo (inquit) minorem; quia differentiæ indiuiduales Petri & Pauli sunt primò diuersę & quasi alterius rationis; productiones tamen Petri & Pauli nec sunt primò diuersæ, nec alterius rationis & speciei. *Resp. primò* magnam esse differentiam inter proprietates personales diuinarum personarum comparatione emanationum ipsarum personarum, & differentias indiuiduales in creaturis comparatione productionum ipsorum indiuiduorum. Nam proprietates personales diuinarum personarum, idem realiter sunt quod emanationes; nam generatio passiua idem est quod filiatio, nec differt nisi modo significandi; quia illa significatur vt processio, hæc autem vt relatio; differentia autem indiuidualis in creaturis, non est idem realiter quòd ipsa generatio passiua indiuidui. *Secundò* admissa etiam identitate, quæ valdè probabiliter potest sustineri; negatur minor argumenti. Ad probationẽ nego differentias indiuiduales esse primò diuersas, quatenus sunt indiuiduorum constitutiuæ; nam quamuis secundùm se minus conueniant, quàm indiuidua: quatenus tamen sunt eorum constitutiua & distinctiua, non magis differunt quàm indiuidua; sicut etiam diximus de differentijs vltimis respectu specierum, quæ per eas constituuntur & distinguuntur.

obi. 2.

Solut.

Vide etiam argumenta Ban. & Zum. & eorum solutiones.

ARTICVLVS V.

Vtrum sint plures processiones in diuinis, quàm duæ.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quòd sint plures processiones in diuinis, quàm duæ. Sicut enim scientia & voluntas attribuitur Deo, ita & potentia. Si igitur secundùm intellectum, & voluntatem accipiuntur in Deo duæ processiones, videtur, quòd tertia sit accipienda secundùm potentiam.* 164 *Inf. q 28. a. 4 cor. & q. 37. a. 1. cor. & qu 41. a. 6. cor. & po. q. 10. a. 2. arg. ad op.*

2 Præterea. Bonitas maximè videtur esse principium processionis, cùm bonum dicatur diffusiuum sui esse. Videtur igitur, quòd secundùm bonitatem aliqua processio in diuinis accipi debeat.

3 Præterea. Maioris est fœcunditatis virtus in Deo, quàm in nobis: sed in nobis non est tantùm vna processio verbi, sed multæ, quia ex vno verbo in nobis procedit aliud verbum, & similiter ex vno amore alius amor. ergo & in Deo sunt plures processiones, quàm duæ.

Sed contra est, quòd in Deo non sunt nisi duo procedentes, sicut Filius, & Spiritus S. Ergo sunt ibi tantùm duæ processiones.

Respon-

Respondeo. Dicendum, quòd processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundùm actiones quæ in agente manèt. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non sunt nisi duæ scilicet intelligere, & velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem: neque tot aliter est remotum à genere actionum d *quæ sunt ad extra. Nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum. Relinquitur igitur, quòd nulla alia processio posit esse in Deo nisi verbi, & amoris.*

d 1122

Ad primum ergo dicendum, quòd potentia est principium agendi in aliud. Vnde secundùm potentiam accipitur actio ad extra. Et sic secundùm attributum potentiæ non accipitur processio diuinæ personæ, sed solum processio creaturarum.

Ad secundum dicendum, quòd bonum (sicut dicit Boet. in lib. de Hebdomadibus) pertinet ad essentiam, & non ad operationem, nisi fortè sicut obiectum voluntatis. Vnde, cùm processiones diuinas secundùm aliquas actiones necesse sit accipere secundùm bonitatem, & huiusmodi alia attributa; non accipiuntur aliæ processiones nisi verbi, & amoris: secundùm quod Deus suam essentiam, veritatem & bonitatem intelligit, & amat.*

In lib. An omne quòd est, bonum sit: circa illius finem.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra habitum est) Deus vno simplici actu omnia intelligit, & similiter omnia vult. Vnde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore, sed est in eo solùm vnum verbum perfectum & vnus amor perfectus. Et in hoc eius perfecta fœcunditas manifestatur.*

q.14 a.5. & 7.q.19 a.5.

Ratio & Ordo, ac Sensus quæsiti.

COMPLETVR hoc articulo doctrina de diuinis processionibus; hoc enim solùm postremò quærendum supererat: an plures sint diuinæ processiones, quàm duæ: nam quòd pauciores non sint, probatum est *a.3. & 4.* Et quæstio est primò & directè, non de sola numerica pluralitate, sed de pluralitate formali specifica & reali. Nam de pluralitate purè numerica differit S. D. *inf. qu.41. art.6.* vbi quærit: An actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita vt sint plures personæ genitæ, vel spiratæ in diuinis; quamuis etiàm difficultatem hanc tangat & breuiter absoluat argumento tertio & eius responsione.

Forma Textus.

CONCL. est: *Nulla alia processio potest esse in Deo nisi verbi & amoris.* Probatur. Processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundùm actiones, quæ in agente manent; sed tales actiones in natura intellectuali & diuina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere & velle; ergo nulla alia processio potest esse in Deo nisi verbi & amoris. Maior relinquitur vt nota. Minor aũt probatur: quia si aliqua alia actio immanẽs esset in natura intellectuali, hæc esset sentire, quę est operatio in sentiẽte; sed hæc non est: primò quia est extra naturam intellectualem; secundò quia sentire non est totaliter remotum à genere actionum, quæ sunt ad extra; ergo non conuenit naturæ intellectuali, & præsertim diuinæ. Anteced. probatur: quia sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum.

Expositio Textus.

TRIA sunt in hoc discursu breuiter explicãda: *Primum* est maior illa propositio: *Processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundùm actiones, quæ in agente manent*: quam supra S.D. satis probauerat *a.1.* contra Arrium & Sabellium, & ideò eam hic, vt notam absque probatione dimittit: & posset facilè probari; quia terminus diuinæ processionis est verè & realiter Deus; igitur non est aliquid ad extra productum, quod tamen esset, si non procederet per actionem immanentem; nam tunc procederet per actionem transeuntem, cùm non posset fingi tertium actionis genus; quod autem actione transeunte producitur, extraneum est & diuersum à natura producentis.

A

Secundum est vis illius consequentiæ: *Sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum; ergo non est totaliter remotum à genere actionum, quæ sunt ad extra*: quæ dependet ex perfecta ratione actionis immanentis, quæ duo requirit. Primum est vt

B

Duæ conditiones actionis immanentis.

nihil efficiat extra operantem, siue illud sit permanens: sicut ædificatio est productio ædis, quæ permanet: siue sit transiens, sicut citarizatio quæ est effectio soni, qui percussio est aeris, & auditus minimè permanens: quod non videtur aduertisse Iauellus *super hoc a.* dicens actionem trãseuntem immutare exterius obiectum, aut saltem ei non repugnare; quod videtur dixisse propter eas actiones, quæ non habent effectum permanentem, quas, vt tales sunt, existimat non esse immutatiuas exterioris obiecti siue materiæ; cùm tamẽ omnibus suo modo conueniat aliquid exterius efficere vel mutare. Secundum quod postulat ratio actionis immanentis est, vt potentia non immutetur immediatè ab exteriori obiecto; & sicut per primam conditionem distinguitur actio immanens ab illa entitate, quæ est actio transiens, quatenus actio est ad extra productiua: ita per secundam conditionem distinguitur ab illa eadem entitate, quatenus passio est ab extrinseco mouente producta. Ex quo sequitur actionem exterioris sensus non esse perfectè & simpliciter actionem immanentem; quia scilicet sentire saltem antecedenter passio quædam est immediatè ab obiecto exteriori, & secũdùm hoc pertinet ad entitatem actionis transeuntis: actiones verò sensuum interiorum, & multò magis intellectus & voluntatis perfectæ sunt ac simpliciter immanentes; quia nec aliquid exterius efficiunt, nec earum potentiæ immediatè ab externo patiuntur obiecto. Ferrar. *in 4. cont. gent. c.11. circa princ.* doctè & subtiliter explicat hunc punctum.

Iauell. de effectu.

C

D

Tertium est conclusionem D. Thom. esse fidei confessionem, vt opimè deducit Zum.

CONTROVERSIA VNICA.

Quænam sint diuinarum processionum principia proxima?

DVR. *in 1. dist. 6. q. 2. & dist. 10. q. 2. & dist. 27. q. 2. & 3.* docet diuinas processiones esse immediatè ex diuina natura fœcunda, non autem ex intellectu & voluntate; ex quo deducit primò processiones in diuinis præintelligi actionibus intellectus & voluntatis & ipsismet potentijs, quæ sunt intellectus & volũtas. Secundò deducit futuras in Deo dictas duas processiones, tametsi Deus non esset intelligens & volens; quia secundùm illum Deo conueniunt duæ processiones, non ex eo quòd est intelligens & amans, sed ex eo quòd est infinitum ens, habens naturam infinitè fœcundam. Eandem sententiam Zumell. ascribit Greg. Arim. qui tamen, vt etiam aduertit Vasq. *c.1.* non negat processionem verbi esse formaliter intellectionem, & spirationem amoris esse actum volẽdi: quamuis neget in diuinis esse principium quo processionum ratione distinctum à princi-

Sententiæ Doctorum.

E

pio quòd; qua parte videtur Ariminensis non nihil fauere Durando.

Suar. *lib.1.de myst. Trin.c.8.* sequens Henricum *quodl.8.qu.1.* censet actum intelligendi paternum esse proximam rationem & quasi virtutem & principium quo Pater communicat essentiam Filio ; & idem dicendum esse de actu amandi in Patre , & Filio per comparationem ad Spiritum sanctum.

S. Thom. autem *in hac tota q.& alibi sæpè* docet principia diuinarum processionum proxima esse intellectum & voluntatem; quam sententiam sequuntur & tuentur omnes eius discipuli , & expositores *super hoc a*

Resolutio. Non omnes, sed quædã tantùm naturas esse fœcundas.

SCIENDVM *est primò* naturam illam in rebus creatis propriè dici fœcundam, quæ se ipsam potest pluribus vniuocè, id est, secundùm eãdem omnino rationem per actum generationis propriè dictæ communicare: quales sunt omnes perfectiorum animalium species; Dixi primò *vniuocè*; quia naturæ communicatio secundùm analogam similitudinẽ non est propriè fœcunditatis effectus ; non enim dicitur sol fœcundus eò, quòd sua virtute producat in terra mineras, plantas, vermiculos, ranas & plura similia, quæ non vniuocè sed analogicè tantùm cum eius natura conueniunt. Dixi *per actum generationis propriè dictæ*; quoniam etsi plurimæ sint in rebus inanimatis vniuocæ causæ , quæ sibi similes secundùm eandem omninò rationem effectus producũt, vt ignis causat ignem, & quodlibet elementũ aliud alterat, vt in seipsum conuertat, & calor calorem, siue potius res calida calidum efficit, & frigida frigidum; nec tamen aliquid horum fœcundum est aut dicitur: quia fœcunditas earum dũtaxat est proprietas siue conditio naturarum , quibus propriè conuenit generatio; hæc verò viuentia sunt.

Actionem omnem esse aut immanentem, aut transeuntẽ.

Secundò, Notandum est actionem omnem possibilem naturæ conuenire sufficienter diuidi in immanentem & transeuntem . Nam omnis actio perfectio quædam est & perfectiui rationem habet ac perfectibile respicit; quod duplex tantum est , nimirum agens ipsum cuius est actio, & passum quod extrinsecum est ab agente: & si quidem actio fuerit agentis per se primò perfectiua .i. ad eum perficiendum per se primò directa , erit actio immanens; si verò passi siue rei ad extra productæ fuerit perfectiua, dicetur transiens ; igitur impossibile est esse aut imaginari tertium actionis genus, vt hic etiam aduertit Cai.

Distinguitur & explicatur duplex operationis principium, & ostenditur soli naturæ diuinæ conuenire communicabilitatem per actionem immanentem.

Tertiò Obseruandum est in qualibet rei productione duplex principium considerari. *Primum* est suppositum siue res subsistens, cui propriè tribuitur operatio tanquam agenti; Nam iuxta communem dictum , actiones sunt suppositorum siue subsistentium , & hoc nuncupatur principium quod. *Secundum* est forma, quæ in ipso operante est, & eidem est agendi ratio: & ideò dicitur principium quo ; sicut ignis principium est cui vt agenti, & consequenter vt principio quod tribuitur calefactio; eius autem forma, quæ illi ratio agendi est , principium est & dicitur calefactionis vt quo; sic igitur principium vt quod generationis in viuentibus est ipsum viuens, quod propriè dicitur generans : principium autem vt quo generationis, quod est agendi ratio, forma & virtus est generantis. Sed quemadmodum duplex est in agente forma , quæ eidem est agendi ratio siue qua potens sit ad operandum : vna substantialis, qua constituitur agentis natura & esse specificum ac substantiale : vt exempli gratia in igne forma eius substantialis , & in animali anima ; alia quæ substantialem consequitur, vt calor in igne, & generatiua potentia in animali; ita duplex est principium actionis vt quo. s. primum & proximum: principium primum vt quo est forma substantialis cum qua computatur natura præcisa suppositalitate, sic enim dicitur forma metaphysica: vnde Arist. *in 2.Phys.* definiens naturam dicit: *Natura est principium motus & quietis primò & per se & non secundùm accidens*; constat autem naturam dici non tantùm de materia & forma , sed etiam de ipsa rei essentia , vt ait S. D. *3. p. quæst. 2. artic. 1.* Est igitur forma rei substantialis , tam physicè quàm metaphysicè sumpta , primum actionis principium vt quo . Principium autem proximum operationis vt quo potentia est , quæ rei naturam consequitur ; & quoniam habitus & quæuis perfectio potentiæ superaddita ad eius quodammodo complementum pertinet , vt patet in habitibus & formis intellectui & voluntati superadditis : idcircò hæc omnia ex parte potentiæ se tenent in re proposita, & vt vnum principium proximum operationis cum ea computantur.

Cùm itaque natura sit primum & non proximum operationis siue productionis principium : nec eadem sint principia proxima operationis transeuntis & immanẽtis, sed longè diuersa, sicut etiam dicta operationis genera valdè distant: *sequitur primò* eam omnem naturam fœcundam , quæ per suam actionem transeuntem communicabilis est, si sit etiam intelligens & volens , non esse sui ipsius communicatiuam , aut actu seipsam communicare , sub ea ratione qua intelligens est & volens, sed post solam potentiam actioni transeunti deseruientem secluso concursu intellectus & voluntatis vt ratione agendi siue actionis principio; quod dico : quia duæ prædictæ potentię ad actum generationis in homine concurrunt vt applicantes actiua passiuis, quod tamen non sufficit, vt dici possint generationis principia. *Secundò sequitur* omnem illam naturam fœcundam , cui repugnat communicari per actionem transeuntem, necessariò communicari per actiones immanẽtes. Nulla verò potest esse natura, cui conueniat fœcunditas , & cui repugnet communicari per actionem transeuntem, nisi sit purè intellectualis & infinita simpliciter. Nam humana natura licèt sit intellectualis , quia tamen est etiam corporea virtutem habens omnem vegetatiuam, idcircò communicabilis est actione transeunte , sicut & aliæ inferiores naturæ. Angelica verò natura, cùm per seipsam sit indiuidua , non potest actione transeunte communicari, vt ait S.D. *inf. quæst. 45. ar. 5. ad 1.* & quia finita est, idcircò intelligere & velle non est eius esse , nec verbum aut amor in ea procedens est substantia , sed accidens , & ideo nec per actionem aliquam immanentem potest communicari . Consequens igitur est , vt ex omnibus purè intellectualibus naturis , soli diuinæ naturæ, cuius intelligere est eius esse , & verbum atque amor substantiæ quædam sunt, tria prædicta conueniant, nimirum fœcunditas , repugnantia ad communicabilitatem per actionem transeuntem , & communicabilitas per actiones immanentes, quas iam supra diximus cum D. Th. non esse nisi duas sc. intelligere & velle . Cur verò non possit operari natura secluso potentia, & seipsam communicare : nulla potest à quouis sapiente causa produci , nisi quia natura est, cui hoc ipso debetur esse non proximum , sed primum tantum operationis principium : Quo fit, vt vana sit imaginatio Durandi fingentis actum

natu-

naturæ priorem actibus potentiarum. Sed ad maiorem prædictorum intelligentiam.

Quartò Considerandum est naturam & intellectualitatem non distingui quasi duas naturas, sed potius vt commune contrahibile, & vt speciale contrahens. Nam intellectualitas differentia quædam est siue modus distinctiuus, & determinatiuus naturæ ad ordinem, siue gradum intellectualem: qui modus siue gradus adhuc distinguibilis est in duos, qui sunt intellectualitas vel gradus naturæ intellectualis creatæ ac finitæ, & gradus naturæ intellectualis increatæ & infinitæ. Et prior quidem intellectualitatis modus constituit naturam intellectualem infœcundam: & talis est omnis natura Angelica, cui repugnat fœcunditas ob iam dictam causam. Posterior autem modus constituit naturam fœcundam, quæ sola est natura diuina: Et quemadmodum diuina natura, ex hoc, quòd actus purus est simpliciter infinitus, præhabet eminenter in se naturarum omnium perfectiones: ita processiones quæ in Deo sunt, ob eandem causam præhabent eminenter in se perfectiones omnium processionum, per quas in rebus creatis communicantur naturæ. In quibus tria cõsideramus: Primum, quòd per eas communicantur rerum naturæ: cuius causa est naturæ communicatæ fœcunditas. Secundum est, quòd per actionem transeuntem fit communicatio: huius verò causa est, quam diximus, quia nimirum omnis natura creata fœcunda corporea est vim omnem habens animæ vegetatiuæ. Tertium est, quòd singulæ sunt imperfectæ, cùm nulla earum omnem sui generis habeat perfectionem, sed exiguum tantum illius modum seu gradum participet, sicut etiam plura cùm sint vnius naturæ supposita, nullum tamen est cui tota conueniat naturæ perfectio quo ad omnes possibiles essendi modos, sed vnum tantum ex illis participat. Diuinis autem processionibus ex eo quòd eminenter continent omnem creaturarum processionum perfectionem, & in infinitum excedunt, tria ad perfectionem spectantia conueniunt. Primum est, vt sint ipsius diuinæ naturæ communicatiuæ, cuius ratio est fœcunditas eiusdem naturæ diuinæ. Secundum est, vt communicatio naturæ fiat per actiones immanentes intellectus & voluntatis: cuius ratio est intellectualitas infinita naturæ, vt ante diximus. Tertium est, vt neutra multiplicetur, cùm vna tantum sit & esse possit processio in Deo secundùm intellectum, & vna tantum secundùm voluntatem; cuius ratio est summa & infinita vtriusque perfectio, vt ait S.D. *hic in respon. ad tertium.*

Perfectio diuinæ processionis.

Actum intelligendi Patris & actum amandi spiratoris recte concipi à nobis vt productionem, non autem vt principium quo.

Quintò sciendum est ex D. Tho. *in 2. cont. gentes, cap. 10.* potentiam de Deo dici per respectum ad facta siue producta secundùm rei veritatem, non per respectum ad actionem; sed tamen secundùm modum nostrum intelligendi, prout intellectus noster diuersis conceptibus vtrumque considerat, scilicet diuinam potentiam & eius actionem, dicitur etiam in Deo potentia per respectum ad actionem tam immanentem quàm transeuntem. Nam, vt sæpè diximus, præhabet diuina natura rerum omnium perfectiones eminenter seclusis earum imperfectionibus; potentia verò in creaturis perfectionem quandam dicit, ea ratione, qua virtutem significat effectus operatiuam: Sed quia potentialitatem denotat actione perfectibilem, claudit etiã imperfectionem intrinsecè; Similiter actio creata perfectio quædam est, cùm actualitatem significet: sed quoniam de eius ratione est, vt à principio dependeat, vt ait S.D. *de pot. q. 1. a. 1. ad 1.* idcirco admixtam habet imperfectionem. Intellectus autem nõster cùm Deum & perfectiones eius cognoscat ex perfectionibus procedentibus ab eo in creaturas: eo modo diuinas perfectiones apprehendit, quo sunt in creaturis: & sicut apprehendit, ita significat per nomina; Igitur in nominib. quæ Deo attribuimus, duo sunt consideranda, scilicet perfectiones ipsæ significatæ, vt bonitas vita &c. & modus significandi: quo ad perfectiones significatas dicuntur nomina de Deo propriè, non autem quoad modum significandi vt ait S. D. *supra q. 13. a. 3.* nec tamen intellectus noster sic diuinas perfectiones intelligens falsus est; quia nec apprehendit ita esse in re, nec affirmat talem modum rei conuenire, sed talis modus se tenet tantum ex parte intellectus, cui connaturale est diuina cognoscere ad modum rerum creatarum: Vnde etiam simplicia intelligit componendo & diuidendo, & materialia immaterialiter: non quòd intelligat simplicia esse composita, & materialia esse immaterialia, sed quia intellectus intelligendo modum habet compositionis & diuisionis & immaterialitatis, vt perspicuè docet S. Th. *in d. q. 13. a. 12. ad 3. & alibi sæpè.*

Ex dictis patet falsitas opinionis Suar. superius relatæ dicentis actum intelligendi & amandi esse principium quo producendi, & non ipsam productionem; nam quamuis in Deo secundùm se intellectus diuinus sit essentialiter actus vltimus intelligẽdi, & sit idem formaliter quod intelligere: non tamen ob id sequitur intellectũ Dei non concipi à nobis ad modum potentiæ per actum perfectibilis, & ipsum intelligere non concipi ad modum actus secundi, siue operationis ex intellectu vt principio procedentis; alioquin nulla esset à nobis concipienda distinctio inter essentiam & esse, inter essentiam & intellectum & voluntatem, & alia similia quæ se habent in nobis vt perfectibile & perfectiuum: quia prædicta omnia secundùm se formaliter idem sunt: immò & eadem ratione tenetur Suarez admittere actum intelligendi & amandi non esse principium quo productionis, & termini producti: quia nimirum productio secundùm se eadem formaliter est cum suo principio quo; est enim hoc essentiale & consequenter indistinctum secundùm se formaliter à notionalibus, vt sæpè notauimus cum Cai. & præsertim *q. 12. a. 7. Contr. 2.* & infra docet Cai. *q. 39. a. 1.* Cùm igitur ad prædicta distinctè à nobis concipienda sufficiat distinctio illa virtualis, quam subtiliter explicat Caiet. *inf. q. 54. a. 1.* non est audiendus Suar. & quicunque negat actum intellectus diuini non rectè concipi distinctè ab ipso intellectu, eo modo quo productio distinguitur à principio quo productionis, aut rei productæ. Siquidem ex tali concipiendi modo nulla in Deum, etiam vt à nobis cognitum, redundat imperfectio, sed tota quæ in hoc intelligendi modo est imperfectio, ex parte intellectus nostri & cognitionis se tenet: non enim apprehendimus aut affirmamus actum intelligendi, & amandi ab intellectu & voluntate procedere, licet vtrumque ad modum procedentis intelligamus. Vnde rationes, quas adducit Torres ad probandum actum intelligendi & amandi in Deo non esse principium quo productionis, sed productiones ipsas, firmissimè sunt: nec responsiones quas eisdem adhibet Suar. aliquid valent; cùm oẽs falsò illi innitãtur principio videlicet intellectum & intelligere in Deo formaliter idem esse, non tantùm secundùm se, verùm

Suar. opinio reiicitur.

verum etiam secundum nostrum modum intelligendi.

Explicatur quatuor in diuinis considerata scilicet principiũ quod & quo primũ & proximũ & productiones, quæ sunt intelligere & velle.

Postremò obseruandum est quatuor in Deo considerari ad rem propositam pertinentia scilicet principium quod, principiũ quo primum, principium quo proximum, & productiones quæ ad personas procedentes terminantur. Principium quod duplex est, sicut etiam duplex est processio. Nam Pater est principium quod respectu filij reale & realiter ab eo distinctum: & eadem ratione respectu passiuæ generationis filij, quæ notionale quoddam est idem realiter & adæquatè cum Filio; respectu verò generationis actiuæ, quæ paternitatem per modum actus significat, non potest esse pater reale principiũ; alioquin Pater seipsum produceret: quia Pater & paternitas idem sunt realiter & adæquatè. Aliud principium quod, est Pater & Filius quatenus vnũ sunt in spiratione Spiritus S. nũcupatur autem hoc principium quod vno vocabulo spirator, de quo proportionaliter idem censendum est cum eo, quod diximus de principio quod respectu filij, & respectu generationis actiuæ & passiuæ. Nam spirator reale principium est Spiritus S. realiter ab eo distinctum, & eodem modo principium est spirationis passiuæ: respectu verò spirationis actiuæ non est principium nisi secundum nostrum modum intelligendi. Principium autem quo primum diuina essentia est respectu vtriusque processionis ac procedentis. Nam productum assimilatur producenti in forma, quæ est illi ratio agendi siuè producendi: constat autem Filium & Spiritum S. assimilari suo principio productiuo, non in proprietate aliqua relatiua, sed in ipsa diuina essentia eadem numero sibi communicata; igitur diuina essentia erit principium primum quo, non tamen absolutè, sed prout in Patre principium est Filij: prout autem est in spiratore, principium est Spiritus S. Nulla verò ratione potest essentia diuina esse principium quod; nam. principium quod realiter distinguitur ab eo cuius est principium: at hæreticum est dicere diuinam essentiam distingui realiter à Filio & Spiritu S. quæ solæ sunt personæ procedentes in diuinis, ergo diuina essentia non est earum principium quod, quamobrem diuina essentia neque generat neque spirat, sicut non generatur neque spiratur, vt decernit sacrum Concilium Later. *cap. Damnamus de summa Trinit. & fide cath.* Principium autem quo proximum duplex est: nam intellectus prout est in Patre, principium est quo proximũ ipsius Filij & generationis eius; Voluntas autem est proximum spirationis Spiritus S. principium, quatenus est in spiratore id est in Patre & Filio, prout sunt vnus spirator; nam principium quo siuè proximum siuè remotum significat absolutum in recto, relationem autem in obliquo; vt ait S. D. *infra q. 41. art. 5.* Vbi aduertendum est essentiam & intellectum non esse accipienda vt duo principia, sed vt vnum & vna potentia constans ex proximo & primo concurrentibus vt notat Cai. *ind. quæst. 41. a. 5.* quòd idem dicendum est de essentia & voluntate Patris & Filij respectu spirationis Spiritus S.

Denique in diuinis consideramus productiones, de quibus inter expositores Controuersia est, *an sint actus intelligendi & amandi formaliter, vel sub aliqua alia ratione?* Sed quoniam de hac re copiosè differendum est *infra q. 37. a. 7.* nunc breuiter dico primò intelligere in Deo essentiale tantum esse: diligere autem quandoque sumi vt essentiale, quandoque verò vt notionale; hoc dictum est D. Thom. *in dicto art. 1. quæst. 37.* Sed quamuis in Deo sit vnum tantum intelligere commune tribus personis, non tamen est in singulis sub eadem proprietate, siue respectu; nam in Patre est vt in primo principio, quod à nullo est alio principio: in Filio verò est vt à patre per generationem acceptum: denique est in Spiritu Sancto, vt eidem à Patre & Filio spiratione communicatum. Itaque Patris intellectio quæ illi communis est cum Filio & Spiritu S. est ipsa Filij productio, quatenus in Patre est ab alio non accepta, & vt in primo principio. Nam hoc ipso, quod Pater habet essentiam & intelligere à se, potentiam habet alteri personæ communicandi essentiam suam per ipsum actum intelligendi, qui est generatio, supposita ipsius essentiæ fœcunditate; & cum perfectissima sit diuina generatio, multiplicari non potest, vt plures sint personæ genitæ. Ex quo sequitur, vt essentia in Filio & Spiritu S. non possit esse ratio generandi, neque intellectio sit in eis generatio. Ratio igitur ob quam vna sola persona generat in diuinis, & in ea sola intellectio est generatio, hæc est: quia licèt in omnibus sit eadem intellectio, non omnes tamen illam habent à se, siue à nullo acceptam, sed vna sola nimirum Pater: reliquæ verò duæ intellectionem habẽt ab alio sibi communicatam, nempè Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio. Actus verò dilectionis non potest esse productio, nisi quatenus est à duobus: hi verò sunt Pater, quod est principium non de principio, & eius verbum sine quo amor esse non potest: & quia perfectissima in Deo est amoris processio, non est possibile vt alius ex amore producto procedat amor. Dilectio itaque non est amoris productio, nisi prout est Patris & Filij.

Intellectio qua ratione sit productio.

Dilectio quomodo sit productio.

Reliqua verò ad hanc materiam pertinentia suis locis explicanda reseruamus. Videnda sunt etiam ea, quæ supra diximus *art. 1. Cont. 3.* de intelligere & dicere, & huic loco accommodanda; nam intellectio productio est, quatenus est dicere: sicut etiam diligere non alia ratione productio est, quàm vt spiratio. Et per hæc solui facilè possunt argumenta Mol. & aliorum quorundam recentiorum contra Turrianum, & alios affirmantes intelligere & diligere esse productiones personarum in diuinis: intelligendum est enim in sensu iam dicto. Et ex his patet non esse in Deo duplex intelligere scilicet essentiale & notionale vt volunt Torres, Zumellus & quidam alij. Sed vnum tantùm, quod est in tribus personis sub diuersis proprietatibus; & similiter dicendum est de dilectione, quæ vna tantùm est in distinctis personis distinctos habens respectus; distinguitur tamen in essentialem, & notionalem: sed hæc distinctio non est rei, sed vocis in suas significationes vt aduertit Cai. *inf. q. 37. a. 1.*

Defenditur Turrianus contra Molinam, & alios.

Reijcitur distinctio Turriani, & Zumelli.

PRIMA CONCL. *Filius à Patre producitur per actum intellectus, qui est intelligere & dicere, non autem per actum naturæ immediatè.* Hæc conclusio videtur mihi fidei confessio. *Primò*: quia nimis apertum habet ex sacris litteris testimonium, in quibus Filius frequenter nuncupatur verbum. Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: & ibidem: *Verbum caro factum est*: & 1. Ioan. vlt. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: & Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*: quem locum exponentes D. Amb. & D. Aug. *in suis commentarijs* affirmant intelligendum esse de verbi diuini generatione; de qua etiam exponũt Augu-

Conclusiones deductæ & probatæ.

Augustinus & Greg. locum illum Psalm. 67. *Semel locutus est Deus* & *Eccl. 24.* Verbum diuinum quod est sapientia genita, de seipso loquens ait: *Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnẽ creaturam.* Certum autem in scripturis per os Dei eius intellectum significari. & *1. Corinth. 1.* ait Apost. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Sed ait *Durandus* hæc loca non secundum proprietatem, sed secundum quandam accõmodationem vel appropriationem esse intelligenda: dicique generationem Filij esse per intellectum, & Filiũ esse verbum, eo quod præcedat generatio Filij processionem Spiritus S. sicut operatio intellectus prior est operatione voluntatis. *Sed hæc responsio* errorem adiungit errori & satis apertè declinat ad hæresim Arrij, Eunomij & Alogianorum dicentium Filium in sacris litteris metaphoricè tantum, & non propriè dici verbum, vt refert Epiphanius hæresi 51. Nec cohæret hæc responsio cum ipsius Durandi sententia, quæ statuit vtramque processionem esse immediatè per naturam, vt natura est; Nam si ita est, quomodo vna erit prior & altera posterior? & qua ratione vna erit generatio, & non alia? & cur duæ sint, & non plures, aut vna tantum processio? & tandem cur vna sit ab vna tantum hypostasi, alia verò à duobus? *Secundò.* Sacrum Concilium Constantin. quintum in expositione fidei sic loquitur: *Vnus Deus Pater verbi viuentis, sapientiæ subsistentis, &c.* & inferius: *Vnus dominus solus ex solo Deo Deus character, & imago deitatis, verbum operatiuum, & sapientia constitutiua omnium comprehensiua, &c.* quæ cum in sensu proprio ad intellectum pertineant, apertè significant filij processionem non esse immediatè à natura, sed media intellectiua potentia. *Tertiò.* SS. Patres Amb. Aug. Chrys. Cyril. Basil. Iren. Theod. Damas. Ansel. & alij quos referunt Ban. Zum. Val. & Vasq. *super hoc a.* & Suar. *lib. 1. de Trin. c. 5.* diuinas processiones semper explicant per operationes intellectus & voluntatis quæ sunt intelligere & amare, quorum sententiam secuti sunt omnes antiqui Theologi, quos referunt Vasq. & Suar. *in dicto capitulo.* Denique sententiam Durandi vt temerariã & errori proximam reiecerunt, & acriter impugnauerunt vniuersi Theologi, qui post ipsum scripserunt, & præsertim discipuli D. Tho. quos lege si placet.

Durandi responsio.

Confut.

SECVNDA CONCL. *Intelligere Patris non est proxima ratio, siue principium quo proximum generationis Filij, sed est ipsamet generatio.* Probatur. Nã si intelligere Patris est principium quo, sequitur in Patre esse aliquem alium actum, qui sit productio, cuius principium esset actus intelligendi; at hoc esse non potest; ergo. Sequela probatur: quia inter principium agendi & terminum mediat actio. Minor probatur: quia vel illa actio est intellectio vel non: si primum ergo intellectio est principium intellectionis, & sic vel est duplex intellectio, vel eadem est sui principiũ: Si secundum sequitur non produci verbum per actionem, quæ sit intellectio. *Huic argumento respondet* Suar. & negat sequelam: quoniam in diuinis non inueniuntur verè & propriè actiones, vt etiam sentit S. Th. *infra q. 41. a. 1. ad argumenta* quia (inquit) actio in suo conceptu, & ratione formali claudit imperfectionem & rationem dependentiæ; Cum itaque producitur verbum, non mediat actio inter principium proximum quo, & terminum sed actus intelligendi paternus est principium quo habens modum actus, in quo assimilatur productioni humani verbi. *Sed in primis* falsum est actionem in suo conceptu formali claudere imperfectionem; nam vt supra notauimus ex D. Thom. dependentia illa actionis ex principio non significatur nomine actionis, sed ad modum tantùm nostrum intelligendi & significandi pertinet: nec verum est D. Thom. absolutè negare in diuinis actionem propriè & formaliter dictam: sed à Deo tantum actionem remouet, qua ratione motum implicat, vt patet *in dicto art.* Denique licet D. Thom. quandoque neget actiones immanentes esse propriè actiones, vt supra notauimus *art. 1.* affirmat tamen eas esse operationes, nec vnquam dixit eas esse principia, quibus termini producuntur, sed oppositum vbique semper significauit: vt patet *in hac tota 1. quæst.* & *alibi.*

Respõsio Suarezij.

Confut.

TERTIA CONCL. *Natura siue essentia diuina est principium primum quo generationis Filij, & processionis Spiritus S.* Hæc patet ex dictis, & explicabitur *infra q. 41. a. 5.*

CONTRA *primam* concl. argum. Dur. *Primò.* Communicatio naturæ prouenit ex fœcunditate ipsius naturæ; ergo non prouenit ex intellectu & voluntate; ergo illis præcisis sicut remanet natura, ita remanet fœcunditas, & actus cõmunicatiuus naturæ. Antecedens est per se notum, & patet inductiue: & probatur auctoritate Hilarij. *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit filio ex impassibili, &c.* prima & secunda consequentia simul probantur. Quoniam qualis est ordo inter aliqua, cum distinguuntur realiter, similis est ordo inter illa, cum distinguuntur ratione: sed vbi natura distinguitur realiter à voluntate & intellectu, natura est prior intellectu & voluntate, & actus naturæ est prior actibus intellectus & voluntatis; ergo erit etiam similis ordo in diuinis, vbi distinguuntur secundum rationem natura & intellectus & voluntas. Resp. cum Caiet. falsam esse consequentiam; & ratio negationis est: quia stat quòd actus communicatiuus naturæ sit ex fœcunditate eius, & tamen non præcedat actum intellectus aut voluntatis: quoniam naturæ illi repugnat communicari per alium actum, quàm intellectus & voluntatis. Ad probationem consequentiæ respondetur falsam esse minorem quo ad id, quod manifestè supponit, videlicet naturæ fœcundæ conuenire actum communicatiuum seclusis potentijs. *Sed contra.* Intellectus præsupponit naturam fœcundam; ergo actus intellectus præsupponit actum naturæ fœcundæ. *Respond.* falsam esse consequentiam: quoniam talis forma argumentãdi non tenet in subordinatis, quorum est vna & eadem operatio, ita vt primum non nisi per secundum valeat operari, sicut in proposito.

Argum. & solutiones. obi 1 cõ. 1 concl.

Solut.

Replica.

Solut.

Secundò sic argumentatur: Si calor esset intelligens & volens, non calefaceret in quantum intelligens aut volens, sed ex natura sicut nunc; igitur per se & primò communicare naturam est actus naturæ omni alio excluso. *Respondetur* cum Caietano conditionalem illam & similes esse veras de formis communicabilibus per actionem ad extra, quas formas fingimus habere annexam intellectualitatem, non quidem vt differentiam determinatiuam ad modum communicationis sui, sicut in proposito vt supra diximus; sed imaginamur tales formas habere annexam intellectualitatem vt proprietatem, quæ nihil pertinet ad modum communicandi, sed eo posterior est, vt patet in homine.

Obi. 2.

Sol.

Alia argumenta pro ſententia Dur. & eorum ſolutiones lege apud Expoſitores & præſertim Zum.

Obi 1.cõt.2. concl. CONTRA *ſecundam* concl. argum. Suar. *Primò*: Intellectus diuinus per ſeipſum & eſſentialiter eſt actus vltimus intelligendi, ita vt in Deo non tam ſit intellectus, quàm ipſum intelligere; ergo ſi intellectus eſt principium proximum à fortiori ipſum intelligere. Conſeq. patet. Antecedens probatur, quia intellectus dicit potentiam, intelligere autem actum dicit. *Reſp.* antecedens dupliciter intelligi poſſe: vno modo vt à parte rei, ſiue ſecundum ſe intellectus diuinus ſit per ſeipſum, & eſſentialiter & formaliter actus: & hoc veriſſimum eſt, vt ſupra diximus: & tunc conſequentia non valet niſi in eodem ſenſu videlicet à parte rei, ſiuè ſecundum ſe & reſpectu producti ſcilicet verbi & amoris; quòd etiam nos admittimus dicentes cum D. Tho. & Caiet. *infra q. 41. a. 4.* potentiam productiuam in diuinis poni reſpectu ipſorum actuum, non ſecundum ſe id eſt non quo ad ipſos actus ſecundum ſe ſumptos, ſed ſecundum eorum terminos realiter emanantes; Nam à parte rei, ſiue ſecundum rem idem ſunt potentia & actus, & ideò nõ poteſt actus ſecundum ſe verè & realiter à potentia produci, aliàs idem produceret ſeipſum. Alio modo poteſt antecedens intelligi ſecundum modum noſtrum concipiendi, & ſignificandi, & ſic falſum eſt tàm in Theologia, quàm in Meth. vbi ſimpliciſſimam & vnicam Dei perfectionem multis conceptionibus apprehendimus, & diſtinguimus in multas perfectiones: quarum quædam ſe habent reſpectu aliarum ad modum potentiæ, non ſolum productiuæ ſed etiam receptiuæ, vt patet de eſſentia reſpectu eſſe & reſpectu intellectus & voluntatis, & de intellectu reſpectu ſapientiæ, prouidentiæ, prædeſtinationis & actus intelligendi; & ſimiliter de voluntate reſpectu iuſtitiæ, liberalitatis, miſericordiæ & volitionis: quorum diſtinctio & habitudo potentiæ & actus Deo non attribuitur, ſed ad noſtrum dumtaxat imperfectum pertinet intelligendi modum; eo quod diuina capere non poſſimus prout in ſeipſis ſunt: alioquin ſi non licet hoc modo diuina concipere, inanis eſſet omnis Theologi ac Methaphyſici labor, qui diuinas perfectiones ſic conceptas ſpeculantur & comparant, & in difficultatibus ex eis vt ſic conceptus, & comparatis emergentibus diſſoluendis inſudant. Itaque dicendum eſt in diuinis eſſe potentiam generandi, quæ eſt ſecundum rẽ principium proximum generationis, non ſecundum ſe, id eſt ratione ipſius generationis, ſed ratione geniti ſiuè ſecundum quod ponit genitum, vt explicat Cai. *infra q. 41. a. 4.* de mente D. Tho. & conſequenter talis potentia non eſt principiũ actus ſecundum ſe ſumpti, niſi ſecundum modũ noſtrum intelligendi vt ante diximus.

Sol.

Obi. 2. Secundò, differunt verbum diuinum & humanum: quod humanum ad hoc producitur, vt conſtituat producentem in actu ſecundo intelligendi: verbum autem diuinum non producitur, vt conſtituat Patrem intelligentem, vt probat Aug. *lib. 15. de Trin. c. 7.* Igitur principium quo humani verbi eſt actus primus, id eſt ſpecies: principium autem quo verbi diuini eſt actus intelligendi. *Et confirmatur*; quia ibidem Auguſt. ita concludit: Verbum Dei eſt ſapientia genita ex ſapientia generante; ergo Pater quatenus infinitè ſapiens, producit verbũ eadem infinita ſapientia ſapiens; ergo ipſamet ſapientia Dei, quæ nihil aliud eſt quam actus intelligendi eius, eſt proxima ratio illius communicationis. *Reſpond. Sol.* nullam eſſe conſq. Nam ratio, cur diſtinguatur actus verbi productiuus ab intellectu noſtro & ſpecie, vt ſecundus à primo, ſiuè vt productio à principio quo productionis, non eſt quia verbum conſtituat producentem in actu ſecundo: ſed propria cauſa eſt quia verbum eſt terminus operationis immanentis eadem operatione productus, quæ operatio diſtinguitur realiter ab intellectu & ſpecie. Nam vt *in 1. art.* notauimus, cum verbum ſit terminus intellectionis, prout intellectio eſt dictio, neceſſe eſt in omni intellectu, prius eſſe aut ſaltem concipi actum intelligendi, quàm verbum: quamuis apud nos, qui verbo ſiuè per verbum rem eo repræſentatam intelligimus, compleatur intellectio per ipſum verbum; Itaque licet Pater verbo producto non intelligat, terminari tamen intelligitur eius intellectio ad verbũ ipſa intellectione productum. Verum ex argumento ſequitur aliud abſurdum. Nam ſi verbum humanum conſtituit producentem in actu ſecundo formaliter; igitur verbum eſt ipſemet actus ſecundus, & conſequenter non producitur actu ſecundo tanquã principio quo; alioquin idem ſuiipſius eſſet principium. Dictum autem Auguſtini de ſapientia genita & generante manifeſtè intelligitur de perſonis.

Conf.

Tertiò. Non poteſt rectè intelligi (maximè iuxta opinionem Thomiſtarum) actum intelligendi eſſe per modum actionis; ergo debet intelligi per modum principij: Probatur conſequentia: quia non poteſt cogitari tertium membrum. Antecedens probatur: quia actio in ſuo conceptu & ratione formali includit imperfectionem & rationem dependentiæ, vt ex methaphyſica etiam ſuppono; ergo. *Reſp.* falſum eſſe antec. Ad probationem negatur antecedens; & ratio negationis ſuperius fuit adducta. Secundò dico actũ intelligendi eſſe operationem, quæ eſt productio ipſius verbi.

Obi. 3. *Sol.*

Quartò. Si præter illum actum intelligendi aliquid poteſt à nobis intelligi per modum actionis ad intra, id eſt tantum origo actiua, vt reſpectu Filij eſt generatio, quæ origo non poteſt eſſe niſi relatio perſonæ producentis vel etiam perſonæ productæ; at actus intelligendi nõ eſt origo actiua nec in fieri nec in facto eſſe, vt aduerſarij fatentur; ergo actus intelligendi non eſt ipſa productio vel actio qualis in Deo cogitari poteſt; ergo eſt principium quo talis productionis, *Reſp.* primò id, quod per modum actionis intelligitur in Deo, non eſſe aliquid præter actum intelligendi, vt ſupponit argumentum: ſed eſſe ipſum actum intelligendi formaliter, vt eſt in Patre. Secundò falſum eſt originem actiuam eſſe relationem præcisè: Nam vt dicemus cum D. Th. *infra q. 47. a. 1* eſt relatio per modum actionis concepta, & vtramque rationem habet formaliter, ſcilicet relationis & actionis, vt ibidem erit explicandum; & ideò falſum eſt antecedens tam quo ad id, ſupponit, quàm quo ad ſecũdam eius partem, quæ aſſumit originem eſſe ſolam relationem: manifeſta eſt enim implicatio dicere originem actiuã eſſe ſolam relationem; Nam ſi origo actiua eſt, hoc ipſo eſt quædam actio: nihil enim actiuũ formaliter eſt, niſi actio, Si verò ſola relatio eſt, hoc ipſo actiua origo non eſt: quia relatio formaliter, neque origo alterius eſt procedentis, neque actiua eſt, ſed hoc tantùm habet, vt referatur ad aliud, vt docet Ariſtoteles *in prædicamentis*.

Obi. 4. *Solut.*

QVAE-

Quaestio XXVIII.

De relationibus diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de relationibus diuinis.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

Secundò, Vtrum illæ relationes sint ipsa essentia diuina, vel sint extrinsecus affixæ.

Tertiò, Vtrum possint esse in Deo plures relationes realiter distinctæ ab inuicem.

Quartò, De numero harum relationum.

Ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & articulorum eius inter se.

Relationes diuinæ, vt ait S. D. *in vltimo art. huius quæst.* fundantur in actionibus intellectus & voluntatis, quæ sunt processio verbi & amoris; Recto igitur ordine quæstionem de processionibus sequitur quæstio de relationibus in quatuor articulos distincta: in quorum primo tractatur quæstio an est? in secundo quid est? in tertio & quarto quæritur quomodo vel qualis sit diuina relatio? nam in tertio agitur de pluralitate siue numero relationum absolutè, in quarto verò & vltimo tractatur de earum numero determinatè, an scilicet sint plures vel pauciores quàm quatuor; pertinet autem numerus ad quēdam essendi modum & qualitatem latè sumptam, prout contra quidditatem distinguitur.

Articvlvs Primvs.

Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

165. 11. dist. 26 q. 2. art. 1. Et dist. 33. art 1. in cor & 4. cōt. c. 14. Et pot q. 2. a. 6. cor. & q. 8. a. 1. & qq. 3. c. 53. * In medio li. de Trin. 166. a 214. † Circa fin. li. de Trin. 74.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sint aliquæ relationes reales. Dicit enim Boet. *in lib. de Trin.* * quòd cum quis prædicamenta in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam; quæ prædicari possunt: e ad aliquid verò omnino non potest prædicari. Sed quicquid est realiter in Deo, de ipso prædicari potest. Ergo relatio non est realiter in Deo.

2 Præterea. Dicit Boet. † in eodem lib. quòd similis est relatio in trinitate Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum, vt eius, quod est idem ad id quod est idem. Sed huiusmodi relatio est rationis tantum: quia omnis relatio realis exigit duo extrema realiter. e Ergo relationes, quæ ponuntur in diuinis, non sunt reales relationes, sed rationis tantum.

3 Præterea. Relatio paternitatis est relatio principij. Sed cum dicitur, Deus est principium creaturarum, non importatur aliqua relatio realis, sed rationis tantum: ergo nec paternitas in diuinis est relatio realis. Et eadem ratione, nec aliæ relationes, quæ ponuntur ibi.

4 Præterea. Generatio in diuinis est secundum intelligibilis verbi processionem: sed relationes, quæ cōsequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis: ergo paternitas, & filiatio, quæ dicuntur in diuinis secundum generationem, sunt relationes rationis tantum.

Sed contra est, quòd pater non dicitur nisi à paternitate, & filius à filiatione: si igitur paternitas, & filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quòd Deus non sit realiter pater aut filius, sed secundum rationē intelligentiæ tantum: quod est hæresis Sabelliana. e 160.

Respondeo. Dicendum, quòd relationes quædam sunt in diuinis realiter. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem. Quod non est in alijs generibus: quia alia genera (vt quantitas, & qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens. Ea verò quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, vtpote quando aliquæ res secundum suam naturam adinuicem ordinatæ sunt, & inuicem inclinationem habent. e Et huiusmodi relationes oportet esse reales. Sicut in corpore graui est inclinatio, & ordo ad locum medium. Vnde respectus quidam est in ipso graui respectu loci medij: & similiter est de alijs huiusmodi. Aliquando verò respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri: & tunc est relatio rationis tantum. Sicut cum comparat ratio hominem animali, vt speciem ad genus. Cùm autem aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, necesse est, quòd ambo, scilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant. & sic oportet, quòd habeant reales respectus ad inuicem. Cùm igitur processiones in diuinis sint in identitate naturæ (vt ostensum est *) necesse est, quod relationes, quæ secundum processiones diuinas accipiuntur, sint relationes reales. 74. 1 præc. art. 2. & 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad ad aliquid dicitur omnino non prædicari in Deo secundum propriam rationem eius, quod dicitur ad aliquid, inquantum scilicet propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui inest relatio, sed per respectum ad alterum: non autem per hoc excludere voluit, quod relatio non esset in Deo, sed quod non prædicaretur per modum inhærentis secundum propriam relationis rationem, sed magis per modum ad aliud se habentis. c 166. a 173.

Ad secundum dicendum, quòd relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis tantum, si accipiatur simpliciter idem: quia huiusmodi relatio non potest consistere, nisi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad seipsum secundum aliquas eius duas considerationes. Secus autem est, cum dicuntur aliqua eadem esse non in numero, sed in natura generis, siue speciei. Boet. igitur relationes, quæ sunt in diuinis, assimilat relationi identitatis: non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc solum, quòd per huiusmodi relationes non diuersificatur substantia, sicut nec per relationem identitatis.

Ad tertium dicendum, quòd cùm creatura procedat à Deo in diuersitate naturæ, Deus est extra ordinem totius creaturæ, e nec ex eius natura est eius habitudo ad creaturas. Non enim producit creaturas ex necessitate suæ naturæ, e sed per intellectum, & per voluntatem, vt suprà dictum est. † Et ideo in Deo non est realis relatio d ad creaturas, sed in creaturis est realis relatio ad Deum: quia creaturæ continentur sub ordine diuino, & in earum natura est, quòd dependeant à Deo. Sed processiones diuinæ sunt in eadem natura. Vnde non est similis ratio. 74. 117. 118. † q. 19. art. 3. & 4. Et q. 14. art. 8. d 1089.

Ad quartum dicendum est, quòd relationes, quæ consequuntur solam operationem intellectus, in ipsis rebus intellectis sunt relationes rationis tantum: quia scilicet eas ratio adinuenit inter duas res intellectas. Sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, quæ sunt inter verbum intellectuā-

ctualiter procedens, & illud à quo procedit, non sunt
168. *relationes rationis tantum, sed rei. e quia & ipse in-*
a *tellectus, & ratio est quædam res: & comparatur realiter ad id, quod procedit intelligibiliter: sicut res corporalis ad id, quod procedit corporaliter. Et sic paternitas, & filiatio sunt relationes reales in diuinis.*

Sensus quæsiti.

AD INTELLIGENTIAM quęsiti quatuor sunt obseruanda: duo nimirum ex parte subiecti: & totidem ex parte prædicati.

Primum ex parte subiecti est dictio illa *reales*, quæ ponitur ad differentiam relationum rationis, quæ etiam simpliciter & propriè relationes sunt. *Secundum* est numerus eiusdem dictionis pluralis, quo relationum pluralitatem significatur inquiri.

Ex parte verò prædicati notandum *primò* est particula illa *sint in Deo* denotari modum essendi formaliter in Deo, & non virtualiter tantum. *Secundò* eisdem verbis significari quęstionem hic esse de relationibus ad intra, non autem de relationibus ad extra; de quibus abundè disseruit S. D. *quæstione decimatertia*, nec tales relationes sunt in ipso Deo secundum seipsum, sed Dei ad alia; hæ verò, de quibus hic loquimur, Deo conueniunt secundum seipsum, vt hic aduertit Cai.

Forma Textus.

CONCL. *est. Relationes quædam sunt in diuinis realiter.* Antequam probetur hæc conclusio, explicatur à Diuo Thoma quo ad dictionem illam *realiter*: ex cuius intelligentia pendet tota probationis efficacitas: Declaratur autẽ ex duobus: Primum est vocem prædictam appositam hic esse, vt differentiam inter relationem & alia rerum genera in quibus vniuersa realia sunt, & nihil secundum rationem: Ad aliquid verò siuè relatio quædam habet realia, & quædam secundum rationem: quæ differentia ex alia nascitur, quia scilicet reliqua genera secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærere: Ad aliquid verò secundum propriam rationem significat tantum respectum ad aliud. Secundò explicatur idem terminus *realiter* ostendẽdo quid sit respectus realis & rationis; id autem ostendit distinguendo: Nam respectus (inquit) quandoque est in ipsa natura rerum, vtpotè quando aliquæ res secundum suam naturam adinuicem ordinatæ sunt & inuicem inclinationem habent: & tales relationes oportet esse reales, sicut in corpore graui est inclinatio & ordo ad locum medium; quo fit vt respectus quidam sit in ipso graui respectu loci medij, & similiter de alijs huiusmodi. Quandoque verò respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantùm; sicut cum ratio comparat hominem ad animal vt speciem ad genus. *Hac explicatione* præmissa S. D. probat conclusionem tali argumento: Quandocunque aliquid procedit à principio eiusdem naturæ necesse est, vt ambo scilicet procedens & id à quo procedit, conueniant in eodẽ ordine, & consequenter oportet vt habeant reales respectus ad inuicem: sed processiones in diuinis sunt in identitate naturæ; ergo necesse est, vt relationes quæ secundum processiones diuinas accipiuntur, sint relationes reales, quod erat intentum. Maior relinquitur tanquam notæ. Minor autem patet ex his quæ dicta sunt *in quæstione præcedenti artic. 2 & 4.* Eandem A conclusionem probat S. D. optimo argumento ad oppositum scilicet sed contra.

Expositio Textus.

MULTA sunt in hoc textu consideratione & explicatione dignissima: *Primũ* est conclusionem æquè firma fide tenendã esse ac ipsum sanctissimæ Trinitatis mysterium; quod optimo argumento probat Turrianus, quo recentiores ferè omnes vtuntur: Argumentum est. In diuinis sunt tres personæ realiter distinctæ: sed distinguuntur per relationes; ergo illæ relationes sunt reales. Collectio euidens est: Nam si illæ relationes B essent rationis, per eas personæ non distinguerentur realiter. Maior & minor sunt de fide; ergo conclusio est de fide. Maiorem esse de fide probatur ex illo. *1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo Pater Verbum & Spiritus sanctus*; & ex Symbolo Athanasij: *Fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur &c.* Quod etiam minor sit de fide, probatur ex decreto Concilij Later. quod refertur *in capitulo firmiter de summa Trinitate, & fide catholica.* Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta: nomine verò proprietatis personalis nihil aliud intelligi potest, quàm relatio. Eandem veritatem de- C cernunt sacrum Concilium Flor. *sess. 18. & 19.* & Tolet. 7. & vndecimum *can. 1.* Alias eiusdẽ minoris & conclusionis probationes ex sacris litteris, Concilijs & Patribus lege apud Zum. *disput. 1.* Val. *super hoc a.* & Suar. *de Trinitate lib. 5. cap. 1.*

Secundum est relationes reales, de quibus hic loquitur S. D. esse relationes reales mutuas, quas solas in diuinis esse intendit probare: quòd apertè significant verba illa, vtpotè: *quando aliquæ res secundum suam naturam ad inuicem ordinatæ sunt, & inuicem inclinationem habent &c.* & idem assumitur apertius in maiori, cui minor subsumpta materiam indicat, siuè potius continet mutuæ relationis realis; Nomine verò ordinis seu inclinationis intelligimus ordinem, seu inclinationem fundamentalem, vt hic aduertit Cai. alioD quin si intelligeretur ordo formalis, aut peteretur in argumento principium; quia ordo formalis idem est quod relatio: aut fundaretur relatio realis super alia relatione, quòd est impossibile.

Tertium est mutuum illum ordinem & inclinationem, & multò minus mutuam relationem, non esse mutuam dependentiam propriè, & formaliter loquendo: alioquin Pater vt Pater est, dependeret à Filio; nam etsi bene dicat Ferr. *in 4. contra gentes, capit. 14. §. Attendendum autem &c.* esse relationis creatæ dependere à termino formali, tanquàm à causa sine qua non; In diuinis tamen vbi vnum & idem est esse vtriusque correlatiui, siuè relationis & termini, talis deE pendentia admittenda non est; alioquin idem à semetipso dependeret; Et quamuis vt *in prima disputatione* notat Zum. aliud sit vnam relationẽ ab alia dependere, vt paternitatem à filiatione, & aliud esse vnius relationis pendere ab esse alterius, & vtraque dependentia conueniat modo dicto ex Ferr. relationibus creatis: neutra tamen diuinis relationibus verè ac propriè congruit. Nam licet diuina paternitas & filiatio sint simul natura, adeò vt vna sine altera esse nõ possit: neutri tamen conuenire potest nomen dependentiæ ab altera, tanquàm à causa sine qua non, aut quouis alio modo; quia dependentiæ

nomen

nomen rei tantum conuenit, quæ sit indigentis naturæ. Melius verò dici posset vtrique conuenire naturalem necessitatem simul existendi, non tàm ex ipsius relationis natura, quàm ex infinita perfectione diuinitatis. Videnda sunt quę diximus de causa & conditione relatiuorum supra *q. 13. a. 7. Contr. vnica. §. 3. in fine.*

Relationis realis causa propria.

Quartum est relationem omnem realem esse inter res reales natura sua ad inuicem inclinatas siuè ordinatas; existimandum est enim res omnes creatas sicà Deo fuisse dispositas, vt quælibet non in seipsa tantùm esset absolutè perfecta, verùm etiam vt ex ea cum alijs adunata perfectio consurgeret vniuersi; quo sit vt quælibet res ex sui natura alteri consonet vt comparti ad perfectam integritatem vniuersi constituendam: quòd est habere ad alteram inclinationem & ordinem fundamentalem, in quo posita est, vt alibi diximus, vniuersi perfectio: & ex quo sequitur realis & actualis vnius rei ad alteram relatio, non vna tantum sed multiplex, puta similitudo & dissimilitudo, identitas & distinctio, sursum & deorsum & aliæ quàm plurimæ, iuxta rerum naturas ad inuicem conuenientes aut differentes, & earum fundamentales proportiones, quas habent in ordine ad vniuersi constitutionem. Ex his apparet hic non solùm exemplariter explicatam fuisse relationis vtriusque naturā à D. Tho. vt voluit Torres, sed etiam exactè diffinitam.

Quintum est nomine rationis vnum alteri conferētis, hic significari intellectum quouis modo concipientem vnum in comparatione ad alterū. Modos autem comparatiuæ cognitionis explicat S. Tho. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 1. & de potentia q. 7.* vt hic etiā notat Cai. quos omnes modos breuiter explicauimus *supra q. 13. a. 7. in expositione textus*, & ad tres præcipuos ibidem expressos à D. Tho. reduximus.

Sextum est relationes rationis causari non ab intellectu tantùm humano vel Angelico, sed etiam ab intellectu diuino: cuius oppositum hic sustinere nititur Vasq. *disput. 115. cap. 2.* contra quē copiosè disputat Balthasar Nauaretus *quæst. 15. a. 3. contr. 68.* D. Th. *supra q. 15. a. 3. ad 3.* expressè docet respectus ideales causari ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res; quod idem affirmat *in 1. cont. gent. c. 54. in fine.*

Septimum est relationes rationis secundum suum esse à solo intellectu causari, quia eorum esse consistit in intelligi; secundum autem eorū quasi proximam causam, & fundamentum à cæteris alijs potentijs, tam cognoscitiuis quàm appetitiuis & motiuis produci, vt hic aduertit Cai. contra Scotum *in primo distinct. 45.* affirmantem non omnem relationem rationis esse ab intellectu secundum suum esse, sed aliquam etiam à voluntate & aliquam ab imaginatiua. Nec Scoto suffragatur defensio Vasq. *disput. 115. cap. 1.* dicentis secundum Scotum relationem consurgētem ex operatione diuinæ voluntatis, nec esse realem nec esse rationis; Nam supponit Caietanus, quod alibi probauit, nullum dari medium inter ens reale & ens rationis: ex quo sequitur relationes consequentes operationem diuinæ voluntatis, cùm reales non sint, esse verè & propriè relationes rationis, quas à solo intellectu fieri non solùm hic probat Caietanus, sed etiam affirmat Scotus teste Vasq. Ripa alio modo ex verbis Scoti confutat eiusdem auctoris censuram. Argumenta verò Scoti probant posse relationem rationis fundamentaliter causari à voluntate: Nam cum aliquis desiderat pecuniam aut gemmas, vt emat agrum vestes aut cibum, ordinat pecuniam ad aliquid ad quod ex natura sua non ordinatur; quia gemma aut pecunia non est pretium rerum, nisi ex humana institutione, & ex tali ordinatione causatur relatio rationis quo ad proximum eius fundamentum, ita vt accedente actu intellectus sit in actu relatio.

Octauum est probatio conclusionis per argumentum ad oppositum, cuius forma hæc est. Si Paternitas & Filiatio non sunt in Deo realiter: sequitur quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantùm, quod est hæresis Sabellianæ. Probatur sequela: quia Pater non dicitur nisi à paternitate & Filius à filiatione. Ergo &c. Cui probationi sic obijcit Torres & post eum Molina. Deus realiter est Dominus creaturarum, & non per relationem realem, quæ sit in ipso sed per relationem rationis; Igitur ex hoc, quod Deus realiter est Pater à paternitate, non sequitur paternitatem esse relationem realem; *Respondetur* Deum diuersa ratione dici Dominum & Patrem: Nam Deus dicitur realiter Dominus, non à relatione Dominij, sed quo ad fundamentum & rationes fundandi relationem; quæ ratio fundandi est vera actio realis, qua Deus realiter attingit creaturam. Dicitur autem realiter Pater quo ad relationem ipsam paternitatis, per quam constituitur in esse Patris, & non quo ad aliquid aliud; quo fit vt optimè sequatur relationem paternitatis esse relationem realem; Vnde ad argumentum negatur antecedens. *Posset secundò dici* D. Th. supponere communia inferius explicanda, nimirum diuinas personas non posse distingui realiter per absolutum, sed tantùm per relationes, & eas relationes quæ sunt in diuinis esse mutuas, vt ante diximus, quales non sunt relatio dominij & creationis in Deo; quibus suppositis euidens est consequentia.

Obiectio Turriani, & Molinæ.

Sol.

Postremò videnda sunt argumenta quæ proferunt & soluunt Zum. & Val. contra concluſ. D. Thom.

Controversia Vnica.

An in prædicamento relationis inueniatur aliquid reale, & aliquid rationis: in alijs verò id tantum quod reale est?

Rationes dubitandi, Sensus quæstii, & sententiæ Expositorum.

Statvit S. D. differentiam inter relationem & alia genera: quòd in ijs quæ sunt ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, non secundum rem, quod alijs generibus minimè conuenit: Nam cætera rerum genera, vt quantitas & qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhæreps, non autem ea quæ dicuntur ad aliquid sed respectum solùm ad aud significant. Circa quam differentiam, & eius rationem continentem aliam differentiam, non modica est inter expositores dissensio tam de veritate, quàm de sensu. Rationes profert Caietanus. Sunt verò quatuor, duæ circa primam differentiam, & totidem circa secundam. *Prima ratio* contra primam differentiam ex parte relationis est. Ad aliquid vt est vnum genus à cęteris propria sua ratione formali distinctum, pars quædā est ac modus entis realis diuisi in decē genera; igitur est ens reale for-

Quatuor rationes dubitandi ex Caietano Prima.

le formaliter; igitur nihil secundum rationem A tantum inuenitur in eo: Nec dici potest relationem, de qua loquitur hic S. D. sumendam esse, prout est commune quoddam analogum ad omnia relatiua; nam glossam hanc textus apertè reijcit distinguens ad aliquid contra alia genera.

Secunda. *Secunda ratio* est ex parte reliquorum generum, in quibus videtur aliquid esse secundum rem, & aliquid secundum rationem: Nam rosa non existens sed mente concepta substantia est secundũ rationem, & triangulus abstractus quãtitas quędam est & sic de alijs, & tempus etiam ens rationis formaliter est secundum S. Thom. ergo non est proprium relationis habere aliquid secundũ B

Tertia. rem & aliquid secundum rationem. *Tertia ratio dubitandi* est circa secundam differentiam ex parte relationis; Nam genus relationis ex propria ratione formali non significat solùm ad, sed ad

Quarta. reale; alioquin pars entis realis non esset formaliter. *Quarta ratio* dubitandi est ex parte reliquorum generum; quoniam actio secundum propriã rationem non significat aliquid alicui inhęrens, vt ait S. D. *de potentia, q. 8. a. 2.* igitur non omne aliud genus accidentis significat aliquid secundum propriam rationem inhærens alicui.

Syl. dicit septem. *Primum*: Ratio ad non est propria generis relationis: quia cõuenit relationibus quæ sunt extra genus scilicet diuinis, & a- C lijs non realibus; & licet relatio per esse ad distinguatur ab alijs generibus, non tamen ab omnibus alijs rebus, & ideo non est eius ratio propria. *Secundum*: Sustinendo hic sermonem esse de ad aliquid vt est vnum decem generum, ratio eius est habere ad inter extrema realiter ordinata. *Tertiũ* est relatio quo ad suã rationẽ formalẽ nõ est ens reale inhærens, nec vt ens inhęrẽs pars est entis realis secundũ se, sed ratione fundamẽti tantũ, à quo habet realitatem absolutè inhærentem: & per hoc soluit primam rationem. *Quartum* quo soluit secundam rationem est: In ad aliquid sunt aliqua entia rationis quæ nunquam possunt esse realia, vt relatio eiusdem ad se: non autem est simile de rosa intellecta, & sic de alijs. D *Quintum* quo satisfacit tertiæ rationi est: Ad prędicamentale dicit respectum realem, non tamen sequitur ergo dicit realitãtem inhærentem, vt alia genera accidentis, sed realitatem ad. *Sextũ*: Actio ex propria ratione dicit esse in scilicet in patiente, & egressum ab agente, cum segrẽgatione ab eo & receptione in passo, & non dicit ad, eo modo quo relatio quæ concipitur inter duo nulli eorum inhærens. *Septimum*: Melior solutio est dicere hic sermonem esse de ad aliquid, vt est genus analogum, & de cæteris generibus vt sunt analoga sicut substantia dicta de Deo, & quantitas dicta de corporali & spirituali, & similiter qualitas de substantiali & accidentali, & E similiter actio.

Torres & Zum. affirmant hoc postremum dictum quo ad primam partem esse probabile, in quo etiam Mol. Sylu. sequitur: & addit doctrinam hanc D. Thom. fortassis non esse veram vniuersim: quia numerus Angelorum non est quantitas realis sed rationis, & numerus etiam tonorum qui in eodem numero sono ab arte musica considerantur, non est quantitas realis.

Bannus tria dicit: *Primum*: Sanctus Thom. non loquitur de ijs, quæ sunt ad aliquid, vt est vnum prædicamentum condistinctum ab alijs, sed vt est analogum quoddam ad omnia relatiua; Ad obiectionem autem Caietani respondet: quòd licet Sanctus D. loquatur de ad aliquid, vt condistinguitur ab alijs generibus, tamen secundum ipsum nomen ad aliquid considerat analogia quædam, quatenus ad aliquid significat principalius ad aliquid reale, secundariò verò ad aliquid rationis; quòd quidem non competit alijs generibus, etiam analogicè sumptis nominibus substantiæ, quantitatis, qualitatis, actionis &c. non enim est substantia rationis, neque quantitas, aut qualitas, aut actio rationis, sicut est relatio rationis. *Secundum* eius dictum est: Sententia Caietani, præterquam quòd nimia subtilitate videtur obscura & inintelligibilis, falsa est. *Tertium*: Nomen relationis, non vnico conceptu formali dicitur de relatione reali prædicamentali, & de relatione rationis, sicut non potest dari vnus conceptus communis, etiam analogicè enti reali & enti rationis.

Val. tria dicit; *Primum*: Relatio diuina secundum conceptum formalem communissimum significatum nomine relationis abstrahit à reali & rationis. *Secundum*: Si loquamur de relatione reali obiectiuè significata per nomen, impossibile est vt illa abstrahat à reali & rationis. *Tertium*: D. Th. quando dicit relationem abstrahere secundum propriam rationem à reali & ab inhærentia, intelligendus est de ratione formaliter per nomen relationis significata, nõ obiectiuè: & eodem modo interpretanda sunt quæ disputat hoc loco Cai.

Vasq. relata sententia Caiet. sic suam explicat *in secundo capitulo*: Mihi semper placuit opposita sententia nimirum ad, quod conuenit relationi reali & est modus tertij prædicamenti, & quod conuenit diuinæ relationi, nec esse quid rationis, nec commune rationis & reali: Sed verè esse reale & inhærens, solamque vocem communem esse vtrique ad rationis videlicet & reali.

Suar. *lib. 5. de Trinitate capitulo 1.* tria dicit: *Primum*: Falsa est sententia Cai. & Cap. dicentium relationes diuinas secundũ esse ad, non esse aliquid reale. *Secundum*: Mens D. Th. solùm fuit docere per rationem excogitari aut fingi aliquid simile prædicamento ad aliquid, quod suo modo intellectum est verum, scilicet secundum quandam proportionalitatem, non verò secundùm vniuocam rationem, immò nec secundùm realem conuenientiam etiam analogam. *Tertium* est aliud fundamentum dictorum auctorum, nempe, esse ad, posse ita præscindi, vt non includat esse in.

Oppositam sententiam habent Capr. *in 1. dist. 33.* Cai. *super hoc a.* quem sequuntur Ferrariensis *in 4. cont gent. cap. 14.* Iauellus, Torres, Zumellus & Ripa *super hoc a.* & quia sententia hæc subtiliter punctum veritatis attingit & mentem explicat D. Tho. ideò diligenter est ex proprijs & legitimis fundamentis explicanda, & ex eisdem reliquæ confutandæ, ex quibus tamen erunt nonnullæ probabiles sustinendæ.

Considerandum est primò, fieri hoc in loco à D. Th. comparationem relationis ad cætera prædicamenta secundum proprias horum & illius rationes formales: propria verò ratio relationis est ad aliud se habere; quòd dupliciter accipi potest, vt hic significat Caietanus & explicat Ferrariensis *in dicto capitulo*, & post eum Torres, Zumellus, & alij. *Vno modo* absolutè siue in generali & illimitatè, & sic ad aliud se habere nihil significat nisi

Resolutio. *Duplicè esse rationẽ relationis prædicamentalis vnã illimitatam analogã relationibus realibus &*

nisi ad in quantum ad, estque propria ratio prædicamenti relationis, eo modo quo ratio quæ vni alicui soli conuenit inter aliqua plura, potest illius dici propria. Soli namque relationi inter omnia prædicamenta conuenit hæc formalissima ratio, quæ est ad aliud se habere; quæ ratio nec includit nec excludit modum accidentis, aut substantiæ, aut entis realis, aut rationis, sed ab his omnibus abstrahit: & ideò nuncupatur communis, illimitata & absoluta; quòd ex singulis relatiuorum modis perspicuè patet: nam relationes omnes reales prædicamentales suum habent ad, quod etiam conuenit relationibus diuinis & relationibus rationis. Quamobrem. licet hæc sit propria ratio prædicamenti relationis modo dicto, non est tamen eius integra, totalis & adæquata ratio: tùm quia, vt dictum est, conuenit etiam relatiuis extra prædicamentum existentibus: tùm etiam, quia non includit modum specialem constitutiuum relationis prædicamentalis: sicut vita licet sit hominis propria ratio, prout distinguitur à non viuentibus, non est tamen illius ratio totalis; quia deest animalitas & rationalitas quibus hominis natura completur. Igitur vniuersis relationum modis commune est analogicè ad, in quantum ad, eo modo quo ens commune est enti reali & rationis, enti finito & infinito: quam Analogiam alibi probauimus ex Arist. *4. Meth. tex. 2.* vbi prædicationem entis analogam extendit ad negationes, priuationes, & non entia, quatenus induunt modum entis, vt patet ibidem: constat autem non entia sic concepta ad latitudinem entis rationis pertinere. *Alio modo* propria ratio relationis, quæ est ad aliud se habere, sumi potest contractè siuè limitatè ad talem essendi modum, quatenus scilicet importat esse & dici ad aliud ex natura rei realis, nimirum talis accidentis vel substantiæ in qua fundatur relatio, & hoc modo dicitur propria ratio velut integra & completa diffinitio relationis prædicamentalis, complectens id quod commune est omnibus relationibus etiam non prædicamentalibus scilicet ad, & quod speciale est prædicamenti relationis, videlicet esse reale, & inclinationem siuè ordinem realem, quod supra diximus esse fundamentum & causam realis relationis; Est igitur hæc propria ratio relationis prædicamentalis, tanquam dicens vltimum completiuum prædicamenti ad aliquid, siuè relationis prædicamentalis; nàm quatenus includit accidens, distinguit relationem à prædicamento substantiæ: quatenus autem dicit ordinem ad aliud ex natura rei prouenientem, facit completè & vltimatè differre à cęteris prædicamentis accidentium; nam relatio prædicamentalis secundum propriam & integram rationem, dicit modum accidentis, qui est inhærere substantiæ, per modum referentis ad aliud in natura rei fundatum, quem modum consequenter important omnes illæ relationes, quæ ex proprijs rationibus reales sunt, quales sunt omnes & singulæ species prædicamenti relationis, vt paternitas & filiatio. *Cum igitur* ait S. D. relationem secundum propriam rationem sui generis non dicere aliquid inhærens: non loquitur de ratione totali & integra relationis prædicamentalis; nam hæc, vt diximus, includit modum accidentis, qui est inhærere substantiæ, & fundamentũ reale, quod aliquid ponit in re: Interpretãdus est igitur de propria ratione iuxta priorẽ sensum, nimirũ vt dicit absolutè & illimitate ordinẽ ad alterũ, id est, de ad in quantũ ad: quę ratio amplissima est & cõmunis analogicè cuilibet re-

Ratio incõpleta relationis.

Ratio cõpleta relationis prædicamẽtalis.

Intentio S. Thom.

A lationis modo. Non ergo significat S. Th. simpliciter & absolutè loquendo, in prædicamento relationis inueniri aliqua quę realia non sint, sed rationis tantum: hoc enim falsum est, vt efficaciter probat præmissa ratio dubitandi; sed mens eius est asserere in prædicamento relationis considerato quo ad id, quod in eo formalissimum est, videlicet, quo ad hoc, quod est se habere ad aliud, quod vt sic abstrahit à reali & rationis; & vtrique commune est analogicè, inuenitur aliquid quod est rationis tantum; quod non est inueniri absolutè in prædicamento relationis, sed in eo tãtùm sic considerato scilicet quo ad communissimam & illimitatam eius rationem, quæ

B prædicamentum ipsum excedit.

Secundò obseruanda est ex Cai. differentia inter relationem & reliqua rerũ genera; quòd relatio formalissimè sumpta. s. quo ad propriũ rationem in priori sensu, quasdam habet partes subiectiuas, quibus conuenit esse obiectiuum tantum in intellectu, & repugnat esse in rerum natura; quo fit vt addendo relationi hoc quod est esse rationis, vel in ratione, non sit conditio diminuens; Nam relatio rationis verè & propriè relatio est à reali relatione distincta: reliqua verò prædicamenta, formalissimè sumpta, nullas habent partes, quibus conueniat esse obiectiuum tantũ in intellectu, & repugnet esse in rerum natura; nam rosa secundum rationem, non est ve-

C rè & propriè rosa; neque Homerus in opinione, verè & propriè Homerus est; nec rosa in esse naturæ, & in esse rationis duplex est rosa, sed vna tantũ & eadem secundum diuersos essendi modos, nimirũ simpliciter & secundum quid. Quare distinguendũ est dupliciter aliquid dici ens rationis: vno modo per se, & ex natura sua: alio modo per accidens, quatenus. s. à ratione cognoscitur: priori modo relationes rationis entia rationis sunt; posteriori verò modo rosa in hyeme apprehensa, mathematica abstracta, Homerus in opinione entia rationis sunt: non quidẽ propriè & obiectiuè, sed subiectiuè, & denominatiuè, quatenus. s. in ratione tanquam in subiecto talẽ habent essendi modum. s. esse cognitum; sed tamen secundum se & obiectiuè ac quidditatiuè

D sumpta, entia realia sunt realitate essentiæ, de qua multa diximus *supra q. 3 a. 4. Contr. 1.* S. Th. hic loquitur de ijs, quæ per se ex natura sua sunt entia rationis: Et quamuis tempus completiuè quodammodo sit à ratione, non est tamen à ratione simpliciter; cum absolutè sit ens reale in rerum natura, quamuis eius discretio & numeratio sit ab anima, vt dicitur *in quarto Phys.* Et quemadmodum in relatione prædicamentali prædictam duplicem rationem propriam consideramus, ita etiam in relationibus diuinis, quarum respectus, etsi verè & simpliciter sint reales, secundum tamen prædictam formalissimam rationem communem analogicè omnibus relationibus, nec reales sunt nec rationis.

E *Postremò aduertendum est* relationis comparationem ad cætera genera posse tripliciter intelligi: *primò* quo ad omnia genera simpliciter, quæ sunt substantia, quantitas, qualitas &c. & hoc modo differentia illa secunda, quòd alia genera significant aliquid alicui inhærens, &c. non est intelligẽda de inhærentia formaliter & propriè, sed de quouis essendi modo significante ex sua ratione formali esse in rerũ natura; per hoc enim distinguũtur substãtia, & cętera rerum genera à relatione, quæ ex sua ratione formali nullũ esse significat in rerũ natura, sed habitudinẽ tantum ad aliud; non enim substantia significat aliquid

In prædicamento relationis non sunt entia rationis.

Ostenditur differentia prædicamẽti relationis ab alijs, quo ad habere, aut non habere partes secundã rationem, & quo ad significare aliquid alicui inhærens, vel respectũ ad aliud.

Ens rationis duplex scilicet per se, & per accidens.

Triplex cõparatio relationis ad alia genera.

inhærens, sed aliquid subsistens in rerum natura; Et hanc comparationem ac differentiam videtur etiam significare S. Th. in exemplis quantitatis & qualitatis, quæ dicit significare secundum propriam rationem aliquid alicui inhærēs. Constat autem propriam rationem quantitatis & qualitatis, non consistere in inesse, quòd omnibus generibus est commune; igitur consistit in tali essendi modo, quòd ex propria sibi ratione formali ponit aliquid in rerum natura; & eadem est ratio de cęteris prædicamentis à relatione diuersis. *Secundò* potest intelligi dicta comparatio & differentia, quo ad genera tantum accidentiū; & hoc modo intelligenda est inhęrentia propriè & formaliter: & sumenda est propria ratio reliquorum prædicamentorum, non qua singula cōstituuntur & distinguntur, sed qua simul omnia primò differunt à relatione formalissimè sumpta; hoc autem est inesse quod intrinsecè clauditur & imbibitur in quolibet dictorum prædicamentorum, modo sicut entitas intimè clauditur in singulis rerum modis & differētijs. *Tertiò* modo potest intelligi dicta comparatio quo ad cætera genera tantùm absoluta, quæ tria tantum sunt scilicet substantia, quantitas & qualitas, de quibus duobus vltimis tantum exemplum affertur in textu: & ideò ad absoluta tantum videtur fieri comparatio. Vnde etiam *in 1. dist. 26. q. 2. a. 1.* sic loquitur S. Tho. *& ex hac ratione non habet* scilicet relatio, *quòd ponat aliquid in eo de quo dicitur; sicut aliæ formæ absolutæ ex ipsa sua ratione habent, quòd aliquid in eo de quo dicuntur ponant:* Vbi comparatio fit expresè relationis ad formas tātùm absolutas. Ex prædictis tribus dicendi modis valdè probabilibus, & rationi consonis, primum amplectitur Caiet. vt optimum, secundus videtur placuisse Ferr.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima Concl. *Relatio prædicamentalis & etiam diuina, quo ad id præcisè quòd est illi proprium id est formalissimum, videlicet ad, quo primò à cæteris prædicamentis distinguitur, nec est ens reale neque rationis, sed abstrahit ab ente reali & rationis.* Probatur; Nulla relatio est realis secundum eam rationem præcisè qua conuenit cum relationibus rationis: sed omnis relatio realis conuenit cum relationibus rationis in hoc, quod est esse vel se habere ad aliud; ergo secundum hoc non est realis, id est ex eo non habet vt sit realis. Maior probatur; quia alioquin relatio rationis esset ens reale. Minor patet ex dictis, & ex diffinitione cōmunissima relationis in prędicamentis, quæ conuenit etiam relationibus rationis. Hanc conclusionem probat Paulus Soncinas *in 5. Meth. q. 36.*

Secvnda Concl. *Relatio prædicamentalis secundum propriam rationem formalem, quæ est ad aliud se habere, contractè siuè limitatè sumptam ad talem entis modum, quatenus scilicet importat esse & dici ad aliud ex natura rei realis inexistentis subiecto, est ens reale constituens vnum prædicamentum ab alijs distinctum.* Hæc concl. patet ex dictis & ex Arist. *in 5. Meth. in cap. de ente*, vbi relationem hoc modo sumptam connumerat cæteris partibus entis realis; & probari potest ex differentia inter relationes reales & relationes rationis, non semel à nobis explicata.

Tertia Concl. *Differt prædicamentum ad aliquid ab alijs, quòd in prædicamento ad aliquid inuenitur aliquid secundum rationem tantùm, & non secundum rem; in alijs verò nullum est ens rationis.* Intelligenda est hęc conclusio de ad aliquid quo ad id, quod est formalissimum scilicet rationem ad, quæ non est integra ratio huius prædicamenti, & sequitur euidenter ex prima & ex præiactis fundamentis. Vnde absolutè & simpliciter loquendo non est dicendum in prædicamento relationis poni relationes rationis: quoniā prædicamētum relationis dicit integrā rationem relationis; nec D. Th. absolutè loquitur, sed cū addito scilicet secundum propriam id est formalissimam rationem.

Qvarta Conc. *Quamuis relatio prædicamētalis secundum suam completam & integram rationē vniuoca sit, secundum tamen rationem eius formalissimam scilicet ad inquantum ad, quæ non est illius completa ratio, non est vniuoca sed analoga ad relationes reales & rationis.* Probatur; quia ad in quantum ad, excedit prædicamentum relationis & extenditur ad vniuersas relationes tam reales quàm rationis, quibus omnibus hoc ipso quod verè ac propriè relationes sunt, conuenit ad aliud esse: enti verò reali & rationis, nihil est commune vniuocum sed analogum, vt constat ex allegato Philosophi testimonio; ex quo sequitur probabilem immò veram esse sententiam Sylvest. & eorum qui dicunt hic sumi à D. Th. relationem analogicè, loquendo scilicet de relatione quo ad id quod in ea est formalissimum, scilicet ad in quantum ad.

Postrema Concl. *Prædicta abstractio & communitas, intelligenda est tam quo ad conceptum obiectiuum, quàm formalem.* Probatur; Conceptus formalis & conceptus obiectiuus adæquatè sibi correspondent; ergo si conceptus formalis relationis abstrahit à reali & rationis, abstrahit etiam obiectiuus, & si obiectiuus non abstrahit, nec etiam formalis. Antecedens patet; quoniam repręsentatiuum per se primò, & eius per se primò repræsentatum, sunt æqualis extensionis, vt patet inductiuè & ex terminis; constat autem conceptum formalem esse per se primò repræsentatiuum conceptus obiectiui, tanquam per se primò repræsentati; ergò. Si verò per conceptum formalem intelligamus rationem formalem obiectiuam relationis, vt relatio est, manifesta est contradictio in dictis Val. sic enim idem erit conceptus formalis & obiectiuus; ex quo patet sententiam Val. non posse in proprijs terminis sustineri; cum tamen prædictus expositor affirmet sentētiam Cai. non aliter posse esse verā, nisi in prędictis terminis & cū prędicta distinctione.

Respondetur rationibus dubitādi, & proponitur, ac soluuntur expositorū argumenta. Ad 1. & 3.

Ad Rationes autem dubitandi in principio positas iam quid sit dicendum perspicuè patet. *Ad primam enim, & tertiam* simul dicitur relationem prædicamentalem secundum suam integram rationem formalem esse ens reale & significare ad reale, sed secundum suam rationem formalissimam & communissimam, significat tantum ad in quantum ad, abstrahēs à reali & rationis, communitatem habēs analogicam ad respectum realem & rationis, & secundum hanc rationem sic præcisè sumptam inuenitur in prædicamento relationis aliquid reale & aliquid rationis.

Ad 2. *Ad secundam* iam diximus in alijs prædicamētis non inueniri aliqua, quæ per se & ex natura sua sint entia rationis.

Ad 4. *Ad vltimam* respondetur actionem esse formā absolutam, quæ est agentis perfectio, & in eo ex parte rei est, & habet vt significetur vt inhęrens, licet quo ad modum significetur vt egrediens: relatio verò tam ex parte rei, quàm ex parte modi est & significatur vt in aliud tendens.

Com. 1. cōc. obi. Vasq. 1. Contra *primam* concl. argum. Vasq. *Primò.* D. Thom. cum ait relationem solum significare respectum, qui aliquando est in rerum natura aliquādo in solo intellectu, nō loquitur de ratione

tione significata, sed de nomine relatè significā- A logata, & eorū modos distinctiuos, vt sunt pro-
te; nam ratio significata non significat respectū portionaliter vnū; non tamen sequitur è contra,
sed est respectus ipse; dicit autem respectum tūc modos illos distinctiuos in seipsis claudere for-
esse realem, quando est inter ea, quæ natura sua maliter ratione communis analogi; alioquin mo-
ad inuicē ordinantur; Ergo sentit illud ad, quod dus vnius analogati includeret formaliter modū
est inter ea quæ inuicem ordinantur, esse reale alterius; quoniam vtriusque modus clauditur in
Solut. quamuis nomine communi significetur. *Resp.* formali conceptu communis analogi.
admisso toto argumento nihil concludi aduer-
sus nostram primam conclusionem, sed confir-
mari secundam. Nam licet sermo sit de nomine
relationem significante, quo ad eius rationem
propriam; vtrumque tamen commune est ana-
logicè scilicet nomen & ratio, ad relationem rea-
lem & rationis, quo ad id quod est in vtraque
formalissimum: licet ratio relationis prædica-
mentalis & diuinæ completè sumpta sit realis, vt
B probat S. Th.

Obi. 2. *Secundò*; Esse ad prædicamenti realis ita est
modus intrinsecus huius prædicamenti, vt à ra-
tione illa in, quæ est in omnibus prædicamentis,
etiam cognitione abstrahi aut separari non pos-
sit; Ergo ea ratione est quid reale & inhærens.
Assumptum probatur: Aut nomen accidentis a-
nalogicè significat nouem prædicamenta, aut
vniuocè: Si primum, non potest esse vna ratio
eo nomine significata communis nouem prædi-
camentis; sic enim, cum illa esset vna & tota in-
tegrè in singulis inferioribus vniuocè significa-
retur. Conseq. probatur; quia hæc est diffini-
tio vniuocorum: Si verò dicatur nomen accidē-
C tis significare vniuocè nouem prædicamenta, ni-
hilominus ratio illa ad prædicamenti realis non
poterit sine aliqua ratione in cogitari; Nam ac-
cidens, quod illis ponitur commune vniuocum,
debet esse completum, præter quòd datur etiam
ratio accidentis incompleta, quæ de omnibus
differentijs & modis intrinsecis ita prædicatur,
vt essentialiter illis conueniat, neque cum illis
compositionem faciat: igitur illa ratio ad sem-
per includit rationem in, quæ licet hac dictione
Sol. ad non exprimatur, non potest ea audita nō sta-
tim intellectu apprehendi. *Resp.* antecedens
verum esse de ad prædicamenti realis limitatè
sumpto, non autem de ad formalissimè & illi-
mitatè accepto. Ad probationem dico primò,
D nomen *accidētis* analogicè significare nouem prę-
dicamenta: Ad impugnationem respondeo ra-
tionem accidentis vnam tantum proportionali-
ter & non simpliciter esse in singulis ex nouem
prædicamentis, & ideò non sequi rationem il-
lam vniuocè significari. Secundò dico hoc ar-
gumento tantum probari ad prædicamenti rela-
tionis limitatè sumptum esse reale & includere
inesse, non autem id probari de eodem ad præ-
cisè & illimitatè sumpto. Tertiò dico nec et-
iam ad reale prædicamenti, vt ad reale est, includ-
ere formaliter in; Nam alia est formaliter rea-
litas ad, & alia realitas in; hæc enim dicit ordi-
nem ad subiectum, illa ad terminum; hæc secū-
E dum D. Th. *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1.* & secun-
dùm veritatem est absoluta, illa relatiua, vt ad-
uertit etiam Cai. *in a. 1. seq.* Et quamuis ens ob
sui maximam vniuersalitatem includatur for-
maliter in omnibus rerum modis & vltimis dif-
ferentijs; non est tamen eadem ratio de acci-
dente respectu nouēm generum aut cuiusuis a-
nalogi respectu suorum analogatorum, quorum
determinatiua siuè modi præcisè sumpti non
minus excludunt à suo conceptu formali ratio-
nem communis analogi, quàm differentiæ ra-
tionem generis: Nam licet analogum, cum non
habeat conceptū vnum simpliciter, sed propor-
tionaliter tantùm, claudat in suo conceptu ana-

Tertiò: Audita voce ad, non potest intellectus *Obi. 3.*
non concipere ordinem vnius ad aliud; iam er-
go apprehenditur ordo vt est alicuius & ad aliud;
sed vt est alicuius habet rationem in; ergo nullo
modo sine ratione in, ratio ad potest cogitari.
Resp. antec. falsum esse de ad etiam reali, forma- *Sol.*
liter loquendo; Nam, vt ante diximus, realitas
ad est alia formaliter à realitate in, & consequē-
ter alius est illius & alius huius conceptus.

Contra eandem concl. argum. Ban. Nullus cō- *Bannes obj. cont. eandē concl.*
ceptus potest esse communior quàm conceptus
entis: sed nullus conceptus entis potest significa-
re aliquid commune enti reali & enti rationis;
ergo neque vllus conceptus relationis potest si-
gnificare aliquid commune relationi reali & re-
lationi rationis; Conseq. est euidens cum maio-
ri. Minor probatur; quia ens reale diuiditur in
decem prædicamenta, tanquam commune ana-
logicè, quod intrinsecè & essentialiter includi-
tur in ipsis proprijs modis, per quos decem re-
rum genera sunt primò diuersa; ergo nihil ita
proprium considerari potest in aliquo genere
C entis realis, in quo non includatur intrinsecè &
essentialiter ens reale; est ergo pura imaginatio,
quod proprius modus distinctiuus prędicamen-
ti ad aliquid abstrahat ab ente reali. *Resp.* falsam *Solut.*
esse minorem propositionem: Ad probationem
dico modum proprium relationis limitatè sum-
ptum includere ens reale: modum autem pro-
prium relationis formalissimè & illimitatè sum-
ptum, non includere ens reale & esse vniuersali-
us quàm ens reale relatiuum; cum extendatur et-
iam ad ens rationis relatiuum: includit tamen
ens commune analogicè ad ens reale & rationis;
& per hæc latè superius explicata conciliatur ap-
parens illa cōtradictio, quam Ban. imponit Cai.
Secundò dico quòd ens reale quatenus ens præ-
D cisè & formalissimè commune est enti reali &
rationis, licet vt ens reale non sit commune ad
ens rationis, vt benè probat argumentum.

Contra eandem conc. argum. Suar. In relatio- *Suarez cōt. eandem ob.*
ne reali præsertim diuina nihil est, quod ad ve-
ritatem entis non pertineat, maximè ex his, quæ
intrinsecè pertinent ad veritatem & realitatem
illius mysterij: Sed ipsum esse ad vnius personæ
respectu alterius intrinsecè pertinet ad veritatē
illius mysterij; ergo relationes diuinę sunt rea-
les secundum esse ad in quantum ad. Maior pro-
batur; quia alias mysterium hoc magna ex parte
esset per rationem cōfictum; Minor autem; quia,
E alioquin relatio vt relatio nō multiplicaret Tri-
nitatem. *Respond.* maiorem duplicem habere *Sol.*
sensum. Primus est, vt omne quod est in re-
latione reali præsertim diuina secundum rem,
aut etiam secundum propriam rationem forma-
lem limitatè sumptam, sit reale, & sic verissi-
ma est. Secundus est, vt omne quod est in re-
latione reali ac præsertim diuina, sit reale secun-
dum propriam rationem formalem illimitatè
sumptam, & sic falsa est. Ad probationem ne-
gatur consequentia. Nam sequitur tantum
posse in relatione reali etiam diuina concipi
rationem formalissimam & communissimam
relationis, quæ dicitur analogicè de relatione
reali & rationis; sicut in omni ente reali et-

iam diuino vt ens est, possum concipere ratione entis communissimam analogicè dictam de ente reali & rationis; nec tamen sequitur entitatem realem & diuinam, esse per rationem confictam; & per hoc soluitur alterum eiusdem auctoris argumentum, quod procedit de ad diuinæ relationis limitatè sumpto, siuè vt tale est .s. reale diuinum.

Cont eandē ob. Molina. *Contra eandem* concluſ. quatenus negat in alijs prædicamentis inueniri aliquid reale & aliquid rationis, argumentatur Mol. Numerus Angelorum non est quantitas realis sed rationis, numerus etiam tonorum, qui in eodem sono ab arte musica consideratur, non est quantitas realis; ergo. *Solut.* *Resp.* primò falsum esse antecedens de numero numerato, vt patet ex D. Tho. *infra q. 30. ar. 3.* Secūdò dico hæc non esse rationis per se & ex natura sua, sed per accidens. Tertiò dico hæc non esse rationis obiectiuè sed subiectiuè tātum; numerus autem tonorum videtur esse rationis, non singulariter sed completiuè tantum, sicut tempus ad quod pertinere videtur prædictus tonorum numerus.

CONTRA *secundam* concl. sunt argum. Aur. quæ refert & soluit Zum. *disp. 2.* ex Capr. *in 1. dist. 30. q. 1.*

CONTRA *tertiam* conclusionem militant argum. quæ contra primam conc. relata fuerunt & soluta.

Cont. vlt. concl. Obi. CONTRA *vltimam* conc. argum. Vasq. Enti reali & enti rationis non potest esse ratio aliqua communis obiectiuè existens in intellectu. Ergo. Antecedens probatur; quia talis ratio, neq; potest esse realis, neque conficta ab intellectu. *Conf.* Et *confirmatur* ex Caiet. *de analoga nominum* dicente non esse aliquem communem conceptum analogatis, sed ipsa proximè significari eodem nomine. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. Ad probationē dico rationem illam non esse realem, neque rationis simpliciter, sed esse rationem entis realis & entis rationis vt proportionaliter similem & vt talem intellectui obiectam; nam posito vtroque ente secundum vtriusque modum, eo ipso ponitur vnitas proportionalitatis inter vtrumque, de qua intellectus conceptum vnum proportionaliter format: ita vt naturæ entis realis & entis rationis vt obiectæ intellectui, tanquam proportionaliter similes sint ipsemet conceptus obiectiuus proportionaliter vnus, & communis vtriusque entis naturæ siuè vtrique enti; species autem ab intellectu formata ad tales naturas sic proportionaliter vnas repræsentandas, est conceptus formalis, qui vt repræsentatiuus eandem habet vnitatem, licet vt res est sit vna numero qualitas.

Per prædicta soluitur etiam quoddam argumentum Val. de conceptu relationis obiectiuo.

Primum argumentum & solutio eius in forma, & explicatio ac defensio.

PRIMVM *argum.* S. D. est. Dicit Boetius *in lib. de Trin.* Cum quis prædicamenta in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam, quæ prædicari possunt: ad aliquid verò omnino non prædicatur; sed quidquid est realiter in Deo, de ipso prædicari potest; ergo relatio non est realiter in Deo. *Responsio est.* Prædicari contingit dupliciter: Vno modo per modum inhærentis; alio modo per modum ad aliud se habentis: Relatio secundum propriam rationem non prædicatur primo modo; quoniam eius propria ratio non accipitur per comparationem, siuè ordinem ad illud cui inest relatio, sed per respectum ad alterum: & ideò prædicatur per modum ad aliud se habentis. Maior vera est de primo modo prædicationis. Minor vera est sub distinctione scilicet primo, vel secundo modo.

Ad cuius responsionis euidentiam considerandum est PRIMO rem aliquam ideò prædicari de alia, quia inest ei; quamobrem de ratione prædicati est, vt habeat ordinem ad illud, de quo dicitur: relatio verò secundum propriam rationem relationis nō habet ordinem ad subiectum in quo est, sed ad terminum, vt paternitas non dicit ordinem ad patrem in quo est, sed ad filiationem; & ideò dicit Boetius ad aliquid omnino non prædicari. Videndus est D. Th. *in 1. dist 8. q. 4. a. 3.* vbi explicat egregiè dictum Boetij.

Responsionem hanc sic explicatam impugnat Torres tribus argumentis non multi ponderis: quorum solutiones lege apud eundem si placet. Aduerte tamen relatiuum vt relatiuum in actu signato prædicari de suis inferioribus; alioquin quidditas generis non cōueniret formaliter speciebus.

Contra eandem respons. militat argumentum 7. Zum. *disp. 1.* cui optimam adhibet solutionem ex D. Th.

Impugnatio Vasq. & Suarezij. *Eandem* respons. impugnant Vasq. & Suar. *lib. 5. de Trin. cap. 1.* quia Boetius ibi loquitur de relationibus ad extra, quas negat prædicari de Deo: quia realiter non sunt in Deo. *Secundò*, quia hoc modo etiam negari posset relationem esse in creatura; quia secundum propriam rationem non significatur vt existens in creatura, sed vt ad aliud se habens. *Tertiò*, quia supponit D. Thom. relationes diuinas esse assistentes, quod non est verum. *Resp. Ad primum dico* Boetium ibi *Confut.* loqui de relationibus secundum eam rationem qua respiciunt terminum, & eo sensu dixisse relationes omninò de Deo non prędicari; & quoniam talis respectus communis est etiam relationibus ad intra; idcircò rectè S. D. ad eas etiam Boetij dictum extendit. *Ad secundum* respondeo relationes etiam creatas quo ad id, quod in eis est formalissimum, nec inesse nec prædicari de subiecto vt inexistentes, sed vt ad aliud relatas; & eodem modo soluitur *tertium*, quod est Vasq. nam relatio ratione ad inquantum ad, non est inexistens, sed assistens, vt ait S. D. *in a. seq.*

Animaduersiones circa responsiones D. Thomæ ad secundum & tertium.

EX responsione ad secūdum Cai. deducit tria: *Primum* est relationē idētitatis specificę seu genericæ, esse relationem realem mutuam; *Secundum* est relationem fundari immediatè in substantia. *Tertium* est eam distingui realiter à fundamento, quod impugnatur à Sylvest. sed de hoc *in sequenti art.* vide Cai. Aliam responsionem affert S. D. *in 1. sent. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 2. & de potentia q. 8. a. 1. ad 2.*

In responsione ad tertium duo sunt obseruāda: *Primum* est, causa propter quam in Deo nulla est relatio realis ad creaturas; quam latè explicat S. Th. *de potentia q. 8. a. 10.* Secundum est differentia inter creaturarum productiones & diuinarum personarū processiones: quòd illæ producuntur per intellectum & voluntatem, & non per naturæ necessitatem; personæ verò diuinæ naturali necessitate procedunt in eadem natura; quæ differentia latius explicatur infra *q. 41. a. 2.* Zumellus hic disputationem instituit; *num pa-* *Zumellus.*

ter-

ternitas & filiatio &c. sint relationes reales? quam vide si placet.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia.

176. 1. dist. 23 a. 1. Et 4. cõt. c. 14 & pot. q 8. a 2. & quol. 6 a. 1. Et opus. 3. c. 54. 55. & 57. Et opu. 9. q 6. & 11 16. fin.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod relatio in Deo non sit idem quod sua essentia. Dicit enim Augustin. in 5. de Trin. * quòd non omne, quod dicitur in Deo, dicitur secundum substantiam. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium. Sed hæc nõ secundum substantiam dicuntur. Ergo relatio non est diuina essentia.

2 Præterea. Augustin. dicit 7 de Trin. † Omnis res, quæ relatiuè dicitur, est etiam aliquid, excepto relatiuo: sicut homo dominus, & homo seruus. Si igitur relationes aliquæ sunt in Deo, oportet esse in Deo aliquid aliud præter relationes. Sed hoc aliud non potest esse nisi essentia. Ergo essentia est aliud à relationibus.

*Libr. 5 de Tri. ca. 5. in prin. 10 3. †Lib. 7. de Trin. c. 1. 2. med. 10 3. * in ca. ad aliquid. 6. 1.

3 Præterea. Esse relatiui est ad aliud se habere, vt dicitur in prædicamentis. * Si igitur relatio sit ipsa diuina essentia, sequitur, quòd esse diuinæ essentiæ sit ad aliud se habere, quod repugnat perfectioni diuini esse: quod est maximè absolutum & per se subsistens, vt supra ostensum est. * Non igitur relatio est ipsa essentia diuina.

Q. 3. art. 4 & q. 4. a. 2. simul.

Sed contra. Omnis res, quæ non est diuina essentia, est creatura. Sed relatio realiter competit Deo: si ergo non est diuina essentia, erit creatura: & ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda, contra quod in præfatione cantatur: Vt in personis proprietas, & in maiestate adoretur æqualitas.

Respondeo. Dicendum, quòd circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmodum in Remensi concilio reuocasse. Dixit enim, quòd relationes in diuinis sunt assistentes, siue extrinsecus affixæ. c

210.

Ad cuius euidentiam considerandum est, quod in quolibet nouem generum accidentis, est duo considerare. Quorum vnum est esse, quod competit vnicuique ipsorum secundum quod est accidens: & hoc communiter in omnibus est inesse subiecto: accidentis enim esse est in esse. Aliud, quod potest considerari in vnoquoque, est propria ratio vnicuiusque illorum generum. Et in alijs quidem generibus à relatione, vtpote quantitate & qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subiectum: nam quantitas dicitur mensura substantiæ: qualitas verò dispositio substantiæ. Sed ratio propria relationis d non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. Si igitur consideremus (etiam in rebus creatis) relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inueniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Si verò consideretur relatio, secundum quòd est accidens, sic est inhærens subiecto, & habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus considerauit relationem primo modo tantum. Quicquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quòd transfertur in Deum, habet esse substantiale: nihil enim est in Deo, vt accidens in subiecto: sed quicquid est in Deo, est eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio realiter existens in Deo, habet esse essentiæ diuinæ, idem omnino ei existens. In hoc verò, quòd ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. e Et sic manifestum est, quòd relatio realiter existens in Deo, est idem essentiæ secundum rem, & non differt, nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ. Patet ergo, quòd in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sed vnum & idem.

b 211. 218.

Ad Primum ergo dicendum, quòd verba illa Aug. non pertinent ad hoc, quòd paternitas, vel alia relatio, quæ est in Deo secundum esse suum, non sit idem quod diuina essentia: sed quòd non prædicatur secundum modum substantiæ, vt existens in eo, de quo dicitur: sed vt ad alterum se habens. Et propter hoc dicuntur duo tantum esse prædicamenta in diuinis: quia alia prædicamenta important habitudinem ad id, de quo dicuntur, tam secundum suum esse, quàm secundum propry generis rationem. Nihil autem, quod est in Deo, potest habere habitudinem ad id, in quo est, vel de quo dicitur, nisi habitudinem identitatis propter summam Dei simplicitatem.

Ad Secundum dicendum, quòd sicut in rebus creatis, in illo quod dicitur relatiuè, non solùm est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum; ita & in Deo: sed tamen aliter, & aliter: nam id, quod inuenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res. f In Deo autem non est alia res sed vna, & eadem: e quæ non perfectè exprimitur relationis nomine, quasi sub significatione talis nominis comprehensa: Dictum est enim supra, * cùm de diuinis nominibus agebatur, quòd plus continetur in perfectione diuinæ essentiæ, quàm aliquo nomine significari possit. Vnde non sequitur, quòd in Deo, præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione.

C

211. 218. b d

* cùm q. 13. per totum. & art. 2. precipuè.

Ad tertium dicendum, quod si in perfectione diuina nihil plus contineretur, quàm quod significat nomen relatiuum, sequeretur, quod esse eius, esset imperfectum, vtpote ad aliquid aliud se habens: sicut si non contineretur ibi plus, quàm quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens. Sed quia diuinæ essentiæ perfectio est maior, quàm quod significatione alicuius nominis comprehendi possit; non sequitur, si nomen relatiuum, vel quodcunque aliud nomen dictum de Deo, non significat aliquid perfectum, quòd diuina essentia habeat esse imperfectum: quia diuina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem, vt supra dictum est. *

D

* q. 4 art. 2.

Ordo & Sensus quæsiti.

PROPONITVR & examinatur *in hoc articulo*, quæstio quid est ipsius relationis diuinæ, prout distinguitur à relationibus creatis? pertinet enim ad quidditatem relationis identitas eius, vel distinctio ab essentia. In quo quæsito tria sunt obseruanda. *Primum* est, posse nos de diuina essentia & relatione duplicitet loqui: Vno modo secundum se: alio modo prout à nobis concipitur. Quæritur hic identitas relationis & essentiæ secundum se, & non vt cadunt sub nostrum imperfectum concipiendi modum; quæstio est enim de identitate reali; Et quamuis ex quæstione de diuina simplicitate, & *ex articul. 2. quæstionis quartæ* soluta sit ex communibus hæc difficultas, supererat tamen examen, & determinatio ex proprijs relationis & essentiæ, siue respectiui

E

& absoluti: ex quibus singularem trahit difficultatem, vt perspicuè patet ex hoc artic. *Secundum* est dictio *idem* illimitatè prolata; qua primò realis inquiri designatur identitas, secundariò verò formalis, vt patet etiam ex determinatione quæsiti. *Tertium* est articulum hûc esse magni momenti in doctrina Mysterij Sanctissimæ Trinitatis, atque ideò paulò fusius atque diligentius explicandum.

Forma Textus.

REFERTVR *in primis* error Gilberti Porretani dicentis relationes in diuinis esse assistentes, siuè extrinsecus affixas. *Secundò* Radix assertur erroris, & dignoscendæ veritatis, ex conuenientia & differentia relationis, cum alijs octo generibus accidentis: distinguendo & explicando duo quæ in quolibet nouem generum accidentis considerantur: quorum vnum est esse, quod omnibus est commune; aliud autem propria cuiusque prædicamenti ratio, secundum quam à cæteris specialiter distinguitur relatio, vt clarè patet in textu, quem optimè format Caietanus. *Tertiò* respondetur quæsito tribus conclusionibus.

» PRIMA CONCL. *Relatio existens in Deo est i-*
» *dem essentiæ secundum rem.* Probatur. Quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundū quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; sed relatio habet esse in rebus creatis accidentale, & est in Deo; ergo secundum quòd est in Deo, habet esse substantiale, quod est esse idem cum essentia secundum rem. Maior probatur. Quia in Deo nihil est vt accidens in subiecto, sed quidquid est in Deo est eius essentia. Minor quo ad priorem partem patet, ex eo, quod diximus generibus omnibus accidentis esse commune scilicet esse in subiecto; posterior verò pars probata fuit in articulo præcedente.

» SECVNDA CONCL. *Relatio realis existens in*
» *Deo ratione differt ab essentia.* Probatur. In hoc quod relatio ad aliquid dicitur, non significatur habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum: sed nomine essentiæ non importatur talis respectus; ergo. Prima & secunda propositio patent ex antedicta differentia relationis ab alijs omnibus generibus.

» TERTIA CONCL. siuè Corollarium est. *In*
» *Deo non est aliud esse relationis & esse essentiæ, sed v*
» *num & idem.* Hęc sequitur ex eisdem principijs, ex quibus deducitur prima conclusio, & ex ipsa prima conclusione

Expositio Textus.

Vasq. obiectio. VASQ. *c. 1.* latè refert sententiam Gilb. Por. & *cap. 2.* describit acta Concilij Remensis, & contra D. Thom. Alens. & S. Bonau. & alios Scholasticos affirmat Gilb. nunquam in ea fuisse sententia, vt doceret relationes esse quasi extrinsecus affixas & non inhærentes diuinæ essentiæ.

Sol. *Sed cum ea,* quæ producit Vasq. non sint prorsus integræ & indubitatæ fidei, sed longè minoris, quàm tantorum Patrum & Doctorum auctoritas; Nam in Vaticano vbi habentur acta Concilij Rem. non leguntur ea, quæ ex quodam Ottone refert Vasq. credendum est eam fuisse Gilberti sententiam, quam refert hic S. Thom.

Sed tria præterea sunt hic obseruanda. *Primū* est primam conclusionem esse fidei confessionē, vt probant recentiores S. D. interpretes ex sacris litteris, Concilijs & Patribus, & præsertim Zum. *disput. prima,* & Suar. vberius *lib. 4. cap. 4. num. 6.* *Zumellus. Suarez.*

Secundum est fundamentū siuè ratio tertiæ cōclusionis seu corollarij, quæ ex duobus consurgit principijs. Primum est; Esse in est esse actualis existentiæ accidentis; quod probatur in littera; quia accidentis esse est inesse, & consequenter etiam relationis creatæ, quæ accidens quoddam est, esse in est esse existentiæ. Secundum est. Actualis existentia etiam relationis non est ad aliquid, sed est esse absolutum, vt affirmat S. D. *in 1. p. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1.* vbi sic ait: *Dico igitur, quòd cum dicitur, ad aliquid sunt quorum esse &c. intelligitur de esse quod est quidditas rei, quæ diffinitione significatur; quia ipsa natura relationis per quam constituitur in tali genere est ad aliud referri; & non intelligitur de esse quod est actus essentiæ; hoc enim esse habet relatio ex his, quæ causant ipsam in subiecto, secundum quod esse non refertur ad aliud, sed ad subiectum, sicut & quolibet accidens; & sic dico, quòd non oportet esse essentiæ diuinæ sic ad aliud se habere; quia illud esse, in quo paternitas & essentia vniuntur, significatur vt esse, quòd est actus essentiæ, non autem vt esse quod significat deffinitio rei; quia alia est ratio paternitatis, qua ad aliud refertur: & alia ratio essentiæ.* Hæc D. Thom. Ex quibus duobus principijs ratione & auctoritate firmatis, addito illo: *quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deum habet esse substantiale,* sequitur prædicta tertia conclusio, nimirum in Deo non esse aliud esse relationis & essentiæ, sed vnum & idem, non solùm re sed etiam ratione, vt hic aduertit Caiet. indiuisibilis enim est realiter & formaliter existentia Dei, sicut essentia; quamuis ratione differāt quidditas relationis & quidditas essentiæ, vt paucis subtiliter August. expressit dicens; *idem est quo pater est Deus & quo est: non autem eo pater quo Deus:* ac si diceret, id quo Pater Deus est scilicet esse subsistens, & quo pater existit nimirum existentia, idem est realiter & formaliter: non tamen sub eadem ratione formali Pater est Pater, sub qua Pater est Deus; Nam Pater est paternitate, quæ relatio est; Deus verò Deitate, quæ Dei naturā est absoluta & ipsum esse subsistens.

Postremò aduerte Turrianum *ad finem commē-* *Torres fal-*
tarij huius articuli perperam affirmasse, Caiet. 3. *lum impu-*
p. q. 3. a. 2. reuocasse sententiam de vnitate exi- *nit Caiet.*
stentiæ diuinæ relationis & essentiæ; quoniam (inquit) eo loco ait Caiet. duplicem esse existentiam in Deo: alteram essentialem & absolutam, vt existentiam Dei & diuinæ essentiæ: alteram personalem & relatiuam, vt existentiam relationis; quod nunquam somniauit Caiet. sed ibi duplicem affirmat in Deo subsistentiam scilicet essentialem & personalem; hanc autem scilicet personalem distinguit in tres subsistentias realiter distinctas, quæ sunt tres diuinæ personæ subsistentes. Sed accidit hic error prędicto expositori; quia non discreuit inter existentiam & subsistentiam: cum tamen latissimum sit eorum discrimen; de qua re nonnulla diximus *supra quæst. 3. art. 3. in ratione ordinis, & in Controuersia vnica,* & plura dicemus *infra quæst. 39. art. 4.*

PRIMA

PRIMA CONTROVERSIA.

An relatio & attributa diuina, distinguantur ab essentia, maiori distinctione quàm sit distinctio rationis?

Sensus quæstionis, & sententiæ Doctorum.

DVas sub vnius formæ quæsiti comprehendimus controuersias. Prior est quam expressè præfixa sonat inscriptio: posterior verò est eidē necessario connexa; *an scilicet relatio sit de conceptu & intrinseca ratione diuinæ essentiæ, & è contra?* quas ex recentioribus multi seiungunt; nos autem satius duximus vtramque simul vnica disputatione complecti.

DVRAND. *in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 24. q. 2. & 3. dist. 1. q. 2. ad primam partem quæstit* respondet relationē, & essētiam actuali distinctione distingui: non qualis esse solet inter res omninò distinctas, sed qualis est inter rem & eius modum præcisè; affirmatque distinctionem hanc ad realis distinctionis latitudinē pertinere, modalemque nuncupandā significat. Huic sententiæ proxima est opinio Scoti *in 1. dist. 8. q. 4. & alibi* dicentis relationem, attributa & essentiam distingui formaliter ex natura rei, ante omnem intellectus operationem; quo modo etiam arbitratur distingui inter se diuina attributa; Quam sententiam latè explicat & tuetur Rada *1. p. controu. 4.* ex qua deducit diuinam essentiam non esse de conceptu & ratione formali relationis diuinæ, nec relationem esse de conceptu formali essentiæ; quòd euidentius sequitur etiam ex opinione Durandi. Eandē sententiam quo ad relationem attribuunt recentiores Och. Marsilio & Gab. quam etiam sequitur Ferr. *in 2. contra gent. cap. 9.*

Torres *disp. 3.* tria dicit. *Primum* est, relationes ab essentia distingui ratione tantum habente fundamentum in re. *Secūdum* est, diuinam essentiam intrinsecè claudi in conceptu relationum. *Tertium* est, in conceptu essentiæ non claudi relationes intrinsecè. Hanc sententiam sequitur Zum. *disp. 2. & 3. & infra q. 29. a. 1.* & Suar. *lib. 4. c. 5. & 7.* Vasq. conuenit in 1. & 3. dicto, dissentit autem in 2. Negat enim conceptum essentiæ includi quouis modo in conceptu relationis.

Pes. duplici vtitur distinctione. *Prior* est, essentia diuina vel sumitur pro natura diuina quæ in suo totali conceptu dicit quatuor rationes scilicet entis improducti, substantiæ, spiritus & vitæ intellectualis; quomodo sumitur communiter à Patribus & Theologis. Vel sumitur pro gradu solo & præciso entis improducti, & à se existentis tanquam abstractum eius, vt sumit S. Th. *q. 39. a. 2. ad 3. & alibi.* Posterior eius distinctio est, essentia diuina vt abstractum entis improducti secundum rationem dictam, dicit quadruplicem gradum. Primus magis vniuersalis est, non esse ab alio tanquā à causa. Secundus, non esse ab alio, nec tanquā à causa, nec tanquàm à principio productiuo. Tertius est esse ad se. Quartus omnibus dictis addit esse à se per modum fundamenti & quasi radicis omnium proprietatum & modorum. Hæc ille. His præmissis dicit quatuor. *Primum.* Relatio nō includit rationem essentiæ, prout essentia sumitur pro natura diuina quatuor illis conceptibus constituta. Probatur; quia de ratione essentiæ vt sic sumptæ est conceptus intellectionis, quem saltem relatio spirationis passiuè non includit; alias Spiritus S. generaretur. *Secundum.* Ratio essentiæ prout dicit esse à se, & non ab alio tanquam à causa, includitur in conceptu relationū tanquam quid transcendens, & commune naturæ diuinæ, cum omnibus modis & proprietatibus in illa conceptis. *Tertium.* Essentia diuina, prout dicit rationem non essendi ab alio tanquā à causa, nec tanquàm à principio, non includitur in ratione relationis diuinæ prout talis est, sed solum in ratione alicuius relationis consideratæ vt talis diuina relatio est. *Quartum.* Essentia diuina, quatenus concipitur vt radix & fundamentum attributorum ac personalitatum, non includitur in relationibus: immò nec in attributis, quæ concipiuntur tanquam perfectiones secundæ naturæ diuinæ, & consequenter ipsam non includunt, & eodem modo se habent relationes ad diuinam essentiam.

Francis. Albertinus, cuius opus nuper ad manus meas peruenit, *corollario 1. & 7.* principio philosophico *puncto 3. & seq.* quatuor assertionibus suam sententiam explicat. *Prima* est. Inter relationes diuinas & essentiam non est actualis distinctio ex natura rei. *Secunda*: Relationes & essentia distinguuntur ratione ratiocinata. *Tertia*: Relationes siuè collectiuè siuè diuisiuè sumptæ, non sunt de essentia Dei, id est neque omnes simul neque seorsum singulæ: Exempli gratia vt paternitas sit de essentia Dei, & similiter filiatio, & denique etiam spiratio. *Quarta*: Relationes disiunctim sunt de essentia Dei: ita vt essentia sit vel Pater vel Filius vel Spiritus S. quatenus (inquit) de essentia diuinitatis est, vt modificata ad vnam personam, verbi gratia, ad paternitatem, excludat à se ipsa sic modificata filiationem personalter: vt autem modificata ad Filium, excludat paternitatem.

Caiet. *infra q. 39. a. 1.* duo dicit. *Primum* est, relatio seu persona non differt re, sed ratione tantum ab essentia diuina. *Secundum* est, in Deo est vnica ratio formalis, non purè absoluta nec purè respectiua, sed eminentissimè ac formaliter continens quidquid absolutè perfectionis est, & quidquid Trinitas respectiua exigit; Et *in præced. q. a. 2.* ait, quòd perfectio diuini esse, si secundum se diffiniretur, in se concluderet essentiam diuinam, proprietates personales, attributa & reliqua quæ sunt in Deo formaliter: Quibus addi potest *tertium* ex eodem expositore *in articulo præcedente*, vbi docet relationes diuinas completè sumptas, & relationes omnes reales vt reales sunt, ponere aliquid in re quæ refertur; quæ etiam videtur esse doctrina Capr. *in 1. dist. 33. q. vnica:* cuius rationem exponit & à recentiorum calumnia defendit Mol. *disp. 5.* quam sententiam sequitur Ban. hic quo ad duo priora dicta, *& infra q. 40. a. 4. dub. 1. quo ad 3.* dictum: Eandem amplectitur Mol. *disput. 6.* vbi tamen duo dicit, quæ nec prædictæ sententiæ, nec sibi, nec eiusdem auctoris doctrinæ videntur consonantia. *Primum* est: Relatio præcisè considerata qua relatio, vt paternitas præcisè qua respectus est Patris ad Filium, proprietasque personalis Patris, idem est re & ratione formali cum essentia diuina: & ob id non solum in sensu idētico, sed etiam in sensu formali hæ sunt veræ, relatio diuina est essentia diuina, & essentia diuina est relatio diuina. *Secundum* est. Sumptus essentia & relatione eodem modo, essentia non est de intrinseca ratione relationis. Quæ duo dicta examinabuntur inferius.

Omittimus Aureoli sententiam statuentis solū distinctionē rationis ratiocinantis inter essentiā & relationes, quam latè confutat Capr. *in al-*

leg.q.& post eum recentiores *super hoc a.* cuius etiam falsitas ex dicendis patebit.

Resolutio. Distinguuntur ea, quæ de Deo dicũtur, & explicatur modus essendi perfectionũ in Deo.

RECOLENDA *est in primis* multiplex illa distinctio modorum differendi realiter, formaliter & secundùm rationem latè superius explicata *q.3.a.3.§.2.*

Secundò sciendum est, ea quæ in Deo sunt & de Deo dicuntur, esse in triplici differentia. Nam quædam sunt perfectiones simpliciter, vt bonitas & sapientia; quædam sunt perfectiones in tali genere siue secundùm quid, vt natura hominis & leonis; quædam abstrahunt à perfectione & imperfectione, vt relationes formaliter sumptæ. Prima & vltima sunt in Deo & dicuntur de Deo formaliter & propriè: Media verò in Deo virtualiter tantum sunt, & de Deo non nisi Metaphoricè prædicantur; quid autem sit perfectio simpliciter & perfectio secundum quid, & quid sit esse in aliquo formaliter & virtualiter explicauimus *supra q.4. a.2.* cum D. Thoma *q.13. a.3.* & Caietano *de ente & essentia c.6.q.12.* Quæstio nobis hic est cum aduersarijs de prædicatis omnibus formaliter & propriè de Deo dictis, siue sint perfectiones simpliciter, vt attributa, siue abstrahant à perfectione & imperfectione, vt relationes, quæ sub attributi vocabulo minimè cõprehenduntur. Nã cùm ex creaturis Deũ non alia ratione cognoscamus, quã perfectiones illas, quę sunt in rebus ab ipso Deo creatis, seclusis imperfectionibus Deo tribuendo; fit vt ea tantùm in Deo propriè dicantur attributa, quæ formaliter sumpta perfectionem significant absque vlla imperfectione; relationes autem, vt diximus, formaliter sumptæ à perfectione præscindunt & imperfectione; Quamobrem diffinire possumus

Attributi diffinitio.

attributum esse diuinam perfectionem simpliciter Deo naturalem illimitatè sumptam; Dico *perfectionem*, vt excludantur relationes; dico *naturalem*, vt excludantur creatio, conseruatio, gubernatio, prædestinatio, vocatio, reprobatio & alia similia, quæ non necessariò, sed liberè Deo conueniunt: denique dixi *illimitatè sumptam*, vt excludam peculiares modos vnius attributi, quales sunt distinctæ rationes ideales, quæ plura attributa nequaquam dicenda sunt, vt diximus *supra q.12.a.7.in 1.Contr.* Vbi aduerte ideam dupliciter sumi. *Vno modo*, vt ratio est; & sic pertinet etiam ad speculatiuam cognitionem, quæ Deo est naturalis; *alio modo*, vt exemplar: & sic pertinet ad practicam cognitionem eorum, quæ fiunt in tempore, vt ait S. Thom. *supra q.15 a.3.* & primo modo tantum est attributum, non autem secundo, vt significat S. Thom. *de veritate q.3.a.2.ad 2.* Et ex his apparet defectus Turr. *super hoc a.disp.1 p.2.* in attributi definitione, quem sequitur Zum. *disp.7.*

Turr. & Zum. defectus.

Tertiò considerandum est rationes rerum formales duplicem habere modum essendi. Vnum in proprijs naturis, vt ratio virtutis calefactiuæ, & ratio virtutis dessiccatiuæ in sublunaribus, & ratio intellectus ac ratio volũtatis in nobis. Aliũ aũt in re superioris ordinis cui formaliter insunt, vt prædictæ duarum virtutum rationes in Sole, & rationes intellectus & voluntatis in Deo; Differunt autem maximè rationes formales sub vno, aut sub altero essendi modo consideratæ; Nam prout existunt in proprijs rerum naturis, sunt à parte rei, siue secundum se formaliter distinctæ seclusa quauis intellectus operatione: ob eam causam, quia quælibet earum ita se ipsa formaliter est circumscripta, ac proprij ordinis limitatione definita, vt eadem cum altera minimè sit aut esse possit, nec vnam alteram intrinsecè claudat: Virtus enim elementaris calefactiua est calefaciendi principium, sed non desiccandi, & è contra; & vis in nobis intellectiua est intelligendi principium, sed non volendi, & è contrario: At secundum illum essendi modum, quem habent rationes rerum formales in re altioris ordinis, proprijs omninò carent limitatiuis ac distinctiuis; ac proinde vna eadem est realiter & formaliter cum alia. Nam quemadmodum res quæ in inferiori ordine sunt distinctæ, in vnam rem superioris ordinis translatæ ex illius simplicitate & eminentia realem acquirunt vnitatem: ita rationes earum formales vnicam superioris ordinis formalem rationem induunt, abiecta quam in proprijs naturis habebant limitatione, adeò vt vna sit non solum ipsa, sed altera formaliter: sicut calefactiua & desiccatiua vis in sole, hoc ipso quòd ad vnam simplicem lucis naturam eleuatur, realem habent vnitatem; Et quoniam lucis solaris ratio vna est, necesse est etiam vtriusque virtutis rationem formalem vnam esse; siquidem vnius rei vna est tantum ratio formalis, quam explicat vnica diffinitio: Quo fit vt assignata lucis solaris diffinitione non esset opus peculiares dictarum virtutum diffinitiones inuestigare, vt scitè notat Caietanus *in alleg. 6.c.* Constat autem ex supradictis *q.4.a.2.* Deum ex hoc, quod est ipsum esse subsistens, totam in se continere perfectionem essendi, & consequenter rerum omnium perfectiones; nam omnes ad perfectionem essendi pertinent; & eadem ratione quidquid necessariò inest ijs, quæ dicunt perfectionem, qualis est incommunicabilitas, & relatio formaliter sumpta, quæ ad perfectionem pertinent diuinæ personæ, & ipsius esse per essentiam, qui Deus est, vt notat Caietanus *infra q.29.a.3.* Et quoniam ipsum esse subsistens quod Deus est maximè vnum est, non rei tantum, sed etiam rationis formalis vnitate (siquidem vnius rei simplicissimæ non nisi vna potest esse ratio formalis) consequens est, vt rerum omnium perfectiones simpliciter, & alia formaliter de Deo dicta, ita in vnam rem simplicissimam, quæ Dei natura est eleuentur, vt illius non realem solum, verum etiam formalem induant vnitatem: adeò vt non tantum sint vna res in Deo bonitas, veritas, sapientia, relatio & esse: sed sit etiam horum omnium vna simplicissima ratio formalis: Nec sit alia ratio formalis Deitatis à ratione formali bonitatis, veritatis &c. sed vna prorsus & eadem; quæ vna diffinitione deitatis explicaretur, si posset afferri; Sicut etiam Deus seipsum, prout in se est cognoscens, vnicum format verbum totius Deitatis adæquatè repræsentatiuum; & hoc est, quod ait Caietanus *infra q.39.a.1.* nimirum in Deo vnam esse rem, siue potius Deum vnam esse rem, non purè absolutam, nec purè respectiuam, neque mixtam aut compositam, aut resultantem ex re absoluta & respectiua: sed eminentissimè ac formaliter præhabentem realitatem omnem absolutam & respectiuam, possibilem Deo formaliter conuenire; & consequenter etiam vnicam Dei rationem formalem, nempè Deitatem, non esse purè absolutam nec purè respectiuam &c. sed eminentissimè ac formaliter continentem rationem omnem formalem omnis absolutæ perfectionis, ac rei relatiuæ, quæ de Deo formaliter dici possit, ob supradictam causam; quia scilicet oportet cuilibet rei simplicissimæ ac maximè vni correspondere vnã

Duplex modus essendi rationis formalis.

Perfectionũ vnitas formalis in Deo

adæ-

adæquatam rationem formalem; alioquin res illa A non esset per se primò vnum intelligibile à quouis intellectu. Non enim existimandum est rem illam infinitam, quæ Deus est, partem esse subiectiuam entis, prout diuiditur in absolutum & respectiuum, & sub horum altero collocari; ita vt Deus ad solum entis respectiui modum, aut absoluti tantum pertineat, sitque Deus nostro modo intelligendi posterior diuisione entis in absolutum & respectiuum; Nam vt ibidem subtiliter aduertit Caiet. res illa diuina quæ Deus est, prior est ente & omnibus modis ac differentijs eius, ipsumque cum omnibus modis, ac differētijs continet supereminēter; ac propterea dicitur super ens, super bonum, & super vnum &c. vt sæpè B repetit D. Dionys. *de diuinis nomin.* Ita verò continet hæc vna simplicissima, & infinita res, quæ Deus est, quidquid est absoluti & quidquid est respectiui, vt omni intellectus operatione præcisa exerceat, quidquid ratio postulat relatiui, ac si relatiua res tantùm esset; & exequatur id omne quod rationi congruit absoluti, ac si res absoluta tantum esset. Quemadmodum vnica & simplex anima rationalis, in qua multarum formarum perfectiones continentur, sicut inferiores numeri continentur in maiori, ea omnia excellentius composito scilicet homini confert, quæ singula inferioris ordinis composita à singulis illis formis accipiunt; dat enim homini esse corpo C reum, quod etiam lapidi confert eius forma; dat esse viuens, quod etiam tribuit forma plantę: deniq; constituit hominem in esse sensitiuo, quod etiam confert anima boui: super hæc tandem constituit hominem rationalem, quo gradu supra cæteras rerum corporearum formas eleuatur; Quamuis exemplum hoc, sicut & quoduis aliud ex rebus creatis assumptum ad tantæ rei celsitudinem, cuilibet creatæ aut creabili menti incomprehensibilem explicandam sit ineptum, longeque dissimile. Vnde etiam S. Th. *in præc. q. a. 2. ad 3.* dixit in ipsa perfectione diuini esse cōtineri, & verbum intelligibiliter procedēs, & principium verbi, sicut & quæcúque ad eius perfectionē pertinent; Ex quibus verbis *ibid.* Cai. deducebat nullam esse distinctionem formalem actu inter essentiam diuinam, & proprietates personales, & reliqua quæ Deo formaliter insunt, ipsamque diuini esse perfectionem in sui diffinitione (si diffiniri posset) hæc omnia claudere; atque ideò distinctionem omnem absoluti à relatiuo in Deo non nisi virtualiter, in intellectu verò secundùm rationem esse ponendam.

Distinguitur & explicatur multiplex acceptio diuinæ essentiæ & relationis, & probatur tam vtriusque mutua formalis inclusio, quam rationis distinctio.

Quartò aduertendum est dupliciter nos loqui posse de diuina essentia & eius perfectionibus & relationibus, siue de ente increato & de ipso esse per essentiam quod Deus est. *Vno modo* secundum se prout est à parte rei, quomodo videtur E à seipso & à beatis. *Alio modo* prout à nobis diuersis conceptionibus apprehenditur & distinctis nostris conceptibus correspondet, & varias quas de eo formamus propositiones verificat. Cùm itaque dicimus diuinam essentiam, perfectiones & relationes essentiæ comparatas vnum esse realiter ac formaliter, de prædictis loquimur secundùm se consideratis; sic enim sunt vna res simplicissima, cuius est vna ratio formalis & vna quidditas; ex quo fit vtvnū sit de intrinseca ratione alterius: nihil enim est magis intrinsecū rei, quàm ratio illius formalis; per eam enim quælibet res in esse proprio constituitur, & vnitatem habet, & à cæteris differt. Si itaque prædictorum omnium in Deo vna est ratio formalis, consequens est, vt quæ vnius est ratio, sit etiam alterius, & consequenter vnum intrinsecè & formaliter claudatur in alio. Sed quòd multos fallit est, quòd exiſtimantes se loqui de diuina essentia prout in se est, de ea dixerunt, vt cadit sub diuersis conceptionibus nostris: nam contemplantur illam, vt præintelligitur relationibus, & comparant eam relationibus tanquam modis quibusdam intrinsecis, & in ea considerant seorsum esse cómunicabile, & esse incómunicabile, & esse tali, vel tali persona incommunicabili; quæ omnia & alia similia pertinent ad considerationem diuinæ essentiæ, prout à nobis cognoscitur, & diuersis nostris conceptionibus correspondet; *Mol. 1. q. 3. a.* quòd Mol. præsertim accidit, vt ostendemus inferius; & ideò vana est responsio, quam huic adhibet probationi *disp. 6. ad primum suum argumentum.*

Essentia pro substantia latè sumpta.

Quintò notandum est diuinam essentiam dupliciter sumi posse. *Vno modo* prout idem est quod substantia latè sumpta, quæ est ens per se, siue omne id quod non existit in alio tanquam in subiecto sed habet esse per se; & sic accepta substantia ac proinde etiam essentia distinguitur contra accidens; Et quoniam inter substantiam siue essentiam hoc modo sumptam & accidens nullum est medium, & diuinæ relationes accidentia non sunt sed per se subsistunt: idcirco diuina substantia & essentia prædicto modo sumpta relationes etiam comprehendit, vt ante diximus de diuina re, quæ Deus est cum D. Thom. & Cai. *Alio modo* potest sumi essentia diuina pro re *Essentia pro re tantum absoluta.* tantùm absoluta, quo modo etiam nomen diuinę substantiæ sæpè sumitur; & hoc modo distinguitur non tantum contra accidentia, sed etiam contra relationes ipsas subsistentes siue subsistentias relatiuas, à quibus ratione distinguitur habente fundamentum in re: cùm sit vna tantùm in diuinis essentia vniuersa continens attributa; quatuor autem sint relationes & tres subsistentiæ personales.

Relatio diuina dupliciter.

Similiter etiam diuina relatio puta paternitas D potest dupliciter considerari. *Vno modo* præcisè quatenus scilicet paternitas est, & vt præcisè dicit respectum Patris ad Filium: & hoc modo solùm exprimit relationem non autem essentiam. *Alio modo* sumi potest relatio non præcisè, sed secundùm totam suam integram rationem formalem, quæ conuenit illi non tantùm à parte rei, sed etiam prout à nobis concipitur; & hoc modo claudit in se rationem formalē essētiæ diuinæ. Nam etiam hoc nomen Pater dupliciter sumi potest in diuinis. *Vno modo* prout signi- *Patris nomē dupliciter.* ficat personam patris constitutam modo nostro intelligendi ex essentia & relatione, in quo sensu communiter solet à Theologis vsurpari; & hoc modo claudit intrinsecè relationem & essentiam. Si itaque paternitas sumatur vt abstractum huius cōcreti quod est Pater, secūdùm iam dictam significationē accepti, totum illud significat licèt abstractè, quod nomine Patris significatur concretè, nimirum essentiam & relationem; sicut hoc nomen humanitas illud totum significat, quod formaliter importat hoc nomē homo. *Alio modo* sumi potest hoc nomen Pater, prout cōcretum est à sola relatione paternitatis præcisè sumpta, vt ab essentia distinguitur: & hoc modo sumitur pater formaliter vt pater est, videlicet secundum eam tantùm rationem qua relatiuè opponitur filio, secundùm quam oppositionem ab essentia ratione distinguitur: & sic solam significat relationem, nec essentiam includit in suo cōceptu, vt apertè docet D. Th. *inf. q. 40. a. 4. ad 1.*

vbi

Zum. impostura reijcitur.

vbi vtramq; ponit significationem. Ex dictis apparet Zum. *disp. 3.* male imposuisse Cai. quòd fuerit varius affirmando hic relationes diuinas sub conceptu relatiuo esse de essentia diuinitatis, & postea negando *in qu. 39. art. 6.* vbi ait propositionem hanc *essentia est paternitas*, vel *Deus est Pater* non esse prædicationem per se simpliciter loquendo; quia nō est formalis; quod etiam docet S. Th. *de potent. q. 8. a. 2. ad 6.* Nam *hic & in a. 1. q. 39.* loquitur Cai. de essentia priori modo sumpta: *in a.* verò *6. q. 39.* loquitur de eadem cum D. Tho. in posteriori sensu accepta.

Ex quo etiam patet vanum esse eiusdem expositoris laborem in tota ferè *illa 3. disput.* quia prædictam essentiæ distinctionem considerare neglexit. Posset & fortè melius dici Cai. *hic, & in d. a.* loqui de essentia diuina secundùm se, in illo verò *6. a.* de diuina essentia prout præcisè concipitur.

Essentiæ diuinæ dupliciter aliquid conuenit quidditatiuè.

Sextò Obseruandum est, quòd iuxta modum nostrum intelligendi in re fundamentum habente de diuinis loquendo, dupliciter aliquid quidditatiuè cōuenit essentiæ diuinæ priori modo sumptæ vel etiam secundùm se: *Vno modo* sub ea ratione qua communicabilis est tribus personis: & sic ad eius quidditatem pertinent vniuersa attributa, siue sint omnino absoluta siue respectiua ad creaturas, vt bonitas, veritas, æternitas, sapientia, potentia, prouidentia, &c. *Alio modo* conuenit aliquid essentiæ diuinæ quidditatiuè, sub ea ratione qua constituibilis est in esse personali incommunicabili: & ita conueniunt illi relationes ad intra, proprietates personales, actus notionales, Trinitas personarum & alia quæcumque ad hoc mysterium pertinentia; neutra tamen harum considerationum est integra & totalis acceptio essentiæ diuinæ prædicto modo sumptæ: Nam vt ante diximus, res illa diuina quæ Deus & eius essentia est, in vna simplicissima sui ratione formali omnia claudit intimè, tam absoluta quàm relatiua, & vtrorumque munus exercet. Quapropter falsa est illa consequentia: Paternitas includitur in essentia secundùm se quidditatiuè; ergò pater communicans filio totam essentiam, communicat etiam illi paternitatem; quoniam paternitas non includitur in diuina essentia secundùm rationem communicabilis, & consequenter non includitur communicabiliter. Fundamentum habet hæc doctrina in infinitate ac simplicitate diuinæ rei, cui naturaliter & necessariò conuenit vtraque ratio, scilicet communicabilis & incommunicabilis, absoluti & relatiui, adeò vt absolutum exequatur ea, quæ sunt absoluti, ac si res absoluta tantùm esset; & relatiuum ea quæ sunt relatiui ac si relatiuum tantum esset; sufficit enim distinctio inter vtrumque virtualis, in summa rei infinitate fundata; ex qua prouenit, vt paternitas, ex oppositione relatiua, quam exercet in ordine ad filiationem, realiter ab ea distinguatur, non autem ab essentia cui non opponitur, sicut etiam vt dicatur Deus intellectu cognoscere aut generare & non voluntate, satis est eadem distinctione intellectum à voluntate distingui.

Radix distinctionis virtualis & formalis in Deo.

Postremò sciendum ex vna & eadem radice, nimirum ex summa simplicitate & infinitate diuinæ rei prouenire distinctionem omnem rationis virtualem & actualem, tam inter absoluta & relatiua, quàm inter absoluta ad inuicem comparata. Nam ex hoc quod Deus vna res est simplicissima & infinita præhabens in se rerum omnium perfectiones & entitates, habet vt ei assimilentur non tantùm perfectiones simpliciter in prorijs naturis existentes, & quædam entitates relatiuę, quales sunt paternitas & filiatio creata, sed etiam vt eidem assimilentur conceptus omnes formales, quibus prædicta repræsentantur; At ex hoc quod Deus actu terminat vt obiectum diuersas conceptiones, plures etiam in Deo relationes rationis intelligimus, quibus Deus correlatiuè respicit singulas illas conceptiones vt obiectum; quod est, habere in se distinctionem rationis formalem actualiter. Et quoniam Deus secluso omni opere intellectus habet ex eadem simplicitate & infinitate, vt plures de eo formatos conceptus valeat terminare; idcircò distinctionem rationis dicitur habere virtualem seu fundamentalem, ita vt sit actu Deus ab æterno distinctus virtualiter. Videndus est Cap. *in 1. dist. 8. q. 4.* Cai. *in d. q. 12.* Torres *disp. 1.* Zum. *disp. 7. & 8.* & alij recentiores.

QVAERVNT hic expositores, *an distinctio rationis fiat per solum intellectum humanum, an etiam per intellectum diuinum?* sed hanc difficultatem alibi definiuimus. Videndus est Zum. *disput. 2. §. solet dubitari &c.*

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Essentia diuina & attributa, nullam habent inter se distinctionem actualem ex natura rei.* Probatur ex Cai. *in d. c. 6.* Quia diuina essentia & attributa abstracta abstractione præcisissima, sunt formaliter & simpliciter infinita. Ergo sunt idem formaliter ex natura rei. Antecedens patet ex dictis, & est Scoti *in 1. dist. 8. q. 3. in resp. ad argumentum principale.* Conseq. probatur ex duplici differentia inter infinitum secundùm propriam rationem; & infinitum secundùm quod ens simpliciter. *Prima* est, quòd infinitum secundùm propriam rationem nullis clauditur terminis suæ propriæ latitudinis, quamuis ita sit ad talem entis gradum definitum, vt nō omnem habeat perfectionem essendi; Infinitum autem se cūdùm quod est ens seu simpliciter, nullos infra totius entis latitudinem patitur limites, sed perfectionemomnem includit essendi. Ex hac differentia sequitur alia, nimirum, vt prior infinitas addita ratione formali limitationem eius non tollat, vt patet in quantitate infinita quę semper est ad genus quantitatis determinata: & similiter albedo intrinsecè infinita esset ad speciem albedinis limitata. Posterior autem infinitas rei cuipiam addita omnes abigit limites, quibus potest aliqua res, siue perfectio cum sua ratione formali determinari, & à qualibet alia perfectione distingui, & consequenter nullam distinctionem formalem admittit ex natura rei: cuius ratio est: quoniam hæc posterior infinitas attenditur penes ea, ad quæ totius entis latitudo se extendit: prior autem penes ea, quæ infra rei illius, cuius est infinitas, latitudinem sunt considerantur.

Rada resp.

Huic argumento respondet Rada & negat consequentiam; quoniam (inquit) de ratione infiniti formaliter extra genus non est, quòd includat in sui ratione formali omnem perfectionem simpliciter, sed quòd illam includat per identitatem realem perfectissimam. *Sed huius responsionis* confutatio patet ex supra dictis. Nam vnius rei infinitę simplicissimæ vna debet esse ratio formalis simplicissima; alioquin res illa non esset per se primò vnum intelligibile &c.

Confut.

Qui plures huius conclusionis probationes videre desiderat, legat Turrian. *disp. 1.* Bann. *dub. 3.* Zum. *disput. 7.* Molin. *disput. 2.* Suar. *libr. 1. de essentia Dei cap. 10. & 11. & disput. 30. Meth. sect. 5. & 6.*

SECVN-

„ SECVNDA CONCL. *Essentia & diuina attributa, præcisa omni operatione intellectus distinctionem habet inter se rationis virtualem, per actionem autem intellectus formalem.* Hæc conclusio patet ex dictis: cuius ampliores probationes lege apud Cap. *in dicta dist.* & Caiet. *in allegato cap. 6.* Turrianum *disp. 2.* Molin. *disp. 3.* & alios locis paulò ante notatis.

„ TERTIA CONCL. *Inter essentiam diuinam & relationes nulla est actualis distinctio ex natura rei.* Hanc conclusionem probant ea omnia argumenta, quibus probari solet prima cõclusio. Eandem latè probant recentiores *super hoc a.* Torres *disp. 3. p. 2.* Zum. *disp. 2. & 3.* Val. *inf. q. 39. a. 1.* probat eam optimis argumentis, & post eum Vasq. *disp. 120. c. 4. &* & Suar. *lib. 4. de Trinit. cap. 4. & 5.* Denique sequitur euidenter hæc conclusio ex antedictis.

„ QVARTA CONCL. *Inter essentiam & relationes diuinas secundùm se est distinctio rationis virtualiter seu fundamentaliter.* Hæc conclusio probari potest eisdem argumentis, quibus probatur secunda. Optima tamen probatio sic potest ex dictis formari. Vbi est vna res simplicissima quæ sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, ibi est virtualis seu fundamentalis distinctio essentiæ & relationis: At in Deo est vna res simplicissima quæ est formaliter absoluta, & formaliter relatiua. ergò. Minor patet ex dictis. Maior probatur. In omni habente in se vnde causare, terminare & verificare possit tanquam obiectum distinctas rationes seu conceptiones formales essentiæ & relationis, est distinctio rationis virtualis, seu fundamentalis: sed res vna simplicissima, quæ sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, est habens in se vnde causare, terminare, & verificare possit &c. Ergo. Alias probationes lege si placet apud Cai. *infra q. 39. a. 1.* Ban. *hic dub. 3.* Zum. *disp. 10.* Mol. *disp. 5.* & Suar. *de Trinit. lib. 4. c. 4.*

„ QVINTA CONCL. *Essentia & relatio vt terminant actus nostri intellectus distinguuntur actualiter ratione ratiocinata.* Probatur hæc conclusio eodem medio quo præcedens, addendo tantum hoc quod est actu terminare diuersas conceptiones, sic. Vbi est vna res simplicissima, quę sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, terminans actu distinctas conceptiones relatiui & absoluti, ibi est distinctio rationis actualis, &c.

„ SEXTA CONCL. *Inter essentiam & relationes major est distinctio virtualis, quàm inter essentiam & attributa.* Probatur. Vbi est maius fundamentum distinctionis rationis actualis, ibi est maior distinctio virtualis; at inter essentiam & relationes est maius fundamentum distinctionis rationis actualis, quàm inter essentiam & attributa; ergò. Maior patet. Minor probatur primò; quia fundamentum distinctionis relationum ab essentia est realis oppositio & distinctio relationum inter se, quæ non conuenit essentiæ; quæ relationum distinctio & oppositio est in ipso Deo, sicut & ipsæ relationes in Deo sunt: At distinctio attributorum inter se & ab essentia, vel non habet fundamentum alicuius distinctionis realis in ipso Deo, vt bonitas, potẽtia, actio, immutabilitas, æternitas & immensitas, sed in creatura tantum, cuius omnes perfectiones in Deo continentur eminenter: vel si habent fundamentum alicuius realis distinctionis in Deo, non habent illud in seipsis, sicut habent relationes quæ realiter inter se distinguuntur, sed in terminis, vt intellectus & voluntas, quæ ratione inter se distinguũtur: quæ rationis distinctio fundamentum aliquod habet in terminis vtriusque potentiæ, qui sunt verbum & Spiritus S. inter quos est realis relatiua distinctio. Secundò quia essentia secundùm rem est communicabilis, relatio verò personalis est incommunicabilis; relatio concretè sumpta, puta filius producitur, non autem essentia. Nihil autem est quod vni attributo conueniat secundum rem, quod alteri etiam & essentiæ realiter non conueniat, etsi de ea formaliter non dicatur; & in hoc sensu videtur loquutus fuisse Ferr. nec approbasse Scoticam illam distinctionem actualem ex natura rei, contra communem omnium Thomistarum sententiam: Et quamuis maior sit distinctio virtualis relationũ ab essentia, quàm attributorum inter se, & ab essentia: in nullo tamen minuitur perfecta & (vt aiunt) omnimoda identitas relationum cum essentia; consistit enim identitatis perfectio in negatione omnis actualis distinctionis à parte rei, nec postulat negationem omnis distinctionis rationis actualis, aut virtualis, simpliciter aut secundũ aliquem gradum; nulla siquidem virtualis distinctio repugnat summæ simplicitati & vnitati reali & formali secundùm se relationum diuinarum cum essentia.

SEPTIMA CONCL. *Si loquamur de essentia diuina, & relationibus secundùm se, essentia est de intrinseca ratione relationum, & è contra.* Probatur ex dictis. Vna est ratio formalis essentiæ & relationis; Ergo vna est de ratione alterius intrinseca. Probatur sequela; quia non est intelligibile, duo aliqua vnius esse rationis formalis simplicissimæ, & vnum non claudi intrinsecè in ratione alterius; nam vnum in ratione alterius clauditur intrinsecè per propriam rationem formalẽ; sicut animal in ratione hominis; igitur vbi est summa rationis formalis aliquorum vnitas ibi est inclusio summa & maximè intrinseca vnius in altero.

Resp. Mol. nullam esse conseq. quoniam essentia & relatio, virtute continet distinctionem formalem. Vnde ad probationem negat antecedens, quando illa duo virtute continent distinctionem formalem. *Sed hæc responsio* diuertit à ratione formali secundùm se, ad eandem vt à nobis concipitur duplici conceptu habente fundamentum in re: conclusio verò & eius probatio loquitur de ratione formali & intrinseca ratione relationis & essentiæ secundùm se; & eodem defectu laborant reliquæ responsiones, & totus discursus eiusdem expositoris *in supradicta disput. 6.* Eandem probat Bannes *dubio 3. in resp. ad 6. argum.*

Mol. resp.

Confutatio.

OCTAVA CONCLVS. *Relationes, tam diuisiuè quàm collectiuè sumptæ, includuntur intrinsecè in ratione formali Dei & diuinæ essentiæ secundùm se.* Probatur primò; quia vna est ratio formalis Deitatis simplicissima, continens rationem omnem formalem absoluti & relatiui Deo conuenientis, ergò. Secundò: Deitati secundùm se naturaliter & necessariò, ac per se in primo modo conuenit subsistere in singulis, & omnibus tribus suppositis relatiuis relatiuè distinctis; ergo de ratione formali & quidditate Deitatis est subsistere in omnibus, & singulis tribus illis suppositis; ergò relationes tam collectiuè quã diuisiuè clauduntur intrinsecè in ratione formali deitatis siue diuinæ essentiæ secundùm se. Antecedens quoad priores duas particulas ab omnibus est confessum; nec potest salua fide negari; Quo ad vltimam verò, nimirum per se in primo modo probatur; Quia personæ diuinæ omnes & singulæ, quæ sunt relationes subsistentes, sunt id

quod

quod est perfectissimum in natura diuina, vt ait S. Thomas *q. seq. ar. 3.* quod verò perfectissimum est, ad rationem formalem Deitatis & eius quidditatem secundùm se maximè pertinet, & consequenter in primo modo; alioquin Deitas non esset intrinsecè & essentialiter ac formaliter seipsa perfectissima, sed indigeret aliquo extra eius quidditatem existente ad supremum sui complementum & vltimam sui perfectionem: sicut natura creata puta humanitas, eget personalitate realiter ab ea distincta, vt sit actu subsistens, & absolutè perfecta. Et ex his patet etiam tam prima, quàm secunda consequentia.

» NONA CONCLVS. *Relationes disiunctim sumptæ vt sic, non sunt de essentia Deitatis.* Hæc conclusio necessariò sequitur ex præcedente & eius probationibus; Nam si omnes collectiuè sunt de essentia Deitatis; ergo non disiunctim; quia scilicet vna excludat aliam, vel essentia modificata per vnam excludat aliam: nam essentia non potest esse perfecta, nisi sit tribus relationibus modificata. Secundò probatur; quia æquè necessariò per se & formaliter Deitas secundùm se est paternitas, sicut filiatio & spiratio, & è contra; quamuis ex his relationibus remota destruitur integra ratio formalis Deitatis, de cuius ratione est Trinitas personarum. Denique magis patebit veritas tam huius, quàm præcedentis conclusionis ex solutione argumentorum, quibus prædictus auctor tamquam demonstrationibus innititur in statuendis prædictis duabus assertionibus.

» DECIMA CONCL. *Sumendo essentiam iuxta priorem sensum superius explicatum in quinto notabili, & relationẽ secundùm suam integram & completã rationem, mutuò sese formaliter includunt.* Hæc patet ex dictis; sicut enim relatio creata in integra sui ratione includit ad & in, vt suo loco probabitur; ita relatio diuina in sui completa ratione claudit ad & essentiam siue substantiam diuinam, quæ ibi est loco in, vt ante diximus.

» VNDECIMA CONCLVS. *Sumendo essentiam præcisè, & relationem præcisè prout dicit ad, etiam reale, essentia non est de intrinseca ratione relationis, puta paternitatis.* Hæc conclusio est secundùm mentem Cai. *in hoc a. ad 3.* vbi ait relationem formaliter consideratam, secundùm propriam rationem nõ dicere perfectionẽ nec imperfectionem: Constat aũt essentiam secundùm propriam rationem formalem dicere perfectionẽ. Et *infr. q. 40. a. 4.* docet relationem habere ab essentia radicaliter vt sit res realis, sed tamen per seipsam formaliter esse rem realem: quod non esset verum, si relatio formaliter & præcisè sumpta includeret intrinsecè rationem formalem essentiæ; nam per eam realis esset formaliter: Et ibidem addit conuenire relationi esse constitutiuum hypostasis, non ratione alicuius absoluti formaliter, sed ratione sui, quatenus scilicet ab absoluto distinguitur; igitur vt sic non includit absolutum intrinsecè. Hanc conclusionem probat Molina pluribus argumentis *disput. 6. conclus. 4. contra Turrianum.*

» VLTIMA CONCLVS. *Relationes diuinæ præcisè sumptæ non sunt de intrinseca ratione essentiæ præcisè sumptæ.* Probatur ex D. Thom. *de potentia Dei, q. 8. a. 2. ad 6.* dicente non esse prædicationem per se cùm relatio prædicatur de essentia: quod dictum explicans Caietanus *infra quæst. 39. art. 6.* ait intelligendum esse de prædicatione formali, non de identica. Ergo essentia vt sic, non includit relationem vt sic. Idem affirmat S. D. *infra quæst. 33. a. 13. ad 1.* vbi sic loquitur: *Communia absolutè dicta secundùm ordinem intellectus nostri sunt priora, quàm propria; quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuersò: in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur*; vbi aduerte ibidem sumi propria non præcisè, sed secundùm suas rationes completas, vt patet in exemplo de persona Patris. Eandem conclusionem probat Zumellus *disp. 3. concl. 4.* Molina *disput. 6. conclus. 3.* & Suarez *in dicto lib. 4. c. 5.*

CONTRA *primam concl.* sunt 16. argum. Sotistarum, quæ refert & soluit Capreolus *in primo dist. 8. q. 4.* quorum vim exprimit Cai. octo argumentis ab eo solutis *in d. 6. cap.* ex quibus quatuor refert Rada & eorum responsiones impugnat. *Argum. & solutiones obi. 1. cont. 1 concl.*

Primum argum. est. Sapientia & bonitas, absolutè distinguuntur formaliter ex natura rei. ergo sapientia infinita, & bonitas infinita, distinguuntur formaliter ex natura rei. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia infinitas non variat rationem formalem eius, cui additur, vt patet inductiuè. *Respondet* Cai. duplicem esse rei alicuius infinitatem: vnam secundùm propriam rationem, quæ est infinitas in tali genere & secundùm quid: aliam secundùm quòd ens siue simpliciter: Prior infinitas non variat rationem formalem: posterior autem variat cùm eam illimitet & eleuet, vt sit omnis perfectio: porrò diuinæ perfectiones singulæ infinitæ sunt simpliciter. Itaque si antecedens loquatur de infinitate priori, verum est, sed falsa est consequentia; quia bonitas & sapientia Dei sunt infinitæ simpliciter; quòd si in antecedente posterior significetur infinitas, falsum est ob iam dictam causam. *Sol.*

Sed responsionem hanc sic arguit Rada. Primò; quia Caiet. non probat infinitatem secundo modo dictam esse rationem identificandi rem cuius est, omni perfectioni sibi compossibili, non solum realiter, sed etiam formaliter, in quo consistit tota huius quæstionis difficultas. *Secundò*: Si sapientia infinita esset formaliter bonitas infinita ex natura rei, sequeretur quòd sicut Deus est formaliter sapiens ex natura rei sapientia, similiter esset formaliter sapiens bonitate & misericordia, quod rationi contrariari videtur. Et *confirmatur*, argumentum; quia ita manent in Deo propriæ rationes formales sapientiæ & bonitatis ac si finitæ essent. Ergò ita benè distinguuntur formaliter bonitas infinita, sicut bonitas absolutè, & sapientia absolutè: Antecedens probatur; quia ratio formalis alicuius perfectionis manet semper in quocunque gradu perfectionis intelligatur; sapientia enim infinita ita retinet rationem sapientiæ, sicut sapientia finita. *Resp.* Cai. optimè probasse quod negat Rada, ex hoc quòd vni rei infinitæ ac simplicissimæ debetur vna ratio formalis simplicissima; alioquin non esset per se primò vnum intelligibile vnico verbo expressũ. Ad secundũ dico, quòd à parte rei loquẽdo, secluso modo nostro intelligẽdi, Deus vna ratione formali est bonus, intelligens, sapiens, volens, iustus &c. & consequenter ratione formali bonitatis, voluntatis & iustitiæ & misericordiæ, quæ vna est & infinita simpliciter, Deus est formaliter sapiẽs; sed deceptio contingit; quia cùm dico, Deus est sapiens bonitate, communiter intelligitur nomen sapientis & bonitatis, prout à nobis concipiuntur vt rationes distinctæ ob limitationem & modum imperfectum intelligendi nostri intellectus. *Rada repl. ca.* *Confirm.* *Sol.* *Ad confirm.*

Ad probationem negatur antece-

tecedens de ratione formali vniuocè sumpta; Nam perfectio, puta sapientia infinita simpliciter non est eadem vniuocè, sed analogicè tantum cum sapientia finita, & ab ea differt per dictam illimitationem & identitatem formalem, cum omni alia perfectione simpliciter eiusdem rei.

Obi. 2. *Secundum* in ordine apud Radam est: Bonum & verum in Deo non distinguuntur ex natura rei, ergò sunt formaliter synonima. Consequens est contra te: Conseq. autem probatur; quia bonitas & veritas non significant nisi ipsas perfectiones in re nullo modo distinctas in ea. *Respon.* Cai. *Sol.* nullam esse conseq. quia synonimeitas, cùm sit passio nominum, non attenditur penes identitatem rationis formalis rei secundùm se, sed penes identitatem conceptus formalis seu mentalis; nã voces sunt existentium in anima passionum notæ; sunt autem bonitatis & veritatis diuersæ conceptiones in nobis, & ideò non sunt synonima: quamuis sit eadem res & ratio formalis à parte rei significata.

Replica Rade. *Sed contra* respon. hanc argumen. Rada. *Primò:* quia nomina principaliter significant res iuxta Aristotelem *in 1. Elenchorum* dicentem nos pro rebus vti nominibus; quia res ad disputandum ferre non possumus. *Secundò*: Ratio quam significat nomen est diffinitio, vt dicitur *4. Meth.* Sed diffinitio indicat veram essentiam rei; ergo illa per nomen principaliter significatur. Ergo synonimeitas principaliter attendi debet penes res, quas nomina significant. *Tertiò:* quia saltem veritas & bonitas apud diuinum intellectum erunt synonima; quia in eo nõ est pluralitas conceptuum. *Sol.* *Resp.* Ad primum negatur assumptum: dictum autem Aristotelis nihil aliud significat nisi res per voces significari, quod non negamus, sed dicimus voces primò & immediatè significare conceptus, mediatè autem & quasi secundariò res vt ostendimus supra *qu. 13. art. 1. Controu. vnica*. Ad secundum dico rei diffinitionem esse essentiam vt à nobis conceptam: nam diffinitio non inest rei secundùm se, sed prout à nobis perfectè cognoscitur. *Ad tertium* negatur sequela; quia apud Deum, seipsum & suas perfectiones, prout in seipsis sunt cognoscentem, nulla est nominum pluralitas, sicut nec conceptuum.

Obi. 3. *Tertium.* Deus intelligit essentiam suam vt veram, vult autem vt bonam; Ergo veritas & bonitas distinguuntur ante omnem actum intellectus; Probatur consequentia; quia distinctio obiectorum præuenit distinctionem actuum, sicut causa effectum.

Sol. *Resp.* Cai. falsam esse conseq. sufficit enim (inquit) vt obiecta intellectus & voluntatis prædistinguantur fundamentaliter: nec est opus distinctione actuali pro tunc, sicut nec intellectus & voluntas Dei pro tunc distinguuntur, nisi fundamentali distinctione rationis.

Replica. *Sed aduersus resp.* hanc insurgit Rada. *Primò:* quia non est actualis distinctio actuum sine actuali distinctione obiectorum. *Secundò:* quia actus quo videt Deus suam essentiam vt veram, & actus quo vult eam vt bonam, terminatur ad rẽ existẽtem à parte rei: vel igitur terminatur ad veritatem & bonitatem sub vna ratione formali à parte rei: vel sub diuersis. Si primum: ergo actus volendi & intelligendi in Deo non distinguuntur ex parte obiecti ex natura rei, quod est absurdum: & per consequens non est dicendum; quòd tendat intellectio illa in veritatem & non *Solut.* in bonitatem. Si secundum: ergo meam fateris sententiam. *Resp. Ad primum* negatur assumptum; sufficit enim distinctio virtualis obiectorum.

A *Ad secundum* admitto primum: Ad argumentum in contrarium respondeo eo toto admisso nullum sequi inconueniens contra nos & veritatem; nam neque actus intelligendi & volendi in Deo, distinguũtur secundũ se ex parte obiecti ex natura rei, neque intellectio secundùm se tendit in bonitatem vt formaliter distinctam à veritate, neque volitio in bonitatem vt formaliter distinctam à veritate; sed hæc distinctio fit per actum intellectus nostri diuina suo modo cognoscẽtis.

Quartum: Illa quæ formaliter distincta intel- *obi. 4.* liguntur intellectu intuitiuo, habent distinctionem vt existentẽ: sed perfectiones diuinę intelliguntur formaliter distinctæ ab ipso Deo intellectu intuitiuo; Ergo habent distinctionem vt B existentem in eis: talis non potest esse distinctio rationis: oporteret enim intellectum diuinum sua intuitione causare aliquam relationem rationis in sua essentia vt existentem, quod est absurdum; igitur talis distinctio est ex natura rei. Maior patet ex differentia inter intellectum intuitiuum & abstractiuum. Minor verò est clara de se. *Resp.* Caiet. & negat minorem; Nam licèt Deus *Solutio.* intueatur perfectiones suas ab æterno distinctè, non tamen ab æterno distinctas actualiter; quanquam asserere distinctionem rationis actualiter causari per actum intellectus diuini non sit alienum à Philosphia.

Sed responsionem hanc impugnat Rada. Primò: C Nam vel Deus videt perfectiones suas distinctè *Replica.* ex parte obiecti, sic vt obiectum ipsum distinctè concipiat, & tunc vel concipit ea vt omnino vnum formaliter à parte rei: vel vt distincta obiecta formalia; Si hoc secundum; ergo distinguuntur formaliter: si primum; ergo nõ videt essentiã pluribus perfectionibus simpliciter ornatam. Et præterea non videt intellectum & voluntatem vt principia diuersarum emanationum; quia videt ea vt omnino indistincta. Et præterea absurdum est intellectum intuitiuum causare entia in rebus quas intuetur; nam tunc entia rationis essent in rebus. *Resp.* Deum intueri has perfec- *Sol.* tiones distinctè, i. non confusè ex parte obiecti, & eas concipere vt vnum actu formaliter & plura virtualiter; & sic videt essentiam suam vt seipsa ornatissimam formaliter, pluribus autem perD fectionibus virtualiter: & videt intellectum & volũtatem vt vnum formaliter, sed vt plura virtualiter; & consequenter etiam, vt principia duarum emanationum actualiter distinctarum. Diximus enim in præcedente q. distinctionem emanationum non esse ex distinctione principiorum actuali, sed ex rationibus principiorum virtualiter inter se distinctis. Ad impugnationẽ entis rationis ab intellectu diuino causati, nego sequelam; Nam cùm intelligit Deus intellectum suum & voluntatem per comparationem ad nostrum intellectum & voluntatem, causat distinctionem rationis inter suum intellectum & voluntatem, quæ non est in obiectis siue obieE cto, sed in solo intellectu obiectiuè.

Præterea argumentatur idem auctor aduersus *obi. 5.* eandem conclusionem. Distinctio quæ est inter intellectum & voluntatem, præcedit omnem actum collatiuum intellectus. Ergo illa non est distinctio rationis. Ergo ex natura rei est formalis. Probatur antecedens; quia ante omnem actum collatiuum intellectus est principiũ intellectionis, & non voluntas, & voluntas est principium volitionis, & non intellectus. *Resp.* falsum *Sol.* esse antecedens. Ad probationẽ nego consequentiam; sufficit enim distinctio virtualis: sicut etiam intellectio & volitio absolutè sumpta, virtua-

tualiter tãtum distinguuntur: De emanationibus autem iam diximus ad eas etiam sufficere virtualem principiorum distinctionem.

Alia eiusdem auctoris argumenta ex dictis facilè diluuntur, nec probãt nisi virtualem distinctionem attributorum & rationis actualé, prout cadunt in conceptionem nostram: & iam antea fuerant à Capr. Cai. & alijs multipliciter confutata.

Contra eandem concl. sunt argum. quæ proferunt & soluunt recentiores ferè omnes sancti Doctoris interpretes, ad quos lectorem remittimus.

CONTRA *secundam concl.* sunt multa argum. Aur. & Arim. relata & soluta à Capr. *in dicta dist. 8. q. 4.* B

Obi. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam concl.* militant eadem argumenta, quibus impugnatur prima. Sed præterea contra eam profert Rada vetera Scot. & sequacium argumenta iam soluta à Capreolo & Caiet.

Primum est. Aug. *7. de Trinit. c. 5.* ait: *Non eò Pater, quo Deus, nec eo Deus, quo Pater*: ex quo dicto sic arguit. Deus secluso omni actu intellectus, non est Deus paternitate, sed deitate: nec Pater deitate, sed paternitate: Ergo inter paternitatem & deitatem est non identitas ex natura rei; Patet consequentia; quia si ex natura rei essent omnino idem ante operationem intellectus, C Pater esset deitate Pater, & paternitate Deus, quod est contra Aug.

Resp. Cai. infra *q. 39. a. 1.* ad simile argumentũ nos balbutiendo vt possumus excelsa Dei resonare, atque idem Aug. & Doctores, de essentia & relatione, vt de distinctis formaliter loqui: cum tamen nulla sit earum distinctio actualis à parte rei, sed virtualis tantum, quæ medio nostri intellectus actu fit distinctio rationis actualis. Vnde ad argumentum, si sermo sit de ratione formali à parte rei: eadem ratione formali indiuisibili Deus secluso omni opere intellectus est Pater & est Deus; nec tamen sequitur: ergo est Deus D paternitate vt sic, & Pater deitate vt sic; quia sit transitus à ratione formali secundum se, siuè prout est à parte rei, ad eandẽ prout diuersis cõceptionibus à nobis cognoscitur. Sed tamen verum est, Deum esse Deum ea ratione formali, quę non tantum est deitas, sed etiam paternitas: & eadem ratione formali Patrem esse Patrem.

Alia eiusdem auctoris argumenta ex antiqua Scotistarũ officina deprompta, nihil aliud probant, quàm virtualem seu fundamentalem relationis distinctionem ab essentia, vt notant etiam Capr. Cai. & alij.

CONTRA *quartam & quintã* conclusiones militant eadem argumenta, quæ notauimus contra secundam.

Obi. Radæ cont. 7. cõc. CONTRA *septimam* arg. Rada *primo*. Esse Pa- E trem non est de essentia & conceptu formali Dei. Ergo nec paternitas est de conceptu formali essentiæ. Consequ. tenet; quia quicquid est de conceptu formali Dei, est de cõceptu formali essentiæ & è conuersò. Antecedens probatur; quia si de conceptu formali Dei esset, quòd sit Pater: sequeretur quòd Filius esset Pater: Consequens est plusquam falsum; ergo & illud, ex quo sequitur: Sequela probatur. Nam quidquid est de ratione intrinseca alicuius communis, est de essentia cuiuscunque suppositi & singularis sub eo contenti. Ergo si de essentia Dei formali & essentiali est esse Patrem, similiter erit de ratione essentiali Filij sub eo contenti. Antecedens & consequentia patent ex illa regula anteprædicamentali; A cum quidpiam de quopiam prædicatur, ea quæ de prædicato dicuntur per se, dicuntur etiam de subiecto. Si igitur Pater prædicatur quidditatiuè & essentialiter de Deo, similiter prædicatur de Filio, de quo Deus prædicatur. *Secundò*, si paternitas includitur essentialiter in diuina essentia, & diuina essentia includitur formaliter in conceptu formali filiationis. Ergo & paternitas includitur in conceptu formali filiationis; Patet consequentia; quia in eius conceptu includitur diuina essentia: Ergo includitur quidquid est formaliter diuina essentia: sed Pater est talis; ergo. His argumentis vtitur etiam Zum. *disp. 3.* & Suar. *lib. 4. c. 5.*

Sol. *Ad primum* respondetur falsum esse antec. Ad probationem negatur consq. Ad eius probationem dico antecedens non esse verum in prædicatis relatiuis, sed tantum in absolutis: in quo sensu etiam intelligenda est regula Arist. Nec tamen ex hoc deficit regula Arist. vt obijcit Rada, sed legitimus eius sensus exponitur præsertim in materia diuinorum, vbi etiam communitas est singularis vnius scilicet essentiæ numero tribus suppositis identificatæ. Secundò dico regulam illam, *Quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto prædicati*, habere hunc sensum. Quicquid dicitur de prædicato secundum eam rationem, qua vnum est cum subiecto: dicitur etiam de subiecto ipso; sic igitur esse patrem est de essentia formali Dei, & consequenter etiam est de essentia & ratione formali Filij secundum eam rationem, qua Filius & Pater vnum sunt in essentia, non autem absolutè. Tertiò dico regulam illam veram esse, quando formatur propositio cum signo vniuersali *omnis*, vel *nullus*, quomodo formari non potest in re præsenti; Falsa est enim hæc propositio; omne quod est Deus vel essentia, est Pater, nam Filius & Spiritus sanctus est secundum rem Deus & essentia: & tamen neuter eorum est Pater. *Ad secundum* negatur consq. Ad probationem dico primò fieri transitum ab absoluto ad relatiuum; nam dictio quidquid significat absolutum, Pater autem significat relatiuum. Secundò respondeo veram esse consequẽtiam & consequens de eo quod includitur in diuina essentia secundum rationem communicabilis, non autem de eo quod in illa clauditur secũdum rationem constituibilis in esse personali incommunicabili, vt hic scitè Bannes aduertit.

Zumelius obiic. cont. eandem 1. *Contra eandem* concl. argum. Zum. *Primò* D. Thom. hic ait in nomine essentiæ non importari respectum, sed solum in relatione; Ergo. Præterea SS. Patres Concilia communiter distinguũt essentialia à personalibus: absoluta verò dicuntur essentialia, & relatiua personalia; igitur apertè significant relationes non esse essentiales diuinitati; alias non distinguerentur à prædicatis essentialibus. Et D. Th. pluribus in locis idẽ significat. Eodẽ argumento vtitur Suar. *Resp.* D. *Solut.* Th. Patres & Concilia loqui de diuina essentia, nõ prout in se est, sed vt præcisè concipitur à nobis secundum rationem absoluti.

Obijc. 2. *Secundò*: Si Paternitas & cæteræ relationes essent de intellectu & ratione diuinæ essentiæ intrinsecè & formaliter: diuina essentia non esset res absoluta sed relatiua; quod omnium Doctorum & Sanctorum sententiæ aduersatur. Consequ. satis liquet; nam id quod in intrinseca sua ratione formaliter cõtinet relationem, relatiuum esse debet. *Resp.* nullam esse consequentiam loquendo de diuina essentia secundum se & prout est *Solut.* à parte rei; sed sequitur illam vtrumque in

Vna

vna simplicissima sui ratione complecti, nempè relatiuum & absolutum, vt ante diximus.

Plura alia profert idem expositor argumenta, quæ ex iactis fundamentis & responsionibus facilè diluuntur: probant enim tantum relationes & personas non includi in essentia præcisè sumpta: vel non includi secundum rationem communicabilis: vel denique personas ipsas & relationes communicari secundum vnitatem essentiæ, quam in suis conceptibus completè sumptis includunt, & eadem ratione vnam esse in alia.

Suarez — *Contra eandem* concluſ. argum. Suar. *Primò*. Essentia tota est communis; ergo tota est absoluta; ergo non includit essentialiter relationes. *Obiec. cont. eandem.*

Solut. — *Resp.* essentiam præcisè sumptam aut acceptam secundum rationem communicabilis totam esse communem, non autem secundùm se siue secundùm integram & completam suam rationem formalem; nam in ea clauditur essentia cum proprietatibus personarum.

Obiec. 2. — *Secundò*: Pater communicat Filio totam substantiam & essentiam suam, vt diffinitur *in capitulo Damnamus*, & non communicat paternitatem; Ergo paternitas non intrat rationem essentiæ.

Sol. — *Resp.* Patrem communicare totam essentiam præcisè sumptam, siue totam essentiam, secundùm eam rationem qua communicabilis est, non autem secundum integram eius rationem complectentem omne relatiuum & absolutum.

Obi. 3. — *Tertiò*: Pater prius origine quàm generet Filium est completè & essentialiter Deus; Ergo per generationem Filij non producitur aliquid quòd sit essentiale Deo; producitur autem persona Filij, & nostro modo concipiendi comproducitur eius relatio; Ergo illa non est essentialis

Solut. — Deo. *Resp.* antecedens verum esse sumendo Deum essentialiter tantum siuè præcisè quo ad essentiam, non autem sumendo Deum prout in se est & vt res quædam est eminentissima, continens quidquid est absoluti & quidquid est respectiui &c. prout explicauimus in tertio notabili: sic enim Deus necessario est tota Trinitas; quod nec Patri in illo priori aut post, nec vlli aliæ personæ conuenit. Et per hoc patet exempla eiusdem authoris petita, ex cõceptu animalis ad eius differentias diuisiuas comparati, & de humanitate respectu propriè personalitatis, non esse similia, nisi sumendo Deum quo ad essentialia tantum, vel essentiam diuinam præcisè; quo modo non accipitur in nostra conclusione. Ex eisdem fundamentis ac responsionibus satisfit argumentis Vasq. *in 4. c.*

Cont. eandē obi. Valq. 1. — *Contra eandem* concl. quatenus affirmat essentiam esse de intrinseca ratione relationum, argumentatur Vasq. *c. 2. Primò*: Essentia diuina non potest comparari cum relatione, sicut ratio entis cum ratione particulari; quia ratio entis non est vna communis omnibus entibus particularibus: atqui essentia diuina verè est vna tota in multis; Ergo potest præscindi conceptus relationis ab essentia: Consequentia probatur; quia omnis conceptus includens alium conceptum communem est resolubilis in duos, qui ad inuicem non

Sol. — se includant. *Respondetur* primò argumentum non procedere contra conclusionem, quæ loquitur de diuina essentia & relatione secundum se non vt à nobis concipitur. Secundò negatur assumptum. Ad cuius probationem dico rationem entis esse vnam & communem proportionaliter, & necessariò inclusam in conceptibus singulorum generum & specierum, & eos claudere in suo conceptu: & eodem modo diuina essentia, licèt summam habeat vnitatem, intrinsecè clauditur in rationibus relationum secundùm suam rationem formalem, à parte rei loquendo, & è contra; Vnde falsa est consequentia; Ad probationem dico illam concludere de essentia diuina, vt à nobis concipitur, non autem secundùm se.

Secundò: Paternitas & quæuis relatio concipitur à nobis vt aliquid adueniens Deitati. Ergo non intelligitur vt includens eam formaliter in suo conceptu. *Obi. 2.*

Respondetur hoc argumento probari nostram vndecimam conclusionem: procedit enim de relatione & essentia non secundùm se, sed prout à nobis concipitur præcisè: vel etiã prout relatio concipitur secundùm suam totalem & integram rationem sic enim non includit essentiam explicitè, sed tantùm implicitè & confusè; Nam sicut paternitas creata in suo completo conceptu explicitè non includit in, sed tantùm implicitè: ita paternitas diuina non includit essentiam explicitè, quæ ibi est loco in, sed tantùm implicitè. *Sol.*

Tertiò: Si essentia includeretur formaliter in cõceptu relationis, hec esset vera propositio formaliter, paternitas est essentia seu diuinitas; ergo Deus paternitate intelligit; Ergo paternitate est sapiens. Probatur hæc consequentia; quia Pater eo sapiens quo intelligit. *Respondetur* nullam esse conseq. loquendo ad sensum conclusionis de diuina essentia & relatione secundùm se; Nam licèt sit eadem ratio formalis essentiæ & relationis: est tamen plures virtualiter; propositio verò distinguit illam vnam rationem formalem in duas; sicut etiam per modum duarum concipitur à nobis, & vnam de altera prædicat; non potest autem prædicatio vnius de altera esse per se formalis, vt ait S. Thom. *de pot. q. 8. a. 2. ad 6.* propter rationem tactam in argumento; quia Deus paternitate intelligeret & paternitate esset sapiens. Radix autem responsionis est; quia, vt ante diximus, paternitas non identificatur essentiæ, prout essentia habet rationem communicabilis, quæ est ratio omnium absolutorum: sunt enim omnia absoluta communicabilia. Secundò admissa prima consequentia nego secundam; Nam etsi dicta propositio sit formalis secundùm se, propter vnitatem rationis formalis secundùm se: non tamen est formalis quoad nos, propter distinctionem rationis actualem in virtuali summæ ac infinitæ rei distinctione fundatam; & ideò non sequitur Deum intelligere paternitate. Tertiò dico probari hoc argumento nostram decimam concl. *Obi. 3. Sol.*

Quartò sequeretur personã non constitui relatione. Probatur sequela; quia persona nihil aliud est, quàm essentia relatione determinata & contracta; id autem ipsum esset relatio; siquidem includeret essentiam: sed persona non constituitur persona; ergo nec relatione: & ita Pater qui est persona, non constituetur paternitate. *Resp.* nullam esse conseq. Nam sufficit diuersus concipiendi modus & significandi concretè & abstractè, siue vt quo & vt quod: proprius enim modus constituendi in simplicibus est, vt eadem res abstractè concepta sit seipsam constituens concretè sumptam, vt significat S. Thomas infra *q. 40. a. 2. ad 1.* & ibi Caietanus. Quamuis ergo in paternitate includatur essentia subsistens incommunicabiliter, non tamen concipitur, quatenus subsistit vt quod, sicut persona patris, sed vt *Obi. 4. Sol.*

quo. Et ex hoc occurritur cuidam instantię eiusdem expositoris. Secundò respondetur hoc argumentum non procedere contra septimam conclusionem, quæ loquitur de diuina essentia & relatione secundùm se: sed contra nonam cui satis iam dicta patrocinantur.

Obi.1.cont. S.cõcl. CONTRA *octauam* concl. arg. Albertinus prędictus, & primò vtitur argumento primo Zum. & Suar. relato contra septimam conclusionem & soluto.

Obijc. 2. *Secundò* assumit in substantia duo alia priora argumenta contra eandem septimam conclusionem producta ex Rada, Zumell. & Suarez. Sic enim arguit contra priorem partem conclusionis. Paternitas non est de essentia Filij: Ergo nec de essentia deitatis. Antecedens patet. Consequentia probatur; Nam quidquid est de essentia Dei, est de essentia Filij; ergò si paternitas non est de essentia Filij, non est de essentia Dei: Antec. est de fide; quia alioquin Filius non esset completè *Sol.* Deus. *Respond.* nullam esse consequent. Ad probationem iam supra dictum est illud antecedens verum esse de eo, quod est de essentia Dei secundùm rationem communicabilis: non autem de eo, quod est de essentia Dei secundùm rationem incommunicabilis, siue constituibilis in esse personali incommunicabili, sumimus enim hic essentiam Dei prout in se est comprehendens omne absolutum & relatiuum in Deo existens.

Obi 3. *Tertiò* Pater communicat Filio totam substantiam & essentiam Dei, vt definit Concilium Lateran. sed non communicat paternitatem vt sic; quia communicatio est per identitatem; at paternitas vt sic manet distincta à Filio; Ergo Paternitas non est de essentia Dei. *Solut.* *Resp.* primam propositionem veram esse de tota essentia Dei præcisè sumpta, sc. secundùm rationem communicabilis, & non de tota essentia vt accipitur quatenus comprehendit in se absolutum & relatiuum, siue prout in se est.

Ob. 4. *Quartò*: Si filiatio vt sic esset de essentia Deitatis, sequeretur quòd essentia diuina produceretur, cùm generatur Filius, vel saltem comproduceretur aliquid pertinens ad essentiam Dei. sc. ipsa filiatio. Probatur sequela; quia filiatio per se *Sol.* est de conceptu Deitatis. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem iam dictum est filiationem esse de essentia Deitatis, non præcisè sumptæ, sed secundùm eius integram rationem, quæ comprehendit absolutum & relatiuum: & filiationem esse de ratione Deitatis sic sumptæ, non secundùm rationem communicabilis, sed secundùm rationem constituibilis in esse personali incommunicabili; & secundùm hoc admittimus, cùm generatur Filius, produci aliquid pertinens ad Deitatem secundùm rationem constituibilis in esse personali incommunicabili.

Obi 5. *Quintò* probat relationes collectiuè sumptas non esse de essentia Deitatis. Esse trinum non est de essentia Dei; ergò relationes collectiuè sumptæ non sunt de essentia Dei. Anteced. probatur; Nam vel esse trinum, quod dicit omnes relationes collectiuè sumptas, est de essentia Dei quatenus esse trinum reperitur in omnibus personis collectiuè sumptis, & hoc est falsum. Nã hinc sequeretur, quòd tantum tres personæ collectiuè sumptæ essent Deus, & non singulæ per se essent Deus. *Vel* esse trinum reperitur in singulis personis diuisiuè sumptis, & hoc etiam est falsum; nam Pater diuisim sumptus non est trinus, nec Filius. *Solut.* *Resp.* falsum esse anteced. Ad probationem admitto primum membrum, nimirum, quod esse trinum est de essentia Dei, quatenus esse trinum reperitur in omnibus personis collectiuè sumptis. Ad impugnationem nego sequelam, quæ nullam habet apparentiam; Nam esse trinum vt est in omnibus personis collectiuè, est de essentia Dei vt est constituibilis in omni esse personali incommunicabili sibi possibili: vnde non dicit totam essentiam adæquatè; cùm esse trinum siue trinitas, non exprimat nisi determinatum numerum personarum, vt ait S.D. *infr. q.31.a.1.* Iam autem diximus Deitatem secundum se & completè sumptam, complecti tam absolutum quàm relatiuum, & consequenter tam essentiam tribus communem, quàm numerum trium personarum incommunicabilium; & ideò, non solùm tres personæ collectiuè sumptæ, sed etiam singulæ Deus sunt; quia dictio Deus dicta de singulis non prædicat trinitatem, quæ est incommunicabilis, sed essentiam præcisè, quæ est communicabilis; nam sicut singulæ, ita simul omnes personæ in vna Deitate continentur incommunicabiliter, siue secundùm eam rationem, qua Deitas est incommunicabilis.

Sextò. Essentia diuina vt essentia diuina est formaliter absoluta; ergo non potest includere in suo cõceptu formali respectiuum vt respectiuũ. *Obi. 6.* Antec. probatur ex Conc. Tolet. *in confessione fid.* dicente Deum non dici ad aliud, sed ad se: Patrem verò dici ad Filium: quod idem dicit Aug. *lib. 7. de Trin. c.2.* *Resp.* antecedens verum esse de *Sol.* Deo vt est essentia præcisè sumpta, prout à nobis concipitur distincta contra relationes & personas: sed falsum est de Deo prout in se est & quatenus non præcisè, sed integrè concipitur, quo ad omnia intrinsecè clausa in eius ratione formali & quidditate; hæc enim sunt non tantum absoluta, sed etiam respectiua, vt sæpè diximus & ostendimus cum D. Th. & Cai. & per hoc soluitur aliud eiusdem auctoris argumentum.

CONTRA *nonam* conclusionem argumentatur: *Obi 1. cont. 9. concl.* *Primò*: Quia contraria sententia videtur esse D. Tho. *sup. q.27.a.1.ad 3.* & Cai. *Respondetur* verba *Sol.* D. Thom. & Caietani oppositum expresè significare, vt mirum sit talem illis opinionem imponi.

Secundò: Quia simile quid reperimus in natura *Obi. 2.* creata, quæ si consideretur secundùm se, dicit ordinem essentialem saltem radicalem, vt possit contrahi ad Petrum & ad Paulum: ita tamen vt contracta per Petreitatem excludat Pauleitatem, & è contra; alioquin sequeretur quòd natura humana in Petro non diceret ordinem communicabilitatis ad Paulum; atque adeo aliquod prædicatum essentiale deesset Petro, si communicabilitas esset de essentia naturæ: Ergò ita etiam suo modo Philosophandum est de essentia diuina & relationibus; ita vt essentia diuina, quamuis in sensu identico sit Pater & Filius & Spiritus sanctus, in sensu tamen formali intrinsecè tantum habeat, vt sub distinctione sit Pater vel Filius vel Spiritus S. ita vt qñ intelligitur modificata in Patre, excludat esse Filij personaliter. *Resp.* primò communicabilitatem non esse de *Sol.* essentia naturæ humanæ prout est in Petro; sic enim est indiuidua & incommunicabilis; an autem & quomodo communicabilitas sit de essentia naturæ communicabilis, dicemus infra *q.41.a.5.* Deinde respondeo nullam esse consequentiam: quia diuina natura est vna numero & necessariò & per se subsistit in tribus: natura autem humana secundùm se non est vna numero sed specie: & ideò prædicto modo habet ordinem ad subsistentiam.

Dein-

Deinde duobus alijs argumentis nititur probare sententiam suam, cùm tamen nihil euidentius probent, quàm nostram illam decimam conclusionem.

CONTRA *decimam* militant vniuersa ferè argumenta relata contra septimam conclusionem & soluta.

CONTRA *vndecimam* concl. argum. Suarez *in dicto lib. 4. c. 7.* sed eius argumenta probant tantùm nostram septimam & decimam conclusionem.

Obi. cont. 11. concl. *Contra eandem* concl. argum. Zum. Impossibile est præscindere relationem diuinam à ratione entis. Ergò impossibile est illam præscindere à ratione entis increati. Ergo relatio diuina essentialiter est Deus. Probatur prima consequentia; quia relatio diuina includit rationem entis determinatam & particularem, & consequenter vel creatam vel increatam: non primam; ergo secundam; secunda consequentia patet. *Resp.* admissa prima consequent. falsam esse secundam in sensu formali: Nam ens increatum est absolutum & relatiuum: quare sicut non est bona deductio; Est ens, ergo est absolutum: ita non est illatio recta formaliter: est ens increatum, ergo est Deus: Sed tantùm sequitur, ergo vel est Deus formaliter, vel proprietas siue respectus Dei formaliter: Deus autem realiter. Secundò respondetur hoc argumento probari nostram septimam conclusionem.

Contra prædictas conclusiones sunt alia argum. ab expositoribus proposita & soluta, ac præsertim à Ban. & Zum.

Molin. dicit impossibilia *Ex dictis patet* primam concl. Mol. *disp. 6.* dicere implicantia, sic enim ait; Relatio diuina præcisè considerata qua relatio; vt paternitas præcisè, qua respectus est Patris ad Filium, proprietasque personalis Patris, idem est re & ratione formali, cùm essentia diuina; nam si concipitur vt proprietas Patris, iam hoc ipso intelligitur vt formaliter ab essentia distincta; Nec consequenter loquitur idem expositor *in 4. concluſ.* cùm ait, sumptis essentia & relatione eodem modo, scilicet præcisè, essentia non est de intrinseca ratione relationis: nam si de relatione & essentia secundùm se loquamur, vt ibidem intendit Molina, vna est vtriusque ratio formalis, vt idem expositor affirmat *in 5. disp.* & consequenter necessariò sese mutuò includunt; & rursus si de relatione & essentia secundùm se loquitur, non rectè adhibet vocem illam præcisè, quæ ad modum nostrum concipiendi pertinet.

De sententia verò Pesa. & eius distinctionibus ac dictis, quæ minimè necessaria videntur in re proposita, satis apparet ex fundamentis & responsionibus, quid habeant veritatis; non enim vacat nec expedit placita cuiusuis scribentis sigillatim examinare.

SECVNDA CONTROVERSIA.

An relatio realis dicat perfectionem.

Ratio, & Sensus quæsiti. PROPRIA sedes huius Contr. est *in q. 42. a. 1.* Vbi agitur de æqualitate diuinarum personarum. Sed quoniam hic eam tangit Cai. *in resp. ad 3. arg. D. Th.* & ex recentioribus quàm plures hic eam examinant, & huic loco vbi de relationum identitate cum essentia differitur, satis est opportuna & præcedenti Controuersiæ non modicum lucis est allatura, operæpretium duxi hic eã examinare, ac iuxta mentem A. D. & eius scholæ definire.

A *Ad cuius* intelligentiam aduerte duo; *Primum* propositum fuisse quæsitum de relatione reali simpliciter: sed quod hic præcipuè intendimus, est quærere: num relatio realis formaliter sumpta. s. quo ad id, quo à cæteris differt. sc. *ad reale*, quatenus reale est, & non secundùm suam cõmunissimam & formalissimam rationem præcisè, sc. in quantum *ad*, dicat perfectionem. *Secundum* est hic de reali relatione absolutè propositam fuisse controuersiam, vt ex communibus omni relationi reali formaliter sumptæ facilè colligamus: an diuina relatio formaliter sit perfectio.

B TORRES *super hoc art. disp. 3. par. 2. circ fin.* duo dicit: *Primum*, Relatio diuina est perfectio infinita: *Secundum*, Eadem est perfectio paternitatis & filiationis. *Sententiæ Doctorum.*

Bannes dicit sex. *Primum.* Relatio vt dicit *in*, est perfectio siue in creaturis siue in Deo: in creaturis quidem finita & accidentalis: in Deo autem infinita & substantialis. *Secundum.* Relatio secundùm propriam & communem rationem præcisè prout scilicet dicit respectum *ad aliquid* distinctum, neque importat perfectionem neque imperfectionem. *Tertium.* Relatio diuina quatenus dicit *ad diuinum*, dicit perfectionem simpliciter & infinitam. *Quartum.* Paternitas quatenus dicit *ad reale*, abstrahendo à paternitate diuina, dicit perfectionem. *Quintum.* Si loquamur simpliciter, omnis relatio realis formaliter est perfectio. *Sextum.* Eadem perfectio est paternitas & filiatio.

C Zum. *disp. 5.* suam opinionem explicat sex propositionibus. *Prima.* Relationes diuinæ secundùm totum quod in se habent, tam absolutum quàm respectiuum, tam commune quàm proprium, dicunt perfectionem, ac proinde relatio diuina vt sic dicit perfectionem infinitam. *Secunda.* Relatio non solum secundùm rationem communem vt dicit *in*, est perfectio tam in creaturis quàm in Deo, sed etiam quatenus dicit *ad reale*. *Tertia.* Absolutè loquendo, omnis relatio formaliter est perfectio. *Quarta.* Diuina relatio & essentia sicut distinguuntur ratione in esse rei, ita

D etiam in esse perfectionis. *Quinta.* Perfectio quam importat relatio vt sic, non est eadem secundum rationem, seu formaliter in omnibus diuinis relationibus. *Sexta.* Non est concedendũ aliquo modo, quòd aliqua perfectio sit in vna persona, quæ non sit in alia.

Val. *in art. præced.* dicit quinque. *Primum*: Relatio diuina formaliter vt relatio est, dicit perfectionem simpliciter infinitam quoad conceptum obiectiuum. *Secundum.* Relatio diuina quo ad significatum siue conceptum formalem communem etiam relationibus creatis, non abstrahit à perfectione: ita vt per alium conceptum non possit concipi perfectio formaliter in eo, cui tribuimus conceptum relationis. *Tertium.* Hæc

E propositio: *Aliqua perfectio est in vna persona quæ non est in alia*, vera est si intelligatur quatenus personæ opponuntur & distinguuntur ab inuicem: non autem simpliciter. Nam vnius personæ perfectio est alterius, vt est vnum in essentia cum illa. *Quartum.* Concedi potest in diuinis esse tres infinitates respectiuas seu relatiuas. *Quintum.* Relatio diuina est perfectio simpliciter simplex.

Vasq. *c. 6. & 7.* sequitur sententiam Turriani & addit tria. *Primum* est. Si de perfectione, quæ est passio entis & idem est quod integritas rei, loquamur: in Deo vna tantum est perfectio.

Secundùm Si de perfectione loquamur, quatenus perfectio dicitur, quidquid ad integritatem alicuius pertinet & ipsum integrat & perficit, vt ei consentaneum & conueniens : non sunt in Deo tres perfectiones reales, sed sunt tres perfectiones secundùm rationem. *Tertium.* Non sunt in Deo concedendæ tres infinitates.

Suar. *lib.9.de Trin.c.9.& 10.* reiectis duobus his prioribus dictis Vasq. dicit quinque. *Primum.* Relatio diuina v.g.paternitas ex proprio conceptu dicit realem perfectionem seu bonitatem transcendentalem. *Secundum.* Perfectio, quàm dicit relatio secundùm propriam rationem, relatiua est. *Tertium.* Perfectiones personales seu relatiuæ in diuinis multiplicantur, atque adeò realiter distinguuntur inter se. *Quartum.* Perfectio relatiua, non est perfectio simpliciter simplex. *Quintum.* Persona diuina ex vi suæ relationis habet infinitatem, non simpliciter in genere entis: hanc enim habent relationes ab essentia, sed in tali genere seu quasi in specie; idem affirmat *disp. Meth.10.sect.3.*

Pesantius *disp.9.* duo dicit. *Primum* est: Relationes formaliter sumptæ non dicunt perfectionem simpliciter: prout verò identificantur essentiæ, dicunt perfectionem simpliciter infinitam. *Secundum.* Relationes diuinæ secundùm propriam rationem relationis dicunt perfectionem in proprio genere.

Cap. *in 1.dist.7.q.1.ad 3. Aur* duo dicit: *Primum:* Relatio in quantum huiusmodi non dicit perfectionem. *Secundum.* Paternitas diuina, quatenus est essentia, eadem est perfectio, quæ est filiatio, vt est essentia. Eandem sententiam sequitur Cai. *super hoc a.& q.seq.ar.3. & de ente & essentia cap.2. com.2.* vbi definit perfectionem simpliciter Ferrariensis *in 2.contra gent.c.9.* Iauellus & Ripa *super hoc a* quæ fuit etiam sententia Scoti *in 5.quolib. & alibi.* Rich. *in 1.dist.24.q.1.a.1.q.3.ad 1.* Durand. *in 3.dist.1.q.3.* & Arimin. *in 1.dist.20.q.1.a.1.* & aliorum veterum Scholasticorum quos Neoterici referunt. Eandem sententiam quo ad relationes diuinas sequitur Mol. *inf.q.42.a.6.disp.2.* & addit duo. *Primum.* Relationes diuinæ neque sunt finitæ neque infinitæ. *Secundum.* Probabile est relationes creatas formaliter sumptas dicere perfectionem.

Resolutio. Probatur multiplicitèr relationē prout dicit ad reale non esse perfectionem.

De Relatione diuina formaliter dupliciter loqui possumus. *Vno modo* secundùm se, id est, prout cōsideratur sub ea ratione formali, quæ diuinæ relationi conuenit, vt est à parte rei. *Alio modo* quatenus à nobis concipitur. Non est hic sermo de relatione priori modo sumpta. Nam cùm vna sit ratio diuinitatis simplicissima & infinitè perfecta complectens rationem omnem absoluti, & relatiui existentis in Deo : necesse est vt ratio formalis relationis, prout est à parte rei, sit perfectio simpliciter & infinita: quæstio igitur est de diuina relatione, prout à nobis præcisè concipitur secundùm propriam rationē, qua distinguitur ab essentia & à quouis absoluto de Deo cognito.

Secvndo, *Recolenda* est ea differentia, quàm statuit hic S. D. inter relationem secundùm propriam eius rationem, & alia genera accidentium secundùm propriam itidem rationem considerata; quòd in alijs generibus propria ratio generis accipitur secundùm comparationem ad subiectum: sed ratio propria relationis non attenditur ex ordine ad subiectum in quo est, sed secundùm comparationem ad aliquid extra. Quo fit, vt considerandò relationes, sub ea præcisè ratione qua relationes sunt, sint assistentes non autem intrinsecus affixæ : quali significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum, vt ait S.D. *in textu*; quamuis relatio quatenus accidens sit inhærens subiecto & habens esse accidentale in ipso, quod esse supra diximus cum eodem A. D. & Caietano non esse relatiuum, sed absolutum.

Tertio *Sciendum est* de relatione, vt relatio est, dupliciter nos loqui posse. *Vno modo*, quatenus particula illa, *vt relatio est*, reduplicat rationē formalem relationis integrè sumptam, nimirum quoad omnia intrinsecè clausa in eius ratione siue sint propria siue communia: in quo sensu dicimur loqui de relatione simpliciter, id est absolutè; & hoc modo relatio vt relatio includit ad & in, id est, rationem propriam relationis, & rationem accidentis sibi communem cum cæteris octo rerum generibus à substantia distinctis. Alio modo loqui possumus de relatione, vt relatio est, quatenus particula illa *vt relatio est*, reduplicat præcisè rationem propriam formalem, qua differt à cæteris rerum generibus : & sic relatio vt relatio, etiam realis de qua modo quærimus, includit tantum ad, id est respectum ad terminum : qui respectus ad terminum in relationibus realibus est realis realitate formaliter distincta modo nostro intelligendi, ab ea quàm habet relatio vt accidens est, si sermo sit de relatione creata; vel vt substantia est, loquendo de relatione increata. Quòd autem respectus ille sit realis patet; quoniam realiter refert & realiter distinguit vnum relatiuum ab altero correlatiuo. Quòd verò talis respectus formaliter distinguatur à ratione formali in, quæ relationi conuenit in ordine ad subiectum, patet *primò*: quia ratio accidentis, quæ est ratio in, est communissima: respectus autem proprius est relationis. *Secundò*: quia ratio in potest esse sine ad, vt patet in alijs prædicamentis accidentis, & præsertim in quantitate & qualitate: non potest autem esse ad reale, sine in sibi in vnitate reali coniuncto. *Tertiò*: quia in diuinis substantia, quæ est loco in, est vna & eadem numero communis tribus personis : nulla verò relatio siue respectus realis in diuinis tribus est hypostasibus communis; quinimò singularum relationum siue respectuum oppositionibus ac proprietatibus distinguuntur realiter ab inuicem diuinæ personæ. Quamuis itaque duæ prædictæ rationes, nimirum ad & in secundùm se sint vna ratio formalis simplicissima & infinita: distinguuntur tamen quoad nos ratione formaliter.

Nec verum est quod affirmat Suar. & quidam alij, in quolibet accidentis genere & in singulis cuiusuis generis modis intrinsecè claudi rationem in, sicut ratio entis intimè clauditur in omni re & quolibet eius modo ac differentia. Nam quod enti conuenit ob eius amplissimam communitatem qua res omnes & earum modos ac vltimas earum differentias circumplectitur: nullo probabilitatis colore ad specialem eiusdem entis modum, qualis est ratio formalis accidentis, extenditur, vt scilicet eodem modo sicut ens formaliter & intimè claudatur, non solùm in rerum generibus, verùm etiam in omnibus eorum distinctiuis : quamuis enim relatio & eius ad reale proprium suum habeat esse reale, quo realiter inest subiecto : illud tamen esse non est relatiuum sed absolutum, vt ante diximus : ac proinde non pertinet ad rationem formalem propriam relationis, vt relatio est, quę cōsideratur in ordine ad extrinsecum,

Con. Suar.

cum; immò manifesta est implicatio dicere ad reale formaliter includere in reale; cum realitas ad tota formaliter sit ad terminum, vt terminus est præcisè, cui hoc ipso quod est respectus realis ad ipsum, eidem realiter opponitur, & ab eo realiter distinguit relatiuum; alioquin si realitas siuè entitas ipsius ad non esset ad terminum vt sic, nec realem haberet ad ipsum oppositionẽ nec realiter ab eo distingueret. Realitas verò in, tota est ad subiectum, quæ longè diuersa & opposita est habitudo ad genus relationis vt sic minimè pertinens, sed nuncupata transcendẽs; quia nouem circuit rerum genera; propter quam habitudinem, relationi reali simpliciter siuè secũdum integram eius rationem acceptæ, conuenit ratio bonitatis ac perfectionis: Diximus enim supra *q. 5. a. 1. in controu. vnica* bonum addere rationem non solum perfecti sed etiam perfectiui super ens: Constat autem perfectiuum dici in ordine ad perfectibile, non autem in ordine ad extrinsecum terminum vt terminus est præcisè. Itaque relatio boni & consequenter perfecti rationem habet, quatenus dicit in: cuius ratio non est relatiua formaliter relatione prædicamentali, sed est absoluta.

Ad cuius euidentiam scito vtramque rationem relationis scilicet ad & in, esse realem formaliter & intrinsecè, realitatemque in vtraque ratione modificari & distingui ac limitari formaliter iuxta naturam & modum rationis vtriusq; : quò fit vt realitas relationis quantum ad in, sit secũdum se tota & quidditatiue propendens in subiectum vt perfectiuum in perfectibile; sicut etiam in formaliter dicit ordinem ad subiectum; realitas verò relationis quo ad rationem respectus significati per dictionem ad, secundum se tota feratur in terminum: sicut ratio formalis ad secundum se & quidditatiuè est ad terminum. Et quemadmodum ratio formalis in, quæ est habitudo ad subiectum, realis est formaliter & intimè ex propria realitate: ita realitas ex ipso ad formaliter & intimè siuè essentialiter ordinẽ habet ad terminum: adeò vt tota ratio formalis ad relationis realis sit intimè realis; & tota eius realitas sit intimè ad terminum; & sicut in non est formaliter ad: ita realitas in non est formaliter realitas ad.

Ex his sequitur primò Suar. & alios Neothericos pugnantia dicere, cũ asserunt relationẽ dicere perfectionẽ relatiuam formaliter. Nã perfectio fit semper secundũ aliquod esse: omne verò esse absolutum est, vt sæpe diximus.

Secundò sequitur respectum omnem realem significatum nomine ad realis abstrahere à perfectione & imperfectione, vt affirmant antiquiores Thomistæ.

Tertiò sequitur nullam esse consequentiam illam Suar. & aliorum: Relatio realis puta paternitas formaliter dicit respectum realem siuè realitatem respectus; Ergo formaliter dicit perfectionem; quoniam non dicit realitatem illam in ordine ad subiectum perfectibile, sed in ordine ad extrinsecum terminum. Sicut etiam non valet hæc consequentia: Mathematica formaliter sunt entia; Ergo Mathematica formaliter sunt bona; quia scilicet Mathematica formaliter non dicunt rationem perfectiui, etiam si intrinsece claudant rationem entis. Cum itaque respectus realis relationis, siuè ad reale nec habeat rationẽ perfectiui, nec includat rationem in, non erit formaliter perfectio neque bonum: & si relatio simpliciter & integrè sumpta perfecta sit & bona.

Relationes diuinas intrinsecè claudi in perfectione diuina.

POSTREMO *considerandum est*, quòd quamuis diuinæ relationis ad siuè respectus non sit formaliter perfectio, est tamen ex ijs quæ necessariò requiruntur ad summam & infinitam perfectionem diuinitatis completè & integrè sumptæ, prout in se est. Nam vt sæpè diximus, diuinitas prout in se est, claudit intrinsecè rationem omnem absoluti & relatiui in Deo formaliter existentis; quod fortè significare voluit Vasq. *capitulo 6.* quem immeritò Suar. impugnat *in dicto capitulo 9* Nam etsi nomen integritatis iuxta primæuam suæ impositionis originem diuinitati non congruat: quatenus tamen integritas perfectionem significat, & complementum aut negationem defectꝰ in quidditate seu ratione formali deitatis, illi quàm maximè conuenit: Nec tamen sequitur Patrem non esse integrè Deum, eo quod non est tres relationes, quæ sunt de integritate Dei. Nam vt *in præcedenti controu.* diximus, vbi etiam huic & similibus argumentis satisfecimus, relationes non includuntur in diuinitate formaliter, prout est communicabilis, sed tantum vt est constituibilis in esse personali incommunicabili. Quamobrem hæc perfectio, quæ modo nostro intelligendi consurgit in vna & simplicissima ratione deitatis ex absoluto & respectiuis, neque est essentialis præcisè, prout essentiale distinguitur contra relatiuum aut personale: neque est personalis præcisè: neque vnitatem habet per modum collectionis aut numeri, licet includat oppositas relationes realiter inter se distinctas: quoniam hæc perfectionis vnitas & integras attenditur secundum essentiam & relationes, quatenus in vnum esse conueniunt: cuius summam ac maximam vnitatem non destruit realis distinctio relationum & trinitas personarum, vt ostendimus cum D. Thom. supra *quæstione vndecima, a. 4.*

Defenditur Cai & V. asquez à Suarez.

Et ex his cessant ea omnia, quæ Vasquezio & in hac parte etiam Caiet. & nobis obijcit Suar. *in dicto 9. capitulo:* qui etiam *in capite sequenti, scilicet decimo*, contra communem scholasticorum sententiam statuit in diuinis perfectiones formaliter, quæ tamen non sint perfectiones simpliciter: has verò vult esse relationes ad intra; quas ait non esse perfectiones simpliciter sed in suo genere; quia cum sint oppositæ non possunt simul eidem personæ conuenire; & consequenter (ait) fit, vt neutra sit melior in omni ente seu persona, quàm opposita, quòd tamen est de ratione perfectionis simpliciter, vt ait Ansel. *in Monologio cap. 15.* Notissima est enim differentia inter perfectiones simpliciter & perfectiones in tali genere siuè secundum quid: quòd illæ de Deo dicuntur formaliter & propriè: hæ verò non nisi virtualiter & Metaphoricè, vt supra diximus *quæstione prima*, & alibi sæpè cum D. Thom. *q. 13. art. 3.* vbi rem hanc explicauimus ex eodem S. D. *in primo contra gent. cap. 30.* Maneat itaque relationem formaliter ac præcisè sumptam non dicere perfectionem neque imperfectionem, vt affirmant Capr. Cai. & alij Thomistæ communiter.

Impugnatur Suarez.

PRIMA CONCL. apud omnes indubitata. *Relatio realis vt dicit in, id est sub ea ratione qua ponit aliquid in re, cuius est relatio, dicit perfectionem, tàm in Deo, quàm in creaturis.* Probatur. Relatio in creaturis vt dicit in, comparatur ad subie-

conclusiones duæ, &c. probatæ.

ctum, vt actus perfectiuus ad potẽtiam perfectibilem; Relatio verò diuina, vt dicit in, est ipsa substantia diuina, vt ait S. D. *hic ad 3.* Ergò vt sic dicit perfectionem. Hanc conclusionem probãt ea omnia argumenta, quibus probatur relationẽ simpliciter siuè absolutè vel secũdum integram &completam sui rationem consideratam, dicere perfectionem: sic enim includit in, ratione cuius perfectio quædam est.

» SECVNDA CONCL. *Relatio diuina, quatenus* » *eandem habet non solum entitatem, sed etiam ratio-* » *nem formalem à parte rei cum essentia diuina, est per-* » *fectio simpliciter.* Probatur: quia deitas comprehendens in vna re & ratione formali simplicissima essentiam & relationes, est infinita formaliter perfectio; Ergo &c. Probatur sequela: quia non est intelligibile, vnam & indiuisibilẽ rationem formalem esse perfectionẽ & non esse perfectionem.

» TERTIA CONCL. *Relatio realis, secundũ in-* » *tegram & completam sui rationem formalẽ dicit per-* » *fectionem.* Probatur: quia relatio creata, puta paternitas, in suo formali conceptu integro & totali, intrinsecè claudit accidens quod est subiecti perfectiuũ; Ergò vt sic est perfectio. Antecedens probatur: quoniam accidens quidditatiuè & essentialiter prædicatur de quolibet genere & specie accidentis; Ergò etiam de relatione; Et sicut ens non addit specialem gradum supra rationes genericas aut specificas; ita nec accidens specialem aliquem addit gradum supra rationes generum aut specierum, de quibus prædicatur; Relatio verò diuina completè sumpta intrinsecè & essentialiter est diuina essentia, vt antè diximus; Ergò vt sic est perfectio. Secundò probatur conclusio: quia ens quod diuiditur in decẽ prædicamenta, conuertitur cum bono, vt ostẽdimus supra *q. 3. art. 5. in 2. contr.* Ergò relatio quæ vnum est ex prædicamentis, integrè sumpta est bona atque adeò perfecta: nam vnũquodque dicitur bonum quatenus perfectum. Nec verum est aut probabile, bonum non esse passionem entis in communi, sed entis dumtaxat absoluti vt admittit Molina: sic enim bonum non esset adæquata passio entis: cuius tamen oppositum affirmant omnes antiquiores Methaphysici cum Arist. & præsertim D. Th. *supra quæst. 5. a. 3. & alibi sæpè.* Hanc conclusionem probant multa ex illis argumentis, quibus recentiores probare intendunt, relationem formaliter dicere perfectionem. Ex his sequitur relationem omnem realem simpliciter & absolutè loquendo dicere perfectionem: quia relatio absolutè includit in, cuius ratio perfectio quædam est; igitur relatio absolutè loquendo perfectio est.

Responsio Molinæ cõfutata.

» QVARTA CONCL. *Relatio realis siuè creata* » *siuè increata formaliter sumpta, id est, prout dicit ad* » *reale siuè respectum realem ad terminum, non dicit* » *perfectionem aut imperfectionem, sed abstrahit à per-* » *fectione & imperfectione.* De hac conclusione præcipuè nobis hic est cum aduersarijs disputatio. *Probatur primò.* Omnis perfectio formaliter vt perfectio inest ei, cuius est perfectio: Sed relatio formaliter non inest; Ergò formaliter non est perfectio. Maior patet. Minor probatur: quia relatio realis vt sic ex sua ratione formali scilicet ad reali, hoc habet præcisè vt respiciat extrinsecum terminum; Ergò &c. Antecedens patet ex dictis: quia realis oppositio & distinctio, est proprius & adæquatus effectus formalis respectus realis: alioquin eadem realitas respectus formaliter sumpta, scilicet in ordine ad terminum, alium etiam haberet respectum, siuè potius esset alius respectus formaliter ad subiectum: quòd nullus sanæ mentis admittet. Quãuis igitur relatio absolutè loquendo habeat intrinsecè vt sit perfectio subiecti: formaliter tamen sumpta vt explicauimus, non est nec intelligitur esse perfectio subiecti; Distinguitur autem hæc ratio formalis ad, in relationibus creatis plusquam virtualiter, scilicet ex natura rei, siuè realiter formaliter, à ratione in, quæ est omnibus accidentibus communis: differunt enim hæ duæ rationes sicut relatiuum & absolutum; Nam, vt diximus, in esse relationis est absolutũ: In relatione verò diuina sola potest esse virtualis distinctio inter prædictas duas rationes in vna relationis integra ratione concluſa. Ex quo patet solutionem Bannesij non infringere, sed augere potius vim argumenti. *Secundò.* Paternitas ratione sui ad realis, quo respicit terminum, scilicet filiationem vel Filium, neque est perfectio Filij neque Patris. Ergò non est formaliter perfectio. Consequentia videtur euidens. Antecedens quo ad priorem partem probatur: quia paternitas est à Filio extrinseca, & respicit ipsum vt terminum præcisè; Ergò nõ est eius perfectio. Posterior verò pars ex dictis est manifesta: quia realitas ipsius ad formaliter non est ad subiectum; Ergò ad paternitatis non est formaliter perfectio patris.

Sed ait Suar. quod licèt relationes creatæ non dicerent realem perfectionem, id tamen non esse tribuendũ relationibus diuinis, propter summam excellentiam earum magnamque analogiã, & præsertim quia sunt subsistentes, & suo modo terminant & quasi modificant diuinam naturam &c. *Sed hæc non* tollunt vim argumenti: nam in primis analogia nihil aliud efficit, nisi vt sicut analogi ratio communis proportionaliter eadem clauditur in quolibet analogato integrè sumpto, ita cuiusuis analogati propria ratio clauditur in communi ratione analogi: quia nõ abstrahit ab analogatis: cum sint diuersa simpliciter, idem autem secundum quid scilicet proportionaliter. Constat autem proprium & formalem rationem realis relationis vt sic, & consequenter talis relationis, puta paternitatis, formaliter vt respicit filium, dicere realitatem formaliter & præcisè respectiuam ad terminum: ac proindè si diuinæ relationes verè & propriè reales sunt, vt ex fide supponimus, necesse est eas rationem analogi communis participare, atque adeò formaliter respicere terminum vt sic præcisè; & consequenter abstrahere à perfectione & imperfectione. Quòd verò subsistant, terminent & modificent diuinam naturam, congruit illis quatenus diuinæ sunt & realiter eædem cum Dei substantia, non autem sub ea ratione qua respectiuæ sunt. Vnde quicquid inest perfectionis diuinis relationibus siuè personis, conuenit illis ab essentia formaliter quatenus cum ea realiter identificantur. Nam vt ait S. D. *infra q. 42. a. 4. ad 2.* paternitas est dignitas Patris, sicut paternitas est essentia Patris: est autem paternitas essentia Patris, non formaliter sed realiter tantum iuxta modum nostrũ intelligendi loquendo: Nam dignitas (inquit D. Th.) est absoluta & ad essentiam pertinet.

Responsio Suarezij.

Confutatio.

Tertiò. Si relatio formaliter & præcisè sumpta dicit perfectionẽ: vel dicit perfectionẽ finitã vel infinitã. Non finitam: quia nihil finitum est in Deo; neq; infinitam: quia alioquin sequeretur, q̃ vna relatio, puta paternitas, includeret in suo

for-

formali conceptu omnem rationem relationis etiam diuinæ, & consequenter filiationem & spirationem & processionem. Conseq. probatur; Quia de ratione infiniti in quolibet genere entis est, vt in seipso claudat rationem omnem illius generis. Cum itaque filiatio, spiratio & processio rationes quædam sint diuinarum relationum, sequitur eas in paternitate formaliter claudi; & sic paternitas formaliter & realiter erit filiatio, & spiratio ac processio: sicut iustitia in Deo formaliter est misericordia: quod est hæreticum.

Resp. Banneſij. *Ban. existimat* hoc argumento conclusionem efficaciter non probari, sed solui posse. Nam si loquamur (inquit) de relatione diuina, quatenus dicit ad diuinum, dicit perfectionem infinitam: sed tunc non consideratur purum ad, sed ad quatenus est diuinum; Et similiter paternitas diuina, quatenus diuina est, dicit perfectionẽ infinitam paternitatis. Deinde, si in diuina paternitate consideretur non solum ad, sed ad paternitatis scilicet respectus huius relationis specialis, qui est paternitas, etiam abstrahenda à diuina paternitate, prout diuina est: fateor (inquit) quòd dicit perfectionem, & quòd paternitas in eo quòd paternitas dicit talem relationẽ realem scilicet fundatam super actione, quæ tamen perfectio non est finita, neque infinita, sed sicut abstrahit à creata vel increata paternitate, ita & à finita vel infinita perfectione. *Sed non soluit nodum*; quoniam, vt *in tertio notabili* diximus, ad reale formaliter respicit extrinsecum terminum, non autem subiectum vel fundamentum; vnde formaliter non dicit perfectionem, sed tãtum, vt integrè sumitur relatio, vt & significat responsio.

Confut.

Resp. Suarezij. *Suar. lib. 3. c. 10.* ait personam habere infinitatem ex vi relationis non simpliciter in genere entis, cum hanc habeant relationes ab essentia, sed in tali genere seu quasi specie; Et ideò non sequitur (inquit) vnam relationem formaliter includere perfectionem alterius, quòd suo modo in attributis diuinis considerare licet. Nam intellectus diuinus præcisè conceptus perfectionem dicit, & infinitam in ratione intellectus, in qua non includit formaliter perfectionem voluntatis; & quamuis in re ipsa includat illam rationem infinitatis simpliciter, & in genere entis, non tamen ex vi propria ac formali infinitatis.

Confut. *Sed hæc solutio* plura non euitat alia absurda, nimirum perfectionem cuiusuis diuinæ relationis esse finitam simpliciter, & aliquam perfectionẽ esse in vna persona, quæ non sit in alia, & plures esse realiter in Deo perfectiones. *Concedit autem* Suar. vt minimè absurda, duo posteriora, sed primum negat dicens perfectionem relatiuam non esse perfectionem simpliciter, non ex imperfectione aut limitatione, sed ex oppositione, quam habet cum alia æquali perfectione. *Sed in primis*, vt ante diximus, contradictionem inuolui dicere perfectionem relatiuam; nam relatiuum vt sic, extrinsecum terminum respicit, cuius non est perfectio, & multò minus subiecti, quod non respicit. Deinde inauditum est in doctrina SS. Patrum plures & realiter distinctas esse diuinarum personarum perfectiones. Præterea sic argumentor. Quod est quantum quantitate perfectionis & non est infinitum simpliciter, sed tantum in specie, necessariò est finitum & limitatum; sed relationes diuinæ, secundum Suarezium, sunt quantæ quantitate perfectionali, nec sunt infinitæ simpliciter, sed tantum in specie; Igitur erunt simpliciter finitæ & limitatæ. Maior probatur: finitum esse vel infinitũ per se conuenit quantitati, sicut numero par vel impar; Ergò omne quantum quod non est infinitum est finitum: ac proinde nos, qui relationes formaliter ac præcisè sumptas negamus esse quantas perfectionaliter, consequenter etiam negamus eas esse finitas vel infinitas. Subinde exemplum diuini intellectus benè perpensum cõcludit oppositũ; nam quamuis intellectus præcisè sumptus secundum nostrum modum intelligendi in suo conceptu & ratione formali non claudat rationem siue perfectionem voluntatis vt sic; tamen secũdum se siue à parte rei, ratio & perfectio intellectus, est ratio & perfectio voluntatis realiter & formaliter; Igitur pari modo perfectio paternitatis, secundum eius ad reale, secundum se erit perfectio filiationis, & aliarum diuinarum relationum, secundũ earum ad reale, realiter & formaliter; quòd est erroneum; cum tollat trinitatem personarum.

Postremò. Perfectio vt sic dicit esse & actualitatem, cum dicat ordinem ad perfectibile, quod ex ea perfectum denominatur; Igitur nomen perfectionis verè & propriè absolutum est secũdum totum suæ significationis ambitum; Ergo nulla est perfectio relatiua formaliter. Ex dictis sequitur non esse in Deo tres infinitates, sed vnã tantum, nec tres perfectiones relatiuas, sed vnam tantum.

QVINTA CONC. *Relatio realis, quo ad conceptum tàm formalẽ quàm obiectiuum, abstrahit à perfectione & imperfectione.* Probatur: quia sibi inuicem adæquantur & correspondent hi duo cõceptus. Ergo eandem abstractionem quam habet formalis, habet & obiectiuus, vt etiã supra probauimus. Constat autẽ ex dictis, relationem realẽ formaliter, id est ratione ad realis, abstrahere à perfectione quo ad alterũ duorum conceptuũ; Ergò quo ad vtrunque.

Argum. & solutiones. CONTRA *quartam* concl. de qua sola propriè est controuersia, sunt argumenta Banneſi ab eodem soluta.

Zumellus obi. 4 conc. *Contra eandem* concl. argum. Zumel. Paternitas diuina, vt est relatio, est ens reale; Ergò vt sic dicit perfectionem. Probatur consequentia. Primò: quia impossibile est intelligere ens reale sine aliqua perfectione. Secundò. Quicquid est in Deo, prout est in illo, dicit perfectionem; Ergò. Probatur hoc antecedens. Primò; quia quicquid est in Deo est formaliter ipse Deus. Sedò, impossibile est esse aliquid in Deo, quod nullam dicat perfectionem. Probatur hoc antecedens; quia imperfectio non est quid positiuũ, sed carentia perfectionis de formali; Ergò nulla potest esse maior imperfectio in Deo, quã nullã dicere perfectionem. Quòd si dicatur imperfectionem non esse quamcũque carentiam perfectionis, sed carentiam perfectionis debitæ inesse; Contra sic arguit: Summa imperfectio videtur rem esse talem, vt nulla illi debeatur perfectio. Ergò. &c. *Resp.* nullam esse conseq. vt latè superius ostendimus. Ad primam probationem negatur assumptum. Ad secundam dico antecedens duplicem habere sensũ. Prior est: Quicquid est in Deo, prout est in illo. s. ea ratione qua formaliter inest, dicit perfectionem, & hic sensus est verissimus, sed falsa est consequentia; quia relatio formaliter non inest. Posterior sensus est: Quicquid est in Deo id est Deo conuenit, prout est in illo id est prout illi cõuenit, dicit perfectionẽ formaliter: & in hoc sensu falsum est antecedens, Nã incõmunicabilitas Deo cõue-

Solutio.

nit,

nit, quæ tamen nullâ perfectionem dicit formaliter; & similiter alia, quæ de Deo negatiuè dicũtur; Quòd si ad positiua tantùm limitetur, nõ est admittendum, nisi in absolutis; nam relatio, puta paternitas, præcisè sumpta scilicet ratione ad, ita conuenit Deo, puta Patri, vt referat ipsum ad terminum, scilicet ad Filium; respectus autem ad terminum vt sic, nullam dicit perfectionem vt probauimus. Ad primam probationem prædicti antecedentis dico primò per eam confirmari nostram secundam conclusionem. Secundò dico relationem, puta paternitatem prout à nobis præcisè concipitur ratione ad, id est ratione respectus realis ad Filium, non concipi vt sic sub ratione Dei aut existentis in Deo. Ad secũdam probationem negatur antecedens; Ad probationem admitto datam responsionem; Ad eius improbationem negatur assumptum, si sermo sit de re id est de realitate formaliter sumpta, vt modo loquimur; nam licet realitas relationis prout dicit realem respectum ad terminũ vt sic non sit perfectio; est tamen necessariò requisita ad summam & infinitam perfectionem diuinæ rei, vt ait Cai. *infra q. seq. a. 3.*

Contra eandem conclusionem Mol. quinque producit argumenta pro 3. sua conclusione, quibus ipse respondet & eorum solutio satis patet ex dictis.

Eidè concl. obiec. Val. primo.

Contra eandem concl. argum. Val. *Primò.* De fide est relationem diuinam vt est ad aliud, & nõ solùm vt est essentia diuina, esse in Deo quandá realitatem & quidem infinitam: At omnis diuina ac infinita realitas est secundum se obiectiuè perfectio simpliciter; Ergò relatio diuina etiam vt est ad aliquid in re, & obiectiuè est perfectio & perfectio simpliciter infinita. Prima propositio quo ad priorem partem probatur; quia secundũ fidem personę diuinę realiter distinguuntur per relationes, non vt sunt essentia, sed vt sunt relationes virtualiter ab essentia distinctæ; Ergò de fide est, quòd vt relationes sunt, sunt realitates quædam. Quo ad posteriorem autem partem probatur; quia nulla realitas est in Deo, quæ non sit infinita; Ergò de fide est etiam relationes esse realitates infinitas. *Resp.* falsam esse primam propositionem quo ad secundam partem. Ad probationem dico realitatem omnem in Deo esse infinitam realiter & identicè, non autem formaliter id est sub ea ratione qua concipitur vt ab alijs realitatibus formaliter distincta; sicut in proposito relatio diuina, puta paternitas, vt refertur ad filiationem, neque finita est neq; infinita, vt ante diximus, licet realiter & identicè, id est prout eadem est diuinitati, sit infinita simpliciter.

Solut.

Obi. 2.

Secundò. Si relatio paternitatis vt paternitas est, & filiatio vt filiatio est, perfectionem non dicerent, sequeretur Patrem vt Patrem, & Filiũ vt Filium, non esse perfectum nec bonum nec diligibilem; Ergò Pater & Filius vt tales sunt, non se diligerent, & consequenter diligendo non producerent Spiritum sanctum, & alia huiusmodi multa absurdissima sequerentur in diuinis. *Resp.* in consequente particulam, *vt*, posse reduplicare paternitatem & filiationem dupliciter; vno modo secundum integras & completas earum rationes; & in hoc sensu negatur consequentia; nam hic sermo est de relationibus diuinis, non secundum integras earum rationes, sed prout dicunt præcisè respectum realem ad terminum: Alio itaque modo potest per eandem illam dictionem, *vt*, reduplicari paternitas & filiatio quo ad respectum ad terminum præcisè: & in hoc sensu, admissa prima consequentia & ipso consequente formaliter sumpto, secunda consequentia distinguenda est; Nam si consequens eius intelligatur de Patre & Filio, vt tales sunt formaliter quo ad respectum præcisè sumptum, & de habente rationem diligibilitatis ex ipso respectu relationis formaliter, vera est consequentia, sicut & ipsum consequens; nam respectus ad terminum non est ratio diligibilitatis in paternitate aut filiatione: quamuis talis respectus sit diligibilis, & diligatur propter identitatem realem, quam habet in deitate & bonitate; si verò consequens intelligatur de Patre & Filio vt tales sunt secundum eorum integras & totales rationes, falsa est consequentia; nam conclusio nostra loquitur de relatione diuina quo ad respectum realem ad terminum præcisè.

Obi. 3.

Tertiò. perfectio simpliciter ea est, quæ in vnoquoque melior est ipsa, quam non ipsa, id est quocunque secum incompatibili in eodem subiecto; Sed quamuis absolutum vt est tale, melius sit quam respectiuum, tamen respectiuũ non est incompatibile cum absoluto, sed possunt reperiri hæ duæ rationes in eodem; Ergò respectiuũ est perfectio simpliciter. *Resp.* cum Cai. *de ente & essentia* comparatiuum supponere positiuum: oportet ergò id, quod melius est, esse formaliter bonum; cũ itaque relatio ratione respectus præcisè non sit formaliter bona, vt sæpè diximus, sequitur etiam ipsam non esse meliorem; cuius oppositum supponit Valentia. Secundò negatur consequentia, quæ nullam habet apparentiam.

Eidè concl. c. 2. obij. Vasq. primo.

Contra eandem concl. argum. Vasq. *disput. 122. Primò.* Sicut Deus ob suam infinitam perfectionem, postulat esse sapientem, sic etiam ob eandem fœcũdus est, vt sit Pater Filius & Spiritus S. Ergò paternitas est aliqua Dei perfectio. *Resp.* consequens intelligi posse dupliciter. Vno *Sol.* modo de paternitate secundum eius conceptum completum: & sic verum est consequens, & benè deducitur; Alio modo potest intelligi de paternitate prout dicit præcisè respectum ad terminum: & sic falsum est tam consequens quàm illatio; nam etsi ad Dei perfectionem pertineant Pater Filius & Spiritus S. & singulorum respectus & incommunicabilitates: non tamen sequitur, respectus vt sic & incommunicabilitates esse perfectiones; nam, vt ante diximus cum Caietano, ad summam Dei perfectionem pertinent, non ea tantum quæ secundum se & formaliter dicunt perfectionem, sed etiam illa quæ abstrahunt à perfectione & imperfectione.

Obi. 2.

Secundò. Si relatio in Deo non esset perfectio, esset imperfectio; At in Deo non potest esse aliqua imperfectio; Ergo. &c. Conseq. probatur; quia perfectio & imperfectio contradictoriè opponuntur; nam perfectum est id cui nihil deest, imperfectum autem cui aliquid deest. Si ergò paternitas non esset perfectio, sequeretur illi aliquid deesse, defectu cuius non esset perfecta, & ita imperfecta: vel sequeretur ipsam esse Dei imperfectionem; quia per illam aliquid Deo deesset. *Resp.* nullam esse consequentiam de imperfectione propriè sumpta, quæ est imperfectio priuatiuè. Ad probationem negatur assumptum de imperfectione priuatiuè, quæ dicit defectum pefectionis debitæ inesse. Ad probationem dicitur non rectè ibi diffiniri imperfectum priuatiuũ; addẽdũ est enim de perfectione debita inesse; Nã la-

tè su-

tè sumendo imperfectionis vocabulum prout A dicit solam negationem perfectionis, iam sæpè diximus relationi non conuenire perfectionem, & consequenter illam esse non perfectam, quòd est esse imperfectam negatiuè. Sed quia nomen imperfectionis communiter sumitur pro imperfectione priuatiua, idcircò simpliciter negandum est relationes esse imperfectas.

Alia eiusdem authoris argumenta probant relationes diuinas secundùm earum integrum conceptum dicere perfectionem.

Contra eandem conclus. multa profert argum. Suar. *lib. 3. c. 9.* ex quibus nonnulla iam sunt posita & soluta, nonnulla verò probant relationem in suo conceptu completo claudere perfectionem, non autem vt respectiua est formaliter & præcisè. Nam subsistentia conuenit diuinæ relationi prout diuina est, & terminatio humanæ naturæ conuenit filiationi prout subsistens est; Et ideò ex his non licet inferre perfectionem in relatione, prout dicit ad præcisè etiam reale, sed tantum quoad completam eius rationem, in qua clauditur essentia quasi modificata. De qua re videndus est Cai. *3. p. q. 3. a. 1.*

Obi. Suar. 1. *Contra eandem concl.* militant duo argumenta eiusdem authoris, scilicet Suar. *disp. metaphys. 47. sect 5. n. 6.* Primum est. De ratione accidentis prout in re ipsa existit, non solùm est quòd insit secundùm rationem aliquam generícam vel communem, sed etiam secundùm propriã, & prout est C talis forma in rerum natura; immò impossibile est, quòd forma informet vel afficiat secundùm rationem communem, & non secundùm aliquam propriam; cùm hæ rationes à parte rei non distinguantur; Ergò relatio secundùm propriam rationem inest, & consequenter dicit perfectionem. *Resp.* posse dupliciter intelligi formam aliquam informare secundùm propriam rationem; vno modo identicè, alio modo formaliter. Formæ absolutæ vtroque modo informant secundùm propriam rationem, vt affirmat S. D. *in hoc a.* sed formæ relatiuæ seu relationes informant quidem secundùm propriam rationem identicè, sed non formaliter; quia ratio ad vt sic, non dicit in esse.

Obi. 2. *Secundum* argumentum. Quia alioquin D relatio non tribueret subiecto proprium actum relatiuum formalem; ergò secundùm propriam rationem inest, & consequenter est perfectio. Probatur prima consequentia; quia accidens non dat effectum formalem, nisi inhærendo & afficiendo; Ergo si relatio non inest secundum propriam rationem, non confert subiecto proprium & specificum effectũ formalẽ. *Resp.* nullã esse primã consequẽtiã; quoniam ad hoc vt accidens, vel forma aliqua relatiua de qua loquimur, conferat effectum formalem specificum subiecto, sufficit vt inhæreat identicè, quatenus scilicet idem est realiter cum accidente, cuius est inesse. Vel dicas, satis esse, vt inhæreat ratione suæ existentiæ, quæ formaliter est absoluta, non autem secun- E dum propriam rationem formaliter sumptam. Ex his quædam alia diluuntur eiusdem authoris argumenta.

Articvlvs Tertivs.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguantur.

167. *Infra q. 30. a. 1. cor. art. 2 corp. Et po 4. 2. art. 3. & sexto corp.*

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd relationes, quæ sunt in Deo, realiter abinuicem nõ distinguantur; Quæcunque enim vni, & eidem sunt eadem, sibinuicem sunt eadem. Sed omnis relatio in Deo existens est idem secundum rem cum diuina essentia. Ergo relationes secundum rem abinuicem non distinguuntur.*

2 *Præterea. Sicut paternitas, & filiatio secundum nominis rationem distinguuntur ab essentia diuina, ita & bonitas & potentia. Sed propter huiusmodi rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio bonitatis, & potentiæ diuinæ. Ergo neque paternitatis, & filiationis.* B

3. *Præterea. In diuinis non est distinctio realis, nisi secundum originem: sed vna relatio non videtur oriri ex alia. Ergo relationes non distinguuntur realiter abinuicem.*

Sed contra est, quod dicit Boet. in lib. de Trinit. * *quod substantia in diuinis continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem: si ergo relationes non distinguuntur abinuicẽ realiter, non erit in diuinis Trinitas realis, sed rationis tantum, quod est Sabelliani erroris.* e *Non multũ à fine lib.*

160.

*Respondeo. Dicendum, quòd ex eo, quòd aliquid alicui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius. Sicut cuicunque attribuitur homo, oportet, quod attribuatur ei esse rationale. De ratione autem relationis est respectus vnius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relatiuè. Cùm igitur in Deo realiter sit relatio, (vt dictum est *) oportet, quod realiter sit ibi oppositio. Relatiua* d *autem oppositio in suis rationibus includit distinctionem. Vnde oportet, quòd in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa vnitas, & simplicitas, sed secundum rem relatiuam.* C *Art. 1. huius quæst.* d 954.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 3. Physic. * *argumentum illud tenet, quòd quæcunque vni, & eidem sunt eadem, sibinuicem sunt eadem, in his quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica, & indumentum: non autem in his, quæ differunt ratione. Vnde* d *ibidem dicit,* * *quod licet actio sit idem motui, similiter, & passio: non tamen sequitur, quod actio, & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, vt à quo est motus in mobili;* e *in passione verò, vt qui est ab alio. Et similiter licet paternitas sit idem secũdum rem cum essentia diuina, & similiter filiatio: tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus. Vnde distinguuntur abinuicem.* D *Li. 3. Phys. tex. 21. to. 2.* *Li. 3. Phys. tex. 22. t. 2.* D. 34. *Lib 3. Phys.* b c 224. 273. e

Ad secundum dicendum, quòd potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis relationes propriè loquendo non oriantur, vel procedant abinuicem, tamen accipiuntur per oppositum secundum processionem alicuius ab alio.

Sensus quæsiti.

QVAERIT hic S. D. modum quẽdam essendi diuinarum relationum, an scilicet sint in Deo vt distinctæ vel vt eædem; pertinet tamen hic modus ad quidditatem ipsarum relationum, sicut oppositio. In quo quæsito aduerte duo. *Primum* est nomine relationum existentium in Deo non intelligi nisi relationes ad intra, quæ solæ in Deo verè & absolutè sunt, prout esse

esse distinguitur contra intelligi. Hæ verò sunt quatuor, nimirum paternitas, filiatio, spiratio & processio, vt in sequenti patebit articulo. Secundum est dictionem illam *relationes* non sumi vniuersaliter; nam de distinctione spirationis actiuæ à paternitate & filiatione, num sit realis & actualis an virtualis tantum & fundamentalis disputat infra S. D. *q. 32. a. 2.* Non quærit igitur hic vniuersaliter, an omnes & singulæ relationes, quæ sunt in Deo reales, distinguantur realiter inter se, neque de solis relationibus oppositis interpretanda est illa dictio *relationes*, vt arbitratur Valentia; sensum enim hunc excludit manifestè particula subsequens scilicet *quæ sunt in Deo*, quæ ad oppositas tantum relationes non arctatur; cum etiam non oppositæ sint in Deo. Sumenda est igitur vox illa *relationes* indefinitè, vt hic aduertit Caiet. quem sequuntur Sylu. Mol. Vasq. quòd enim intendit, & quærit S. D. hic, est: an ex relationibus realibus, quę sunt in Deo, nonnullæ sint realiter inter se distinctæ.

Valentiæ interpretatio reiicitur.

Caiet. Syluester. Molina. Vasquez.

Forma Textus.

CONCL. est. *In Deo est realis distinctio relationum.* Probatur. In Deo est realiter relatio opposita relationi, sed relatiuè opposita in sui ratione includunt distinctionem realem; Ergò in Deo sunt relationes realiter distinctæ. Minor relinquitur vt nota. Maior probatur quo ad particulam illam *oppositæ*, sic: Ex eo, quod aliquid attribuitur alicui, oportet, vt attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius; At de ratione relationis est oppositio: ergo &c. Maior huius argumenti probatur exemplo; nã cui attribuitur homo, oportet vt tribuatur ei esse animal rationale. Minor autem probatur, quia de ratione relationis est respectus vnius ad alterũ, secundum quem aliquid alteri opponitur relatiuè.

Expositio Textus.

INTELLIGENDA est concl. indefinitè, sicut & quæsitum. Vbi tamen aduerte, cuilibet relationi in Deo existenti conuenire oppositionẽ respectu proprij sui correlatiui, vt probatur in textu: cum tamen quælibet relatio non opponatur cuilibet; nam spiratio processioni quidem opponitur, sed non paternitati, aut filiationi, cum quibus realem habet identitatem; Ex quo sequitur sumi posse conclusionem vt vniuersalẽ ad relationes omnes quæ sunt in Deo; nã quælibet diuina relatio distinguitur ab aliqua realiter, etsi quibusdam videlicet non oppositis, cõparata non distinguatur realiter; propter quòd dicimus conclusionem, sicut & quæsitum intelligendam esse indefinitè. Et ita loquendum est; nam vniuersaliter sumpta significat quamlibet relationem à qualibet distingui realiter. Et licet ex oppositione probetur conclusio; non tamen consequens sit eam de relationibus tantum oppositis vt sic esse intelligendam, vt arbitratur Bannes. Nam ex particulari propositione rectè concluditur indefinita; valet enim: Quidam homo est albus; ergò homo est albus; sic in proposito currit hæc consequentia: Relationes oppositæ distinguuntur realiter; ergo relationes distinguuntur realiter. Posset tamen de solis oppositis satis probabiliter interpretari, vt quæsito indefinitè proposito satisfiat cõclusione determinata.

Secundo circa minorem principalis argumenti dubitatur, quoniam oppositio contradictoria, quæ omnium maxima est & cęterarum radix, nõ causat sed sequitur distinctionem, vt ait S. Th. *de pot. q. 10. a. 5. in c.* Ergò multò magis oppositio relatiua, quæ minima est & omniũ vltima. *Respondetur* nullam esse consequentiam; quoniam vt ibidem ait S. D. omne existens, ab altero distinguitur per aliquid sibi inhærens substantialiter, vel accidentaliter; quòd autem hoc non sit hoc, sequitur ex hoc, quod distincta sunt. Similiter etiam patet, quòd veritas cuiuslibet negatiuæ in existentibus supra veritatem affirmatiuæ fundatur, sicut veritas huius negatiuæ Aethiops non est albus, fundatur supra veritatem huius affirmatiuæ: AEthiops est niger. Et ideò oportet omnem differentiam, quæ est per oppositionem alicuius affirmationis & negationis, reduci in differentiam alicuius affirmatiuæ oppositionis. Hæc D. Th. Vbi ad argumentum dico, contradictionem in ratione entis omnium oppositionum esse postremam; quamuis in ratione oppositionis sit omnium maxima, vt notat & explicat Cai. *in postprædicamentis in cap. de oppositis, §. circa ordinem.*

Solut.

Tertiò Obseruandus est sensus illius propositionis: *Ex eo quod alicui attribuitur aliquid, oportet quòd attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius.* Intelligenda est enim de eo, quod attribuitur alicui formaliter, & de ijs quæ sunt de ratione talis attributi formaliter sumpti, vt patet in exemplo de homine, & ratione in textu proposita; sicut etiam quia Deo attribuitur scientia formaliter, necesse est attribui Deo, quæcunque sunt de formali conceptu scientiæ, puta esse notitiam certam & euidentem; non oportet autẽ Deo attribui rationem qualitatis, vel discursus & alia huiusmodi, quæ materialiter se habent ad rationem formalem scientiæ, vt scientia est.

Quartò Considerandum est efficacitatem discursus D. Thomæ in hoc consistere, quòd relationes, quas in Deo realiter esse dicimus, sunt relationes ad intra & mutuæ, quæ hoc ipso, quod tales sunt, vtrumque necessariò ponunt in Deo extremum. Itaque cum affirmamus relationes in Deo esse realiter, particula illa *in Deo* non solùm denotat habitudines ipsarum relationum ad subiectum, sed etiam alterius ad alteram significat habitudinem in ratione termini tãquam existentis in Deo; adeò vt non solum relationes, sed earum singularum termini correlatiui sint in ipso Deo; alioquin adducta ratio in littera nihil concluderet; posset enim negari consequentia; nam quemadmodum hęc non est bona deductio: in Sorte albo est respectus realis similitudinis relatiuè oppositus: Ergo in Sorte est ralatiua oppositio; sequitur enim tantùm in Sorte existere alterum extremum oppositionis relatiuæ; ita nulla est hæc consequentia absolutè loquendo: in Deo est respectus relatiuę oppositus alteri: Ergo in Deo est oppositio relatiua, sed tantum sequitur; Ergo in Deo est vnum extremum oppositionis relatiuæ. Exponendo autem verba D. Thom. de relationibus ad intra, & de esse in Deo prædicto modo, cessat obiectio, vt bene aduertit Caiet. quem alij sequuntur interpretes.

Postremò notandum est concl. esse de fide, vt ostendunt Zumellus, Molina, Vasquez & Porreta.

CON-

Controversia Vnica.

Quo sensu, tàm simpliciter quàm in materia diuinorum, accipiendum sit illud principium: Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem.

Prima glossa D. Th. & quadruplex eius sensus, & extraneorum censura.

Septem afferri solēt expositiones siuè glossæ prædicti principij. Prima est illa, quam ex Arist. *3. Phys. text. 21. & 22.* refert S. D. *hic in respons. 1. argum.* dicens: Quæcunque vni & eidē sunt eadem, sibi inuicem esse eadem in ijs, quæ sunt eadem re & ratione, sicut tunica & indumētum; non autem in ijs quæ differunt ratione. Nā, vt ait Phylosophus, licet actio sit idem motui, & similiter passio, non tamen sequitur quòd actio & passio sint idem; quia in actione importatur respectus, vt à quo est motus in mobili; in passione verò vt qui est ab alio. Et eadē ratione, quamuis paternitas sit idem re cum essentia diuina & similiter filiatio, important tamen hæc duo in suis proprijs rationibus oppositos respectus, quos non importat essentia; & ideò realiter distinguuntur ab inuicem. Hæc ferè ad verbum D. Thomas. Qua loquendi forma non affirmat S. D. dictum principium in solis synonimis verū esse, sic enim syllogisticam artem prorsus euerteret, quæ ex connexione siuè vnitate medij cum extremitatibus infert connexionem extremitatum inter se, etiamsi extremitates à medio ratione aut etiam re differant; sed, vt aduertit Torres, significare voluit S. Thom. maximam illam non esse veram vniuersaliter, nisi in terminis synonimis; quamuis in pluribus alijs sit vera. Vel, vt ait Bannes, principium illud instātiam patitur in ijs, quæ non sunt eadem re & ratione: non ob id tantùm quod ratione differant; sed ob eam causam præcipuè, quòd distinctio rationis inter extrema diuersō modo significata, defectum aliquem parit logicalem in consequentia. Quām interpretationem sequitur Ripa.

Aliam mihi valdè probabilem interpretationē adiungit Iauellus, quem sequitur Torres, dicēs per eadem re & ratione D. Thom. intelligere illa, quæ sunt idem re & non habent diuersas & oppositas rationes formales, quarum vna excludat aliam; diuersa verò ratione ea esse, quæ rationes habent formales oppositas, quarum altera excludit alteram, vt actio & passio, paternitas & filiatio sunt hoc modo ratione diuersa; quia rationes habent oppositas se inuicem excludentes: potentia verò & actio non sunt hoc modo ratione distincta, sed eædem; Et similiter animal & rationale & risibile. Quam expositionem sequuntur Zum. & Ripa. *Sed prædictam glossam*, cum dictis expositoribus, reijciunt communiter extranei S. D. interpretes, videlicet Mol. Val. Vasq. *cap. 1.* Suar. *lib. 4. c. 3.* & Albert. *principio 7.*

Tertiam expositionem adhibet Ferrar. *in 2. contra gentiles c. 9.* dicens aliqua distingui ratione dupliciter; Vno modo ex solo opere intellectus, de vna & eadem re diuersas conceptiones formātis: quemadmodum distinguitur sapientia diuina ab essentia; Nam si conciperetur essentia prout in se est, in eius conceptu clauderetur ratio sapientiæ, & cæterorum attributorum, vt sæpè diximus: Alio modo distinguuntur aliqua ratione ex parte ipsarū rerū, quę ex sui natura sibi vēdicant, vt si concipiantur, prout in se ipsis sunt, diuersis conceptionibus concipiantur, quales res sunt actio & motus; nam actio ex sui natura postulat, vt concipiatur cū respectu ad agens; motus autem sicut in sui ratione non claudit talem respectum, ita nec eius apprehensionem in sui conceptione requirit. Cum itaque docet S. Th. principium illud non tenere in ijs, quæ à tertio ratione distinguuntur, loquitur (inquit Ferrar.) de distinctione rationis prouenīente ex parte ipsarum rerum; quia si proueniret tantùm ex parte intellectus, tunc vnio realis in tertio faceret identitatem realem extremorum, non obstante distinctione rationis extremorum in tertio vt patet de principio & fine, vt dicuntur de pūcto in linea. Sic autem (inquit) est in re proposita. Nam etsi potentia & actio non distinguantur ratione, nisi primo modo ab essentia diuina; paternitas tamen & filiatio distinguuntur secundo modo ratione; quia paternitas vt relatio est, nō esset de ratione deitatis, etiamsi secundū quod in se est cōciperetur; quia in ratione deitatis includitur tantum ratio cuiuslibet perfectionis: relatio autem, vt superius ostendimus, quatenus relatio est, non dicit aliquam perfectionem, sed tantum ad aliquid. Et ideò quòd distinguatur ratione ab essentia, non est tantum ex parte intellectus, sed etiam ex natura ipsius rei; propter quòd non oportet paternitatem & filiationem esse inter se realiter eadem, quamuis realiter sint idem essentiæ: Quam sententiam quia distinctionem ex natura rei videtur statuere cū Scoto inter essentiam & relationes, reijciunt omnes S. D. interpretes.

Denique Sylu. super articulo præcedente hunc existimat esse glossæ S. Th. sensum. Quæcunque sunt eadem vni tertio re & ratione, ita scilicet vt ratio vnius sit ratio alterius, vel includatur in eius ratione, vt homo & animal Socrati, illa sunt idem inter se; quem sensum elicere sibi videtur ex ipsomet S. D. *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1.* vbi ait: *Cū dicitur, quòd alia est ratio paternitatis, & essentiæ in diuinis: non accipitur ratio secundum quòd est in ratiocināte tantum, sed secundum quòd est nomen intentionis, & significat diffinitionem rei; quamuis enim in diuinis non possit esse diffinitio; si tamen intelligatur ibi aliquid diffiniri, alia erit diffinitio paternitatis, & alia essentiæ.* Hæc D. Th. Hanc expositionem tangit Ban. & duobus argumentis impugnat.

Defensio glossæ prædictæ, & expositionū eius.

Et quoniam prædicta glossa D. Th. cum relatis omnibus, & singulis explicationibus verissima est; idcircò diligenter inuestigandæ sunt radices ac fundamenta, quibus veritas eius innititur, & ab aduersariorum calumnijs tuta cōsistit.

Considerandum est igitur primò ex D. Tho. *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2.* nihil in rebus creatis inueniri posse, quòd in hoc assimiletur diuinis personis & essentiæ, vt quemadmodum diuinæ personæ realem habent identitatem cum essentia, & tamen ex reali oppositione realiter inter se distinguuntur; ita sint aliquæ res creatæ quæ realiter identificentur in tertio, & realiter inter se distinguantur; quia in nulla re creata inuenitur aliquid simile diuinæ simplicitati, quæ omnia in ea existentia sibi identificat, nec eorum proprias rationes destruit; & consequenter cum de ratione relationis realis sit oppositio & distinctio realis, diuinæ relationes sic erūt eædē cum essentia, vt inter se realiter distinguantur: Similia enim omnia quæ possunt adduci de punctis vel de differentijs existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine quā de similitudine: & ideò magis abducūt à veritate, quā verum intellectū inducant inquit S. Th. In hoc autē dissimiles esse videntur res omnes creatæ à diuinę Trinitatis &

Vnitatis mysterio; quòd extrema quæ in rebus creatis idem sunt cum tertio realiter, non sunt res quædam secundum se, siuè vt alij dicunt realitates; sed vnius rei siuè realitatis formalitates aut modi. Nam gradus Metaphysici, vt ratio substantiæ, corporis viuentis, animalis & rationalis in homine, non sunt res multæ secundum se, siuè realitates, sed vnius completæ rei distinctæ rationes formales; sicut etiam in motu actio & passio non sunt duæ realitates, sed duæ tantũ rationes formales eidem motui diuerso modo sumpto congruentes. Et similiter in qualibet re secundum quosdam existentia & subsistentia nõ sunt duæ realitates à re distinctæ, sed duo tantũ modi à re existente, ac proinde etiam inter se formaliter distincti tantum siuè modaliter; nam realis identificatio duorum extremorum cum tertio, sicut non destruit eorum rationes formales, ita nec tollit formalem eorum oppositionẽ, & consequẽter nec eorum formalem distinctionem. Quòd autem prædicta realitates non sint, ex eo patet quòd alia indigent realitate, cui non solum insunt, verùm etiam identificantur; non ob illius rei simplicitatem vel summam actualitatem aut infinitatem, sed ex imperfectione propria; quia nimirum ad essentiale vnius perfectæ rei complementum sic ab ipsa natura destinantur, vt eadem sint cum ea realitas & vnam integrent quidditatem, nec peculiarem habeant existentiam aut subsistentiam: relationes autem diuinæ realitates quædam sunt oppositionem realem habentes adinuicem, & reales distinctas realiter subsistentias. *Ex dictis sequitur* principiũ illud: Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem, sic accipiendũ esse, vt quæcunque vni & eidem sunt eadẽ re & ratione formali, sint etiam eadem re & ratione formali inter se; quæ verò eadem quidem re sunt vni & eidem, sed ab eo formaliter differunt, non sint eadem inter se, sed distinguantur aut realiter si realis est extremorum oppositio, vt in diuinis relationibus, aut saltem formaliter si tantum formaliter opponantur, vt actio & passio; Vnde Arist. *in 3. Phys.* & S. Thom. *hic in resp. ad 1.* ex hoc, quod actio & passio ratione formali distinguuntur à motu, cui realiter identificantur, non infert realem eorum distinctionem abinuicem, sed tantùm eorum distinctionem absolutè, quæcũque sit illa; cuius distinctionis modus ex natura & oppositione extremorum est colligendus; in rebus enim creatis (vt ante diximus) realis esse non potest; & ideò S. D. admonuit exempla ex eis desumpta magis abducere, quàm docere.

Secundò sciendum est dictum principium non esse regulatiuum artis syllogisticæ, vt benè aduertit Mol. *super hoc a. disp. 3.* non enim postulat ars syllogistica formalem aut realem identitatẽ extremorum cum medio, vt patet cũ dico: Omnis homo est quantus aut risibilis; Quæ autẽ sint regulæ syllogismi, & præsertim expositorij, docent Arist. *in primo priorum*, & Dialectici ac Recentiores *super hoc art.*

Tertiò recolenda sunt ea, quæ supra notauimus *in prima cont. præced. art. concl. 6.* vbi declarauimus mentem Ferrarien sis circa distinctionem relationum diuinarum ab essentia, quam esse maiorem ostendimus ea, quæ est inter attributa diuina & essentiam; eo quod fundatur in oppositione & distinctione reali relatiua, quàm habẽt relationes adinuicem.

Affertur ex D. Thoma, Capreolo,

EXPONITVR SECVNDO prædictum principium à D. Th. *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2.* & Capreolo *in 1. dist. 2. q. 3. a. 1.* & Cai. Sylu. & Iauel. *super hoc a.* vt hunc reddat sensum: Quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, secũdùm quòd identificantur medio, seu quo ad rationem identificationis in medio: quam glossam esse Arist. menti conformem affirmat Cai. Itaque eadem medio necesse est inter se tantùm identificari secundùm id, quod est ratio identificationis eorum in medio, non autem secundũ id in quo non identificantur medio, siuè quod non est ratio identificationis eorum in medio; Quæ consideratio multa diluit argumentorum sophismata in ijs contingentia, quæ vna aliqua ratione vnita sunt, alia verò distincta. Eandem glossam adducit Scotus *in 1. dist. 2. q. 7.*

Cajetano & alijs secũda glossa, & defenditur à recentiorũ calumnijs.

Ad cuius interpretationis euidentiam aduerte, quod licet in syllogismis nõ colligamus expressè maius extremum esse idem cum minori, illa eadem entitate præcisè, qua sunt idem ambo cũ medio, sed absolutè tãtùm inferamus maius extremum conuenire minori, propter connexionem vtriusque cum medio significatam in præmissis: nihilominus intelligenda semper est conclusio secundum eam veritatem & sensum, secũdùm quem ex præmissis infertur, si præmissæ sint veræ & propriæ causæ cõclusionis; alioquin esset aliquid in effectu quod nõ depẽderet à causa; constat autem eius vnionis qua inter se copulantur extrema, oportere aliquam esse rationem & propriam causam; igitur non erit nec inferetur alia vnitas extremorum inter se, quam sit ea quam habent in medio. Quamuis igitur inferatur eorum vnitas absolutè, intelligenda tamen est formaliter, vt infertur ex vi præmissarum. Quamobrẽ ex ipsa vi discursus syllogistici colligitur quasi à priori vnitatis illius intelligẽtia, quam absolutè significat illata conclusio; semper enim accipienda est cum limitatione prædicta, prout scilicet infertur ex præmissis. Nec tamen eadem est conclusio cum præmissis, vt calumniantur Mol. & Suar. quoniam aliud est A & B. esse idem cum C. quod assumitur in præmissis; & aliud est A & B. esse idem inter se secundum id in quo vniuntur scilicet in C. quod infertur in conclusione; Neque sit sensus: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem illi tertio, vt confingit Valentia; Nam licet illa ratio sit quoddam tertium, non tamen esse idem secundum illam rationem inter se, est formaliter esse idem illi tertio, sed esse idem inter se secundum illud tertiũ; nam illud tertium habet rationem quo, extrema verò habent rationem quod; sunt enim ea quæ sunt eadem, dum vnum est & dicitur idem alteri. *Secundam hanc* glossam impugnant communiter recentiores scilicet Ban. Mol. Val. Vasq. Suar. & Alber. *in suis correlarijs*, quorum argumenta suo loco proponemus & soluemus.

Soluuntur obiecta Mol. Suar. & Vasq.

TERTIAM *eiusdem principij* glossam affert Capr. *loco supra nominato* dicẽs principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè. Vel (& in idem redit) tenet in ijs, quæ sunt eadem vni tertio, & cuicunque quod est idem cum illo tertio. In quo sensu veritatem habet tàm in creaturis; quàm in diuinis; nam diuinæ perfectiones idem sunt adæquatè cum essentia, & ideò sibi inuicem sunt eædem à parte rei; diuinæ verò relationes quamuis sint vnum in essentia, nulla tamen earum adæquat essentiam; non enim paternitas est omne id, quod est essentia; cũ essentia sit ea res, quæ est filiatio, paternitas verò sit realiter à filiatione distincta. *Hunc dicendi modũ impugnat* Vasq. Suar. & Albertinus. Vbi aduerte identitatem illam extremorum inter se, de qua loquitur prædictũ principium, nõ esse

Referuntur & explicãtur aliæ quinq; glossæ eiusdem principij.

esse realem aut formalem præcisè, sed absolutè intelligendam esse, ita vt quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, sint eadé absolutè inter se, adeò vt simpliciter dici possit illa vnum & idem esse. Et consonat hic sensus literæ & menti ipsius Aristot. *in 3. Physic.* Nam quia actio non ita identificatur motui, vt sit illud omne, quod est motus, ideò actio non est passio, quamuis & passio sit eadem motui.

A

Qvarta *glossa est* Capr. *loco superius allegato*, & Dur. *in 1. dist. 33. q. 1.* vbi aiunt principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio singulari & incommunicabili, quam expositionem sequuntur Ban. Zum. & Mol. in quo sensu verum est principiū illud vniuersaliter de quauis identitate tàm reali quàm formali, tàm in rebus creatis quàm increatis; & videtur hæc glossa in proximè præcedenti fundari, immò & eadem esse; nam duo incommunicabilia, quæ sunt eadé in aliquo tertio communicabili, ideò non sunt eadem inter se; quia neutrum illorum idem est adæquatè cum illo, quod est vtrique commune; nam Petrus & Paulus idem sunt realiter cum homine vtrique communi, non tamen inter se sunt idem, quia neuter eorum idem est adæquatè cū homine vtrique communi. Et quia relationes diuinæ, vt paternitas & filiatio sunt idem cum essentia diuina, singulari quidem, sed illis ac pluribus relationibus ac personis communicabili; idcircò non habent identitatem inter se. Videndus est Molina *super hoc art. disp. 2.*

B

C

Qvinta *glossa est* Val. dicentis principium illud intelligendum esse, quando tertium ex sui ratione habet tantummodo, vt sit re vnum; Si autem ex sui ratione non solùm habeat, vt sit re vnum sed etiam vt sit re plura: non potest esse verum illud principium de tali tertio; Nam inferre ex identitate extremorū in tali tertio quòd illa inter se extrema non sint re distincta, esset perimere naturam talis tertij Et quoniam diuina essentia talis res est, quæ in sui ratione includit etiam relationes distinctas realiter; nihil (inquit) officit argumentum ex illa maxima petitum. Sed hęc glossa non differt à duabus vltimis; Nam quæ tali tertio scilicet ex propria ratione habenti tantùm vt sit re vnum, sunt eadem, sunt etiam eadem adæquatè quo ad realitatem: & illud cui sunt eadem, est singulare & incommunicabile; nam si re vnum est & non plura, hoc ipso singulare est & incommunicabile.

D

Sexta *glossa est* eiusdem expositoris dicentis distinguendum esse illud principium; nam si intelligatur vniuersaliter de omni omninò tertio etiam infinito, quale diuina essentia est, falsum est; si autem intelligatur de omni tertio, quod duntaxat habet, vt sit re vnum, cuiusmodi sunt res omnes creatæ, verum est. Sed tunc (inquit) non potest ex illo principio colligi proprietates personales esse re idē inter se, eo quod sint idem re cum tertio, quod est essentia diuina; quoniam essentia diuina est tertium alterius rationis. Eandem sententiā sequitur Vasq. & Suar. *Hunc dicendi modum* impugnat Albertinus; quia non affert propriam causam distinctionis eorum extremorum, quæ identificantur in tertio & distinguuntur inter se; sed causam tantum significat identitatis eorum in tertio: Nam ex infinitate diuinæ essentiæ, vt ex propria causa, prouenit, quòd sit eadem cū duabus relationib' oppositis: non tamen eadé infinitas in causa est, vt relationes eidē identificatę realiter distinguantur inter se; sed propria distinctionis causa est; quia relationes diuinæ, puta paternitas & filiatio sunt realitates ex natura sua oppositæ adinuicē; identificatio autē non tollit oppositionē, vt docet Arist. *3. Phys.* de actione & passione, quæ secundū rationē sunt oppositæ. Vnde si per impossibile (inquit) actio & passio essent duæ realitates oppositæ & identificarentur cū motu: sequeretur eas ex natura sua distingui. *Verū existimo* propriā causam vnitatis diuinarum relationum cum essētia, & distinctionis earum realis inter se ex eiusdem essentiæ diuinæ infinitate prouenire. Nam sicut essentiæ diuinæ, ob eius infinitatem identificantur extrema, nō quæcunq; sed talia quæ ex propria ratione sunt realiter opposita & realiter abinuicem distincta: ita ex infinitate diuinæ essentiæ prouenit, vt eadem extrema sint idem realiter cum essentia, & vt proprias rationes & officia retineant, quæ sunt referri, opponi & distingui; Immò ex hoc ipso, quod talia extrema & eorū proprias rationes sibi identificat, consequens fit vt sit etiam propria ratio distinctionis eorum; non enim prouenit distinctio, nisi ex ipsorum extremorum natura. Cum igitur cōueniat vtriusq; extremi natura in vnā & eandem medij naturā ob eius infinitatē, sequitur vt ex natura medij infinita, vt infinita est, sit inter extrema non solùm identitas in ipso medio, sed eorum etiam inter se distinctio. Necesse est igitur, vt sicut identitas taliū extremorum in medio, quæ scilicet sint oppositæ realitates, ex sola medij infinitate procedit; cū in nulla re creata taliū identitas in vno tertio possit inueniri; sic ex eadem medij infinitate, pueniat, vt cū reali in ipso medio idētitate, realiter inter se distinguantur extrema.

E

Septima *glossa est*, principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio & non opponuntur adinuicem maiori oppositione, quàm cum tertio; Quæ videtur eadem esse cum prima, in eo sensu, quem Turrianus expressit. Hanc ponit & minimè reprobat Suar.

Ex dictis sequitur hæc vniuersalis Concl. videlicet: *Omnes prædictæ septem glossæ sunt probabiles, præsertim in materia SS. Trinitatis.* *Conclusio.*

Contra *primam* glossam, & primam eius intelligentiam, argumentatur Mol. Si S. Thom. glossat dictam propositionem de solis synonimis, destruit omnes syllogismos expositorios, qui ex dicto principio vim accipiunt: Ergò ea non est legitima glossa. Probatur consequentia; Nam qui in terminis synonimis conficiuntur, probatiui non essent, sed in eis peteretur principium: qui verò in alijs terminis conficerentur, non haberent legitimam consequentiam, secundum hanc glossam D. Th. quæ requirit terminos synonimos. Idem argumentum tangit Vasq. *Resp.* primò, quòd quamuis S. Tho. proferat exemplum de synonimis, non tamen loquitur de solis synonimis, sed vniuersaliter de ijs, quæ sunt eadem formaliter, id est quæ non habent rationes formales oppositas se se mutuò excludentes, licet alia ratione formaliter sint distincta; sicut animal, risibile & homo distincta sunt formaliter, sed non eo modo, vt scilicet habeant rationes formales oppositas. Secundò respondetur cum D. Th. *in cap. de fallacia petitionis principij*, quòd in syllogismo duo sunt scilicet vis illatiua & probatio; quæ probatio debet esse per ea, quæ notiora sunt eo, quod probatur; fallacia petitionis principij peccat non cōtra vim illatiuā, sed contra probationē, vt ibidē ait S. D. In hac responsione S. Th. considerat solā vim illatiuā, & hoc solū videtur intendere, quòd considerata vi illatiua syllogismi, illa propositio semper tenet in ijs, quæ sunt synonima, nō autem semper

Cont. 1. glossam obi. prima.

Sol.

in alijs; quoniam, vt ait S. D. *in c. de fallacia accidentis*; quædam sunt, quæ omninò sunt eadem secundum substantiæ rationem, vt vestis & indumentum: & in ijs est solum per se, & nullo modo per accidens; quia scilicet in illis non potest interuenire fallacia accidentis, sicut in ijs, quæ sunt eadem re, distinguuntur autem ratione. Hanc autem responsionem esse ad mentem D. Thomę ex eo patet, quod sola vis illatiua facit ad rem præsentem, de qua loquimur: nam secundum illam procedit argumentum. Et præterea constat in potissima demonstratione committi petitionem principij, vt ibidem notat S. Th. & Cai. *in primo Posteriorum.*

Obi. 2. *Secundò* contra eandem glossam & expositionem argumentatur Valentia. Quamuis sola distinctio rationis extremorum à medio impediat, quominus extrema sint inter se idem secundum suam rationem formalem, non tamen impedit, quominus vt sunt eadem cum tertio, sint eadem inter se, vt patet (inquit) in exemplo de actione & passione. Nam licet actio & passio non sint idē secundum rationem formalem, sunt tamen realiter idem inter se, ex hoc ipso quod affirmantur esse realiter idem cum tertio .s. motu. Igitur nō est illa glossa sufficiens ad propositum nostrum; Nam filiatio & paternitas non tantum ratione, sed realiter etiam distinguuntur, sed tamen sunt idem re cum tertio .s. essentia diuina. Eodē argumento vtitur Vasq. *Resp.* D. Th. per eam glossam hoc solùm intendere, nimirum ex identitate extremorum cum tertio, non inferri necessariò eorum identitatem inter se, sed cum illa idētitate quam habent in tertio, stare inter extrema distinctionem absolutè, adeò vt simpliciter possint dici distincta, vt actio & passio quæ in exemplum proferuntur in textu; & quandoq; etiam cum eadē vnitate extremorum in tertio distinctionem eorum abinuicem esse realem, vt in re proposita de relationibus diuinis oppositis, quę identitatem habent realem cum essentia, & distinctionem realem abinuicem relatiuam. Tunc verò solùm cum vnitate reali, quam habent duo extrema in vno tertio, possunt abinuicem absolutè vel etiam realiter esse distincta, quando ratione in re fundamentum habente ab illo tertio, cui sunt realiter eadem, distinguuntur; non autē intendit aut significat S. D. distinctionem illam rationis esse sufficientem & vniuersalem causam, vt ea posita inter quodcunq; medium & extrema eidem identificata, distinctionē efficiat realem inter ea, sed iuxta subiectam materiā & rei naturam, distinctio consequitur extremorum: quandoque realis vt in diuinis propter realem relatiuam oppositionem; quandoq; formalis actualis, siue ex natura rei, vt inter actionē & passionem: quandoque verò rationis tantum, vt inter animal & rationale, quæ identificātur in homine, & inter gradus Metaphys. in vna quauis natura conuenientes, & ab ea ratione distinctos. Et per hæc soluuntur etiam quædam obiecta Vasq.

Sol. A tum vult, nimirum identitatē duorum extremorum in tertiō, cū distinctione rationis ab illo, nō semper efficere realem vnitatē inter illa; sicut etiam distinctio rationis nō semper inducit realē distinctionem inter illa, sed tunc solùm quando distinctio illa rationis à tertio fuerit in illorum oppositione reali fundata, quæ secū fert semper distinctionem extremorum realem. Quam expositionem tangit Ferr. *in dicto c.* contra quam non militant argumenta Vasq. Suar. & Alb. sed contra alium sensum ab eo non intentum. Ex dictis etiam patet mens Arist. *in 1. Topicorum cap. 1. loco 4.* quem adducunt Vasq. & Alb.

Obi. 4. *Quartò* contra eandem glossam prout exponitur à Turr. de ijs, quæ sunt eadem vni tertio re & ratione in eo sensu, vt scilicet nō habeant op-
B positas rationes, argumentatur Mol. *Primò*: Quia hęc glossa sic expositā plus iusto arctat principiū illud; quod esto plus longè extendatur, euidēs est in lumine naturali. Solut. *Resp.* per glossam illam nō arctari principium illud, sed materiam tantùm firmæ veritatis illius indicari: non enim negat S. D. in quibusdam etiam ratione distinctis posse dictum principium locum habere veritatis.

Ob. 5. in oppo. diu. *Secundò*: Quoniam ex dicta glossa ars syllogistica, quæ dicto inhæret principio, magna ex parte eneruatur, & in rebus creatis nulla afferri potest instantia, qua ostendas quę sunt re eadem vni tertio singulari, non esse eadem inter se, &
C quæ sunt eadem ratione formali vni tertio, non esse eadem formaliter inter se. Solut. *Resp.* S. Tho. per illam glossam sic expositam, noluisse nec debuisse per quamuis aliam interpretationem totam illam materiam complecti, ad quam verè possit extendi prædictum principium; sed mens eius præcipuè fuit argumento contra realem adinuicem distinctionem relationum diuinarum satisfacere; Et ideò glossam adhibuit tali materię maximè congruentem, in qua certum est extrema realiter idem esse cum medio, & ratione tantùm in reali adinuicem oppositione fundata ab eo distincta. Nec debuit A. D. ad res creatas descendendo, sensum prędicti principij latissimum indicare; hoc enim esset metas transcēdere, & proprijs extrancis & minimè ad rem propositam pertinentia commiscere: glossam itaque supernaturali materiæ accommodatā prudenter adhibuit. Quare frustra laborat Mol. demonstrando principium illud, quæ sunt eadem vni tertio, &c. in vniuersum esse verum in rebus creatis.

Obi. 6. *Contra postremam* expositionem primæ glossæ argumentatur Bannes. *Primò* S. Tho. in ijs, quæ sunt eadem re & ratione, posuit exemplū de tunica & indumento; Ergo per rationem intellexit conceptum mentis, Ergo &c. Solut. *Resp.* nullam esse conseq. quoniam exempla ponuntur, vt addiscentes intelligant; nec requiritur in eis perfecta & in omnibus similitudo, sed ea sufficit quæ rem propositam manifestet. Tenet igitur exem-
E plum vestis & indumenti, quo ad identitatē secundum rationē, quæ perfectissima est in synonimis; non tenet autem quo ad modum talis idētitatis; Nam vestis & indumentum sunt idem etiam secundum rationem, vt dicit conceptū mentis, id est secundū rationem ratiocinantem; glossa verò D. Th. non arctatur ad hunc solum modū identitatis secundum rationem, sed illum etiam & præcipuè complectitur, qui est secundum rationem, id est diffinitionem significantem rei quidditatem.

Obi. 3. *Tertiò* contra eandem glossam argumentatur Vasq. S. Th. *in 2. contra gent. c. 9.* probat potentiam Dei & eius operationem esse idem secundū rem, eo quod sunt idem cum essentia: atqui operatio Dei & potentia eius ratione differunt, & synonima non sunt: Ergo &c. Eodem argumento vtitur Suar Solut. *Resp.* primò nullam esse conseq. quia S. Th. hic non affirmat distinctionem rationis extremorum à tertiò in qualibet re causare distinctionem inter ipsa realem, aut impedire eorum inter se realē vnitatem; sed hoc tan-

Obi. 7. *Secundò.* Diffinitio motus includitur in diffinitione actionis, de qua loquebatur Arist. & similiter in diffinitione passionis; & tamen actio

& pas-

Sol. & passio non sunt idem inter se. *Resp.* expositionem illam vltimam, quæ est Sylu. *in 2. p.* si sustinenda est, intelligendam esse aut de ijs, quæ scilicet nullum connotant respectum ad extrinsecum & de absolutis, aut de sola identitate reali, qualem habent etiam actio & passio inter se, &c. Vel dicas Sylu. loqui de rationibus extremorum adinuicem comparatis, prout vniuntur in tertio.

Obi. 1. cont. 2. gloss. CONTRA *secundam* glossam argum. Mol. *Primo*: In syllogismis non colligimus maius extremum esse idem cum minori, illa eadem identitate præcisè, qua sunt idem cum medio: sed absolutè maius extremum conuenire aut non conuenire minori extremo, propter connexionem, quam vtrumque habet cum medio in præmissis. Ergò &c. *Resp.* vt ante diximus, conclusionem semper intelligendam esse secundum eã veritatem, & sensum secundum quem infertur ex præmissis, si præmissæ sint propriæ causæ cõclusionis; aliàs aliquid esset in effectu, quod non dependeret ex causa &c. Vide supranotata pro explicatione & defensione prædictæ glossæ, ex quibus etiã patet responsio ad alia duo argumenta eiusdem authoris.

Sol.

Obi. 2. *Contra eandem* concl. argum. Val. *Primò*: Quia secundum hanc expositionem, idem est ac si diceremus: Quæ sunt eadem tertio sunt eadem illi tertio, illa enim ratio est quoddam tertium. *Resp.* etsi ratio illa sit quoddam tertium, esse tamen secundum illam rationem inter se idem, non est formaliter esse idem illi tertio, sed esse idem inter se secundum illud tertiũ, ita vt illud tertium habeat rationem quo, extrema verò rationem quod; sunt enim ea quæ sunt eadem.

Solut.

Obi. 3. *Secundò*: Secundum illam glossam sic poterit quis argumentari; Quæ sunt eadem vni tertio quo ad id, in quo sunt eadem illi tertio, sunt eadem inter se; sed paternitas & filiatio quo ad suã realitatem sunt eadem vni tertio scilicet essentię: Ergò sunt eadem realiter inter se. Et potest *confirmari* argumentum ex supradictis *in prima contr.* quoniam ratio formalis relationum includitur in ratione formali essentiæ, & è contra. Et hæc est ratio Ban. contra Cai. *Resp.* hoc argumẽto non cõcludi, nisi paternitatem & filiationem inter se idem esse quo ad id, quod est ratio identificationis eorum in tertio, quod est essentia, nó autem relatio, licet ipsa sit eadem essentiæ. *Ad confirm.* dicitur, quòd licet essentia & relatio in diuinis sint vnius rationis formalis formaliter à parte rei, differunt tamen virtualiter siue fundamentaliter: quo fit, vt illa vna & eadem res simplicissima & infinita, quatenus fundat rationem essentiæ communicabilis, sit ratio identificationis; vt autem fundat rationem paternitatis & filiationis & rei constituibilis in esse personali incommunicabili, sit ratio oppositionis & distinctionis. Et ex his patet, quomodo possit sustineri glossa Capr. contra Val. sic enim est intelligenda, vt quæ sunt eadem vni tertio sint eadem inter se, vel sint eadem alicui quod vtrique extremorum identificatur, id est secundum eam rationem, qua vtriq; extremorum identificatur; sic enim erit differens conclusio à præmissis. Secundo patet etiam ex dictis solutio argumentorum Vasq. Suar. & Albert. aduersus prædictam glossam; coincidunt enim cum prædictis.

Conf.

Solut.

Ad Conf.

Ob. cont. 3. gloss. CONTRA *tertiam glossam* argumentatur Vas. Si vera esset hæc glossa, principium illud solum haberet locum in diffinitione & difinito, & in ijs quæ synonima sunt; Igitur in creatis non reerè inferemus actionem & passionem esse idem realiter inter se; quia sunt idem realiter vni motui. *Resp.* primò hoc argumentum idem ferè esse cum secundo argumento superius relato contra primam glossam, & eodem modo soluendum esse. Secundò dico nullam esse secundam consequentiam: nam glossa non affirmat, in illis dumtaxat verum esse principium illud quæ sunt eadem adæquate vni tertio, sed in his certissimum ac verissimum esse: in alijs autem posse habere falsitatem, vt patet in diuinis. Nec debuit Capr. aut D. Th. explicare sensum illum prædicti principij, quo ad vniuersa creata potest extendi, aut quo potest esse regula syllogismorũ, vt existimat Vasq. Et per hæc patet responsio ad argumentum simile Albertini & Suar. Quod autem ait. Suar. nullam talem inadæquatam identitatem in rebus creatis inueniri, manifestè falsum est; nam actio eadem est inadæquatè motui & similiter passio: licet ex tali inadæquatione non sequatur realis distinctio. Sed nec etiam hoc intendit aut significat glossa prædicta.

Sol.

CONTRA *sextam* glossam est argumentum Albertini, quod in expositione prædictæ glossæ propositum est & solutum. Videndus est Molina *disp. 3.* vbi tradit modum discernendi sophismata à veris syllogismis in terminis diuinis; & Albertinus *in dicto 7. principio, puncto 3.* vbi disserit de vsu prædicti principij in materia syllogismorum. Et Vasq. *c. 3* & Suar. *lib. 4. c. 3. in fine.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd in Deo non sint tantum quatuor relationes reales scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio. Est enim considerare in Deo relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum. Quæ videntur esse relationes reales, neque sub prædictis continentur. Non ergo sunt solum quatuor relationes reales in Deo.* 168. *Infra q 30. a. 1. cor. Et a. 2 corp. & ad 1.*

2 Præterea. Relationes reales accipiuntur in Deo secundum processionem intelligibilem verbi. Sed relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, vt Anic. dicit. Ergo in Deo sunt infinitæ relationes reales.

*3 Præterea. Ideæ sunt in Deo ab æterno, vt supra dictum est, † non autem distinguuntur abinuicem, nisi secundum respectum ad res, vt supra dictum est: * ergò in Deo sunt multò plures relationes æternæ.* † *q. 15. a 2.* * *q 15 a. 2*

4 Præterea. Æqualitas, & similitudo, & identitas sunt relationes quædam, & sunt in Deo ab æterno. Ergo plures relationes sunt ab æterno in Deo, quã quæ dictæ sunt.

*Sed contra. Videtur, quòd sint pauciores; quia secundum Philosophum in 3. Phys. * Eadem via est de Athenis ad Thebas, & de Thebis ad Athenas. Ergo videtur, quòd pari ratione eadem sit relatio de patre ad filium, quæ dicitur paternitas: & de filio ad Patrem, quæ dicitur filiatio. Et sic non sunt quatuor relationes in Deo.* * *Li 3. Phys. tex. 21. to. 2.*

*Respondeo. Dicendum, quod secundum Philosophũ in quinto Metaph. † Relatio omnis fundatur, vel supra quantitatem, vt duplum, & dimidium: vel supra actionem, & passionem, vt faciens & factum, pater & filius, dominus, & seruus, & huiusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo: est enim sine quantitate magnus, vt dicit Augustꝰ. * Relinquitur ergo, quòd realis relatio in Deo esse non possit, nisi super a-* † *Li 5. Meta. text. 20. to. 3.* *D. 1080. Li 1. de Tri*

c. 1. circa fi. & li. 6. c. 7. circa prin. tomo 3. D. 1089. †q. 13 ar. 7. D. 555.

ctionem fundata, non autem super actiones, secundū quas procedit aliquid extrinsecum à Deo: quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, vt supra dictum est. † Vnde relinquitur, quòd relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo intra, sed non extra. Huiusmodi autem processiones sunt

q. 17. art. 3. præcipuè.

duæ tantum, vt supra dictum est. * Quarum vna accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio verbi: alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij. Processio autem verbi dicitur generatio secundum propriam ra-

B

tionem, quæ competit rebus viuentibus. Relatio autem principij generationis in viuentibus perfectis, dicitur paternitas. Relatio verò procedentis à principio dicitur filiatio. Processio verò amoris non habet nomē

†q. 27. a 4.

proprium, vt supra dictum est. † Vnde neq; relationes, quæ secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principij huius processionis, spiratio: relatio autem procedentis, processio: quamuis hæc duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, & non ad relationes.

Ad primum ergo dicendum, quod in his, in quibus dicitur intellectus, & intellectum, volens, & volitum, potest esse realis relatio, & scientiæ ad rem scitam,

C

& volentis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omnino intellectus, & intellectum: e quia intelligendo se intelligit omnia alia, & eadem ratione voluntas, & volitum. Vnde in Deo huiusmodi relationes nō sunt reales, sicut neque relatio eiusdem ad idē. Sed tamen relatio ad verbum est realis; quia verbum, intelligitur, vt procedentis per actionem intelligibilem, non autem vt res intellecta: Cùm enim intelligimus lapidem, id quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.

81. 83. d 165.

Ad Secundum dicendum, quòd in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur, quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio d actu intelligit se

D. 720. 41. 32. b 438.

intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere: & sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, e & per consequens relationes intellectæ. Sed hoc in Deo non habet locum, quia vno actu tantum omnia intelligit.

D

Ad Tertium dicendum, quòd respectus ideales sunt intellecti à Deo. e Vnde ex eorum pluralitate non sequitur, quòd sint plures relationes in Deo: sed quòd Deus cognoscat plures relationes.

d 97.

Ad Quartum dicendum, quòd æqualitas, & similitudo in Deo nō sunt relationes reales, sed rationis tantum, vt infra patebit.

q. 42. art. 3. ad 4.

Ad Quintum dicendum, quòd via est eadem ab vno termino ad alterum, & econuerso, sed tamen respectus sunt diuersi. e Vnde ex hoc non potest concludi, quòd

197. ae.

eadē sit relatio patris ad filium, & econuerso. Sed posset hoc concludi de aliquo absoluto, si esset medium in-

E

ter ea.

militant alia. *Secundum* est, hic nomine *spirationis* intelligendam esse spirationem actiuam; nā passiua spiratio nō distinguitur ab ea relatione quæ est processio.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *In Deo sunt tantum quatuor relationes reales.* Probatur. In Deo non potest esse relatio realis nisi fundata super actiones, secundum quas attenduntur processiones in diuinis ad intra, quæ processiones sunt duæ tantum; quarum vna accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio verbi; alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris; At secundum quamlibet processionem oportet accipere duas relationes, quarum vna sint procedentis à principio, & alia ipsius principij: Ergò sunt quatuor tantum relationes in Deo. Maior propositio duas habet præcipuas partes. Prior est: Non potest esse relatio realis in Deo, nisi fundata super actiones immanentes, secundum quas est processio in Deo. Probatur hæc pars distinguendo fundamenta relationum realium ex Arist. 5. *Metaph. cap. de ad aliquid.* Nam omnis relatio fundatur, vel super quantitatem vt duplum & dimidium, vel super actionem transeuntem & passionem, vt faciens & factum, dominus & seruus & huiusmodi &c. aut super actionem immanentem, vt relatio dicentis ad verbū & è contra; At relationes in Deo reales non possunt fundari super quantitatem; quia quantitas non est in Deo qui sine quantitate magnus est, vt inquit Augustinus; nec super actionem transeuntem; quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, vt supra dictum est *q. 13. art. 7.* Relinquitur ergò vt relationes reales in Deo esse non possint, nisi secundum actiones, secundū quas est processio in Deo ad intra, quæ sunt intelligere & velle. Posterior verò pars maioris relinquitur nota ex dictis *in quæstione præcedente.* Minor autem fert secum suam probationem in illis verbis. Quarum vna sit procedentis &c.

D

SECVNDA CONCL. *qua respondetur ad* secūdam partem quæsiti est. *Prædictæ quatuor relationes reales dicuntur paternitas, filiatio, spiratio & processio.* Probatur primò quo ad duas priores; Processio verbi in diuinis dicitur generatio secundum propriam rationem qua competit rebus viuentibus: At relatio principij generationis in viuentibus perfectis scilicet animalibus, dicitur paternitas, relatio verò procedentis à principio dicitur filiatio. Ergò &c. Deinde probatur conclusio quo ad reliquas duas relationes. Processio amoris non habet nomen proprium, vt supra dictum est; ergò neque relationes, quæ secundum ipsam accipiuntur, habent proprium nomen: Igitur inhærendo doctrinæ quæstionis

E

præcedentis art. 4. relatio principij huius processionis vocatur spiratio: relatio autem procedentis processio; quamuis hæc duo nomina ad ipsas processiones vel origines pertineant, & non ad relationes; quibus verbis occurrit S. D. obiectioni tacitæ.

Expositio Textus.

AD HVIVS litteræ intelligentiam quinq; sunt diligenter adnotanda. *Primum* est, S. Thomam *in hoc art.* loqui de relationibus realibus quibus res eiusdem ordinis aut etiam eiusdem naturę referuntur ad inuicem; hæ verò sunt & dicūtur relationes mutuæ, non solum formaliter sed etiam realiter; quia scilicet vterque rela-

Sensus quæsiti.

IN Hoc articulo differit S. D. de modo essendi diuinarum relationum, quo ad earum numerum. In cuius titulo aduerte duo. *Primum* est, duo in eo claudi quæsita; alterum primarium de numero diuinarum relationum: & alterum secundarium de nominibus earum. In primario verò duo continentur quæsita; duas enim habet exponentes propter dictionem excludiùam; vna est, an sint quatuor relationes? altera, an sint plures? Et contra priorem partem militat argumentum sed contra. Aduersus verò posteriorem

relationis terminus realem habet ordinem & respectum ad alterum; quamobrem S.D. hic non recensuit relatiua tertij modi apud Arist. *5. Metaph.* quæ sunt mensurę & mensurabilis; hęc enim non sunt inter res eiusdem ordinis, atque ideò non sunt mutua quo ad realitatem & ad rem propositam minimè pertinebant.

Secundum est, quod hic obseruat Caiet. ex D. Th. *de pot. Dei, q. 7. a. 9.* nimirum diuisionem illam fundamenti relationis realis quo ad quantitatem intelligendam esse sub disiunctione scilicet vel secundùm rem vel secundùm modum, id est, aut de quantitate prædicamentali, aut de re modum quantitatis habente, prout vnum in substãtia facit idem, & sic fundat relationem identitatis; & vnum in qualitate facit simile, & numerus siue multitudo diuersum in eisdem & dissimile, secundùm quod aliquid magis vel minus consideratur; sic enim vnum album altero dicitur albius, vt ibidem ait S. Th. Constat autem vnitatẽ & numerum ac multitudinem modos quosdam exprimere quantitatis. Et quamuis inueniatur in diuinis modus quantitatis: cùm sit in Deo vnitas essentiæ, & magnitudo, quæ nihil est aliud quàm perfectio naturæ ipsius, vt ait S. Th. *infra q. 42. a. 4.* quæ substantiæ vnitas & magnitudo relationẽ fundat similitudinis & æqualitatis inter personas in vna diuinitatis essentia subsistentes; quia tamen huiusmodi relationes in Deo non sunt reales, sed rationis tantum, vt probat S.D. *infra q. 42. a. 1. ad 4. & ibid.* Cai. & hic non erat locus agendi de æqualitate, & similitudine personarũ diuinarũ; idcircò satis fuit doctrinæ præsentis articuli relationem illam realem à diuinis excludere, quę materialem consequitur quantitatem; earum verò quæ ad vnitatem & magnitudinem diuinæ naturæ consequuntur, disputationem proprio loco reseruare, veritatem interim significando, vt hic apparet *in respons. ad 4.* Ex quo patet vanam esse censuram Molinæ de efficacia rationis D. Th.

Reijcitur cẽsura Molin.

Soluitur apparens contradictio D. Tho.

Tertium est, D. Th. hic docere prædictas quatuor relationes fundari in actionibus immanentibus: cuius oppositum videtur affirmare *in 1. dist. 26. q. 1. a. 1.* vbi docet eas fundari supra naturam diuinam. Soluitur autem siue conciliatur hæc apparens contradictio distinguendo considerationem naturæ & actionis diuinæ, quæ potest esse duplex: *Vno modo* sumendo diuinam naturam siue essentiam præcisè, & similiter actionem præcisè; & hoc modo neque essentia neque actiones fundamenta sunt relationum; Nam si sola esset essentia, quæ relationes fundaret, non possent abinuicem realiter esse distinctæ: si verò solæ sumantur actiones immanentes præcisa natura, nec processio verbi esset generatio personæ subsistentis, nec processio amoris esset spiratio personæ Spiritus sancti, ac proinde non essent illæ quatuor sed aliæ longè diuersæ relationes in Deo. *Alio itaque modo* possunt essentia diuina & actiones considerari, quatenus vnum est sub alio, scilicet essentia sub actione & passione; & hoc modo essentia prout est in Patre & ab eo communicatur Filio per generationẽ, fundat relationem paternitatis: & eadem prout est in Filio à Patre per generationem accepta, fundat relationem filiationis. Et eodem modo loquendum est de fundamento reliquarum duarum relationum, quod etiam significauit S. D. *in allegata distinctione* vbi sic loquitur. *Paternitas, & filiatio habent fundamentum in re scilicet naturam ipsam, quæ communicantur secundum communicationem naturæ.* Quibus verbis naturam sub actione significauit, quæ ratio propria & formalis est fundandi relationes prædictas, & ideò solam hic actionem expressit: quia formaliter loquebatur, vt etiam aduertit Capr. *in 1. dist. 31. q. 1. a. 2. Scoti contra 2. par. concl.* quem sequitur Iauellus *super hoc a.*

Quartum est, cùm ait S. D. ex qualibet processione consequi tantum duas relationes reales, quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij &c. intelligendum esse in subiecta materia diuinorum, de quibus loquimur. Deinde extendendo propositionem hãc ad omnem etiã processionem creatam verissima est per se, & immediatè loquendo; Nam cùm filius in humanis generatur à Patre, plures alię relationes reales emergunt præter paternitatem & filiationem, nimirum æqualitas aut inæqualitas, similitudo aut dissimilitudo, quæ sunt relationes reales; sed hæ relationes non per se ac immediatè cõsurgunt ex generatione vt generatio est, sed vt talis est; quia .s. est communicatio naturæ cum eius diuisione; habet enim humanitas in Socrate Patre, & in Platone filio realem distinctionem numeralem & esse diuersum: ex qua diuersitate cum vnitatis specificæ fundamento sequuntur relationes prędictæ & aliæ plures.

Quintum est, non omnes quatuor prædictas relationes distingui realiter abinuicem, sed tres earum tantum, videlicet paternitatem, filiationem & processionem; Spiratio verò quæ relatio est communis Patri & Filio, eadem est realiter cum relationibus paternitatis & filiationis. Nam in diuinis non est realis distinctio, nisi per oppositionem relatiuam; prædictæ verò tres relationes .s. paternitas, filiatio & processio realem habent oppositionem adinuicem; Spiratio verò nec paternitati opponitur neque filiationi; quamobrẽ nec ab eis realiter, sed ratione tantum distinguitur absolutè loquẽdo; alioquin non esset trinitas in diuinis, sed quaternitas. Verũ, quæ sit inter spirationẽ & prædictas duas relationes distinctio, latissimè disputabitur *inf. q. 32. a. 2.* Vide etiam, si placet, dubitationem hic propositam & solutam à Iauel. & aliam apud Zumel. Vide etiam D. Th. *in 1. dist. 29. q. 1. a. 3.*

Postremò aduerte relationem verbi ad dicentem, & è contra, relationem imaginis, & relationes distinctionis vnius personæ, vel relationis ab alia, non ponere in numerum cum prædictis, vt suis locis ostendetur. Vide, si placet, quæ scribit Suar. *lib. 5. de relat. diu. c. 2.*

QVAESTIO XXIX.

De personis diuinis, in quatuor articulos diuisa.

PRæmissis autem his, quæ de processionibus, & relationibus præcognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de personis.

Et primò secundum considerationem absolutam, & deinde secundùm comparatiuam considerationem. Oportet autem absolutè de personis, primò quidem in communi considerare, deinde de singulis personis.

Ad communem autem considerationem personarũ quatuor pertinere videntur: primò quidem significatio huius nominis persona. Secundò verò numerus personarum. Tertiò, ea quæ consequuntur numerum personarum, vel ei opponuntur, vt diuersitas, & similitudo, & huiusmodi. Quartò verò, ea quæ pertinent ad notitiam personarum.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primò, De diffinitione personæ.

Secundò, De comparatione personæ ad essentiam,

subsistentiam, & hypostasim.

Tertiò, vtrum nomen personæ competat in diuinis.

Quartò, Quid ibi significet.

Ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & articulorum eius inter se.

PERSONAE, vt infra dicemus, per relationes constituuntur & distinguuntur; Igitur post quæstionem de relationibus sequitur quęstio de personis. De quibus proponit S. Th. se tractaturum, primò quidem secundùm absolutam earum considerationem; deinde per comparationem ad essentiam, ad relationes, ad actus notionales & adinuicem. Sed absoluta consideratio personarum duplex est, vna in communi, & alia in particulari de singulis personis. Ad communem considerationem, inquit S. Tho. quatuor pertinent. Primò significatio huius nominis *persona*. Secundò numerus personarum. Tertiò ea quæ consequuntur numerum personarum, vel ei opponuntur, vt diuersitas, similitudo & huiusmodi. Postremò ea, quæ pertinent ad notitiam personarum. Prima igitur quæstio de personis agit de significatione huius nominis *persona*; de cuius nominis ratione differit primò S. Th. in communi. Secundò de eadem agit in particulari, prout inuenitur in diuinis. De ratione huius nominis in communi tractat dupliciter: primò absolutè in præsenti articulo: secundò comparando rationem huius nominis persona, ad rationes horum nominum hypostasis, substantia, &c.

ARTICVLVS I.

De diffinitione personæ.

169 3. q. 2. art. 2. cor. & 1 di. 25. art. 1. & pot. q. 9. a. 2. & de vnio a. 1.

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd incompetens sit diffinitio personæ, quam Boetius* assignat in lib. de duabus naturis, quæ talis est. Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Nullum enim singulare diffinitur. Sed persona significat quoddam singulare. Ergo persona inconuenienter diffinitur.*

* 3. pag. à prin. lib.

2 Præterea. Substantia (prout ponitur in diffinitione personæ) aut sumitur pro substantia prima, aut pro substantia secunda: si pro substantia prima, superfluè additur indiuidua, quia substantia prima est substantia indiuidua: si verò stat pro substantia secunda, falsò additur, & est oppositio in adiecto. Nam secundæ substantiæ dicuntur genera, vel species. Ergo diffinitio est malè assignata.

3 Præterea. Nomen intentionis non debet poni in diffinitione rei. Non enim esset bona assignatio; si quis diceret, homo est species animalis. Homo enim est nomen rei, & species est nomen intentionis: cùm igitur persona sit nomen rei: significat enim substantiam quandam rationalis naturæ. Ergo inconuenienter indiuiduum (quod est nomen intentionis) in eius diffinitione ponitur.

4 Præterea. Natura est principium motus, & quietis in eo, in quo est per se, & non per accidens, vt dicitur in 2. Phys. Sed persona est in rebus immobilibus, sicut in Deo, & in Angelis. Non ergò in diffinitione personæ debuit poni natura, sed magis essentia.*

Lib. 2 Phys. tex. 3. 10. 2.

5 Præterea. Anima separata est rationalis naturæ indiuidua substantia, non autem est persona. Inconuenienter ergo persona sic diffinitur.

Respond. Dicendum, quòd licèt vniuersale, & particulare inueniantur in omnibus generibus, tamen speciali quodammodo indiuiduum inuenitur in genere substantiæ. Substantia enim indiuiduatur per seipsam: sed accidentia d indiuiduantur per subiectum, quod est substantia. e Dicitur enim hæc albedo, inquãtum est in hoc subiecto. Vnde etiam cõuenienter d indiuidua substantiæ habent aliquod speciale nomen præ aliis. Debent enim hypostases, vel primæ substantiæ. Sed ad-

D. 17. 240 D. 729.

A *huc quodam specialiori & perfectiori modo inuenitur particulare, & indiuiduum in substantijs rationalibus, quæ habent dominium sui actus, & non solum aguntur sicut alia, sed per se agunt, actiones autem in singularibus sunt. Et ideo etiam inter cæteras substantias, etiam quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturæ: & hoc nomen est persona. Et ideo in prædicta diffinitione † personæ ponitur substantia indiuidua, inquantum significat singulare in genere substantiæ: additur autem, rationalis naturæ, inquantum significat singulare in rationalibus substantijs.*

† Posita in arg. 1. huius art.

Ad Primum ergo dicendum, quòd licet hoc singulare, vel illud diffiniri non possit, tamen id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, diffiniri potest. Et

B *sic Phil.* diffinit substantiam primam, & hoc modo diffinit Boet. personam.*

In libr. prædic. c. de substant. to. 1. D. 1026.

Ad Secũdum dicendum, quòd secundùm quosdam d *substantia in diffinitione personæ ponitur pro substantia prima, quæ est hypostasis: neq; tamen superfluè additur indiuidua, quia nomine hypostasis, vel substãtiæ primæ, excluditur ratio vniuersalis, & partis. Nõ. n. dicimus, q̃ homo cõmunis sit hypostasis, neq; etiã manus* d *cùm sit pars: sed per hoc, q̃ additur indiuiduũ, excluditur à persona ratio assumptibilis, humana enim natura in Christo non est persona, quia est assumpta à digniori. s. verbo Dei. Sed melius dicendum est, quòd substantia accipitur communiter prout diuiditur per primam, & secundam. & per hoc, quod additur indiuidua, trahitur ad standum pro substantia prima.*

D. 728.

C *Ad Tertium dicendum, quòd quia substantiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non sunt, oportet interdũ vti differentijs accidentalibus loco substantialium, puta, si quis diceret, Ignis est corpus simplex calidum, & siccum. Accidentia enim propria sunt effectus formarum substantialium, & manifestant eas. Et simliter nomina intentionum possunt accipi ad diffiniendũ res, secundũ quod accipiũtur pro aliquib. nominibus rerũ quæ nõ sunt posita. Et sic, hoc nomẽ indiuiduũ, ponitur in diffinitione personæ ad designandum modum subsistẽdi, qui competit substantijs particularibus.*

Ad Quartum dicendum, quòd secundùm Philos. in Lib. 5 tex. 5. to 3.

Met ap. Nomen naturæ primo impositum est ad significãdam generationem viuentium quæ dicitur natiuitas.*

564

D e *Et quia huiusmodi generatio est à principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principiũ intrinsecum cuiuscũq; motus. Et sic diffinitur natura in 2. Phys. † Et quia huiusmodi principium est formale, vel materiale, communiter tam materia quàm forma dicitur natura. Et quia per formã completur essentia vnius cuiusq; rei, communiter essentia vnuscuiusque rei (quã significat eius diffinitio) vocatur natura. Et sic accipitur hic natura. Vnde Boet.* in eodem lib. dicit, quòd natura est vnumquodque informans specifica differentia. Specifica enim differentia est, quæ complet diffinitionem, & sumitur à propria forma rei. Et ideò conuenientius fuit, quòd in diffinitione personæ, quæ est singulare alicuius generis determinati, vteretur nomine naturæ, q̃ essentiæ, quæ sumitur ab esse, q̃ est cõmunissimũ.*

† Libr. 2. Phys. tex 3. to. 2.

In lib. de 2. mat. in pag. 2 princ.

E *Ad quintum dicendum, quod anima est pars humanæ speciei. Et ideò, licèt sit separata, quia tamen retinet naturam vnibilitatis, non potest dici substantia indiuidua, quæ est hypostasis, vel substãtia prima, sicut nec manus, nec quæcunque alia partium hominis.* e *Et sic non competit ei neque diffinitio personæ, neque nomen.*

b 365

Sensus quæsiti.

SCIENDVM est, diuersas à Doctoribus allatas fuisse personæ diffinitiones. Prima est Boetij, de qua agit *in præsenti articulo*. Secunda est Ric. de S. Victore *lib. 4. de Trin. c. 28.* qui volens corrigere diffinitionem Boetij, dicebat personã, prout de Deo dicitur, esse diuinæ naturæ incommunicabilem existentiam. Tertia fuit quorundam Magi-

1. Diffinitio personæ ex Boet.
2. diffinitio ex Ricardo.
3. diffinitio ex Magistro.

stro-

strorum, qui erant tempore D. Tho. qui sic diffiniebant personam: Persona est hypostalis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Has duas diffinitiones vltimas recensет S. Tho. *in hac q.a.3.ad 2.& 4.Et 1. dist.25. q.1. a.1. ad 8.arg.* Sed quoniam diffinitio Boetij omnia complectitur, quę per alias diffinitiones exprimũtur, vt videbimus;ideò hæc cæteris anteponitur, & sola examinatur à S.Th.

Forma Textus.

PRAEMISSIS tribus indiuiduorum differentijs quo ad eorum dignitatem siue perfectionem,respondet quæsito vnica conclusione.

Distinctio est; licèt vniuersale & particulare inueniantur in omnibus generibus; tamen speciali quodam modo indiuiduum inuenitur in genere substantiæ,prout in textu &c.Ex quo discursu colligũtur tres indiuiduorum differentiæ secundùm dignitatem siue perfectionem. Prima est indiuidui accidentis, quod indiuiduatur per subiectum,quod est substantia.Secunda est indiuidui substantiæ absolutè sumptæ,quod in duobus differt ab indiuiduo accidentis: Primò quia indiuiduatur per seipsum: Secundò quoniam habet speciale nomẽ;dicitur enim hypostasis & prima substantia.Tertia est indiuidui substantię rationalis siue intellectualis: quod indiuiduum duplicem addit dignitatẽ super reliqua indiuidua substantię primę quo ad modum essendi principium operationum;quia scilicet indiuiduum rationalis naturæ solũ inter omnia habet dominiũ sui actus, quòd ad maximam dignitatem pertinet indiuidui;quoniam actiones sunt singulariũ, vt dicitur *1.Metap.*Secunda est quo ad specialitatem nominis;quia reliqua vt indiuidua sunt talis naturæ,puta irrationalis, nomen proprium non meruerunt; hoc autem sortitum est speciale nomen, quod est persona, propter prædictam dignitatem. Est igitur persona nomen indiuidui rationalis naturæ.

Deinde respondetur quæsito tali CONCLVSIONE. *Diffinitio personæ assignata à Boetio est competẽs.* Probatur:Prædicta diffinitio explicat duas substantiales proprietates indiuidui rationalis naturæ,quibus differt ab alijs,ergo est competẽs; Antecedens declaratur siue probatur. Primò dicitur *substãtia indiuidua* per quam particulam differt ab indiuiduo accidentis. Secundò dicitur, *rationalis naturæ*,per quam differt ab alijs indiuiduis substantiæ, quibus duabus particulis perfectè explicatur natura,& dignitas indiuidui substantiæ rationalis. Nam cùm indiuiduum inferioris sit etiam indiuiduum superioris, oportet vt in indiuiduo inferiori puta speciei, sint cõditiones speciei & etiam generis; puta in Socrate, quod est indiuiduum hominis, & consequenter etiam animalis,oportet esse conditiones hominis & animalis;Ideò in persona,quæ est indiuiduum rationalis naturę & consequenter etiam substantiæ, oportet esse rationalem naturam & substantiam; & ideò vtriusque indiuidui conditiones S. Th. posuit in diffinitione personæ.

Expositio Textus.

Referuntur, & confutatur error Vallæ de significatione personæ.

TRIA sunt pro textus explicatione declaranda. Primum est proprietas significationis huius nominis persona. Vt enim obseruat Cai.& post eum recentiores S.D.interpretes, Laurent. Valla *libr.6. Elegant. cap.34.*Boetij diffinitionem reprehendit dicens nomen personæ non significare substantiam,sed animi vel corporis qualitatem, per quam vnus homo differt ab alio: quo A sensu dicimus aliquem exercere personam consulis, prætoris aut iudicis, vel diuitis aut pauperis;siquidem vni substantiæ siue suppositо rationalis naturæ conueniunt in hoc sensu multæ personæ. Ex quo deducit prædictus Grammaticus non magis Deo conuenire personam quàm brutorum naturæ; putans ea tantùm ratione personamDeo conuenire,qua dici nonnunquam solet Deum induere personam irati, misericordis aut liberalis.Sed dum Ludimagister vana vocabulorum peritia tumidus notã inurere conatur Boetio,quòd vocis huius *persona* significationem maximè propriam & Grammaticis familiarẽ ignorauerit, duplicem in se prodit insciti am, & cæca temeritate in fidei Catholicæ petram impingens misere labitur. Nam Cicero *de Oratore* dixit,hominum esse innumerabiles personas:vbi personam manifestè sumit pro substantia indiuidua rationalis naturæ: quo sensu frequenter vsurpat personæ vocabulum idem auctor, vt videre est apud Nizolium,& Thesaurum.Et Celsus *in Proœmio lib. primi* sic ait: *Medicos nihil tentasse iudicos; quia nemo in splendida persona periclitari voluerit,cõiectura sua,ne,si non seruasset, cecidisse videretur.* In legibus iuris ciuilis frequens est in eadem acceptione nomen personæ,ac præsertim *ff. de statu hominum lege 1.& 2.& in tit.Per quas person.&c.*In sacris etiam litteris *Actorum 10.*dicitur. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum,& operatur iustitiam,acceptus est illi.* Definita est hæc veritas in Concilio Lateranensi *in capite: firmiter de summa Trinitate,& fide Catholica*,vbi sic dicitur:*Pater,& Filius,& Spiritus sanctus tres quidẽ personæ,sed vna essentia. Et in capit. Damnamus. Vna quædam summa res est incomprehensibilis, & ineffabilis quidem,quæ veraciter est Pater,& Filius,& Spiritus sanctus tres simul personæ &c.* In eodem sensu sumitur personæ nomen in Concilio Tolet. 11. *in confessione fidei.*Et in Concilio Hispal.*2.cap.23.*Et apud Hierony. *in Epist.ad Damasum, cuius initium est:Quoniam vetusto errore,&c.* Et D.Aug. *lib.5.de Trinit.cap.9.& lib.7.cap.6.*& apud Hilarium *in lib. de Synodis.*frequenter eadem vox occurrit.In eodem sensu legendus est Suarez *libr. 1. de Trinitate, cap.1.*vbi diligenter colligit loca Patrum.Est igitur error in fide manifestus negare personam in Deo significare substantiam incommunicabilem. Nam etsi fortasse nomen personæ prima sui impositione aliud quidpiam significauerit quàm substantiam, vt videtur affirmare S. D.*infra a.3.ad 2.*vltimò tamen ac principaliter impositum est ad significandam substantiam intellectualis naturæ incommunicabilem, vt ibidem indicat S.Thomas propter similitudinem ad rem eodem nomine in prima impositione significatam. Quamobrem vox illa *persona* nomen erit analogum primò & principaliter substantiam incommunicabilem absolutè sumptam, deinde eandem sub qualitate significans; quamuis in Theologia ferè semper substantiam significet,cuius vsus rationem optimam reddit Caiet.in titulo.

Secundum quod explicandum occurrit, est differentia multiplex, quam statuit S.Th. inter indiuidua substantiæ & accidentis, & inter ipsamet indiuidua substantiæ. Distinguit itaque primò S. Th. indiuiduum substantiæ ab indiuiduis accidentium; quòd substantia indiuiduatur per seipsam, sed accidentia indiuiduantur per subiectũ, quod est substantia;ex qua sequitur alia differentia, quod indiuidua substantiæ habent speciale nomen,indiuiduum autem accidentis communi sit nomine designatum.

Sed

1. Dubit. Sed de priori differentia tres dubitationes siue difficultates excitat Caiet. *Prima* est ex parte substantiæ; quoniam distinctio numeralis primò conuenit quantitati, & per illam substantiæ materiali & accidentibus; Cùm itaque de ratione indiuidui substantiæ sit distinctio ab alijs, sequitur substantiam materialem indiuiduari quoad intrinsecum distinctiuum per quantitatem, & 2. Dubit. non per seipsam. *Secunda* difficultas est ex parte quantitatis, & aliorum accidentium. Nam, *vt dicitur 5. Metap.* Quantum est, quod diuiditur in ea, quæ insunt, quorum singulum natum est esse hoc. Et in abstractione mathematica datur hæc linea, & hic triangulus nullo imaginato subiecto. De cæteris etiam accidẽtibus similis est difficultas: est enim conditionalis hæc vera. Si albedo esset in hac quantitate sine substantia, esset hæc; Ergo falsa est illa cathegorica: accidens indiuiduatur per subiectum, quod est substantia. *Tertia* 3. Dubit. difficultas est de modo, quo indiuiduatur accidens per subiectum: an scilicet intrinsecè vel extrinsecè. Si primò modo; igitur hæc albedo non est vnũ per se, nec est in aliquo genere; si secundo modo; igitur accidens indiuiduatur per seipsum intrinsecè. *Quibus dubitationibus* satisfacit Caiet. Solutiones Caiet. dicens hic non agi de substantia tali; puta materiali, sed de substantia absolutè; ac proinde vniuersim de substantiæ indiuiduis, quatenus indiuidua substantiæ sunt: sic enim propriè & formaliter sumitur differentia inter indiuiduum substantiæ & indiuiduum accidentis; primæ enim ac per se differentiæ desumendæ sunt ex ratione cõmuni substantiæ, & ex ratione communi accidẽtis; talis autem est prior illa differentia, scilicet quòd substantia & eius indiuiduum per seipsum indiuiduatur: quia substantia, quatenus substantia est, nullam habet dependentiam ab accidente, sicut è contra, indiuiduum accidentis vt sic, à sola substantia necessariò dependet, & ab ea necessariò indiuiduatur: quod autem vnum accidens ab alio dependeat & ab eo indiuiduetur, conuenit illi quatenus tale est, puta qualitas mediante quantitate afficiens substantiã; & similiter quod aliquod accidens indiuiduetur seipso, conuenit ei quatenus tale est, puta quantitas, de cuius ratione est, vt sit diuisibilis in ea, quæ insunt; sed accidens vt sic, quouis modo concipiatur siue abstractè siue concretè, essentialem ordinem ac dependentiam habet ad subiectum, sine quo non potest intelligi. Clauditur ergo substantia in accidentis diffinitione per additamentum: Nec tamen indiuiduatur accidens intrinsecè per seipsũ primò, id est, præciso ordine ac dependentia ad subiectum: quemadmodum substãtia vt sic, quatenus hæc, nullam includit dependentiam ad aliquid extrinsecum. *Hanc solutionem* reprehendit Impug. Syl. Sylvest. hoc argumento: Nulla indiuiduatio est in substantia, quæ non conueniat tali, vel tali substantiæ: neque vlla est in accidentibus indiuiduatio, quæ non conuenit tali, vel tali accidenti; Ergo solutio Caiet. falso nititur fundamento. Antec. probatur; quia in abstractione nostra nulla est indiuiduatio, sed in re. Ad propositam verò difficultatem respondet substantiam omnem, etiam materialem, indiuiduari per seipsam, & de substantijs quidem immaterialibus, quæ sunt formæ per se subsistentes, docet S.D. *sup. q. 3. a. 3.* eas per seipsas indiuiduari, hoc ipso quod non possunt in materia recipi; substantias autem materiales ait Sylvester per seipsas indiuiduari quo ad id, quod est primarium indiuiduationis principium, quod est materia; quamuis principium indiuiduationis secundarium sit quantitas; de qua re supra latè disseruimus *in speciali controuersia ad 2. a. dictæ q. 3.* De quantitate verò ait ex D. Thoma duplicem haberi causam indiuiduationis; vnam ex subiecto communem illi cum omnibus accidentibus (nam, sicut ex subiecto habet esse, ita & vnitatem) aliam ex seipsa per situm partium, quia situs de se est hic. Eundem modum dicendi sequitur Iauellus *super hoc articulo* dicens substantiam omnem indiuiduari per seipsam, vel seipsa tantum, vt immateriales, vel aliquo sui. i. materia sui parte. De quantitate verò ait eam, neque vt accidens, neque vt hoc accidens, posse absolui à subiecto; & dictum Arist. nõ officere; quia non affirmat quantitatem esse aptam vt sit hoc per seipsam.

Sustinendo autem vtrumque modum loquendi, nõ solum vt probabilem, sed etiam vt verum, & consonum doctrinæ D. Thomæ, *considerandum est primò* descriptionem illam quanti *ex 5. Metaphys.* scil. *Quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum singulum natum est esse hoc*, non eodem modo conuenire quantitati, & rei quantæ, nam quantitati conuenit vt quo, rei verò quantæ vt quod; Nam, vt ante diximus, quantitas est principium indiuiduationis secundarium, scilicet quo ad distinctionem vnius indiuidui ab alio; sed rei quantæ conuenit ea descriptio vt quod; res enim quanta. i. substantia ea est, quæ diuiditur in partes, quæ à toto diuisæ singulæ sunt hoc aliquid. Et quia quantitas est accidens, cuius esse est in esse, idcirco, quamuis sit substantiæ materiali ratio indiuiduationis quo ad distinctionem vnius ab alia, ipsa tamen indiget substantia ad sui indiuisionem siue vnitatem, non minus quàm ad suum esse; sola namque distinctio, quæ primò est à quãtitate, nõ est sufficiens & totalis causa indiuiduationis sicuti nec ei sufficiẽs essendi causa est. *Defenditur vtraq; pars.*

Secundò. Aduertendum est indiuiduationem dupliciter posse conuenire substantiæ & accidenti; vno modo in actu, alio modo in potentia siue in aptitudine: Priori modo non conuenit nisi huic substantiæ & huic accidenti: posteriori verò conuenit substantiæ vt substantia est, & accidenti vt accidens est; Nam substantia vt sic, habet ex sui natura, qua est ens per se, vt non sit necessariò contrahibilis ad esse hoc per quantitatem, aut aliquid aliud alterius generis; accidens autem vt sic, ex proprio essendi modo, qui est esse in alio, habet vt sibi non repugnet ex alio indiuiduari, vt significat Caiet. immò vt hoc sibi vendicet necessariò, vt affirmant Sylu. & Iauell. quòd verissimum est; nam etsi mathematicus lineam aut triangulum contempletur abstractum à materia sensibili, nunquam tamen abstrahit à materia intelligibili, quæ est substantia, vt præuenit omne accidens sensibile, vt alibi docet S.D. Et quamuis diuina virtute separetur quantitas à substantia, vt in Sacramento altaris: nunquam tamen separatur, aut separari potest ab ordine transcendente eidem essentiali, quem habet ad subiectum, à quo subiecto tanquam ab extrinseco principio sumit indiuiduationem. *Indiuiduatio quomodo cõueniat substantiæ, vt substantia est.*

Et ex his patet, quid dicendum sit ad argumentum Sylvestri: nam procedit de actuali indiuiduatione; Cai. autem loquitur de aptitudinali. *Vel dicas*, quòd sicut in constitutione speciei tria consideramus. s. naturam generis, puta animalis, quæ contrahitur; naturam differentiæ, puta rationalis contrahentis; & ipsam speciem, puta hominem constitutum ex vtriusque natura, scilic. contracti & contrahentis: ita in constitutione indiuidui de genere substantiæ tria consideramus, scil. naturam substantiæ siue genericè siue specificè sum- *Sylu. argt. soluitur.* *Melior solutio.*

sumptam quæ contrahitur & indiuiduatur: materiam & quantitatem contrahentem : & ipsum indiuiduum ex natura substantiæ contracta & materia ac quantitate contrahente constitutum; & idem dicendum est proportionaliter de indiuiduo accidētis. Cùm igitur ait Cai. substantiam vt substantia est per seipsam indiuiduari, loquitur de ipsa natura substantiæ, prout contrahitur velut commune genericum aut specificum per differentiam siue proprietatem aut radicem indiuiduationis, cui communi conuenit indiuiduatio vt ei quod contrahitur, indiuiduo verò vt ei, quod ex contracto & contrahentibus constituitur. Et secundum hunc dicendi modum cōuenit substantiæ vt substantia, & accidenti vt accidens est indiuiduatio, non aptitudine tantum, sed etiam actu.

Diffinitio personæ explicatur.

Tertium explicatione dignum est tota diffinitio personæ quo ad singulas eius particulas, quæ ferè tota colligitur ex responsionibus argumentorum S. Th. Prima particula est dictio illa *substantia*, quæ potest sumi dupliciter, vt notat hic S. D. *ad 2.* vno modo pro substantia prima: & per hoc excluditur ratio vniuersalis & partis; nam nec vniuersale est substantia prima, nec pars, puta manus, vel pes dum est actu pars; atque ideo nec vniuersale, nec pars sunt personæ. Secūdò modò potest hic sumi nomen substantiæ communiter, prout diuiditur in substantiam primam, & secundam: ita vt per dictionem illam *indiuidua* contrahatur ad substantiam primam. Ait ergo S. Th. hic accipi posse nomen substantiæ vtroq; modo, sed melius secundo: quo sensu excludentur accidentia & partes. Secunda particula est vox illa *indiuidua*, quæ dupliciter sumi potest; vno modo prout negat diuisionem in partes subiectiuas: & sic contrahit substantiam communiter dictam ad substantiam primam. Alio modo prout significat idem, quod incommunicabilis: & sic excluduntur à ratione personæ partes omnes siue integrales siue essentiales, vt animæ; quoniam suaptè natura sunt suppositis vnibiles & illis communicabiles; & eadem ratione quælibet essentia vel natura quæ naturaliter proprio, & per Dei potentiam, est diuino supposito communicabilis. Vnde nec humanitas Christi, quæ ad vnitatem suppositi verbi diuini fuit assumpta, est persona; Nec Deitas, vel hic Deus, qui tribus suppositis est communis secundùm Christianæ fidei veritatem, est hypostasis vel persona; Nec actiua spiratio, propter eandem causam; quia scilicet communis est Patri & Filio. Sed melius dicendum est, vtroque modo sumi incommunicabile, vt significat S. Th. Tertia particula est vox illa *naturæ*, quam optimè explicat S. Th. *in resp. ad 4.* Vltima particula est dictio illa *rationalis*, per quam intelligitur natura intellectualis communis humanæ, Angelicæ & diuinæ. Hac igitur excluduntur à nomine & ratione personæ vniuersa suppositа cuiuslibet alterius naturæ, ab humana, Angelica & diuina.

Ex dictis sequitur hæc tria scilicet indiuiduum, suppositum siue hypostasim, & personam adinuicem comparari velut superius & inferius. Nam omnis persona est suppositum siue hypostasis, & non è contra; & omne suppositum est indiuiduum, & non è contra.

Responsio ad primum argumentum explicatur inferius *q. seq. art. 4.* & à Caiet. *in prædicamentis*, vbi agit de diffinitione substantiæ primæ.

Circa respons. *ad 3.* declarat & sustinet Iauell. nomen personæ esse nomen primæ, non aut secundæ intentionis ostendens differentiam inter primam & secundam intentionem ex D. Th. & Herueo; de qua subtiliter disserit Caiet. *super Porphyrio in q. de diffin. gen.*

Articvlvs II.

Vtrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia & essentia.

1 p. q. 29. a. 1. & 3. & por. q. 9 a 1.

Ad secundum sic proceditur. *Videtur, quod persona sit idem quod hypostasis, subsistentia, & essentia. Dicit enim Boet.* * *in li. de duabus natur. quod Græci naturæ rationalis indiuiduam substantiam hypostaseos nomine vocauerunt. Sed hoc etiam apud nos significat nomen personæ.* c *Ergo persona omnino idem est quod hypostasis.*

* In 3. pag. & prin. lib.

169

2 Præterea. Sicut in diuinis dicimus tres personas, ita in diuinis dicimus tres subsistentias. Quod non esset, nisi persona, & subsistentia idem significarent. Ergo idem significant persona, & subsistentia.

3 Præterea. Boet. dicit in com. prædicamentorum, quod vsia (quod est idem quod essentia) significat compositum ex materia & forma. Id autem quod est compositum ex materia & forma, est indiuiduum substantiæ, quod & hypostasis & persona dicitur. Ergo omnia prædicta nomina idem significare videntur.

Sed contra est, quod Boet. * *dicit in lib. de duabus naturis, quòd genera & species subsistunt tantùm: indiuidua verò non subsistunt tantùm, verùm etiam substant. Sed à subsistendo dicuntur subsistentiæ, sicut à substando substantiæ vel hypostases: cùm igitur esse hypostases vel personas, non conueniat generibus vel speciebus, hypostases vel personæ, non sunt idem quod subsistentiæ.*

Aliquantulam à princ. lib. videl. 3. pag. 2. princ.

4 Præterea. Boet. dicit in com. prædicamentorum, quod hypostasis dicitur materia, vsiosis autem (id est subsistentia) dicitur forma. Sed neque forma, neque materia potest dici persona. Ergo persona differt à prædictis.

Respondeo. Dicendum, quòd secundum Philosophum in 5. Metaph. * *substantia dicitur dupliciter. Vno modo dicitur substantia quidditas rei quam significat diffinitio: secūdum quòd dicimus, quòd diffinitio significat substantiā rei. Quā quidē substantiā, Græci vsiā vocāt, quod nos essentiā dicere possumus. Alio modo dicitur substantia subiectū, vel suppositū, quod subsistit in genere substantiæ. Et hoc quidem communiter accipiendo nominari potest, nomine significante intentionem. Et sic dicitur suppositum. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem. Quæ quidem sunt res naturæ, subsistentia, & hypostasis, secundùm triplicem considerationem substantiæ sic dictæ. Secundum enim quòd per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia. Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Secundum verò quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ, sicut hic homō est res naturæ humanæ: secundum verò quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis vel substantia. Quòd autem hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen persona, significat in genere rationalium substantiarum.*

Lib. 5. Met. tex. 15 & 20.

οὐσία, οὐσίωσις ὑπόστασις πρόσωπον

Ad primum ergo dicendum, quòd hypostasis apud Græcos ex propria significatione nominis habet, quòd significet quodcunq; indiuiduum substantiæ, sed ex vsu loquendi habet, quòd sumatur pro indiuiduo rationalis naturæ, ratione suæ excellentiæ.

Ad secundum dicendum, quòd sicut nos dicimus in diuinis plur aliter tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases. e *Sed quia nomen substantiæ quòd secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, æquiuocatur apud nos, cùm quandoq; significet essentiam, quandoque hypostasim, ne posset esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam quàm substantiam.*

37 a

Ad ter-

*Ad tertium dicendum, quòd essentia propriè est id, quod significatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia speciei, non autem principia indiuidualia. Vnde in rebus compositis ex materia & forma essentia significat non solùm formam, nec solùm materiam, sed compositum ex materia & forma communi, prout sunt principia speciei. Sed compositum ex hac materia & ex hac forma, habet rationem hypostasis, & personæ. Anima enim & caro, & os, sunt de ratione hominis. Sed hæc anima, & hæc caro, & hoc os, sunt de ratione huius hominis. Et ideò hypostasis & persona addunt supra rationem essentiæ principia indiuidualia, neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia & forma vt supra dictum est, *cùm de simplicitate diuina ageretur.*

d 1147.

9. 3. a. 3.

Ad quartum dicendum, quòd Boet. dicit genera & species subsistere, inquantum indiuiduis aliquibus competit subsistere, ex eo quòd sunt sub generibus & speciebus in prædicamento substantiæ comprehensis, non quòd ipsæ species vel genera subsistant, nisi secundum opinionem Platonis: qui posuit species rerum, separatim subsistere à singularibus. Subsistere verò competit eisdem indiuiduis in ordine ad accidentia, quæ sunt præter rationem generum & specierum.

d 1137.

54.

*Ad quintum dicendum est, quòd indiuiduum compositum ex materia & forma, habet quòd subsistet accidenti ex proprietate materiæ. Vnde & Boet. dicit in lib. 2. de Trinit. at. *Forma simplex subiectum esse non potest. Sed quod per se subsistat, habet ex proprietate suæ formæ, quæ non aduenit rei subsistenti, sed dat esse actuale materiæ, vt sic indiuiduum subsistere possit. Propter hoc ergo hypostasim attribuit materiæ, & vsiosim siue subsistentiam formæ, quia materia est principium substandi, & forma est principium subsistendi.*

d 639.

Lib. 2. de trinit. ante medium.

Sensus quæsiti.

HIC AGIT S. D. de ratione huius nominis *persona* in comparatione ad sex alia nomina, quæ sunt hypostasis, subsistentia, essentia, substantia, suppositum, & res naturæ; de solis tamen primis tribus vt præcipuis ac magis vsitatis propositum est quæsitum. *In quo aduerte primò* sermonem hic esse de persona communiter sumpta, prout extenditur ad personam creatam & increatam: atque ideò cæterea, ad quæ fit comparatio, accipienda esse in eadem communitate. *Secundò scito* dictionem illam *idem*, non significare tantum identitatem realem, sed etiam formalem inter dictorum nominum significata, vt patet ex discursu litteræ, & *ex primo sententiarum*, vbi sic proponit quæsitum: *Videtur, quod dicta nomina nullam distinctionem habeant, sed sint quasi synonima.*

Forma Textus.

DISTINGVIT primo S. D. deinde respondet quæsito.

Distinctio duplex est. *Prior* est ex Aristotele *5. metaph. cap. de substantia.* Substantia dicitur vno modo quidditas rei, quam significat diffinitio, prout dicimus diffinitionem significare substantiam rei: quam rei substantiam Græci vsiam vocant, nos autem essentiam dicere possumus; alio modo dicitur substantia subiectum vel suppositum quod subsistit in genere substantiæ, & hoc est substantia prima. *Posterior* distinctio est. Substantia prima potest dupliciter nominari; vno modo nomine significante intentionem: & sic dicitur suppositum; Alio modo potest nominari nomine significante rem, & sic habet tria nomina, quæ sunt res naturæ, subsistentia & hypostasis, quæ distinguuntur secundum triplicem considerationem substantiæ primæ. Nam vt per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia; quoniam ea subsistere dicimus, quæ non in alio sed in se existunt; quatenus autem supponitur alicui naturæ communi, dicitur res naturæ: sicut hic homo est res naturæ humanæ; Denique, vt supponitur accidentibus dicitur hypostasis vel substantia.

Ad quæsitum autè respondet vnica CONCLV-SIONE. *Persona significat in genere substantiarum rationalium id, quod hæc tria nomina, videlicet substantia, res naturæ, & hypostasis, significant communiter in toto genere substantiarum.* Hæc conclusio sequitur ex præmissis duabus distinctionibus. Nam in primis manifestè constat personæ nomẽ non idem significare quod nomen essentiæ; quoniam essentia quidditas est, vt diximus, quam significat diffinitio; persona verò, vt patet ex primo articulo, est rationalis naturæ indiuidua substantia; quamobrem in creaturis persona distinguitur realiter ab essentia, in Deo verò secundum rationem. Secundò patet, quomodo differat nomen personæ à reliquis prædictis tanquam speciale à communibus; nam illa omnia sunt nomina primæ substantiæ absolutè, nó quatenus est huius, vel illius speciei: nomẽ verò personæ est nomen substantiæ primæ, prout est in natura rationali.

Expositio Textus.

QVAMVIS in Sacris litteris nomen personæ de Deo non inueniatur expressum, sicut neque nomen hypostasis, suppositi, aut subsistentiæ reperitur pluraliter de Deo dictum: id tamẽ, quod nomina prædicta significant, multipliciter in sacra Scriptura inuenitur assertum de Deo, dum affirmat Deum esse maximè per se ens *Exodi 3. Ego sum qui sum, sic dices Filijs Israel: Qui est misit me ad vos.* & perfectissimè intelligens *Psal. 146. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.* Nec aliquid frequentius occurrit in sacris litteris, quàm diuinæ cognitionis, intelligentiæ & sapientiæ commendatio. Quemadmodum igitur vnitatem essentię confitemur in diuinis dicentes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vnum esse Deum: ita necesse fuit esse nomen aliquod vnum aut multa, quibus ad numerum siue pluralitatem subsistẽtium confitendam vteremur, vt idipsum diceremus omnes, & non essent in nobis schismata, & ab hæreticorum laqueis & calumnijs tuta redderetur Catholica fides. Quamobrẽ necesse fuit Patribus & Concilijs noua quædam adinuenire vocabula fidem antiquam de Deo significantia, vt reijci facilè possent hæreticorũ sophismata. Nec vitanda est hæc nouitas vt profana; nõ enim dissonat à vero scripturarum sensu, vt ait S. D. in articulo sequenti in responsione ad primam. Et quoniam de hoc nomine persona copiosè disseritur in articulo sequenti: de reliquorum significatione pauca quędam hic erunt breuiter adnotanda.

Vnde nomẽ personæ.

Primum autem nomen est hypostasis: de cuius significatione & vsu multa scribunt recentiores super hoc & sequenti articulo. Legendi sunt Bannes Zumellus & Vasq. *disput. 124.* vbi Scholastici commentarij de more metas egressus describit cumulate vniuersa, quæ à quouis curioso Theologo possunt desiderari de prædicti nominis controuersia inter Catholicos & hæreticos, de eius antiquitate, significatione & vsu. Quem totum discursum pauciissimis verbis complexus est S. Th. *in hoc art. & in seq. in resp. ad 3.*

Hypostasis.

Se-

Subsistẽtia. *Secundum* nomen est subsistentia: de cuius significatione disputant hic Molin. & Vasq. latissimè. Sed huius controuersiæ propria sedes est *inf. q. 39. a. 4. & 3. p. q. 3. a. 2. & 3.* vbi subtiliter examinatur & diffinitur à Caietano: cuius ibidem amplectemur sententiam, & ex eius doctrina recentiorum argumenta diluemus. Ban. hic ea colligit, quæ præsenti loco videntur necessaria.

Substantia. *Tertium* nomen est substantia: de cuius significatione agit S. D. *in a. præc. in resp. ad 2. & hic etiã in resp. ad 2. & in a. seq. ad 3.* An autem Catholicè possit affirmari, tres in Deo esse substantias: disputant hic interpretes Bann. Zumellus, Molina *disp. 1.* & Vasq. *c. 5.* quorum omnium vna est & vera sententia, scilicet affirmandum aut concedendum non esse tres in Deo esse substantias, aut tres personas in Deo esse tres substantias: Primò propter vocis æquiuocationem, de qua D. Tho. *hic ad 2.* Secundò propter antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ nomen substantiæ communiter adhibuit ad essentiam significandam, vt ait Augustinus *lib. 5. de Trinitate, cap. 9. & lib. 6. c. 4.* & ob eam causam affirmat non esse concedendum tres in Deo esse substantias, quod etiam Concilium Toletanum vndecimum *in fidei Confessione* definiuit. Lege, si placet, prædictos expositores.

Suppositum. *Quartum* nomen est suppositum, quod ait S. Tho. communiter acceptum intentionem significare, non tamen affirmat esse nomen intentionis, cùm de Deo dicitur; iam enim videtur vsu receptũ, vt ad diuina transferatur, prout primæ intentionis est, & rem significat in natura diuina subsistentem. Dicitur verò suppositum, quatenus nomen primę intentionis est, ex eo, quod sub alijs illi realiter inexistentibus positum sit, siue ea sint accidentia, siue sint essentialia prædicata; Quòd verò quidpiam cæteris omnibus sit subiectum, id habet ex hoc, quod est substantia incommunicabilis. Suppositum igitur formaliter significat substantiam incommunicabilem, quæ idem est quod hypostasis, & consequenter eadem ratione qua tres hypostases, tria etiam in Deo suppositа Catholicè confitemur.

Res naturæ. *Quintum* nomen est res naturæ, quod substantiam significat (inquit S. D.) quatenus supponitur alicui naturæ communi: sicut homo est res naturæ humanæ. Dubitationem hic mouet Bannes, an concedendum sit in diuinis esse tres res vel tria entia: cui dubitationi nititur satisfacere ex D. Th. *in 1. dist. 25. q. vnica,* & Magistro *ibidem in fine.* Sed videnda sunt ea, quæ diximus *inf. q. 31. a. 2.* de differentia nominis neutri, & masculini ex D. Th. *in 1. dist. 9. q. 1. a. 1.* ex illis enim apparet rectè dici non posse tres personas esse tria entia; quia neutrum informe est, & essentiam significat, & substantiuè tenetur. Nec S. Th. *in d. dist. 25. q. 1. a. 3.* dixit tres personas esse tria entia, sed tantum dixit esse tres entes adiectiuè, vt patet ex *resp. ad 2. & 3.* eisdem argumentis collatis. Et quamuis *ibidem in corpore articuli* dicat S. D. ens participialiter & adiectiuè pluraliter prædicari de personis; intelligendum tamen est masculinè & non neutraliter, vt scilicet dicantur tres entes, & non tria entia. Et per hæc solui facilè poterunt argumenta Suar. *lib. 3. de Trin. c. 6.* vbi eandem tuetur sententiam.

Nomen verò essentiæ, quod postremò consideramus, ob singularem quam habet à cæteris ex sua significatione differentiam, cùm diuinam naturam, quæ vna est tribus communis, significet pluraliter de Deo nunquam dicitur. De qua re legenda sunt, quæ notat Ban.

A DISPVTAT hic anxiè Vasq. aduersus asserentes tres in Deo existentias, cuius scripta lege, si placet.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum nomen personæ sit ponendum in diuinis.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd nomen personæ non sit ponendum in diuinis. Dicit enim Dionys. in prin. de diu. no. Vniuersaliter non est audendum aliquid dicere nec cogitare de supersubstantiali occulta diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex sanctis eloquijs sunt expressa. Sed nomen personæ non exprimitur nobis in sacra Scriptura noui, vel veteris Testamenti. Ergo non est nomine personæ vtendum in diuinis.* 171 1. dist. 23. a. 2 & post q. 9. a. 3. ca. 1. parum à princ.

2 *Præterea. Boet. dicit in lib. de duab. nat.* † *Nomen personæ videtur traductum ex his personis quæ in comœdijs tragœdijsq; homines repræsentabant. Persona enim dicta est à personando, quia concauitate ipsa, maior necesse est vt voluatur sonus. Græci verò has personas prosopa vocant ab eo, quòd ponãtur in facie, atq; ante oculos obtegant vultum. Sed hoc non potest competere in diuinis, nisi fortè secundùm metaphoram. Ergo nomen personæ non dicitur de Deo nisi metaphoricè.* † aliquantulũ à princip. pag. 3. à princ. lib.

3 *Præterea. Omnis persona est hypostasis: sed nomen hypostasis non videtur Deo competere, cùm secundùm Boet.* * *significet id quod subijcitur accidentibus, quæ in Deo non sunt. Hier.* † *etiam dicit, quòd in hoc nomine hypostasis, venenum latet sub melle. Ergo hoc nomen persona non est dicendum de Deo.* Eodem loco nunc proximè dicto. † *In ep. ad Damas. quæ incipit Quoniam vetusto, in med.*

4 *Præterea. A quocunq; remouetur diffinitio & diffinitum. Sed diffinitio personæ supra posita* * *non videtur Deo competere. Tum quia ratio importat discursiuam cognitionem quæ non competit Deo, vt supra ostensum est.* † *& sic Deus non potest dici rationalis natura. Tum etiam quia Deus dici non potest individua substantia, cùm principium individuationis sit materia, Deus autem immaterialis est. Neque etiam accidentibus subsistat, vt substantia dici possit. Nomen ergo personæ Deo attribui non debet.* * *Arg. 1. a. 1. huius q.* † *q. 14. a. 14* 15 19

Sed contra est, quod dicitur in symbolo Athanasij, Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Respon. dicendum, quòd persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura scilicet subsistens in rationali natura. Vnde, cùm omne illud quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quòd eius essentia continet in se omnem perfectionem, e cõueniens est, vt hoc nomen persona de Deo dicatur. Non tamen eodem modo quo dicitur de creaturis: sed excellentiori modo: sicut & alia nomina, quæ creaturis à nobis imposita Deo attribuuntur, sicut supra * *ostensum est, cùm de diuinis nominibus ageretur.* 23 q. 13 a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt nomen personæ in Scriptura veteris, vel noui Testamenti, non inueniatur dictum de Deo: tamen id quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura inuenitur assertum de Deo scilicet quòd est maximè per se ens, e & perfectissimè intelligens. e Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundùm vocem, quæ sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur quòd nunquam in alia lingua posset aliquis loqui de Deo nisi in illa, in qua primò tradita est Scriptura veteris, vel noui Testamenti. Ad inueniendum autem nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hæreticis. Nec hac nouitas vitanda est, cùm non sit prophana, vtpotè à Scripturarum sensu non discordans. e Docet aũt Apost. prophanas vocum nouitates vitare. 1. ad Tim. vlt. 54 80 a 182 195 a

Ad secundum dicendum, quòd quamuis hoc nomen, persona, non conueniat Deo quantum ad id, à quo im-

positum est nomen, tamen quantum ad id, ad quod significandum imponitur, maxime Deo conuenit. Quia enim in comœdijs & tragœdijs repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen, persona, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Vnde consueuerunt dici personæ in Ecclesijs, quæ habent aliquam dignitatem. Propter quod, quidam diffiniunt personam dicentes, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. c Et quia magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideò omne individuum rationalis naturæ dicitur persona, vt dictum est. * Sed dignitas diuinæ naturæ excedit omnem dignitatem. Et secundùm hoc maximè competit Deo nomen personæ.

Ad tertium dicendum, quòd nomen hypostasis non competit Deo quantum ad id, à quo est impositum nomen, cùm nõ subsistet accidentibus * competit aũt quantum ad id, ad quod est impositum ad significandum rem subsistentem. Hier. * autem dicit sub hoc nomine venenum latere, quia antequam significatio huius nominis esset plenè nota apud Latinos, hæretici per hoc nomen simplices decipiebant. vt confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases, propter hoc, quod nomen substantiæ (cui respondet in Græco nomen hypostasis) communiter accipitur apud nos pro essentia.

Ad quartum dicendum, quod Deus potest dici rationalis naturæ secundùm quod ratio non importat discursum: sed communiter intelligibilem naturam. Individuum autem Deo competere non potest quantum ad hoc, quòd individuationis principium est materia: sed solum secundùm quod importat incommunicabilitatem. e Substãtia verò conuenit Deo secundùm quod significat existere per se. e Quidam tamen dicunt, quòd diffinitio superius à Boet. † data, non est diffinitio personæ, secundum quod personas in Deo dicimus. Propter quod Ricar. de sancto Vict. * corrigere volens hanc diffinitionem, dixit, quòd persona secundùm quod de Deo dicitur, est diuinæ naturæ incommunicabilis existentia.

2 12. a

3 1. huius q.

In epist. ad Dam. Quoniam vetustoto. 2.

a 15 170 b

† Art. 1. huius q arg. 1. Lib. 4. de tri. c. 18. & 23.

Ordo, & Sensus quæsiti.

INCIPIT hic D. Th. agere de persona limitatè, prout attribuitur Deo, quòd huius quæstionis præcipuum erat institutum. Et primò quærit an sit? in hoc articulo; Deinde quid sit? in articulo subsequenti.

In titulo aduerte sermonem hic esse de nomine personæ quo ad eius reale & formale significatum, ita vt sensus sit: Vtrum nomen personæ quo ad rem formaliter significatam sit enunciandum de diuinis.

Forma Textus.

„ PRIMA CONCL. *Conueniens est, vt hoc nomen* „ *persona de Deo dicatur.* Probatur. Omne quod est perfectionis Deo est attribuendum; sed hoc nomen *persona* significat id quod est perfectissimum in tota natura; Ergo, &c. Maior probatur; quoniam essentia Dei continet in se omnem perfectionem. Minor autem; quia persona significat subsistens in rationali natura; Ergo significat id quod est perfectissimum in tota natura.

„ SECVNDA CONCL. *Hoc nomen persona non* „ *eodem modo dicitur de Deo quo de creaturis: sed excellentiori modo.* Probatur. Quoniam alia nomina quæ creaturis à nobis imposita Deo attribuuntur excellentiori modo de Deo dicuntur, quàm de creaturis: Ergò etiam hoc nomen persona.

Expositio Textus.

SATIS ostendimus *in artic. 1.* aduersus Vallam Grammaticum nomen *personæ* secundùm sui proprietatem & vsum, significare substantiam incommunicabilem rationalis naturæ; cùm itaque sint in Deo tres hypostases siue substantiæ incommunicabiles, consequens est in Deo propriè tres esse personas.

CONTROVERSIA VNICA.

An hoc nomen persona significet id, quod est perfectissimum?

PROPOSITAM difficultatem hic excitat Cai. qui duas affert rationes dubitandi. *Prior* est: quia natura specifica perfectior videtur individuo; igitur persona, quæ est individuum naturę, non est id quod est perfectissimum. *Posterior* ratio est; quia si persona significat id quod est perfectissimum; cùm in diuinis sit trium personarum distinctio, sequeretur ibidem esse distinctionem in tria perfectissima. *Rationes dubitandi, et Sententiæ Expositorũ, & earum examen, at resolutio.*

Respondet autem Caiet. personam in communi loquendo significare id, quod perfectissimum est in tota natura; non quia personalitas sit perfectissimum omnium, sed quia natura intellectualis, quæ naturarum omnium est perfectissima, tunc solum est omnium ens perfectissimum, cùm fuerit in suo esse completo constituta: nunquam autem constituitur in suo esse completo, nisi per seipsam in rerum natura subsistat. Cùm itaque nomen personæ significet dignitatem substantialẽ talis naturę, s. intellectualis subsistentis vt sic: idem etiam nomen personæ significat id, quod est perfectissimum in tota natura, non solum intellectuali sed etiam simpliciter. *Vnde ad primam rationem* respondet negando sequelam: primò, quia supponit hic fieri comparationem personæ ad naturam, prout natura distinguitur à persona & è conuerso: hoc verò falsum est; quia consideratur hic persona, prout in se claudit naturam, addens ei complementum subsistentiæ. Secundò quia argumentum procedit de persona in natura materiali, cuius individua sunt propter naturam: S. D. autem loquitur de persona in communi siue absolutè. *Ad secundam negat sequelam*; quoniam in ratione personæ in communi non tantum clauditur id, quod est perfectissimum in tota natura, sed aliquid etiam in ea clauditur, quod abstrahit à perfectione & imperfectione, nimirum incommunicabilitas, quæ nec perfectionem dicit nec imperfectionem: & secundùm hanc solam distinguuntur diuinæ personæ, non autem quo ad aliquid eorum, quo formaliter perfectiones sunt. Et quoniam diuinæ naturæ perfectio postulat, vt non solum sit omnis perfectio, sed sit etiam illud omne, quod necessarium est ad perfectionem Dei constituendam: consequens est, vt sicut in summa Dei perfectione clauditur ratio personæ, quę maxima perfectio est, in eadem etiam claudatur incommunicabilitas, quæ est de ratione personę; ex quo patet efficacitas discursus D. Th. qui procedit ex perfectione personæ, quatenus consurgit ex omnibus, quæ in ratione eius clauduntur intrinsecè, ex quibus vnum est incommunicabilitas, quia persona est res intellectualis naturæ subsistens incommunicabiliter. *Sol. Caiet.*

Sed hanc resolutionem Caietani sic explicatam non intellexerunt S. D. interpretes extranei; Nam Valentia *hic obuicit Cai. Primo*, quòd affirmas per- *Obi. Valen.*

personam intelligi debere non formaliter vt persona est, sed materialiter sc. secundùm perfectionē ipsius essentię & naturæ in qua subsistit persona. *Secundò*, quòd existimat personalitatem formaliter abstrahere à perfectione & imperfectione, sicut existimat de relatione formaliter, quæ in diuinis constituit personam: quem sensum etiam accepit Suar. *lib. 1. de Trin. c. 1. Tertiò*, quòd in secunda ratione dubitandi dixerit sequi personas diuinas distingui perfectissimè. *Quæ omnia falsò* imponuntur Cai. Nam in primis apertè constat ex resolutione prædicta sumi à nostro Cai. personā formaliter, cum eam accipiat quo ad ea omnia, quæ in eius ratione formali clauduntur intrinsecè, siue dicant perfectionem siue abstrahant à perfectione & imperfectione: Nec eadem est ratio de relatione formaliter prout dicit ad etiā reale, & de personalitate formaliter sumpta; nam relatio ratione ad formaliter non respicit subiectum in quo est, sed terminum tantum extrinsecum: & ideò non dicitur inhærens vt sic, sed assistens: at personalitas formaliter est subsistentia, quæ naturam respicit, cui est ratio subsistendi vt vltimum eius complementum; quo fit vt sit perfectio formaliter, & quidem maxima. Et ex his manifestè patet calumniæ secundæ falsitas; nam personalitas formaliter secundùm Cai. dicit maximam perfectionem, quamuis secundùm rationem incommunicabilitatis, quæ conuenit diuinæ personæ ratione proprij ad, quo respicit talem terminum, abstrahat à perfectione & imperfectione. Quòd postremò tādem imponitur Cai. de perfectissima distinctione personarum, ex mē doso videtur codice processisse, quē fortassis habebat hic expositor; sic enim legendum est: *sequeretur quòd in diuinis esset distinctio in perfectissima*, quorum verborum sensum superius expressimus.

Defensio.

Impugnatur fol. 1. al.

Solutio autem Valentiæ dicentis absurdum nō esse aliquam perfectionem esse in vna persona, vt relatiuè opponitur alteri, & ab ea distinguitur, nec propterea vnam personam alterius perfectione carere, cùm habeat illam in essentia: quòd satis est (inquit) illi ad perfectionis suæ infinitatem, quæ ex perfectione etiam essentiæ constat. *Hæc inquam solutio*, præterquam quod fuit vberrimè superius impugnata *in præced. qu. ar. 2. in speciali controuersia*, facilè etiam de falsitate conuincitur. Nam relatio, puta paternitas, secundùm propriam rationem formalem qua Patrem constituit & distinguit, est perfectio secundùm prædicti expositoris sententiam; ergo ita propria est Patris vt non Filij. Probatur sequela; nam alioquin paternitas secundùm propriam rationem qua distinguitur à Filio non esset perfectio, sed tantum secundùm communem rationem essentię sibi communem & cæteris in Deo relationibus. Præterea cùm ait vnam personam habere alterius perfectionē in essentia: vel intelligit habere eā in essentia, quatenus essentia includitur intrinsecè in ratione personæ & eam includit: vel in essentia sm se siue absolutè. Si primū: ergo vna persona includitur intrinsecè in ratione alterius. Probatur sequela; quia secūdùm hoc vna persona includeret formale, ac proprium distinctiuum alterius ab ipsa; cùm illud sit quædam perfectio formaliter, quo altera non caret. Si secundum: ergo non habet alterius perfectionem; quoniam in ratione filiationis non includitur essentia secundùm omnem rationem relatiuam, puta paternitatis aut spirationis passiuæ, quarum rationes secundùm se formaliter includit, sed tantùm secundùm rationem absolutam.

A *Sylvester* ait personam dici perfectissimam non comparando individuum ad suam speciem, sed comparando individuum, quod est persona, ad alia individua, quę sunt suppositа tantum. Quam sententiam sequitur Suar. *loco superius allegato*, ex quo deducit obiectionem Caiet. non procedere contra mentem D. Th. ait verò D. Tho. tanquam manifestum supponere ex qu. 3. in Deo esse suppositum, & inde concludere esse etiam in Deo personam; quia illi non deest dignitas naturæ, quam persona requirit. *Sed hæc interpretatio* manifestè pugnat cum textu præsentis articuli, vbi dicitur personam significare id, quod est perfectissimum in tota natura, sc. subsistens in natura rationali. Qua loquēdi forma satis apertè fit cō paratio naturę secundùm se, ad eandem, quatenus subsistēs est; sic enim persona est perfectissimum in tota natura, id est inter omnia, quæ possint in natura considerari: quia sc. natura subsistens, quæ est ipsamet persona, perfectior est seipsa non subsistente: si verò supponeret S. D. in Deo esse suppositum: cùm suppositum in tali natura, sc. diuina sit idem formaliter quod persona, supponeret id quod quærit. In quæst verò tertia probauit esse suppositum in Deo stando in materia absolutorum; & quoniam absoluta subsistentia per relatiuam quasi completur: idcirco nihil ibi de nomine personæ tractauit, sed in hoc tantum articulo.

Sol. Syluest

Impugnatio

B

C *In resp. ad 1.* aduerte Dionys. restrictè loqui in materia diuinitatis, de qua ait non esse audendū aliquid dicere nec cogitare, præter ea, quę diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa: nam de reliquis supernaturalibus ad Sacramenta & salutem fidelium, & ad regimen Ecclesiæ pertinentibus plurima sunt in sacris litteris haud expressa, quæ à Christo & ab Apostolis per sacras traditiones de aure in aurem ad huiusce nostri tēporis pastores & Doctores, ac fideles peruenerūt; quę etiā ab antiquis patribus fuere diligenter Scripturæ commendata. Sed traditiones sunt ideò nuncupatæ; quia in sacris & Canonicis libris sic Deo disponente non fuere descriptæ.

D

ARTICVLVS IV

Vtrum hoc nomen persona significet relationem.

AD quartum sic procedit. *Videtur, quod hoc nomen, persona, non significet relationem, sed substantiam in diuinis. Dicit enim August.* * *in 7. de Trinit. Cùm dicimus personam patris, non aliud dicimus quàm substantiam patris: ad se quippe dicitur persona, non ad filium.* 172

2 Præterea. Quid quærit de essentia. Sed sicut dicit Aug. † *in eodem loco, cùm dicitur: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & quæritur: Quid tres? respondetur. tres personæ. Ergò hoc nomen, persona, significat essentiam.*

3 Præterea. Secundum Philos. 4. Metap. * *Id, quod significatur per nomen, est eius diffinitio: sed diffinitio personæ est, rationalis naturæ individua substantia, vt dictum est.* † *Ergo hoc nomen, persona, significat substantiam.*

4 Præterea. Persona in hominibus & Angelis non significat relationem, sed aliquid absolutum. Si igitur in Deo significaret relationem, diceretur aquiuocè de Deo, & hominibus, & Angelis.

Sed contra est, quod dicit Boet. in lib. de Trin. * *quòd omne nomen ad personas pertinens, relationem significat. Sed nullum nomen magis pertinet ad personam quàm hoc nomen persona. ergo hoc nomen, persona, relationem significat.*

1. dist. 23 a 3. & dist. 26. q. 1. a 1 & post. q. 9. a. 4 cap. 6 circa princ.

Lib 6 de Trin c. 3 & seq Et lib. 5. de Trin. c. 9. in fi. to 3.

Lib 4. Metaph. tex. 28 to 3.

E

** Art. 1 huius q.*

Post. med. lib de Trin.

Respondeo. Dicendum, quòd circa significationem huius nominis persona in diuinis, difficultatem ingenit, quòd pluraliter de tribus prædicatur præter naturam essentialium nominum: neque etiam ad aliquid dicitur, sicut nomina quæ relationem significant. Vnde, quibusdam visum est, quòd hoc nomen, persona, simpliciter ex virtute vocabuli, essentiam significet in diuinis, sicut hoc nomen Deus, & hoc nomen sapiens: Sed propter instantiam hæreticorum, est accommodatum ex ordinatione Concilij, vt positi poni pro relatiuis, & præcipuè in plurali, vel cum nomine partitiuo; Vt cùm dicimus tres personas, vel alia est persona Patris, alia Filij. In singulari verò potest sumi pro absoluto & pro relatiuo: sed hæc non videtur sufficiens ratio: quia si hoc nomen persona, ex vi suæ significationis, non habet quod significet nisi essentiam in diuinis, ex hoc, quòd dictum est tres personas, non fuisset hæreticorum quietata calumnia: sed maioris calumniæ data esset eis occasio. Et ideo alij dixerunt, quod hoc nomen persona in diuinis, significat simul essentiam & relationem. Quorum quidam dixerunt, quòd significat essentiam in recto, & relationem in obliquo, quia persona dicitur quasi per se vna. Vnitas autem pertinet ad essentiam: quod autem dicitur per se, implicat relationem obliquè. Intelligitur enim pater per se esse quasi relatione distinctus à filio. Quidam verò dixerunt è conuerso, quod significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, quia in diffinitione personæ, natura ponitur in obliquo. & isti propinquius ad veritatem accesserunt.

Ad euidentiam igitur huius quæstionis considerandum est, quòd aliquid est de significatione minus communis, quod tamen non est de significatione magis communis. Rationale enim includitur in significatione hominis, quod tamen non est de significatione animalis. Vnde, aliud est quærere de significatione animalis, & aliud est quærere de significatione animalis, quod est homo. Similiter, aliud est quærere de significatione huius nominis persona in communi, & aliud de significatione personæ diuinæ. Persona enim in commuui significat substantiam individuam rationalis naturæ, vt dictum est. Individuum d autem est, quod est in se indistinctum, ab alijs verò distinctum. Persona igitur in quacunque natura significat id, quod est distinctum in natura illa: sicut in humana natura significat has carnes, & hæc ossa, & hanc animam, quæ sunt principia individuantia hominem; quæ quidem licèt non sint de significatione personæ, sunt tamen de significatione personæ humanæ. Distinctio autem in diuinis non fit nisi per relationes originis, vt dictum est supra*. Relatio autem in diuinis non est sicut accidens inhærens subiecto: sed est ipsa diuina essentia. e Vnde est subsistens, sicut essentia diuina subsistit. Sicut ergò Deitas est Deus, ita paternitas diuina est Deus Pater, qui est persona diuina. Persona igitur diuina significat relationem vt subsistentem. Et hoc est significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in natura diuina, licèt subsistens in natura diuina non sit aliud quàm natura diuina. Et secundum hoc verum est, quòd hoc nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamen relationem, inquantum est relatio: sed inquantum significatur per modum hypostasis. Similiter etiam significat essentiam in recto: & relationem in obliquo, inquantum essentia idem est quod hypostasis. Hypostasis autem significatur in diuinis, vt relatione distincta. Et similiter relatio per modum relationis significata, cadit in ratione personæ in obliquo. Et secundum hoc etiam dici potest, quòd hæc significatio huius nominis persona, non erat percepta ante hæreticorum calumniam. Vnde non erat in vsu hoc nomen persona, nisi sicut vnum aliorum absolutorum. Sed postmodum accommodatum est hoc nomen persona ad standum pro relatiuo ex congruentia suæ significationis, vt scilicet hoc, quod stat pro relatiuo, non solum habeat ex vsu (vt prima opinio dicebat) sed etiam significatione sua.*

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc nomen, persona, dicitur ad se, non ad alterum, quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Et secundùm hoc, Augustinus dicit quòd significat essentiam, prout in Deo essentia est idem cum hypostasi, e quia in Deo non differt quod d est, & quo est. 16 D. 10 & 17

Ad secundum dicendum, quòd quid quandoq; quærit de natura quam significat diffinitio, vt cùm quæritur, quid est homo: & respondetur, animal rationale mortale. e Quandoque verò quærit suppositum, vt cùm quæritur, quid natat in mari? & respondetur, piscis. Et sic quærentibus quid tres, responsum est: tres personæ. 16

*Ad tertium dicendum, quòd in intellectu substantiæ individuæ, i. distinctæ vel incommunicabilis, intelligitur in diuinis relatio, vt dictum est.** Incorp. art.

*Ad quartum dicendum, quòd diuersa ratio minus communium, non facit æquiuocationem in magis communi. Licèt enim sit alia propria diffinitio equi, & asini, tamen vniuocantur in nomine animalis, quia communis diffinitio animalis conuenit vtriq;. Vnde non sequitur, quòd licèt in significatione personæ diuinæ contineatur relatio, non autem in significatione Angelicæ personæ vel humanæ, quòd non personæ æquiuocè dicatur. Licet nec etiam dicatur vniuocè, cum nihil vniuocè de Deo dici possit, & de creaturis, vt supra ostensum est.** q. 13. a. 5.

Art. 1 huius q. D. 718.

q. 27. a. 2. & 3. 166

Sensus quæsiti.

QVAERITVR & explicatur in hoc articulo quidditas diuinæ personæ. In titulo aduerte aliud esse quærere, quid significet nomen personæ; & aliud quid significet nomen personæ diuinæ; nam primum commune est, & *in 1. a.* resoluitur; secundum autem speciale, quod quæritur in præsenti. Vt enim ait S. D. in littera, persona, & persona diuina se habet sicut animal & homo, siue sicut genus & species; vnde illæ duæ dictiones, persona diuina, ponuntur ad circumloquendum incomplexum nomen; sicut si animal bipes poneretur loco hominis. Est ergo sensus quæsiti: Vtrum hoc nomen persona de Deo dictum significet relationem, siue eam significet formaliter siue materialiter.

Forma Textus.

QVATVOR sunt huius litteræ partes præcipuè. In prima affertur ratio difficultatis: in secunda referuntur opiniones, ex quibus prima reijcitur: in tertia respondetur quæsito vnica conclusione: in vltima reducuntur ad bonum sensum prærecitatæ opiniones.

Duo priora sunt perspicua in textu.

CONCLVSIO est. *Persona diuina significat relationem per modum substantiæ, id est, hypostasis in natura diuina.* Hæc conclusio ex parte subiecti duos habet terminos. s. persona, diuina. Ex parte verò prædicati tribus constat partibus, quæ illis verbis continentur, relationem, per modum substantiæ, & in natura diuina; & quoad singulas declaratur à D. Th. & primò quo ad terminos positos ex parte subiecti: quoniam aliud est quærere & loqui de significatione personæ, & aliud de significatione personæ diuinæ. Quod probatur; quoniam aliquid est de significatione minus cõmunis & quod non est de significatione magis

com-

communis. Nam rationale includitur in significatione nominis, quod tamen non est de significatione animalis. Vnde aliud est quærere de significatione animalis, & aliud est quærere de significatione animalis quod est homo. Deinde manifestat & probat singulas partes in prædicato contentas, quarum prima est relatio. Probat igitur personam diuinam significare relationem. Persona in quacumque natura significat id, quod est distinctum in natura illa: Sed in diuinis distinctio non fit nisi per relationes originis; igitur hoc nomen persona diuina significat relationem originis. Minor patet ex dictis in quæstionibus præcedentibus. Maior probatur dupliciter: Primo ratione: Persona in communi significat substantiam indiuiduam rationalis naturæ, vt dictum est *in primo articulo*. Sed indiuiduum est, quod est indistinctum in se, ab alijs autem distinctum; Ergo in quacunque natura persona significat id, quod est distinctum in natura illa. Secundò probatur eadem maior exemplo sic. Persona in natura humana significat has carnes & hæc ossa & hanc animam, quæ sunt principia indiuiduantia hominem; quæ quidem, licèt non sint de significatione personę sunt tamen de significatione personæ humanæ. Secunda pars prædicati erat illa, per modum subsistentiæ. Probatur. Relatio diuina est subsistens sicut essentia diuina; ergo persona diuina significat relationem vt subsistentem. Antecedens probatur dupliciter: primò, quia relatio in diuinis non est sicut accidens inhærens subiecto, sed est ipsa diuina essentia, vt diuina essentia est subsistens; ergo etiam relatio. Secundò; quoniam sicut Deitas est Deus, ita paternitas diuina est Deus Pater: at Deus Pater est persona diuina subsistens; ergo etiam relatio quæ est paternitas. Tertia pars continetur illis verbis in natura diuina, quæ declaratur ex differentia diuinæ relationis ab alijs: quia diuina relatio non est accidens inhærens subiecto, sicut aliæ, sed est diuina essentia, & ideò est subsistens sicut essentia diuina subsistit: quibus verbis ait Caiet. excludi tacitam obiectionem.

Vltimò S. Th. reducit ad bonum sensum prædictas tres opiniones; Vide litteram & Caietanum.

Expositio Textus.

OBSERVANDVM *est primò* propositionem illam D. Th. *Aliquid est de significatione minus communis, quod non est de significatione magis communis*, intelligendam esse de significatione explicita: sicut homo significat animal rationale explicitè, animal autem non significat hominem aut rationale explicitè, sed tantum implicitè; nam omne superius dicat totum id, quod est de ratione inferioris; alioquin de illo non prædicaretur; Cũ autem illud non dicat explicitè (Nam in diffinitione animalis non ponitur homo) relinquitur vt dicat implicitè.

Secundò aduerte longè diuerso modo significari nomine hominis, rationale, quàm hæ carnes, & hæc ossa significantur nomine personæ humanæ; homo namque non explicitè tantùm, sed etiam formaliter includit & significat rationale: persona verò humana licèt includat has carnes & hæc ossa, non tamen vt formaliter significata.

Dub. Sol. *Tertiò Nota* D. Tho. hic non soluere motiuum secundæ opinionis, quòd scilicet persona dicitur quasi per se vna &c. cui tamen satisfacit in 1. dicens personam dici per se vnam ab vnitate personæ, quæ est ex proprietate, non autẽ ab vnitate essentiæ vt supponit & significat illa opinio secunda; & quia S. D. opinionem hanc ad bonum sensum reduxit, admissa etiam illa nominis etymologia; ideo non necesse fuit ea vti responsione, quam *in primo senten.* adhibuerat.

Mouet hic dubitationem Zumellus ad finem suæ disputationis de conciliatione secundæ & tertiæ opinionis, quæ ex ipsis litteræ verbis facillimè soluitur, ac proinde gratis in ea dissoluenda laborat & lectoris mentem inutiliter occupat.

CONTROVERSIA VNICA.

An persona diuina significet relationem formaliter an materialiter tantum?

NOVEM refert A. noster D. antiquorum Theologorum de proposita dubitatione sententias, collectis simul eius doctrinæ diuersis locis, in quibus de hac agit materia, nimirum *in 1. dist. 23. a. 3. & 26. a. 1. & de potentia q. 9. a. 4.* vt hic etiam adnotarunt Torres & Zumell. Ex posterioribus autem Dur. *in 1. dist. 23. q. 1.* docet hoc nomen *persona* de formali significare in concreto quandam secundam intentionem: supponere verò pro indiuiduis constitutis ex proprietatibus personalibus; quam sententiam sequitur Torres *super hoc a.* *Sententiæ Doctorum.*

Secunda sententia Scoti est *in 1. dist. 23. & 25.* dicentis nomen *personæ* significare de formali in concreto incommunicabile naturæ rationalis, & supponere pro rebus realibus, quibus conuenit incommunicabilitas, quæ dicit negationem communicationis; & ideò nomen personæ significat formaliter negationem. Opinionem hanc sequitur Molina *disp. 2.* & approbat Torres *in fine Comment. huius a.* Eam latè confutat Cai. *in 3. p. q. 3. a. 2.* & alij; sed Rada *controu. 22.* explicans sententiam Scoti, trahit eum in sententiam D. Thom. quamuis nonnulla ibi ponat eius doctrinæ repugnantia.

Inter Thomistas autem & alios etiam expositores D. Tho. magna est concertatio de mente D. Tho. in hoc articulo; Nam Caietanus duo dicit: *Primum* est D. Th. *in q. de Potentia, q. 8. a. 4.* docuisse personam diuinam significare relationem, non formaliter, sed materialiter: *Secundum* est, hic altius S. D. attigisse propriam rationem subiecti id est personæ diuinæ: & affirmare diuinam personam non solum materialiter sed etiam formaliter relationem includere, non tamen determinatè paternitatem aut filiationem. Sententiam seu interpretationem hanc Caiet. sequuntur Bannes, Zumell. Molina, Valentia & Ripa.

Sed oppositam sententiam nimirum D. Tho. idem vtrobique docuisse tenent Capr. *in 1. dist. 25. q. 1.* Auctor tabulæ aureæ *in verbo persona num. 21.* vbi notat personam significare relationem per modum substantiæ, & allegat vtrumque locum & alia plura, nulla ibi denotata apparenti contrarietate. Sequuntur eandem opinionem Sylu. Iauell. Torr. Vasq. Suar. *de Trin. lib. 7. c. vlt.* & Rada: inter quos tamen est dissensio de modo siue qualitate significationis. Nam Capreolus, Sylvest. & Torres affirmant de mente D. Thomæ personam significare relationem materialiter tantùm: Iauellus autem, Vasq. Suar. & Rada dicunt sub vna consideratione personam diuinam significare relationem formaliter, sub alia verò materialiter: cum quibus & tandem conuenit Zum.

Status Controuersiæ.

Quæstio hæc supponit nomen *personæ* ac præsertim *diuinæ* significare aliquid reale positiuum: supponit præterea nomen *personæ* aliquo modo significare relationem; alioquin non posset pluraliter de tribus prædicari. Quærit autem, num illud reale positiuum quod nomine *personæ diuinæ* significatur formaliter sit relatiuum an absolutum? Nam de significato huius nominis *persona*, quatenus communissimum est, an sit formaliter positiuum aut negatiuum, reale aut rationis, disputabitur infra cum Scot. Dur. & alijs *qu. seq. a. vlt.*

Resolutio: Nomen personæ diuinæ significare relationem quodammodo formaliter, & quodammodo materialiter.

SCIENDVM EST *primò* aliud esse id, quod significatur & aliud id quod supponitur, & demum aliud quod copulatur per nomen. Nam id quod nomen significat, est eius propria ratio ad quam significandam ex institutione per se & immediatè refertur: sicut hoc nomen *animal* significat rationem animalis quæ est substantia animata sensibilis: supponitur autem per nomen id quod sub nominis significato directè continetur, vt determinatum sub indeterminato: sicut homo supponitur nomine animalis, quia sub animali directè continetur, vt determinatum sub indeterminato: siquidem homo est substantia animata sensibilis tali anima scilicet rationali; Vnde si addatur determinatio ei, quod est indeterminatum, vt exempli gratia rationale animali: id quod erat suppositum, sit significatum; nam animal rationale significat hominem. Illud autem copulatur per nomen, quod non directè continetur sub nominis significato, sicut determinatum sub indeterminato, sicut particulare aut minus vniuersale sub magis vniuersali, sed vtrumque est extra alterius essentiam: sicut album significat disgregatiuum visus, copulat autem hominem, cui inest albedo.

Secundò considerandum est aliquid per nomen dupliciter significari: vno modo formaliter: alio modo materialiter; Illud significatur per nomen formaliter ad quod significandum nomen est principaliter impositum: hoc autem est ratio nominis; exempli gratia, hoc nomen homo formaliter significat ens compositum ex anima rationali & corpore. Id verò materialiter significatur per nomen, in quo ratio per nomen significata veluti in quadam eius materia saluatur: Sicuti hoc nomen homo materialiter significat rem habentem cor & cerebrum & consimiles alias præcipuas partes ad constitutionem humani corporis necessarias vt anima rationali possit informari; Ex his duo deducit S. Tho. *de potentia q. 9. a. 4.* Primum est, nomen hoc *persona* communiter sumptum significare formaliter distinctum subsistens in rationali siue intellectuali natura; quia persona nihil aliud est, quàm substantia individua rationalis naturæ: & consequenter nomen hoc persona humana significat formaliter distinctum subsistens in natura humana; & eadem ratione nomen hoc persona diuina significat distinctum subsistens in natura diuina; Sed quemadmodum id, quod est distinctum subsistens in humana natura, necessariò est per materiam signatam individuatum, per quam ab alijs eiusdem naturæ distinguitur; & ob eam causam, nomen hoc persona humana, significat materialiter aliquid per talem materiam individuatam; ita pariter, quia distinctum incommunicabile in natura diuina non potest esse nisi relatio: cùm in diuinis omne absolutum sit commune & indistinctum, diuina verò relatio non est accidens sed substantia; est igitur idem in Deo relatio cum eo quod relatione refertur; ac proindè idem est relatio quod distinctum in natura diuina subsistens; igitur hoc nomine persona diuina significatur relatio materialiter. *Secundum* quod deducit est, rectè dici posse nomen hoc *persona diuina* significare relationem per modum substantiæ quæ est hypostasis: sicut & relationem significat, non vt relationem sed vt relatiuum id est vt significatur hoc nomine Pater, non vt significatur hoc nomine paternitas; nam relatio sic significata clauditur obliquè in significatione diuinę personę, quæ nihil aliud est quàm distinctum relatione subsistēs in natura diuina. Hęc verò quæ hucusq; diximus ex D. Th. de significatione personæ in nullo differre videntur ab his, quæ docet A. D. *in hoc a.* nisi quòd ibi duo nominis significata distinguit, vnum videlicet materiale, & alterum formale: hic autem ea distinctione non vtitur; quamuis eadem sit doctrina breuiori stylo collecta, vt patet conferendo singula vtrobique dicta. Ad cuius euidentiam

Tertiò Aduertendum est nomen *personæ* non esse commune vniuocum sed analogum, secundùm analogiam proportionalitatis & attributionis ad personam diuinam, Angelicam & humanam: & consequenter non habere vnum aliquem conceptum præcisum formalem aut obiectiuum; sed vnum tantum proportionaliter immediatè repræsentantem personam diuinam, Angelicam & humanam vt similes proportionaliter: ac propterea nomen personæ immediatè significare personam diuinam, Angelicam & humanam. Sed quoniam, vt diximus *in controu. de analogia ad a. 5. qu. 13.* analogum est medium inter vniuocum & purè æquiuocum: medium autem naturam sapiens extremorum ad alterum comparatum alterum induit, ideo, non raro D. Thomas & Aristoteles analogo vtentes ex parte vnitatis, eidem tribuūt vniuoci conditiones, nimirum abstractionem, indistinctionem & similia, vt ibidem explicauimus & ex Caiet. & ob eandem causam D. Th. *de potentia qu. 9. art. 4.* tribuit huic nomini persona suppositionem, quæ propria est vniuocorum: vnde, *ibid. in respon. ad 6.* dixit, hoc quòd persona aliud significet in Deo quàm in homine, pertinet ad diuersitatem suppositionis magis quàm ad diuersam significationem: Vbi non absolutè pronunciat diuersam illam significationem in Deo, & in homine pertinere ad diuersitatem suppositionis, sed comparatiuè loquitur: significans se vti nomine personæ ex parte vnitatis, qua conuenit cum vniuoco. Quod ideò factum existimo; quia nomen *personæ* sicut & quodlibet aliud analogum quamuis in suo conceptu claudat analogatorum differentias siue modos speciales: non tamen eos expresè significat, sed quasi implicitè tantùm & confusè; propter quem significandi modum dici potest nomen *personæ* magis supponere, quàm significare personam diuinam, angelicam & humanam.

Quartò Notandum est posse relationem tribus modis per aliquem terminum formaliter significari: *Primò* per modum relationis aut relatiui in actu exercito: vt cùm significatur nominibus paternitatis, filiationis, patris & filij; his enim significatur relatio, prout in actu fertur ad terminum: & ideo hæc & similia nomina sunt relatiua formaliter. Secundò potest significari relatio formiliter & in actu signato prout scilicet quidditas quædam est: & ita significatur hoc no-

Formale nominis significatum.

Materiale significatum

Persona communiter quid significet.

Persona diuina quid significet.

Nomen personæ analogum.

Relatio tribus modis significatur.

nomine relatio & relatiuum. *Tertiò* potest significari formaliter, non explicitè per nomen significans expressè respectum ad aliud, sed implicitè tantum: & hoc dupliciter, vno modo, quia talem rem significat cuius ratio, siuè quidditas perfectè concipi aut explicari minimè potest, nisi vt relatiua formaliter intelligatur & explicetur; alio modo quia in communi tantum analogo nomine & conceptu inadæquatè, confusè & implicitè repræsentatur & significatur: quem significandi modum diximus ad suppositionem quodammodo pertinere: quæ tamen implicita significatio dicitur etiam materialis, quatenus actualitate caret explicitæ significationis. Priori modo persona diuina significat formaliter implicitè relationem; quoniam incommunicabilitas subsistentiæ diuinæ personæ non est nisi relatiua formaliter: nec diuina persona constituitur nisi relatione formaliter: Posteriori verò modo nomen personæ secundum communissimam sui rationem significat relationem formaliter, quatenus vna eius subiectiua pars, nimirū persona diuina relatiua formaliter est, quam etiam, vt diximus, immediatè quamuis inadæquatè significat commune nomen personæ.

Persona dupliciter dicitur.

Quintò Obseruandum est personam communiter sumptam posse dupliciter contrahi: *vno modo* per differentias quasi extraneas à ratione personæ vt persona est, cuius propria ratio est subsistentia incommunicabilis: & sic determinatur differentijs naturæ, in qua persona subsistit: & hoc modo distinguitur in personam diuinam, Angelicam & humanam. *Secundò* potest distingui per differentias per se personalitatis vt personalitas est, & sic contrahitur per modos personandi, quibus per se distinguitur ratio incommunicabilis subsistentiæ: vt cum persona diuiditur in personam absolutam & personam relatiuam. Nam ea dicitur persona absoluta quæ ex modo absoluto constituitur in esse singulari incommunicabili & subsistenti. Illa verò dicitur relatiua quæ relatione constituitur in esse singulari & incommunicabiliter subsistenti; hoc autē habet quælibet diuina persona ex relatione formaliter, qua constituitur in esse personali & subsistenti, quo distinguitur à qualibet alia: & hoc modo personæ diuinæ significantur nominibus Patris Filij & Spiritus Sancti, quæ formaliter significant relationem, sed per modum hypostasis. Igitur hoc nomen persona diuina significat rationem personæ vt ad Deum contractam, non per differentiam per se, id est ex proprio modo personandi, qui in diuinis est relatio sub expressa ratione relationis: sed vt contractam quasi extranea differētia, scilicet ex parte naturæ; & ideo quamuis significet relationem, non tamen eam significat expressè formaliter, vt relatio est, sed sub ratione personalitatis talis naturę: & hoc est, quod docet S. D. cum D. Aug. *in resp. ad primum.*

Vltimum aduertendum est, tàm nomine personæ diuinæ, quam nomine Patris & Filij & Spiritus S. significari relationem vt subsistentem, vt ait S. Th. sed diuerso modo; nam nomen hoc *persona diuina* primò & formaliter exprimit subsistentiam, relationem autem significat implicitè & in obliquo; nam persona diuina idem est quod subsistens relatione distinctum in natura diuina; at hoc nomen *Pater* relationem primò & formaliter exprimit: subsistentiam autē importat ex modo significandi in concreto, & ex materia siuè relationis subiecto, quod relationē sibi realiter & formaliter identificat secundū se; & ideo propriè loquendo nomen *personæ* formaliter significat subsistentiam, materialiter autē relationem: nomina verò *Patris, & Filij, & Spiritus S.* formaliter significant relationem, subsistentiam autem vt modum.

Conciliatur dicta D. Th. & Expositorum.

Ex dictis sequitur primò concordia dictorum S. Th. Nam *in q. de pot.* dixit personam diuinam significare relationem materialiter, subsistens verò formaliter; quia cum dico persona diuina, significo personalitatem Dei, non vt contractam per differentiam per se personalitatis, siuè per proprium modum personandi, sed vt contractā per differentiam quasi extraneam, quæ est natura diuina; & ideo quamuis persona diuina sit realiter & formaliter relatio subsistens, non tamen significatur expressè formaliter relatio per modum relationis hoc nomine persona diuina, sed per modum subsistentis siuè personalitatis talis naturæ; & quia modus ad rem cuius est modus comparatur vt formale ad materiale, propterea dixit ibi S. D. nomine personæ diuinæ significari materialiter relationem, subsistentiam verò formaliter. Vbi aduerte exemplum huius nominis *homo*, quod affert in dicto loco S. Th. ad explicandum significatū materiale huius nominis *persona diuina*, esse in aliquo simile, simpliciter autem dissimile. Nam similitudo, propter quam assumptum est illud exemplū, in hoc consistit, quòd sicut carnes & ossa materialiter se habent ad humanam naturam, quæ in illis saluatur: ita relatio materialiter se habet ad personalitatē siuè subsistentiam personalem, eo scilicet modo, quo res concipitur vt materialis & potentialis respectu proprij modi. Dissimile autem est exemplum illud simpliciter; quoniam id, quod significatur hoc nomine *homo*, nullo modo constituitur in esse hominis formaliter per carnes & ossa, nec ea claudit in suo quidditatiuo cōceptu: sicut relatione formaliter constituitur diuina persona in esse subsistenti personali incommunicabili, & eam claudit in suo quidditatiuo conceptu: Nā relationes diuinæ constituunt ipsas personas diuinas, quatenus sunt ipsemet diuinæ personæ, vt suo loco dicemus cū D. Th. & Caiet. & ideo hoc nomen *diuina persona* formaliter quamuis non explicitè significat relationē, licet quo ad modum significet absolutum: quo fit, vt si per impossibile diuina personalitas esset absoluta, significaretur aptè prædicto nomine.

Secundò sequitur expositorum sententias verbis inter se magis quàm re ipsa pugnātes, facile posse conciliari. Nā quod dicunt Ban. & Vasq. personā diuinam significare relationē implicitè, idē est cū eo, quod ait S. D. Capr. Sylu. & Tor. personā scilicet diuinam significare relationem materialiter. Quod verò ait Cai. personam diuinā significare relationem formaliter, verū est quo ad rem significatam; quia nimirum significat relationem: & quamuis eam significet per modum subsistentis, principale tamen ad quod significandum est nomen impositum, non est modus, sed ipsa relatio. Deinde verum est de formali significato, non explicitè sed implicitè modo superius expresso; Tertiò verū est cōparando relationē ad naturā; cōstat nāq; persona diuina ex essentia & relatione, veluti ex determinabili & determinante; quamuis vt stat sub cōmuni cōceptu personalitatis aut subsistētiæ, materialiter tantū significetur. Postremò dici potest cū Iauello, relationē in Deo dupliciter cōsiderari: vno modo vt indiuiduatiua est, siuè vt concipitur tāquā proprietas indiuidualis: & sic est vt materiale; quia in reb', quę apud nos sunt, principiū indiuiduatio-

nis est materia. Secundò potest concipi diuina relatio veluti forma, seu differentia quasi specifica trahens essentiam secundum se communem ad personam: & hoc modo se habet vt formale. Priori modo consideratur à D. Thom. *in q. de Potentia Dei*, & à prædictis tribus expositoribus: posteriori verò modò consideratur hic à Caietano & alijs. Denique dictum illud D. Thom. & Capr. &c. quòd hoc nomen *persona diuina* significat formaliter subsistens in natura diuina, verum est de persona diuina secundum communem rationem personæ, in qua cum cęteris conuenit: secundò verum est quo ad modum significandi: tertiò verum est quo ad explicitam significationem.

A

B

Tertiò sequitur ex dictis falsum esse id, quod affirmant Zum. Suar. & Rada, videlicet personam conceptu præciso abstrahere à persona creata & increata, ab absoluta & relatiua; Iam enim diximus nomen personæ tanquã analogum nullum significare conceptum præcisum, sed immediatè singula analogata.

Zumellus, Suarez, & Rada reijciuntur.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Nomen personæ non significat intentionẽ, siuè ens rationis.* Probatur: quia persona est substantia indiuidua naturæ rationalis; ergo formaliter significat aliquid reale subsistẽs. Secundò probatur ex doctrina *præcedentis articuli*, vbi persona dicitur significare id, quod est perfectissimum in tota natura, & *ex articulo primo huius quæstionis, & præsertim in responsione ad secundum.* Tertiò probatur: quoniam intentio non est nisi per opus intellectus; igitur secluso opere intellectus non essent tres personæ nisi fundamentaliter, & in potentia, quod est erroneum. Quartò; quia omnis intentio secunda est relatio: si ergo persona in concreto significat intentionem secundã, habebit aliquod correlatiuum ei correspondens, & sic non dicetur ad se, vt ait Aug. nec facile esset assignare tale correlatiuũ. Sed de hac & sequenti conclusione, cumulatè disputabitur *in vlt. art. quæst. sequentis.*

C

„ SECVNDA CONCL. *Persona de formali non significat negationem.* Hæc patet ex dictis, & latè probatur à Cai. *in 3. p. q. 4. a. 2.*

D

„ TERTIA CONCL. *Nomen personæ in communi „ significat formaliter, & expressè subsistens distinctum „ in rationali natura, formaliter autem & implicitè si„ gnificat subsistens absolutũ & relatiuũ, vt similia pro„ portionaliter in subsistendo.* Hæc patet ex communi canone analogorum.

„ QVARTA CONCL. *Nomen personæ diuinæ signi„ ficat relationẽ materialiter, quatenus scilicet significat eam, vt informatur tali modo scilicet subsistentia, „ & quatenus implicitè tantum significatur nomine per„ sonæ.*

„ QVINTA CONCL. *Nomen personæ diuinæ „ significat relationem formaliter modus superius ex„ plicatis, & præsertim, vt infertur nominibus Patris, & „ Filij, & S. S.*

E

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta relata & soluta à Capr. *in 1. dist. 23.* Contra eandem sunt argumenta Molinæ de quibus agemus *in dicto vltimo articulo quæstionis sequenti.*

Obi. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam concl.* trahi posset argumentum ex doctrina D. Thom. superius relata *ex quæstionibus disputatis*, vbi ex differentia inter nominis suppositionem & significationem docet hoc nomen *persona* non significare formaliter personam absolutam vel relatiuam, sed tantum subsistens distinctum in natura rationali siuè intellectuali; supponere verò pro subsistente absoluto, vel relatiuo. *Sed sicut diximus* D. Thom. attribuere huic analogo, quod est persona, suppositionem impropriè ob similitudinem vnitatis quam habet cum vniuoco; Nam propriè loquendo significat immediatè personam absolutam & relatiuam, vt idem sunt proportionaliter.

Sol.

CONTRA *quartam concl.* argumentatur Caiet. *Primò.* De ratione formali diuinæ hypostasis secundum veritatem est relatio originis, quamuis non ista vel illa; Ergo diuina persona formaliter significat relationem. *Resp.* nullam esse consequentiam nam ratio formalis relationis comparatur ad subsistentiam, quæ est eius modus expressè & formaliter nomine personæ significatus, vt materiale ad formale.

Ob. 1. cont. 4. concl.

Sol.

Secundò. D. Thom. nihil hic soluit ex distinctione allata *in quæstionibus disputatis*, sed omnes difficultates soluuntur ex diuersitate inter modum significandi & rem significatam; quia scilicet res significata est relatio, significatur autem absolutè per modum hypostasis. Ergò. *Resp.* nullam esse conseq. Nam hoc argumẽto probatur optimè nostra conclusio; distinctio enim hæc in rem significatam & modum significandi in nomine personæ diuinæ est distinctio in materiale & formale, vt ante diximus.

Ob. 2.

Solut.

Contra eandem concl. argumentatur Zumel. Homo significat rationale formaliter; quia per id constituitur & distinguitur; at persona constituitur & distinguitur relatione. Ergò. *Resp.* nullam esse conseq. quia rationale est absolutum & per modum absoluti constituit: relatio vero non est absoluta, & personam constituit subsistentem, quæ vt subsistens & vt significata nomine personæ concipitur vt absoluta, saltem negatiuè; quia vt sic non includit relationem expressè, quamuis nec illam excludat: Vnde etiam ipse Caiet. *in 3. p. quæst. 3. art. 2.* quasi melius considerans prædicti nominis significationem sic ait: *Sed sicut cum his stat, quòd gratia materiæ subsistantia indiuidua, & hypostasis, & persona in diuinis significat relationem non vt ad aliud, sed vt rem hypostaticam: ita stat, quòd subsistens, & subsistentia significent relationem, vt rem hypostaticam.* Hæc ille. Qua loquendi forma conuenit manifestè cum D. Thom. sententia *in quæstionibus disputatis*: Idem enim est dictu nomen personæ in diuinis significare materialiter relationem, & idem nomen significare gratia materiæ relationem in diuinis.

Ob. 3.

Solut.

Contra eandem concl. argumentatur Ripa. *Primò.* Persona significat relationem vt subsistentem, vel per modum substantiæ; Ergò relatio primum significatur, substantia verò ex consequenti, & vt eius modus adiacens illi; Ergò non nisi de materiali. *Respondetur* nullam esse consequentiam sed oppositum sequi, vt patet ex dictis.

Ob. 4.

Sol.

Secundò. In nomine personæ includitur natura obliquè; ergò directè significat relationem.

Ob. 5.

Respondetur nullam esse consequentiam si dictio illa directè sit idem quod formaliter; nam significat relationem per modum subsistentis, & consequenter significat subsistens formaliter: relationem autem materialiter in sensu iam expresso; quamuis secundum alias considerationes superius expressas significetur nomine per-

Solut.

ne personæ relatio formaliter: & hoc est, quod probat argumentum.

Ob. 4 cont. CONTRA *quintam concl.* argumentatur Capr. *5. concl.* ex D. Th. *de potentia*, & primò probat personam diuinam significare formaliter distinctum subsistens in natura diuina. Sicut se habet persona in communi ad suum significatum: ita se habet persona diuina ad suum: sed persona in communi significat distinctum subsistens in natura rationali; cum hoc exprimatur per diffinitionem personæ; ergò persona diuina significat formaliter *Solut.* distinctum subsistens in natura diuina. *Respond.* quòd in conceptu subsistentis distincti in natura diuina clauditur intrinsecè relatio in recto significata, quamuis per modum subsistentis: itaque primò & formaliter significatur relatio, secundariò verò subsistentia.

Obi. 2. *Secundò* probat nomen personæ diuinæ significare relationem tantum materialiter. Illud est significatum materiale nominis, sine quo saluari non potest significatum eius formale; Sed distinctum subsistens in natura diuina, non potest esse nisi relatiuum; ergò. Maior probatur exemplo huius nominis homo, quod materialiter significat cor, epar, caput &c. sine quibus saluari *Solut.* non potest humana natura. Minor patet. *Resp.* maiorem non esse veram absolutè, nisi quando id in quo saluatur nominis significatum, non clauditur intrinsecè & in recto in ipso nominis significato, vt in exemplo cordis &c. respectu naturæ humanæ: non autem ita est de relatione respectu diuinæ personæ, vt ante diximus.

Obi. 3. *Tertiò.* Relatio non est subsistens, nisi quia est diuina essentia; Ergò nomine personæ significatur relatio materialiter. Probatur consequen- *Solut.* tia; quia persona significat subsistens. *Resp.* antecedens falsum esse formaliter loquendo; Nam etsi relatio habeat ab essentia radicaliter vt sit subsistens, quatenus est eadem illi: seipsa tamen formaliter est subsistens, vt aduertit Caietan. *infra q. 40. a. 4.* & consequenter persona diuina, quæ significat subsistens formaliter, significat etiam formaliter relationem vt subsistentem.

Obi. 4. *Contra eandem* concl. argumentatur Sylu. Relatio vt relatio non est de ratione suppositi generantis; Ergò non significatur formaliter nomine personæ. Antecedens probatur; quia relatio originis, quæ est paternitas, fundatur super generare, & consequitur terminum generationis; Nam ideò est Pater (vt dicit August.) quia genuit; Ergo relatio vt relatio non est de ratio- *Solut.* ne suppositi. *Resp.* relationem vt relatio est, posse dupliciter considerari; vno modo vt cõceptam, siue vt est hypostatica forma; alio modo vt exercitam: Primo modo sumendo relationem falsum est antecedens. Ad eius probationem negatur assumptum: Secundo verò modo verum est antecedens & eius probatio; sed non militat cõtra nostram conclusionem, quæ loquitur de relatione, prout est constitutiua personæ, vt eius forma hypostatica, immò vt est idem formaliter, quod ipsa persona differens ab ea solo modo significandi. Secundò dico conclusionem nostram loqui de relatione in concreto, prout significatur hoc nomine Pater, vel Filius &c.

Obi 5. *Contra eandem* concl. argumentatur Torres. Inquit S. Th. nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo: non tamẽ relationem, in quantum est relatio, & loquitur de persona diuina, si autem significaret formaliter relationem, eam significaret, in quantum est relatio. *Resp.* subsumptam propositionem quo ad illam particulam, *in quantum est relatio*, posse dupliciter intelligi; vno modo vt reduplicetur ratio formalis & quidditatiua relationis: & sic vera est: alio modo, vt reduplicetur siuè specificetur modus relationis, vt relatio est: & sic est falsa; & in hoc sensu intelligenda sunt verba D. Th. relata in priori propositione. *Solut.*

Secundò. Si per impossibile esset vna persona diuina, vt Iudæi & Saraceni imaginantur: ita propriè Deus esset persona diuina, sicut nunc est: sed tunc non esset relatio; Ergo modò persona diuina non significat formaliter relationem. *Obi. 6.*

Resp. in eo casu non fore eiusdẽ rationis constitutiuum personæ diuinæ sicut nũc: licet etiam tunc propriè esset persona; Nam quemadmodũ si rationale nunc non constitueret hominem, sicut hucusque constituit, non amplius significaret homo ipsum rationale de formali; ita si tãtum esset vna persona diuina, non constitueretur per relationem, neque relatio esset persona diuina, aut è contra, ac proinde non significaretur relatio formaliter hoc nomine persona diuina. *Solut.*

Contra eandem, & quartam arguit multipliciter Rada; sed eius argumenta aut cum prædictis coincidunt, aut nullo negotio ex iactis fundamentis solui possunt. Vnum dumtaxat proponemus, quod hucusque videtur intactum; Sic igitur arguit. Illi qui dicunt personas diuinas constitui per absoluta, & illi qui dicunt non cõstitui per absoluta, habent conceptus contrarios; ergo ambo isti idem concipiunt nomine personæ diuinæ: Probatur sequela; nam alioquin non haberẽt conceptus cõtradictorios; quia cõtradictio est affirmatio eiusdem de eodem: sed ambo isti non concipiunt personam diuinam vt relatiuam; quia tunc stultissimus esset ille, qui diceret personas diuinas per absoluta constitui; idem enim esset, ac si diceret relatiuum vt relatiuum, per absolutum constituitur. Propter eãdem rationem non concipiunt personam vt absolutam; quia tunc nimirum stultus esset, qui personas diuinas per relationes constitui affirmaret; esset enim asserere absolutum vt absolutum per relationem habere esse; ergò ambo concipiunt personam diuinam conceptu indifferẽti ad absolutum & relatiuum, quam sic conceptã vnus in particulari absolutam, alius relatiuam esse affirmat; ergò persona diuina dicit subsistẽs in natura intellectuali diuina, vt indifferens ad subsistens absolutum & relatiuum. *Resp.* primò admisso toto præcedente discursu nullam esse penultimam consequentiam; Nam sequitur tantum eos affirmantes, & negantes habere conceptum personæ communiter sumptæ indifferentem ad absolutum & relatiuum; cum enim persona communiter sumpta dupliciter distingui possit, vt supra diximus scilicet per differentias per se, quę sunt absolutũ & relatiuũ; & per differẽtias extraneas siuè per accidens, quæ sunt diuinũ, Angelicũ & humanũ: etiã si persona fuerit distincta per extraneas differẽtias, adhuc remanet eius indifferẽtia & cõmunitas quo ad differẽtias per se; & ideo qui affirmant diuinã personã esse relatiuã, & ille qui negat esse relatiuã, in duob⁹ cõueniũt: Primũ est distinctio siuè limitatio personę per extraneã differentiã significatã hoc nomine *diuina*; loquũtur enim ambo de persona prout est in natura diuina: Secundũ est identitas conceptus de persona cõmuniter sumpta, cõcipiunt enim illã ambo vt indifferentẽ ad absolutũ & relatiuum; Sed in vno discordant nimirum in ea *Cont. 2. & 4. concl. obiectio.* *Solut.*

diffe-

differentia siuè modo, quo persona communiter sumpta per se contrahitur ad personam diuinam; cum vnus affirmet contrahi per se relatione, alius autem neget, & per absolutum limitari contendat. Itaque non est necesse eos habere cõceptum indifferentem de persona diuina, sed tãtum de persona communiter sumpta, de cuius limitatione per extraneam differentiam ambo cõueniunt, sed in contractione, quæ est per differẽtiam per se, longè dissident. Secundò respondetur nullam esse vltimam consequentiam; Quoniam admisso prædictos disputantes habere cõceptum de diuina persona indifferentem ad absolutum & relatiuum, non sequitur; ergo persona diuina significat indifferens &c. Nam duplex indifferentia potest in aliquo nomine & eius significato considerari; vna quæ attenditur secundum conceptionem in re fundamentũ habentem, ad quam conceptionem per se primò significãdam impositum est nomen; sicut nomen *animalis* impositum est ad significandam naturã sensitiuam, quæ realem habet vnitatem in pluribus speciebus, & ideo fundat conceptum communem & ad plures illas species indifferentem. Alia est indifferentia nominis & conceptus, quę attenditur secundum conceptionem in opinione, vel propria vel alterius falsa fundatam, qualis est communitas analoga huius nominis *Deus*, ad verum Deum & ad idolum, vt explicat S. Th. *supra q. 13. a. 10.* & talis est etiam communitas & indifferentia huius nominis persona diuina; fundatur enim in sola falsa opinione negantis diuinam personam relatione constitui, & opinantis eam constitui per modum aliquem absolutum; sic enim multiplicat in diuina persona considerationes modorum constituendi, cum tamen secundum veritatem sit vnus scilicet relatiuus. Et quemadmodũ non valet ista consequentia, Paulus affirmat animal bipes quod est homo, esse rationale, & Petrus negat, & ait esse irrationale; Ergo conceptus est nomen *animalis bipedis*, siuè *hominis* absolutè est indifferens ad rationale & irrationale: ita non valet in re proposita.

A illo quædam communitas; ea propter in postremo articulo de communitate huius nominis persona differitur: de cuius pluralitate disputauerat in tribus iam dictis articulis.

QVAESTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis, in quatuor articulos diuisa.

DEinde quæritur de pluralitate personarum. Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, Vtrum sint plures personæ in diuinis.

Secundò, Quot sunt.

Tertiò, Quid significent termini numerales in diuinis.

Quartò, De communitate huius nominis, persona.

Ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & articulorum eius inter se.

IN INTRODVCTIONE præcedentis quæstionis affertur à D. S. ratio ordinis huius quæst. tam ad præcedentem, quàm ad subsequentem. Ordo verò articulorum hic est: Proponitur primò quæstio, an sit pluralitas personarum in diuinis. Secundò quæstio, quanta sit illa pluralitas. Tertiò quid sit, dum quæritur, quid significent termini numerales in diuinis. Postremo, quia ad omnem pluralitatem eius, quod in plura distinguitur, sequitur in

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit ponere plures personas in diuinis.

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd non* 173.
sit ponere plures personas in diuinis, Persona e- 1 d. 2 ar. 4.
nim est rationalis naturæ individua substantia, Si er- & 5. & 4.
go sunt plures personæ in diuinis, sequitur quòd sint con. c. 5 &
B *plures substantiæ. Quod videtur hæreticum.* 25. & po. q.
9. art. 5. &
2 *Præterea. Pluralitas proprietatum absolutarum* 00 3. c. 50.
non facit distinctionem personarum neque in Deo, ne- & quol. 7.
que in nobis, multò igitur minus pluralitas relationũ. q. 5. art. 2.
Sed in Deo non est alia pluralitas nisi relationum, vt supra dictum est. * *Ergo non potest dici, quòd in Deo* q. 27. art. 3.
sint plures personæ.

3 *Præterea. Boe.* † *dicit de Deo loquens, quòd hoc* † Boe. in li. de tri. ante
verè vnum est, in quo nullus est numerus: sed plura- med. illius.
litas importat numerum. Ergo non sunt plures personæ in diuinis.

4 *Præterea. Vbicunque est numerus, ibi est totum & pars. Si igitur in Deo sit numerus personarum, erit in Deo ponere totum & partem. Quod simplicitati di-*
C *uinæ repugnat.*

Sed contra est, quod dicit Athanasius, † *Alia est per-* † in suo Sym-
sona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Ergo Pa- bolo fidei.
ter, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt plures personæ.

Respondeo. Dicendum, quòd plures esse personas in diuinis, sequitur ex præmissis. Ostensum est enim supra, * *quòd hoc nomen persona, significat in diuinis* Art 4. q
relationem, vt rem subsistentem in natura diuina. Su- prac
pra autem habitum est, † *quod sunt plures relationes* † q. 27. a.
reales in diuinis. Vnde sequitur, quod sint plures res 1. 3. & 4.
subsistentes in diuina natura. Et hoc est esse plures personas in diuinis.

Ad Primum ergo dicendum, quòd d substantia non D 1026.
D *ponitur in diffinitione personæ, secundum quòd signifi-* Aug lib. 5.
cat essentiam: sed secundum quòd significat suppositiu. de Tri. c. 8.
Quod patet ex hoc, quod additur individua. Ad sig- & li. 7. c. 6.
nificandum autem substantiam sic dictam, habent Græci nomen hypostasis. Vnde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consueuimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiæ, propter nominis æquiuocationem.

Ad Secundum dicendum, quòd proprietates absolutæ in diuinis (vt bonitas, & sapientia) non opponuntur adinuicem, vnde neque realiter distinguuntur. Quamuis ergo eis conueniat subsistere, non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas: proprietates autem absolutæ in rebus creatis
E *non subsistunt, licet realiter abinuicem distinguantur, vt albedo, & dulcedo. Sed proprietates relatiuæ in Deo, & subsistunt, & realiter abinuicem distinguuntur vt supra dictum est.* * *Vnde pluralitas* Q. 28. art. 3.
talium proprietatum sufficit ad pluralitatem personarum in diuinis.

Ad Tertium dicendum, quòd à Deo propter summam vnitatem, & simplicitatem excluditur omnis pluralitas absolutè dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes prædicantur de aliquo vt a
ad alterum. e *Et sic compositionem in ipso, de quo* 165.
dicuntur, non important, vt Boet. * *in eodem libro* c
docet. 160.
a
Ad Quartum dicendum, quòd numerus est du- Loco cit.
plex

plex scilicet numerus simplex, vel absolutus, vt duo, & tria, & quatuor. Et est numerus, qui est in rebus numeratis, vt duo homines & duo equi. Si igitur in diuinis accipiatur numerus absolutè, siue abstractè, nihil prohibet in eo esse totum, & d partem: & sic non est nisi in acceptione intellectus nostri: non enim numerus absolutus à rebus numeratis est, nisi in intellectu. Si autem accipiamus numerum prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis, vnum est pars duorum, & duo trium, vt vnus homo duorum, & duo trium: & sic non est in Deo, quia tantus est pater, quanta tota Trinitas, vt infra patebit. †

D. 974.

Quæst 42. art. 3. & 4.

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic realis pluralitas diuinarũ personarum, vt patet ex probatione conclusionis.

Forma Textus.

CONCL. *est. Plures personæ sunt in diuinis.* Probatur: Hoc nomen persona significat in diuinis relationem, vt rem subsistentem in natura diuina; at in diuinis sunt plures relationes reales. Ergò sunt plures res subsistentes in natura diuina; quod est esse plures personas in diuinis. Maior probatur ex dictis in articulo quarto quæstionis præcedentis. Minor vero ex dictis *in q vigesima octaua.*

Expositio Textus.

DIFFICVLTAS, quę ex hoc discursu de numero diuinarum personarum determinato posset oriri, tractabitur cum Cai. & alijs *in art. seq.*

De concl. præsentis a. quæ est præcipuum Christianæ fidei dogma, disputãt ex recentioribus latissimè aduersus hæreticos Card. Bellarm. *lib. 2. de Christo, tomo 1.* Val. *super hoc art.* & Suar. *lib. 1. de Trinitate c. 2.* ad quos lectorem remittimus.

Quædam tamen solutiones Valentiæ, ad argumenta ab eo proposita, veritati minus consonæ & debita carere videtur soliditate; quæ summatim placuit hic recensere, & quid ego sentiam aperire.

Primũ argumentum Valent.

Est igitur *primum argumentum* illius. Si sunt plures personæ diuinæ: consequens erit nullam carum esse simpliciter infinitam: at hoc absurdũ est: si quidem persona, quæ infinita non est, non est verè diuina; igitur non sunt plures personæ diuinæ. Probatur sequela assumptæ propositionis, quia tunc carebit vnaquæque persona re illa, atque perfectione alterius, per quam ab ea distinguitur, id est proprietate personali seu respectiua alterius.

Solutio Valent.

Resp. negando sequelam primæ propositionis. Ad probationem distinguit dicés vnam personam alterius perfectione carere dupliciter intelligi posse: Vno modo de perfectione præcisè illis cõueniente, quatenus opponũtur & distinguuntur ab inuicem: & sic conceditur. Alio modo de perfectione simpliciter, ità vt vna persona nullo modo habeat perfectionem alterius; & sic negandum est. Nam quamuis vna persona, vt ab alia distinguitur, non habeat perfectionem alterius; habet tamen vt est vnum in essentia cum illa: & hoc satis est vt simpliciter sit infinita; Nam infinitas personæ non solum ex perfectione proprietatis personalis, sed maximè etiam ex ratione essentiæ (vt ita dicam) conflatur; cum essentia sit de ratione personæ, & idem cum illa. Vnde (inquit) satis intelligitur vnãquamque personam diuinam esse infinitam hoc ipso, quod in essentia obtinet, quicquid est perfectionis in alijs personis.

Sed hæc responsio dupliciter deficit. Primò: quia concedit realem perfectionum pluralitatem in diuinis iuxta numerum personarum, quòd supra validis argumentis impugnauimus. Secundò, quia dicit pugnantia; Nam si personis conueniunt perfectiones, quatenus distinguuntur ab inuicem; ex identitate, quam habent in essentia, non efficitur vt quod vni proprium est, prout ab altera distinguitur, sic etiam alterius; sicut ex eadem essentiæ vnitate vna persona non est altera. Implicat igitur dicere personis conuenire perfectiones, quatenus ab inuicem distinguũtur, & vnamquamque personam in essentia obtinere quicquid est perfectionis in alijs personis.

Confut.

Optima solutio est illa, quam affert S. Th. ad similе argumentum *infra q. 42. a. 4. ad 2.*

Vera Solut.

Secundum eiusdem argumentum est. Vel pluralitas personarum est necessaria in ente infinito vel non; si non; ergo non est vllo modo ponenda in Deo; totus enim Deus, secundum omne quod est, est ens necessarium: Si autem necessaria est; ergo etiam in vna qualibet persona diuina, vt persona est, debet esse pluralitas personarum, quod absurdum est. Patet consequentia. Nam persona etiam est ens infinitum. *Resp.* negando necessariam esse pluralitatem personarum in ente infinito. Ad argumentum admittit consequẽtiam si sermo sit de persona diuina secundum totã suam realitatem, ex qua constat ipsius infinitas; sic enim vt in essentia diuina est pluralitas personarum, consequenter etiam est in persona diuina, cuius res, atque infinitas constat etiam ex diuina essentia. Sicut enim verè dixit Christus: Ego in Patre, & Pater in me est ratione essentiæ; ita etiam verissimè dixisset, Ego & Pater vnum sumus in Spiritu S. & similiter Spiritus S. & Pater sunt in me. Quòd perinde est ac dicere in vnaquaq; diuina persona esse plures personas diuinas seu pluralitatem diuinarũ personarum. Addit præterea in vnaquaque persona diuina, vt secundum rationem suæ vnitatis completam & adæquatam in re ipsa est vna, esse pluralitatem personarum, quatenus essentia illius est plures personæ. Sed tamen non ita in persona diuina, vt vna scilicet personaliter, sunt plures personę: quasi ipsa vt est vna, sit personæ illæ plures: tũc enim non esset vna, neque hoc necesse est ad eius infinitatem, sed satis est, vt verè plures personæ sint in ipsa.

Secundũ argumentum Valent.

Sol. Valet.

Sed hoc responso non soluitur argumẽtum, quo probatur necessariam esse personarum pluralitatem in qualibet persona vt persona; eo modo, quo necessaria est in ente infinito; cum igitur sit necessaria personarum pluralitas in ente infinito, tanquam existens de ratione illius intrinseca: consequens etiam videtur vt sit necessaria in qualibet persona. Ex hoc autem, quod vna persona est in alia modo dicto, non efficitur, vt vna sit de ratione alterius intrinseca.

Confut.

Dicendum est igitur ad argumentum nullam esse consequentiam. Ad probationem dico falsam etiam esse consequentiam: est enim in argumento fallacia figuræ dictionis; nam proceditur ab identica ad formalem. Hæc enim est identica, persona diuina est ens infinitũ loquendo de persona diuina ratione sui proprij cõstitutiui & distinctiui; ideò namq; persona diuina sic accepta

Vera Solũ.

est

est ens infinitum; quia est realiter diuina essen- A tia, quæ est ens infinitum. Vnde non sequitur: si necessaria est pluralitas personarum in ente infinito; Ergo necessaria est etiam in qualibet persona; nam in consequenti sit sensus formalis: sumitur enim persona, prout distinguitur formaliter ab essentia. Recolenda sunt, quæ diximus supra *q. 28. a. 2.* nimirum personas diuinas claudi in quidditate diuinæ essentiæ, non ea ratione qua communicabilis est, sed qua constituibilis est in esse personali incommunicabili. Dico igitur personam esse ens infinitum, quod est essentia secundum rem, sed ab eo differt virtualiter; in hoc verò præcipuè posita est differẽtia; quod illud ens infinitum claudit tres personas, quas B nulla personarum includit. Illud enim ex propria ratione vnum numero existens est tribus suppositis communicabile, persona verò ex sui ratione est incommunicabilis; & ideo communicata essentia, non cõmunicatur pluralitas personarum; ac proinde nullo modo concedendum est in persona Filij etiam ratione essentiæ, quæ in eo est, esse pluralitatem personarum, eo modo, quo eadem pluralitas est in essentia secundũ se; quoniam essentia non communicatur Filio quo ad propria personarum; nam etiam essentia prout est in Filio vt sit, propria est Filij, vt ait Cai. *infra q. 41. a. 5.*

Responsio ad primum argumentum D. Th. ex- C plicanda est per ea, quæ notauimus *in præcedenti 1. & 2.*

Secundum argumentũ D. Thom.

Secundum argumentum D. Th. est. In Deo non est nisi pluralitas relationum: at pluralitas relationum non facit pluralitatem personarum; Ergo. Probatur minor. Pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarum, neque in nobis, neque in Deo. Ergo multò minus pluralitas relationum.

Responsio

Responsio formalis consistit in negatione minoris. Ad probationem negatur consequentia; & rationem affert S. D. eo, quia ad pluralitatem personarum duo requiruntur, nimirum, realis distinctio & subsi- D stentia, quæ duo simul non reperiuntur in proprietatibus absolutis, nec prout sunt in Deo, nec prout sunt in creaturis; nam vt sunt in Deo, solam habent subsistentiã, non autem distinctionem; in creaturis autem distinguuntur quidem, sed minimè subsistunt. At proprietates relatiuæ in Deo vtraque conditione gaudẽt; nam & subsistunt & realiter ab inuicem distinguuntur: & ideò earum pluralitas sufficit ad personarũ pluralitatem in diuinis. Ad cuius responsionis intelligentiam nota quæ scribit hic Cai.

Circa resp. ad 3. lege, si placet, quæ notat Val. *in resp. ad 4. suum argum* & quæ docet Cai. *supra q. 3. a. vltimo in expositione tituli.* Vide etiam D. Th. *in primo dist. 24. q. 1. a. 2.* Inde enim perspicua redditur hæc responsio. E

Quartũ argumentum D. Thom.

Quartum argumentum D. Th. est. Si in Deo est numerus personarum, erit in Deo ponere totum & partem; at consequens repugnat diuinæ simplicitati; ergo & antecedens. Probatur consequentia; quia vbicunque est numerus ibi est totum & pars.

Responsio.

Responsio est. Numerus est duplex; Vnus simplex vel absolutus; vt duo & tria & quatuor; Alius qui est in rebus numeratis; vt duo homines vel duo equi; sumendo numerum in diuinis priori modo, nihil prohibet in eo esse totum & partem; sic autem ratio totius & partis non est nisi in acceptione intellectus nostri. Posteriori vero modo sumendo numerum in diuinis non habet totum, & partem; quia tantus

Dubitatio

est Pater, quanta est tota Trinitas. *Sed aduersus resp. hanc*, quamuis eam verissimam esse fateantur, argumentantur Vasquez & post eum Suar. *lib. 1. de myst. Trinitatis cap. 10.* Si numero abstracto conuenit ratio partis & totius, & maius est totum quàm pars: debent etiam hæc conuenire numero in quauis materia contracto, ac proinde numero diuinarum personarum; quia quæ conueniunt numero secundum se, conueniunt etiam tali numero, licet non è contra; quę enim dicuntur de communi & superiori, dicuntur etiam de inferiori & singulari.

Vasquez. *& Suarezij.*

Respondent ex Gabriele *in primo dist. 24. q. 2. a. 3. dubio 1.* In Trinitate nihil reperiri maius aut minus, perfectius aut imperfectius, totum & partem secundum quantitatem quasi cõtinuam, id est secundum quantitatem virtutis & perfectionis, vt affirmat hoc loco D. Thom. At secundum quantitatem discretam id est secundũ pluralitatem concedimus (inquiunt) in Trinitate maiorem & minorem numerum; hoc est plures & pauciores vnitates; plures enim sunt Parer Filius & Spiritus Sanctus, quàm Pater & Filius; Nam vt aliquid sit maius alio quantitate discreta, non debet esse perfectius, sed satis est si in vna multitudine dicantur esse plures vnitates, quàm in alia; nec quidquam contra hanc doctrinam docuit S. Doctor. Nam numerum abstractum intelligit rationem solam discretæ quantitatis & multitudinis, in quauis etiam materia; & hoc pacto (inquit Vasquez) inuenitur totum & pars in Trinitate; hoc est totus numerus & partes illius, nempe singulæ vnitates; inuenitur etiam maius & minus, perfectius & minus perfectum; quia maior numerus & perfectior numerus est ternarius, quàm binarius in ratione multitudinis & discretæ quantitatis. Addit postremò Vasq. hæc nomina maius & minus non esse Trinitati accommodanda sine additamento; quia communi modo loquendi denotant maiorem & minorem perfectionem in quantitate cõtinua; & ideo sic dicendum esse in Deo est maior & minor numerus: & idem asserendum esse de toto & partibus, de perfectiori & minus perfecto. *Sed hæc* in primis aduersantur expresse mẽti D. Thom. qui perspicuè distinguit numerum simplicem siuè absolutum, qui est in sola acceptione intellectus, à numero qui est in rebus; quomodo ergo potest Vasquez secundum membrum cum primo confundere? Præter quàm quòd distinctio illa de quantitate continua & discreta, vel non est ad rem, vel primum membrum cum secundo coincidit in materia Sanctissimæ Trinitatis vt statim ostendemus.

Solut. Vas. & Suar.

Confut.

Sciendum est igitur ex D. Thom. *infra a. 3. & supra q. 11. a. 2* in rebus immaterialibus esse multitudinem, non de genere quantitatis sed transcendentem, quæ se habet ad multa, de quibus prædicatur, sicut vnum quod conuertitur cum ente ad ens, quod non addit supra ens nisi negationem diuisionis tantum: & eadem ratione inquit S. D. cum dicuntur res multæ, multitudo sic accepta significat res illas cum in diuisione circa vnamquamque earum. Vnde *in dicta q. 11.* notauimus, quòd multitudo transcendens est ens formaliter negatiuum: itaque numerus siuè multitudo aut pluralitas diuinarum personarũ significat earum entitates cum indiuisione circa vnamquamque earum. Constat autem ex supradictis *in q. 28.* entitates diuinarum personarum idem esse realiter, ac formaliter à parte rei, cum vna ac simplicissima entitate diuinæ essentiæ; & consequenter vnam esse cum ea perfectionem; atque ideò non esse maiorem perfectionem trium

Vera Sol.

quàm

quàm vnius; neque vnam aut duas esse partes totius Trinitatis verè ac propriè loquendo; nam totum rationem habet compositi, partes verò componentis, quod nefas est de Deo cogitare. Secundò. Pars suaptè natura ordinatur ad constitutionem totius, ac proinde maximam dicit imperfectionem; quamuis igitur de rebus ipsis numeratis loquendo tres personæ plures sint, quàm duæ, non tamen perfectior est numerus earum ternarius quàm binarius: nec binarius pars est ternarij. Nam relationes diuinæ prout personas distinguunt, perfectiones non sunt, sed abstrahunt à perfectione & imperfectione; nec rationem habent partis; quia vt modo diximus, ratio partis imperfectionem claudit. Sed quia prædicta scilicet ratio partis, maioris & minoris perfectionis conueniunt numero abstracto, vt patet ex Arist. *in primo cæli tex. 2.* de numero ternario, & D. Th. *super Epist. ad Hebræos c. 7. lect. 1.* de numero denario, & in rebus etiam creatis de numero concreto, contingit facile decipi, cum de numero personarum loquimur in diuinis: sed attendenda est maxima illa, quam indicauimus, diuinarum personarum differētia à qualibet rerum creatarum multitudine; ex hac enim vna radice soluitur prædictorum expositorum argumentum, & tota ruit noua eorum structura. His adde nouam hanc esse loquendi formam, quam hactenus nesciuit Ecclesia & antiquorum sapientia Patrum exhorruit.

Ad argumentum igitur Vasq. negatur sequela; diuersa est enim valdè ratio numeri abstracti & numeri concreti; & rursus concretus rerum creatarum numerus non est cum numero diuinarū personarum comparandus; cum illa prædictas omnes admittat imperfectiones, hic verò nullā. Ad probationem dico primò falsum esse illud assumptum: quæ conueniunt numero secundum se, conueniunt numero tali, quando dicitur tale ex materia, cui applicatur: sicut spheræ absolutè conuenit tangere planum in puncto, non autem spheræ tali, puta æneæ aut ligneæ; quia repugnat ex materia in qua dicitur talis. Secundò dico supponi falsum, nimirum numerum diuinarum personarum acceptum pro rebus ipsis numeratis comparari ad numerum absolutum, vt inferius ad superius. Nam nullum ens reale comparatur vt inferius ad ens rationis, id est sola ratione existens. Iam autem diximus numerum abstractū esse tantum in intellectu: numerus autem rerum sunt res ipsæ numeratæ.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum in Deo sint plures personæ quàm tres.

174. Infra q. 31. ar. 1. & qu. 41. ar. 9 & 2. di. 10. ar. 5 & 4. cō. cap. 12. vel 23 & c. 25. vel 26 & pot. q. 9. ar. 8. 9. & op. 2. c. 56. & 60. Ar. præc.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd in Deo sint plures personæ quàm tres. Pluralitas enim personarum in diuinis est secundum pluralitatem propriet atum relatiuarum, vt dictum est. * Sed quatuor sunt relationes in diuinis (vt supra dictum est) scilicet paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Ergo quatuor personæ sunt in diuinis.

2 Præterea. Non plus differt natura à voluntate in Deo, quàm natura ab intellectu: sed in diuinis est alia persona, quæ procedit per modum voluntatis, vt amor: & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius. Ergo est etiam alia, quæ procedit per modum intellectus, vt verbum: & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius. Et sic iterū sequitur quòd non sunt tantum tres personæ in diuinis.

3 Præterea. In rebus creatis quod excellentius est, plures habet operationes intrinsecas: sicut homo supra alia animalia habet intelligere & velle: sed Deus in infinitum excedit omnem creaturam. Ergo non solum est ibi persona procedens per modum voluntatis & per modum intellectus, sed infinitis alijs modis. Ergo sunt infinitæ personæ in diuinis.

4 Præterea. Ex infinita bonitate patris est, quòd infinitè seipsum communicet producendo personam diuinam: sed etiam in Spiritusancto est infinita bonitas. Ergo Spiritusanctus producit diuinam personā, & illa aliam, & sic in infinitum.

5 Præterea. Omne quod continetur sub determinato numero, est mensuratum. numerus enim mensura quædam est. Sed personæ diuinæ sunt immensæ, vt patet per Athanas.* Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritusanctus. Non ergo sub numero ternario continentur. In suo symbolo fidei.

Sed contra est, quod dicitur. 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritusanctus. Quærentibus autem quid tres? respondetur, tres personæ. vt Augustī. dicit * de Trinit. 7. Sunt igitur tres personæ tantum in diuinis. Ca 4 & se. quen to. 3.

Respondeo. Dicendum, quòd secundum præmissa † necesse est ponere tantum tres personas in diuinis. Ostensum * est enim, quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab inuicem realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes diuinas, non est nisi in ratione oppositionis relatiuæ. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo & filiatio (cum sint oppositæ relationes) ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens est persona Patris, & filiatio subsistens est persona filij. Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppositionem habent: sed sibinuicem opponuntur. Impossibile est igitur quòd ambæ vni personæ conueniant. Oportet ergo quòd vel vna earum conuenit vtrique dictarum personarum: aut quod vna vni, & alia alij: non autem potest esse, quòd processio conueniat Patri, & Filio, vel alteri eorum: quia sic sequeretur, quòd processio intellectus, quæ est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas, & filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio, & processio, si persona generans & genita procederent a spirante. Quod est contra præmissa. * Relinquitur ergo, quòd spiratio conueniat & personæ Patris, & personæ Filij, vtpote nullam habens oppositionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem. Et per consequens oportet, quòd conueniat processio alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus sancti, quæ per modum amoris procedit, vt supra habitum est.* Relinquitur ergo, tantū tres personas esse in diuinis. s. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. c Ar. præc. & ar. 4 q 29. Ar. præce. 9. 27. ar. 3. & 4. Loco nunc citato. 219. 183.

Ad Primum ergo dicendum, quòd licet sint quatuor relationes in diuinis: tamen vna earum scilicet spiratio, non separatur à persona Patris, & Filij: sed cōuenit vtrique. Et sic licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas, (quia non conuenit vni tantum personæ) neque relatio personalis id est constituens personam. c Sed hæ tres relationes, paternitas, filiatio, & processio, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes. nam paternitas est persona Patris, filiatio persona Filij, processio, persona Spiritusancti procedentis.

Ad Secundum dicendum, quòd id quod proce-

dit per modum intellectus, vt verbum, procedit secundum rationem similitudinis, sicut etiam id quod procedit per modum naturæ: Et ideò supra dictum est, † quòd processio verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem, inquantum huiusmodi, non procedit, vt similitudo illius à quo procedit: licet in diuinis amor sit coessentialis, inquantum est diuinus. Et ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.

Ad Tertium dicendum, quod homo (cum sit perfectior alijs animalibus) habet plures operationes intrinsecas, quam alia animalia, quia eius perfectio est per modum compositionis. Vnde in Angelis, qui sunt perfectiores & simpliciores, sunt pauciores operationes intrinsecæ quam in homine, e quia in eis non est imaginari, sentire, & huiusmodi: sed in Deo secundum rem non est nisi vna operatio quæ est sub essentia. Sed quomodo sunt duæ processiones, supra ostensum est. *

Ad Quartum dicendum, quod ratio illa procederet, si Spiritus sanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate patris: oporteret enim quod sicut Pater per suam bonitatem producit personam diuinam, ita & Spiritus sanctus. Sed vna & eadem bonitas Patris, & Spiritus sancti. Neque etiam est distinctio nisi per relationes personarum. e Vnde bonitas conuenit Spiritui sancto, quasi habita ab alio: Patri autem sicut à quo communicatur alteri. Oppositio autem relationis non permittit, vt cum relatione Spiritus sancti sit relatio principij respectu diuinæ personæ, quia ipse procedit ab alijs personis, quæ in diuinis esse possunt.

Ad Quintum dicendum, quod numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus) per vnum mensuratur, Si verò accipiatur numerus rerum in diuinis personis, sic non competit ibi ratio mensurati, quia eadem est magnitudo trium personarum, vt infra patebit. * Idem autem non mensuratur per idem.

q. 27. ar. 3.

q. 27. ar. 1. & 4.

q. 42. ar. 1. & 2.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat optimè Caiet. quem sequitur Sylues.

Forma Textus.

„ CONCL. *Necesse est ponere tantum tres personas in diuinis.* Probatur. Ex quatuor relationibus quæ sunt in Deo, tres tantum sunt quæ ad distinctas personas pertinent scilicet paternitas, filiatio & processio: vna verò scilicet spiratio duabus conuenit personis scilicet Patri & Filio; ergo sunt tantum tres personæ. Antecedens probatur primò quoad duas priores relationes, quæ sunt paternitas & filiatio. Necesse est duas relationes oppositas ad duas personas pertinere: si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eandem personam necesse est pertinere; sed paternitas & filiatio sunt oppositæ; ergo ad duas personas ex necessitate pertinens vt earum constitutiuæ; & sic paternitas subsistens est persona Patris, & filiatio subsistens est persona filij. Antecedens probatur. Plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab inuicem realiter distinctæ; at realis distinctio inter relationes diuinas non est nisi ratione oppositionis relatiuæ; Ergo necesse est duas realationes oppositas ad duas personas pertinere. Deinde probatur principale antecedens quo ad duas alias relationes, quæ sunt spiratio & processio, præsuppositis iam assumptis. Oportet vt ex his duabus relationibus vel vna earum conueniat vtrique dictarum personarum scilicet Patri & Filio, aut vna vni & alia alij; at non potest esse, quòd processio conueniat Patri & Filio, vel alteri eorum: Ergo spiratio conuenit & personæ Patris & personæ Filij: & per consequens processio conuenit alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus sancti, quæ per modum amoris procedit. Prima propositio probatur. Hæ duæ relationes spiratio & processio ad neutram ex prioribus habent oppositionem, sed sibi inuicem opponuntur; igitur impossibile est, vt ambæ vni personæ conueniant; ergo oportet, vt vel vna earum conueniat vtrique &c. Secunda propositio probatur; quia sequeretur, quòd processio intellectus quæ est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas & filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quàm accipitur spiratio & processio, si persona generans & genita procederent à spirante. Consequentia verò probatur; quia spiratio nullam habet oppositionem relatiuam, nec ad paternitatem nec ad filiationem.

Expositio Textus.

HIC articulus cum præcedenti secum trahit vniuersas difficultates, hucvsque aduersus sacrosanctum Trinitatis mysterium ab infidelibus, gentilibus, Hebræis aut Hæreticis excitatas, de quibus legendi sunt authores allegati *in art. præced.*

Secundo obseruandum est ex D. Thom. *de potentia quæst. 9. artic. 9. secundum* opinionem Arrij & Sabellij nullo modo posse in diuinis affirmari certum numerum personarum. In hoc enim Arrius constituit personarum Trinitatem, quòd Filius & Spiritus Sanctus essent quædam nobilissimæ creaturæ à Deo Patre procedentes. Creaturarum autem à Deo processio non de necessitate certo numero terminatur; cum diuina virtus sua infinitate modum omnem, speciem ac numerum creaturæ superexcedat. Eadem igitur infinita virtute & omnipotentia qua creauit Deus duas excellentissimas creaturas, quas Arrius affirmat esse Filium & Spiritum Sanctum potuit alias eis æquales vel etiam maiores vsque in infinitum producere. Sabellius autem dixit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum distingui solo nomine & ratione; constat autem nominis & rationis distinctiones in infinitum posse multiplicari: cum intellectus noster possit diuersos de Deo ex creaturis factis & factibilibus formare conceptus, & imponere nomina vsque in infinitum. Igitur secundum hanc hæresim non erit certus in Deo numerus personarum.

CON-

Controversia Vnica.

De efficacitate discursus D. Thomæ.

Dub. 1. MOVET hic duas difficultates Caietanus. PRIOR est circa discursum D. Th. qui ex duplici capite videtur deficiens. *Primum* est; quia in probatione secundæ partis antecedentis proponit hanc disiunctiuam: Spiratio & processio vel ita se habent, vt vna earum conueniat Patri & Filio: vel vna Patri & alia Filio; & tamen non examinat secundam partem disiunctiuæ, ex cuius discussione pendet propositi quæsiti reso- B lutio quo ad eam partem, qua quæritur an personæ diuinæ sint pauciores quàm tres? Nam si vna conuenit Patri & alia Filio: iam non erunt tres sed duæ tantum in Deo personæ. *Secundum* est; quia S. D. in eadem probatione subsumit hanc propositionem negatiuam. Processio non conuenit Patri & Filio vel alteri eorum; quæ vt patet, duas habet partes, ex quibus sola prima probatur in textu. *Solut. Caiet.* *Cui dubitationi respondens* Caiet. duo dicit. *Primum* est, debuisse D. Th. omnia membra distinctè examinanda proponere, vt perfectus appareret discursus, tàm in distinctione membrorum, quàm in singulorum exa- C mine, partim explicito & partim implicito. *Secundum* est, D. Th. propositis dictis duabus propositionibus examinasse primam partem, tàm primæ quàm secundæ. Ex quo sequitur etiam manifesta resolutio reliquarum duarum partiũ: Nam prima pars prioris propositionis erat spiratio & processio vel ita se habent, vt vna earum conueniat Patri & Filio; Prima verò pars posterioris erat: processio non conuenit Patri & Filio: & inchoando ab hac probauit processionem non conuenire Patri & Filio, ex quo deduxit spirationem vtrique conuenire scilicet Patri & Filio. Ex quo manifestè patet non fuisse necessarium reliqua dictarum duarum propositionum D membra discutere: Nam probauerat D. S. spirationem, & processionem ad eandem non posse pertinere personam; quoniam opponuntur relatiuè: Si itaque spiratio conuenit Patri & Filio, vt efficaciter probat discursus; quia scilicet processio amoris est ex processione verbi, sequitur manifestè processionem nec vtrique nec alteri posse conuenire; nec posse vnam scilicet spirationem vni, & processionem alteri conuenire. Hanc solutionem sequuntur Sylu. Iauel. Vasq. & Suar. quamuis existiment Sylu. & Suar. se aliter soluere.

Impugn. Zumel. *Sed arguit* Zumel. Iuxta hanc expositionem fundatur discursus super hac consequentia; Processio non conuenit vtrique personæ; Ergo spiratio conuenit vtrique: Quæ consequentia non E est bona nec formalis, vt patet in hac alia simili consequentia: Paternitas non conuenit vtrique personæ; ergo filiatio conuenit vtrique; est enim falsa. Quòd si dicas (inquit) antecedens hũc habere sensum, processio non conuenit vtrique, nec simul nec disiunctiuè. Contra hoc argumentatur; quia secundum Cai. illud antecedens non fuerat probatum in illo sensu, sed potius erat ostendendum. Ait igitur prædictus expositor D. Th. assumpsisse dictum antecedens in hoc sensu, videlicet processionem non esse in vtraque persona, neque in altera illarum; quod probat ex illis verbis D. Th. quia alias sequeretur, quòd processio intellectus procederet ex processione volũtatis; quorũ hic est sensus. Sequeretur quod A persona producẽs vel producta per intellectum, procederet per voluntatem, quòd est inconueniens; & ita inquit cõstat totus discursus D. Th. qui supponit in Deo esse duas processiones, quarum vna ducit originem ab altera; & quòd ex vtraque sequũtur duæ relationes: & quòd distinctio rerũ in Deo nõ est nisi per oppositionẽ relatiuam principij & principiati, formalem vel radicalem. *Sed ex hoc eodem* fundamento defendi- *Confut.* tur responsio Caietani. Nam suppositio ordine originis inter duas processiones passiuè sumptas, siuè emanationes cum alijs prædictis; sequitur necessariò, quòd si processio intellectus quæ est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas & filiatio in diuinis, non oritur ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio & processio; è contra processio amoris sit ex processione intellectus. Ex qua vlterius sequitur relationem actiuæ spirationis conuenire Patri & Filio, quia hæ duæ personæ attendũtur in diuinis secundum processionem intellectus. Nam Filius procedit vt verbum à Patre dicente, & actiua spiratio ad nullam earum habet oppositionem. Itaque deducitur consequens nõ ex antecedente præcisè sed adiuncta negatione oppositionis. Et quamuis ex hoc principio sequatur primò & expresè sola prima pars dictæ secundæ propositionis: sequitur tamen ex eodẽ implicitè & consequenter etiam secunda pars; & hoc est quod probat Zumel. Et ex his tollitur etiam difficultas, quam ad mentem Cai. proponit & soluit Vasq.

Hic aduerte Val. in formando discursu D. Th. *Lapsus Valentiæ.* vbi loquitur de processione & spiratione affirmare duas has relationes non distingui à paternitate & filiatione, eo quod illis non opponantur; quòd arbitror ex incogitantia dictum fuisse: Nam alioquin error est in fide dicere processionem spirationi oppositam non distingui realiter à paternitate & filiatione. Nec D. Tho. in littera tale aliquid significauit; difficultas enim quæ tangitur ex negatione oppositionis prædictæ relationis ad paternitatem, & filiationẽ, soluitur à Cai. in secunda dubitatione; quem sequitur etiam Val. paulò latius exponens doctrinam Caiet.

ALIAM *dubitationem* proponit Cai. de causa *Dub. 2.* distinctionis in diuinis ex verbis D. Tho. quæ manifestè videntur pugnantia; quã optimè soluit: & eius solutionem sequuntur interpretes, ac præsertim Val.

In responsionibus argumentorum obserua, quæ notat Caiet. *ad secundum*, & Porrectinus *ad quartum.*

Articvlvs Tertivs.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

AD *Tertium sic proceditur. Videtur, quòd termini numerales ponant aliquid in diuinis. Vnitas enim diuina est eius essentia: sed omnis numerus est vnitas repetita. ergo omnis terminus numeralis in diuinis significat essentiam. ergo ponit aliquid in Deo.* 175. 1. d. 24. q. 1. art 3. & pot. q 9. a. 7. & qual. 10. q. 1. a. 1.

2 *Præterea. Quicquid dicitur de Deo, & creaturis, eminentius conuenit Deo quam creaturis. Sed termini numerales in creaturis aliquid ponũt. Ergo multo magis in Deo.*

3 *Præterea. Si termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed inducuntur ad remouendum tantum, vt per pluralitatem remoueatur vnitas, & per vnitatem pluralitas, sequitur, quòd sit circu-*

latio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificans, quòd est inconueniens. Relinquitur ergo, quòd termini numerales aliquid ponunt in diuinis.

Lib. 4. de trinit. ante medium. Amb. lib. 1. de fide c. 2. ante medi. 10. 2.

Sed contra est, quod Hilar. dicit in 4. de tri.* Sustulit singularitatis, ac solitudinis intelligentiam, professio consortij, quod est professio pluralitatis. Et Ambr. dicit in lib. de fide.† Cum vnum Deum dicimus, vnitas pluralitatem excludit Deorum, non quantitatem in Deo ponimus. Ex quibus videtur, quòd huiusmodi nomina sunt inducta in diuinis ad remouendum, non ad ponendum aliquid.

Respondeo. Dicendum, quod Magister in sententijs ponit, quòd termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed remouent tantum. Alij verò dicunt contrarium.

Ad euidentiam igitur huius considerandum est, quod omnis pluralitas consequitur aliquam diuisionē: est autem duplex diuisio.* Vna materialis, quæ fit d secundum diuisionem continui, & hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis. Vnde talis numerus non est, nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est diuisio formalis quæ fit per oppositas, vel diuersas formas. Et hanc diuisionem sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere, sed est de transcendētibus, secundum quod ens diuiditur per vnum & multa. Et talē multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus. Quidam igitur non considerantes nisi multitudinem solam, quæ est species quantitatis discretæ (quia videbant quod quantitas discreta non habet locum in diuinis) posuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, sed remouent tantum. Alij verò eandem multitudinem considerantes dixerunt, quòd sicut scientia ponitur in Deo secundum rationem propriam scientiæ, non autem secundum rationem sui generis e (quia in Deo nulla est qualitas) ita numerus in Deo ponitur secundum propriam rationem numeri, non autem secundum rationem sui generis, quod est quantitas. Nos autem dicimus, quod termini numerales, secundum quod veniunt in prædicationem diuinam, non sumuntur à numero, qui est species quantitatis, quia sic de Deo non dicerentur nisi metaphoricè, sicut & aliæ proprietates corporaliū, sicut latitudo, longitudo, & similia. Sed sumuntur à multitudine, secundum quod est transcendens. Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa de quibus prædicant, sicut vnum quod conuertitur cū ente ad ens. Huiusmodi autem vnū (sicut sup. dictum est* cum de Dei vnitate ageretur) non addit aliquid supra ens, nisi negationem diuisionis tantum. Vnum enim significat ens indiuisum. Et ideo de quocunque dicatur vnum, significatur illa res indiuisa, sicut vnū dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non diuisam. Et eadem ratione cum dicuntur res multæ, multitudo sic accepta significat res illas cum indiuisione circa vnamquamque earum. Numerus autem qui est species quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens: & similiter vnum quod est principium numeri. Termini ergo numerales significant in diuinis illa, de quibus dicuntur, & super hoc nihil addunt nisi negationem, vt dictum est, e & quantum ad hoc. veritatem dixit Magister in sententijs. Vt cum dicimus, essentia est vna, vnum significat essentiam indiuisam. cum dicimus, persona est vna, significat personam indiuisam: cum dicimus, personæ sunt plures, significantur illæ personæ, & indiuisio circa vnamquamque earum quia de ratione multitudinis est, quòd ex vnitatibus consistet.

250. D. 1079.

50.

q. 28. art. 1.

52.

Ad Primum ergo dicendum, quod vnum cum sit de transcendentibus, est communius quam substantia, & quam relatio: & similiter multitudo. Vnde potest stare in diuinis & pro substantia, & pro relatione secundum quod competit his quibus adiungitur. Et tamen per huiusmodi nomina supra essentiam, vel relationem, additur ex eorum significatione propria, negatio quidam diuisionis, vt dictum est.* In corp. art. & loco ibi citato.

Ad Secundum dicendum, quod multitudo quæ ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, quæ non transumitur in diuinam prædicationem. sed tantum multitudo transcendens, quæ non addit supra ea de quibus dicitur, nisi indiuisionem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo.

Ad Tertium dicendum, quòd vnum non est remotiuum multitudinis, sed diuisionis, quæ est prior secundum rationem, quam vnum vel multitudo. Multitudo autem non remouet vnitatem: sed remouet diuisionem circa vnumquodque eorum, ex quibus constat multitudo. Et hæc supra exposita sunt,* cum de diuina vnitate ageretur. Sciendum tamen est, quod authoritates in oppositum inductæ, non probant sufficienter propositum. licet enim pluralitate excludatur solitudo, & vnitate Deorum pluralitas, non tamen sequitur, quod his nominibus hoc solum significetur. Albedine enim excluditur nigredo, non tamen nomine albedinis significatur sola nigredinis excluso.

q. 11. art. 4.

Sensus quæsiti.

PRo sensu quæsiti legendus est Cai. quem ad verbum sequitur Mol. & cauenda est expositio Syluest. dicentis ea dictione *aliquid* significari ens absolutum positiuum, abstrahendo à reali & rationis: Nam relatio (inquit) non est res, prout res est quid ratum & firmum. Hæc enim expositio manifestè aduersatur litteræ expresse quærenti de terminis numeralibus inj materia relationum; fatuum est autem dubitare, an termini numerales addant absolutum super relationes, cum dico duæ aut tres relationes, aut duæ vel tres paternitates, &c. Si enim addunt absolutum: iam relationes erunt formaliter quædam absoluta; quia non distinguerentur aut numerarentur siue multiplicarentur nisi per absoluta, per terminos numerales significata. Significat igitur illa dictio *aliquid* entitatem positiuam, quæcumque sit illa, siuè relatiua siuè absoluta. Aduerte præterea terminos numerales dupliciter sumi posse: vno modo determinatè, vt duo, tria &c. alio modo indeterminatè, vt multa, plura &c. & vtroq; modo de terminis numeralibus quæritur in titulo, & disputatur in corpore.

Forma Textus.

REFERVNTVR primò duæ contrariæ sententiæ. Prior est Magistri *in 1. sent. dist. 24.* dicentis terminos numerales nihil ponere in diuinis, sed tantum remouere: Posterior est aliorū affirmantium terminos numerales aliquid ponere in diuinis. Secundò proposita

posita distinctione diuisionis & pluralitatis, radicem aperit vtriusque sententiæ, siuè magis erroris. Postremò respondet quæsito vnica

„ Conclvsione. *Termini numerales significant in diuinis illa, de quibus dicuntur: & super hoc* „ *nihil addunt nisi negationem*; & ex conclusione sic proposita & probata trahit ad bonum sensum dictum Magistri. Legendus est Cai. qui totum huius articuli discursum ad facilem & planam formam reduxit.

Expositio Textus.

Sententia Magistri latè explicatur ab ipso *in primo dist. 24.* quam etiam confirmat auctoritatibus Ambrosij, & Hylarij relatis in argumento ad oppositum in sensu, quem hic Magistro tribuit S. D. Lege præterea quæ notat Cai.

Dubitatio. Deniqve contra conclusionem S. Tho. est argumentum. Numerus ternarius diuinarũ personarum sunt diuinæ personæ Pater, Filius & Spiritus S. quatenus distinctæ sunt abinuicem realiter relatiuè; at distinctio dicit aliquid reale positiuum; Ergo numerus ternarius diuinarum personarum addit formaliter aliquid positiuum supra personas ipsas numeratas. *Solut. Resp.* primò minorem esse veram materialiter, non autem formaliter. Nam rem hanc ab illa distingui, nihil aliud est formaliter, quàm rem hanc non esse illam; quamuis hæc negatio consequatur propriias huius & illius rei entitates, quibus hæc & illa in suo esse simpliciter, aut tali cõstituitur; quod idem dicendum est de diuisione reali vnius entis ab alio, vt hic significat S. Th. & notat Cai.

Controversia Vnica.

De veritate conclusionis D. Thomæ.

Sententiæ Expositorũ Vasqvez *disp. 129.* affirmat *primò* probabiliorem sibi videri eorum opinionem, qui docent nomina multitudinis significare rationẽ aliquam formalem positiuam, supra singulas vnitates, quæ nomine diuisionis explicari solet: quam diuisionem (ait) idẽ esse formaliter quod multitudo; siuè sermo sit de multitudine rerum quantarum, siuè de multitudine rerum quantitate carentium. Addit *secundò* se vehementer suspicari vtrumque numerum sub ratione numeri esse aliquid per rationem, & intellectum; quia præter realem diuisionem numerus sub ratione numeri constat ratione prioris & posterioris, qui solum est per nostrum intellectum. Cæterum (inquit) ratio multitudinis realis est positiua, distincta saltem operatione intellectus ab vnitatibus; ea verò est ratio diuisionis, cui opponitur vnitas. *Tertiò* dicit esse quidem ordinem prioris & posterioris in personis diuinis secundum rem; hunc tamen non esse ordinem numeri; cum ita possit initium numeri sumi à Spiritu sancto, sicut ab vnaquaque persona. *Postremò* ait perperã allegari Amb. à Magistro, ad probandum nomina numeri negatiuè tantum de Deo dici: & affert Ambr. verba *ante medium capitis* sic dicentis. *Diuersitas (scilicet personarum) plures facit, vnitas potestatis excludit numeri quantitatem; quia vnitas numerus non est, sed hæc omnium est principium*; quibus verbis significat per vnitatem essentiæ excludi numerũ personarũ, non autem numerũ negatiuè dici. Eandem sententiã quo ad secundũ dictum sequitur Suar. *disp. Metaph. 41. sect. 1. & 4.* & Fonseca *in 5. Meth. c. 13. q. 4.*

A Mvlta supra diximus *q. 11.* de ratione formali vnitatis & multitudinis, & de eorum oppositione; ex quibus facilè erit de noui huius interpretis opinione iudicare, & eius argumenta diluere. Prædictis tamen hic pauca quædam addemus ad prædicti expositoris sententiæ confutationem satis opportuna.

Resolutio. Multitudinem transcendentem duas addere negationes super res multas: & quo sensu forma numeri de genere quantitatis sit vltima vnitas.

Notandum est igitur primò ex D. Th. *de pot. q. 9. a. 7.* multitudinem transcendentem addere supra res quæ dicuntur multæ duplicem negationem, vt hic etiam aduertit Cai. vnam quæ est indiuisio: & alteram quæ est diuisio; sic enim ait: *Patet ergo, quòd vnum conuersum cum ente ponit quidem ipsum ens, sed nihil superaddit nisi negationem diuisionis. Multitudo autem ei correspondens addit supra res, quæ dicuntur multæ, quòd vnaquæque earum sit vna, & quòd vna earum non sit altera, in quo consistit ratio distinctionis: & sic, cum vnum addat supra ens vnam negationem, secundum quod aliquid est indiuisum in se: multitudo addit negationes duas, prout scilicet aliquid est in se indiuisum, & prout est diuisum ab alio, quòd quidem diuidi est vnum eorum non esse alterum.* Hæc S. D. quem sequitur hic Caiet. Ex quibus apparet primum dictum præfati expositoris directè opponi doctrinæ D. Th. *in dicta q. & a. & in 1. dist. 24. q. 1. a. 3. & alibi sæpè* confutat efficacissimis argumentis eam opinionem, quam exprimit Vasq. in primo dicto.

Vasquez. diuertit à D. Thom.

Secundò contra secundum dictum eiusdem expositoris legenda sunt, quæ scribunt Paulus Soncinas *lib. 10. Metha. q. 8. & alijs sequen.* & Iauel. *8. Meth. q. 9.*

Tertio considerandum est, quod sicut omnium entiũ, quæ sunt in vniuerso, non est vna natura, neque vnus modus essendi, sed multiplex iuxta rerum diuersitatem: ita nec eodem modo specificantur, aut in esse constituuntur: Simplicia namque subsistentia se ipsis constituuntur & specificantur, vt patet de Deo & intelligentijs. Cõposita verò substantialia in suo esse constituuntur & specificantur à forma, in propria & essentiali potentia recepta: Composita verò ad genus accidentium pertinentia, quales sunt omnes species numerorum, quæ sub genere quantitatis discretæ continentur, constituuntur in specie ab vltima earum vnitate formaliter, vt ait S. Tho. *8. Meth. tex. 10.* quoniam earum esse quamquam sit absolutum, ordinem tamen claudit vnitatum numerum constituentium, ad vnam quæ est omnium vltima. Verum difficile valdè est videre, quæ nam ex vnitatibus numerum componentibus sit à parte rei omnium vltima: & quomodo hæc vel illa vnitas, ad hunc magis numerum cõponendum, quam alium aliquem ex intrinseca & naturali sua ratione seu proprietate concurrat, & alia plura, quæ tangunt Vasq. & Suar. quæ tamen longè ante obiecerat Aureolus, vt refert Capreol. *in 1. dist. 24. q. 1.* Ad quarum difficultatũ solutionem.

Vltima vnitas vt sic nõ est forma numeri.

Quartò notandum est vltimam, siuè etiam quãlibet vnitatem cuiuslibet numeri, dupliciter posse considerari: vno modo quatenus vltima est: alio modò quatenus numeri est completiua formaliter. Priori modo non habet, vt per se sit forma numeri constitutiua; cum nulla per se, ac necessariò, siuè naturaliter sit vltima; Nam si aliqua per se esset vltima, hoc esset secundum aliquem realem ordinem, aut temporis aut naturæ aut finis aut dignitatis aut situs: Non primum; quia potest multa simul generari & à Deo produci: Non secundum; quia inter indiuidua eiusdem speciei vel etiam diuersarum, non est ordo naturæ, quo vnum præsupponat aliud: Nõ ter-

tium: quia vnum indiuiduum non est finis alterius eiusdem speciei; Non quartum: quia vnum lignum nō est perfectius altero eiusdem speciei; Non denique vltimum; quia potest creari vel etiam generari duo corpora, æquè distantia à Cœlo, vel etiam ab eodem puncto orientis: sicut etiam in circulo duo possunt puncta designari æqualiter à centro distantia. Nullus igitur est ordo per se & naturalis inter vnitates numerū componentes, præsertim eas sumēdo formaliter, quatenus ad genus pertinent quantitatis. Multas alias rationes subtiles accumulat Soncinas *lib. 10. Meth. q. 9.* ex quibus concludit in numero reali nullā esse vltimam vnitatē, quæ sit forma numeri, sed omnes ad numeri materiam pertinere: sicut etiā omnes partes cōtinui sunt eius materia, & ex omnibus simul resultare totum discretum, quod est numerus, sicut ex omnibus partibus cōtinui resultat totum continuum. Dictū autem D. Th. ait intelligendum esse de numero abstracto; quoniam in eo est ordo prioris & posterioris, qui est ordo naturæ secundum esse cognitū; quia semper processus ad posteriorem præsupponit processum ad priorem numerum; cū non possit ad ternariū procedi, nisi prius deueniatur ad binarium.

Vnitas quomodo sit forma numeri.

Mihi autem videtur dicendum, posse secundò considerari quamlibet vnitatem in quouis numero, vt eius completiuam, constitutiuā ad modum formæ, & quamlibet vel etiam quaslibet alias eiusdem numeri, vt eius materiam; nam hoc ipso, quod existentibus tribus vnitatibus additur quarta, resultat species quaternarij, satis apertè constat super additam vnitatem ad reliquas præexistentes, vt formam ad materiam eōparari; sed quia talis ordo, vt ante diximus, non est per se, aut necessarius; cum fieri simul possint omnes quatuor illæ vnitates; nec maior est ratio, quòd vna sit aliarum forma, quàm alia, & quælibet secundum se est numeri quaternarij completiua; si quidē vna quauis addita vel subtracta, constituitur, aut destruitur species numeri: dicendum omnino videtur quamlibet esse formam ad cæteras comparatam, & quamlibet esse materiam respectu cuiuslibet. Nam quælibet respectu reliquarum duplicem habet rationem scilicet completiui, & potentialis complebilis siuè perfectibilis in specie, quatenus rationem habet partis integralis in toto, quæ est conditio materiæ. Neque id absurdum est in tali rerum genere discretas, & vnius rationis formaliter habentis partes nullo adinuicem ordine copulatas, vt omnes vtroque partis scilicet materialis & completiui fungantur officio. Et quoniam speciei completiuum vt sic rationem quandam habet vltimi, idcirco S. D. propriā numeri formam esse dixit vltimam vnitatem. Nec obstat plures esse in numero vnitates, & consequenter videri plures esse in eo formas; nam vna tantum secundum vnam rationem semper est forma, & omnes etiam simul sumptæ, prout habent rationem completiui, vnius formaliter completiui, & vltimæ vnitatis vicem gerunt.

Numerus est tantum vnus.

Ex dictis sequitur vnum esse tantum omnium quantitate constantium numerum in vniuerso, qui continua additione & subtractione variatur; multos autem in potentia: cum enim non sit inter vnitates ordo naturalis, eandem habebunt omnes ad vnū, & eundē numerū cōponendum habitudinē, in quo necesse est reliquos oēs numeros in potentia dūtaxat absolutè loquendo contineri: alioquin numerus nō esset vnū per se. Sed quāquam verū sit in illo vno numero cæteros omnes in potentia, & non actu simpliciter cōtineri, vt etiā expresse docet Arist. *7. Metaph. text. 49.* Communi tamē hominum existimatione ac rerum vsu habent inferiores rerū numeri, vt esse dicantur & aliquo modo sint in actu. Primò, ex ipsa numeri natura, quę partes habet actu discretas, s. vnitates, ex quib' vna substracta, vel extrinsecus addita, absq; reliquarū alteratione vel mutatione secundū se nouus statim resultat numerus. Secundò, quia manentibus etiā eisdē vnitatib' inter se discretis habet intellectus, vnde plures numerorū species sua cogitatione distinguat. Tertiò, ex ipsis rerū numeratarū naturis, & earū conuenientia in aliquo genere, puta animalis, lapidis aut ligni, vel etiā in specie: distinguit enim saltem materialiter hæc rerū conueniētia sub vno genere, vel specie, numerū à numero conuenientiū in aliquo genere vel specie. Postremò, ad eandē numerorū differentiā siuè distinctionem plurimū conferūt accidentia, quæ sunt loca, situs, dominia, similitudines, relationes ac proportiones, quas apertè constat esse magis inter hæc, quā inter illa rerū indiuidua: Ex quibus tamen omnibus etiā simul sumptis non efficitur simpliciter ac formaliter pluriū numerorū actualis distinctio, sed materialiter tantum, per accidens & secundum quid.

Iam verò, quod ait Vasq. in diuinis personis ordinē esse prioris & posterioris, falsum est & examinandum infra *q. 42. a. 3.* *Vasque. dictum reijcitur.*

De verbis autē Amb. relatis à Magistro & hic à D. Th. in argumento ad oppositū, satis apertè constat ea fauere eius sententiæ, addita præsertim expositione D. Th. iuxta quā vera est opinio Magistri. Allatū est enim dictū Amb. ad ostēdendā proportionalē similitudinē inter vnitatē & multitudinem quo ad significationem negationis, quod etiam facit S. D. *in text.*

PRIMA CONCL. *Nomen multitudinis transcēdentis non significat formaliter aliquid positiuū, sed negationem tantum duplicē addit supra res, quæ dicuntur multæ.* Hæc est conclusio D. Th. in littera satis ab eo probata. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *Numerus de genere quantitatis, sub ratione numeri, est aliquid positiuū reale, formaliter existens in rerū natura, in vna tantū specie cæteras in potentia continente.* Hæc patet ex dictis, & latè probatur à dictis Metaphysicis.

TERTIA CONCL. *Vltima vnitas est forma numeri abstracti.*

QVARTA CONCL. *In reali numero quælibet vnitas est eius cōstitutiua ad modū formæ, & cæterarū etiam respectu rationem habet materiæ.*

VLTIMA CONC. *Cum veritate prædictæ quartæ conclusionis stat etiā veritas dicti D. Th. videlicet vltimam vnitatem esse formam numeri realis.*

CONTRA *primam concl.* argumētatur Vasq. *Primò.* Vnum & multa opponuntur contrariè vel saltem priuatiuè; si primum: in vtroque extremo oportet etiam esse formam positiuam cōtrariam; si secundum: priuatio debet esse ex parte vnitatis, non ex parte multitudinis; quia ratio vnitatis in negatione consistit, vt ait S. Th. *sup. quæst. 11. art. 2. Resp.* nullam esse conseq. quia multitudini opponitur vnitas priuatiuè ratione diuisionis inclusæ in multitudine, quæ diuisio est formaliter negatio; neque absurdum est vnam negationem respectu alterius induere modum quendam habitus, & per eam negari, quod tamen gratis negat Vasq. *Ob. 1 cont. 1. concl.* *Sol.*

Secundò. Si verū esset id, quod inquit S. Th. multitudinē videlicet trāscendentalē nihil aliud esse *Ob. 2.*

esse quàm res ipsas cum negatione diuisionis circa vnamquamque, sequeretur vnum & multa non esse opposita; quia vnitas quæ significat indiuisionem, non opponitur indiuisioni circa vnãquamque rem, sed diuisioni plurium rerum inter se. Ergo multitudo cui opponitur vnitas, significare debet non solùm diuisionis negationem, circa vnamquamque rem, verùm etiam diuisionem plurium rerum inter se. *Solutio.* *Resp.* hoc argumento probari id, quod ante diximus ex D. Th. & Cai. duas sc. negationes includi in ratione multitudinis, ex quibus altera est diuisio.

Obi. 1. cont. 2. con. CONTRA *secundam* conclus. argumentatur idem expositor. Numerus vt numerus constat ratione prioris & posterioris, qui est ordo inter primam & secundam & tertiam, & reliquas vnitates, ratione cuius dicuntur numeri differre: At qui hic ordo & distinctio numerorum solum est per nostrum intellectum; ergo. Probatur minor; quia sicut ab hac vnitate incipimus numerare, & desinimus in illam, possumus è contrario incipere. Hoc argumento vtitur etiam Suarez, & est desumptum ex Paulo Soncinate *10. Meth. qu. 1* *Solut.* *Resp.* nullum alium ordinem necessarium esse inter vnitates numerum componentes, quàm potentiæ & actus, qualem esse diximus inter quamlibet vnitatem & reliquas alias numerum integrantes; & cum non sit in rebus pluralitas actu numerorum, nec esse possit, vt supra diximus, sed vnus sit actu tantum numerus, in quo cæteri continentur in potentia, frustra ponitur à Vasq. dict' ordo ad reales rerũ numeros distinguendos.

Obi. 2. *Secundò* argumentatur Suar. argumento Aureoli contra eandem conclusionem. Arist. 4. *Phys. 131.* ait: Si id, quod numerare debet, esse non potest, nec numerabile quidquam esse posse; igitur ratione illius numerabilitatis non habet numerus maiorem vnitatem realem, quàm ex se *Solut.* habeat ratione plurium quantitatum &c. *Resp.* ex interpretatione D. Th. numerum rerum ab actu animæ non dependere, sed solum ipsam actualem numerationem; & tamen conditionalem Arist. esse veram, sicut hæc: Si impossibile est esse aliquem sentientem, impossibile est esse aliquod sensibile; nam si est sensibile potest sentiri, & si potest sentiri, potest esse aliquod sentiens; licèt non sequatur, si est aliquod sensibile, esse etiam aliquod sentiens; & idem dicendum est de numerabili. Vnde ad argumentum negatur consequẽtia; quia numerabilitas illa fundamẽtaliter sumitur, & non est sola extrinseca denominatio, sed est ipsa numeri natura, ex potentia & actu modo superius exposito constituta. Iauellus alio modo soluit *in d. q. 9.*

Reliqua argumenta contra eandem conclusionem, & ea etiam quæ possunt aduersus tres vltimas militare, & præsertim ex Fonseca, ex prænotatis facilè soluent intelligentes; non enim expedit quęstionem Metaph. minimę vtilitatis latius explicare.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis.

178 Inf. dist. 25. a. 3. & pot. q. 8. a. 3. ad 11 & q. 9. a. 4. ad 4. AD *quartum sic proceditur. Videtur, quòd hoc nomen, persona, non possit esse commune tribus personis. Nihil enim est commune tribus personis nisi essentia. Sed hoc nomen, persona, non significat essentiam in recto. Ergo non est commune tribus.*

182 2 *Præterea. Commune opponitur incommunicabili. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis, vt patet ex diffinitione Richard. de sancto Vict. supra posita. Ergo hoc nomen, persona, non est commune tribus.* *q. 29. a. 3. ad 4. arg.*

3 *Præterea. Si est commune tribus, aut ista cõmunitas attenditur secundum rem, aut secundum rationem. Sed non secundum rem, quia sic tres personæ essent vna persona. Nec iterum secundum rationem tantum, quia sic persona esset vniuersale. In diuinis autem non est vniuersale, nec etiam particulare, neque genus, neque species, vt supra ostensum est.* *Non ergò hoc nomen, persona, est commune tribus.* *q. 2. a. 5.*

Sed contra est quod dicit Aug. 7. de Trin. †*quòd cum quæreretur quid tres, responsum est, tres personæ, quia commune est eis id, quod est persona.* *Li. 7. de tri. c. 5 & seq. & lib. 5. c. 9 in fi. to. 3.*

B *Respondeo. Dicendum, quod ipse modus loquendi ostendit, hoc nomen, persona, tribus esse commune, cùm dicimus tres personas: sicut cùm dicimus tres homines, ostendimus hominem esse commune tribus. Manifestum est autem, quod non est communitas rei, sicut vna essentia communis est tribus, quia sic sequeretur vnam esse personam trium, sicut essentia est vna. Qualis autem sit communitas, inuestigantes diuersimodè locuti sunt. Quidam enim dixerunt quod est communitas negationis propter hoc, q̃ in diffinitione personæ ponitur incommunicabile. Quidam aũt dixerũt, quòd est communitas intentionis, eò quòd in diffinitione personæ ponitur individuum, sicut si dicatur, q̃ esse speciẽ est commune equo & bouis: & vtrumque horũ excluditur per hoc, quod hoc nomen, personæ, non est nomen negationis, neque in-*

C *tentionis, sed est nomen rei.* *Et ideo dicendum est,* 170 *quod etiam in rebus humanis hoc nomen, persona, est commune communitate rationis, non sicut genus vel species: sed sicut individuum vagum. Nomina enim generum vel specierum, vt homo, vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium, quæ significantur his nominibus genus vel species. Sed individuum vagum (vt aliquis homo) significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab alijs. Sed in nomine singularis d designati, significatur* D. 730. *determinatum distinguens. Sicut in nomine Sor. hæc caro, & hoc os. Hoc tamen interest, quod aliquis homo*

D *significat naturam, vel individuum ex parte naturæ cum modo existendi qui competit singularibus. Hoc autem nomen, persona non est impositum ad significandum individuum ex parte naturæ: sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis diuinis, vt vnaquæq; earum subsistat in natura diuina distincta ab alijs. Et sic hoc nomen, persona, secundum rationem est commune tribus personis diuinis.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de communitate rei.

Ad secundum dicendum, quòd licèt persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter, potest esse pluribus communis. c a

E *Ad tertium dicendum, quòd licèt sit communitas rationis & non rei, tamen non sequitur, quòd in diuinis sit vniuersale, vel particulare, vel genus vel species: e tum quia neque in rebus humanis communitas personæ est cõmunitas generis vel speciei: tum quia personæ diuinæ habent vnum esse: genus autem & species, & quodlibet vniuersale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.* 16 89 1 223

Sensus quæsiti.

ETSI communitas nominis quæratur in titulo, modum tamen communitatis præcipuè S. D. intendit. Nam in ipso corporis siue discursus exordio, nominis huius *persona* communitatẽ ex ipso modo loquendi compertam esse pronunciat, & quæstionem ac sentẽtias de modo cõ-

munitatis proponit & examinat: an scilicet sit communitas negationis aut intentionis, aut realitatis secundùm rationem

Formæ Textus.

APERIT primò S. D. statum controuersiæ, distinguens ea, quæ per se manifesta sunt, ab ijs, de quibus Doctores variè sunt loquuti, duas eorum sententias distinctè referendo. Secundò simul ambas confutat vnico argumento. Tandem quæsito respondet hac

CONCLVSIONE: *Nomen personæ est commune tribus personis diuinis, non sicut genus vel species, sed sicut indiuiduum vagum.* Huius conclusionis sensum prius explicat: deinde probat S. D. tali argumento. Hoc nomen *persona* significat rem subsistentem in tali natura, non vt genus aut species, sed vt indiuiduum vagum; at personis omnibus diuinis commune est, vt vnaquæque subsistat in natura diuina distincta ab alijs; ergo hoc nomen persona &c.

Expositio Textus.

RESPONSIO ad secundum explicanda est per ea, quæ docet S. D. supra *quæst. 29. artic. 1. ad 1. Et de potentia quæst. 9. art. 1.* & per ea, quæ disputat Caietanus *in prædicamentis*, vbi explicat diffinitionem substantiæ primæ.

Dubitatio. CIRCA *resp. ad 3.* negat S. D. personam esse vniuersale, & quòd vniuersale prædicetur de pluribus secundùm esse differentibus, personæ verò diuinæ habent vnum esse; Cuius tamen oppositum videtur affirmare Caiet. *in prædicamentis*, soluens motam ibi dubitationem, circa diffinitionem substantiæ primæ. *Solutio.* *Sed obserua* Caietanum loqui in communi de substantia prima, cuius esse est diuersum in substantia creata, & increata, & in singulis substantijs creatis: & eadem ratione persona communissimè sumpta est vniuersale ad personam creatam & increatam, & ad singulas personas creatas; quoniam in eis habet diuersum esse. Persona verò diuina, de qua loquitur hic S. Th. non est vniuersale ad tres personas, quarum est vnum esse. Vnde propositiones illæ Cai. Omne diffinibile & certitudinaliter scibile est vniuersale: & id cuius diffinitio prædicatur de pluribus vniuocè est vniuersale, glossandæ sunt de diffinibili prædicabili habenti diuersum esse in inferioribus subiectis.

CONTROVERSIA VNICA.

An nomen personæ significet rationem aliquam realem, communem secundùm rationem tribus personis?

Sententiæ Doctorum. TORRES *a. 4. q. præced.* respondens huic quæsito dicit quatuor. *Primum:* Nomen personæ est nomen secundæ intentionis. *Secundum.* Persona diuina est communis tribus personis, non ratione rei & significati, sed ratione significationis communis quam habet. *Tertium:* Responderi potest hoc nomen persona diuina esse commune tribus personis ratione illius modi quem importat, qui est per se existere absque communicatione. *Quartum:* Iste modus non est aliquid positiuum in tribus personis, sed est priuatiuum quoddam; quia communicationis priuationem dicit.

Molina dicit quinque. *Primum:* Persona de formali non significat aliquid reale, sed in concreto quippiam rationis, supponitque pro rebus, quæ dicuntur personæ. *Secundum:* Hæ propositiones, Pater est persona, Filius est persona, non sunt essentiales sed accidentariæ: sicut hæc, Socrates est indiuiduum. *Tertium:* Persona non est quippiam commune instar indiuidui vagi. *Quartum:* Vera est sententia Scoti dicentis vocabulum *persona* de formali significare in concreto incommunicabile naturæ rationalis; supponere verò pro rebus realibus, quibus conuenit huiusmodi incommunicabilitas, quæ negatio quædam est. *Quintum:* Probabilius est personam de formali dicere substantiam, & addere incommunicabilitatem in natura rationali.

Vasq. duo dicit. *Primum:* Probabilior est ea sententia, quæ docet nomen personæ significare quidem conceptum communem huic & illi personæ; non tamen significare rationem communem quidditatiuè paternitati & filiationi, vt significantur his nominibus relatiuis. *Secundum:* Nomen personæ significat denominationem, & modum subsistendi incommunicabiliter comparatione Petri & Ioannis: quamuis sit essentiale huic & illi personæ, vt nomine personæ significantur.

S. D. suam sententiam explicat vnica conclusione, videlicet. Hoc nomen persona non est commune, communitate negationis, aut intentionis, sed communitate rationis; non sicut genus vel species, sed sicut indiuiduum vagum: quam sententiam sequuntur & explicant nostrates omnes expositores post Capr. *in 1. dist. 25. qu. 1.* quos etiam sequitur Suarez *libr. 1. de myster. Trinit. c. 3.*

Caietanus addit: In hac propositione, Pater est persona diuina, prædicatum essentialiter dicitur respectu subiecti; quamuis comparatione huius propositionis, Pater est Deus, in qua prædicatum est simpliciter essentiale, prioris illius propositionis prædicatum dicat modum, atque ideò dicatur commune, vt indiuiduum vagum.

Status controuersiæ. QVATVOR implicantur in hac vna controuersia difficultates: PRIMA est: *An nomine personæ in diuinis significetur negatio, an aliqua ratio positiua communis tribus personis;* SECVNDA: *An admissa significatione rationis positiuæ sit hæc ratio realis, an intentio secunda, seu ens rationis;* TERTIA: *An nomen personæ dicat vnum conceptum præcisum vniuocè dictum de tribus diuinis personis, vel relationibus subsistentibus;* QVARTA est: *An persona quidditatiuè, seu essentialiter prædicetur de singulis in vna Deitate personis?*

Resolutio. Personæ communitatem non esse realem, & positiuam, sed rationis, & negationem. *Sciendum est primò* ex D. Tho. *in 1. dist. 25. q. 1. a. 3.* duplicem esse communitatem: vnam rei, & alteram rationis. Communitas rei est, quando aliquod vnum & idem numero conuenit pluribus: & talis communitas est in sola diuina natura respectu trium personarum. Communitas autem rationis duplex est; quædam habens fundamentum in negatione aut intentione siue ente rationis per nomen significato; Alia quæ fundatur in re per nomen significata; sicut ratio animalis communis est homini & vrso. Et hæc ratio fundata in re (inquit S. D.) duplex est, scilicet communis, vt ratio animalis: & specialis, vt ratio hominis. Cùm igitur in diuinis realiter sit relatio, consequens est ibi etiam esse communem rationem relationis: & cùm sit ibi realiter etiam paternitas & filiatio, ibi est etiam specialis ratio paternitatis, & specialis ratio filiationis realiter. Est igitur relatio communis paternitati & filiationi, sicut ratio communis rationibus specialibus. Et ad-

addit S.D. *Nec tamen ex hoc sequitur, quod relatio sit vniuersale ad paternitatem, & filiationem; quia vniuersale est secundùm aliud & aliud esse in suis inferioribus: in diuinis autem est tantum vnum esse: vnde idem esse relationis est in paternitate, & filiatione.* Hæc Diuus Thomas. Ad quorum euidentiam.

Vnitas formalis duplex.

Secundò Notandum est ex Caietano *in 4. c. de ente & essentia* duobus modis posse duo vel plura suppositio distincta esse vnum formaliter; vno modo per adunationem eorum in aliquo extra animam illis communi, & in eis indiuiso: & hoc modo solæ diuinę personę sunt vnum in essentia; Alio modo plura distincta suppositio sunt vnum formaliter per mutuam negationem inter se diuisionis formalis: & hoc modo quælibet indiuidua sub vna specie contenta nullo intellectu considerante sunt vnum formaliter in natura specifica. Nam Petrus nullo intellectu considerante habet hanc negationem, vt non sit diuisus à Paulo formaliter, & è contra; & idem dicendum est de

Vnitatis & communitatis differentia.

speciebus sub vno genere contentis. Sed hæc vnitas siue negatio mutuæ diuisionis quoad gradum genericum vel specificum non est ipsius rei, siue rationis formalis indiuisæ communitas, aut eius constitutiua: sed sit natura communis formaliter per indifferentiam ad plura numero vel specie: quam indifferentiam sortitur natura, siue ratio formalis ex consideratione intellectus, qui natus est ea, quę sunt adunata diuidere, ac proinde naturā in re conditionibus indiuiduantibus annexam secundùm se considerare, ac solitariè sumere, & vt indifferentem accipere; & sic eidem conferre communitatem negatiuam, cùm prius ex se ipsa, siue à parte rei solam haberet vnitatem formalem, vt ante diximus. Quod igitur commune est negatiua communitate habente fundamentum in re, natura quædam est aut gradus vel realitas addita eidē solitudine siue abstractione per intellectum, qua fit indifferens ad multa ac proinde communis negatiuè: quam negatiuam communitatem appellat S.D. communitatem secundùm rationem ob dictam causam; quia nimirum ex sola ratione sortitur indifferentiam, non autem quòd res ipsa de pluribus prædicata sit ens rationis; Animal enim vel homo, quæ de pluribus prædicantur, realem dicunt naturam in prædicamento substantiæ collocatam; quamuis eorum communitas & indifferentia fiat per intellectum abstrahentem. Caiet. verò considerans rem hoc nomine, *persona*, significatam esse realem, & fundamentum communitatis, dixit communitatem huius nominis persona, esse communitatem rei significatæ.

Personam significare aliquid reale positiuū.

Tertiò: Pro comperto habendum est in doctrina D. Th. & in ipsa rei veritate, nomen *personæ* significare formaliter aliquid reale positiuum, prout latè probat Caietanus *in 3. p. q. 4. a. 2.* & post eum Suarez & alij recentiores. Rationes verò præcipuæ sunt hæ; Prima, quia personalitas est constitutiua susceptiui per se primò actus essendi, & etiam filiationis in natura rationali; Secunda, quia per assumptionem humanitatis ad verbum impedita est propria humanæ naturæ personalitas; Tertia, quia Aristot. *in prædicamento substantiæ* ait primam substantiam esse propriè, principaliter ac maximè substantiam: & *in 5. Metaphys. in c. de substantia* Arist. distinxit substantiam in hypostasim & essentiam; sicut igitur hæc dicit ens per se, id est, non in alio tanquam in subiecto, sic illa, sc. hypostasis dicit ens per se, id est, separatim existens, qui modus est essendi realis & maxima rei perfectio; Quarta, quia nomina hypostasis, personæ, & nomina naturarum cum pronominibus, vt hic homo, hic bos, & nomina demonstratiua personaliter. vt ego, tu, ille, significant substantiam formaliter, non autem negationem aut accidens, vel ens rationis; Quinta, quia persona verbi in incarnatione supplet personam humanam, non suplet autem nihil, aut ens rationis, sed aliquid reale; Sexta, quia si natura dimitteretur à verbo, resultaret noua persona subsistens; Septima specialiter in diuinis; quia diuinæ personæ per reales proprietates relatiuas constituuntur, & distinguuntur in esse personali. Quid autem sit hæc realitas, quam adiungit naturę personalitas, aut subsistentia, diffinit Caietan. dicens eam esse terminum vltimum vt sic purum naturæ substantiæ, aitque realitatem hanc pertinere ad genus substantiæ reductiuè; singulas diffinitionis allatæ particulas latè probat & explicat Cai. *in alleg. q. 4. a. 2.* quem lege, si placet. Significat igitur nomen personæ formaliter modum realem, scilic. subsistentiam incommunicabilem in natura rationali: sicut hypostasis, siue substantia prima eundem modum significat in tota substantiarum latitudine. Qualis autem sit hypostasis, siue substantiæ primæ personæ communitas, & quomodo congruant eis diffinitiones Aristot. Boetij, & D. Th. subtiliter explicat Caiet. *in prædicamento substantiæ* ex doctrina S.D. *in hoc a. & alibi.* De modo verò prædicationis vniuocè vel æquiuocè nomen personæ dicatur in diuinis de tribus, nihil expressum habemus à D. Th. nisi quòd *in 1.* negat esse analogum; ex quo videtur necessariò sequi illud esse vniuocum, cùm manifestè constet non esse purè æquiuocum. Hoc idem alijs argumentis probant Zumellus & Suarez *in dicto c. 3. n. 8.* An verò sit essentialis & quidditatiua prædicatio personæ diuinæ de singulis in Trinitate, satis explicat & probat Cai. *in hoc a.* quem sequitur Suar. *vbi supra.* Quamuis enim absolutè loquendo persona non dicat essentiam huius & illius personæ, nec prædicetur in quid, (hoc enim proprium est naturæ, vt distinguitur contra personam) sed in cuiusmodi: si tamen sermo sit de hac vel illa persona, quatenus persona est nomen cōmune personæ, de singulis quidditatiuè prædicatur; nam singulis quidditatiuè conuenit subsistentia: & nomen personæ in diuinis significat relationem personarum constitutiuam & illis intrinsecam; Patri namque diuino vt pater est, paternitate scilicet subsistente constitutus, conuenit essentialiter & quidditatiuè subsistentia relatiua & personalitas. Quæstio denique de nominis eiusdem vniuersalitate quam illi denegat hic S.D. & *in 1.* quidam autem affirmant, potius videtur esse de nomine, quàm de re, vt hic aduertit Iauel. qui Bacconis sententiam existimat non nisi verbis esse differentem à D. Th. doctrina.

Personalitas quid ex Cai.

Quālis communitas personæ.

Persona prædicatur vniuocè.

Persona prædicatur essentialiter

An sit vniuersale.

PRIMA CONCL. *Nomen personæ non significat formaliter negationem, aut intentionem, siue ens rationis, sed aliquid positiuum reale.* Hanc probat in littera S. D. quia nomen personæ est nomen rei: & patet ex multis argumentis superius tactis.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Nomen personæ significat formaliter modum realem particulariter, siue incommunicabiliter existendi, pluribus communem, ad modum indiuidui vagi.* Hæc est Ang. Doctoris in textu, & probatur à Cai. in prædicamento substantiæ.

TERTIA CONCL. *Personæ communitas non est positiua, siue secundum rem.* Hæc est D. Tho. *in hoc a. & in 1.*

QVARTA CONCL. *Personæ nomen in diuinis signifi-*

„ gnificat realem subsistentiam tribus communem negatiuè, siue secundum rationem. Hæc est D. Th. *in littera & patet ex dictis*; & eadem est ratio de persona humana, & angelica in ordine ad singulas personas.

„ QVINTA CONCL. *Nomen personæ in diuinis prædicatur quidditatiuè, & essentialiter de tribus personis, modo superius explicato*; & eadem est ratio de humana & angelica persona.

„ SEXTA CONCL. *Nomen personæ vniuocè dicitur in diuinis.*

„ VLTIMA CONCLVSIO. *Nomen personæ non significat in diuinis aliquid vniuersale propriè loquendo.* Hæc est D. Thomæ *in respons. ad 3. & in 1.*

Argum. & Solutiones. CONTRA *primam concluſ.* sunt argumenta Aureoli à Capreolo relata & soluta *in 1. dist. 25. q. 1.*

Ob. 1. cont. 1. concl. *Contra eandem* argumentatur Molina. *Primò*: Persona diffinitur à Boetio per indiuiduum: à Richardo verò per incommunicabile; hæc autem de formali non reale aliquid significant, sed rationis; ergo.

Sol. *Resp.* nullam esse conseq. quoniam, vt inquit S. Th. *in q. præc. a. 1. ad 3. arg.* quo nunc vtitur Molina, nomina intentionum possunt accipi ad diffiniendum res, quatenus accipiuntur pro nominibus rerum, quæ non sunt posita ob causam ibidem assignatam.

Ob. 2. *Secundò*: Si persona significat aliquid aliud ab eo cui cõuenit, vt sit persona, cùm id reale, quod vnaquæque persona addit supra naturam, sit quid incommunicabile, ac alterius & alterius rationis in alia & alia persona tam creata quàm increata, commodius dicetur vocabulum persona (quod de singulis dicitur) significare de formali modum rationis, qui hos distinctos gradus in singulis personis consequitur: supponere verò pro rebus realibus, quæ dicuntur personæ, quàm significare gradus ipsos. Neque enim fingi potest, quid aliud vocabulum persona significet, quàm vel hos gradus indistinctè, vel modum rationis communem personis, qui eos consequitur.

Sol. *Resp.* nullam esse consequentiam. Ad probationem negatur antecedens, videlicet, illud incommunicabile, quod vnaquæque persona addit supra naturam, esse alterius rationis in alia & in alia persona eiusdem naturæ. Personalitas enim siue subsistentia in humana natura eiusdem est rationis vniuocæ in omnibus indiuiduis formaliter loquendo: & similiter subsistentia cuiuslibet personæ diuinæ: Nam, etsi differant diuinæ personæ quasi specie proprietatis personalis, vniuocè tamen conueniunt in vna ratione subsistentiæ relatiuæ personalis; & hanc subsistentiam significat personæ vocabulum.

Ob 3. *Tertiò*: Si persona de formali significaret id reale, quod vnaquæque persona addit supra naturam: sanè persona Patris relatiuè diceretur ad Filium, non solum quatenus Pater, sed etiam quatenus hæc persona: Probatur sequela; quia significatum formale huius personæ vt hæc, non esset aliud, quàm relatio realis ad Filium. Nec significari distinctè sub ratione huius paternitatis in concreto tolleret rationem huius personæ, quatenus hæc numero persona est, si formale huius personæ, quatenus persona est, non est aliud, quàm paternitas ipsa in concreto, qua paternitas

Sol. ac relatio est. *Resp.* nullam esse conseq. si particula illa *hæc persona*, denotet non tantum rem significatam, sed modum significandi expressum nomine personæ. Ad probationem negatur antecedẽs; A quia significatur formaliter modus absolutus scilicet personalitas vt sic.

Ob. 1. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argumentatur idem expositor. *Primò*: Singuli gradus, quibus singulæ personæ constituuntur vltimo in esse Socratis, Michaelis &c. sunt simpliciſſimi & primò diuersi. ergo nullam habent inter se conuenientiam essentialem; ergò non possunt concipi sub vno conceptu communi vniuoco. *Solus.* *Resp.* falsum esse antec. loquendo de gradibus id est subsistentijs personarum eiusdem naturæ: conueniunt enim in communi ratione subsistentiæ.

Ob. 2. *Secundò*. Persona afficitur signo particulari, quemadmodum & quoduis aliud vniuersale: dicimus namque quædam persona generat; ergo B persona non est quippiam commune multis instar indiuidui vagi. Patet consequentia; quia indiuiduum vagum non afficitur iterum signo particulari; ineptè quippè dixeris, quidam aliquis homo. *Resp.* cum D. Tho. hic, & Capr. *in 1. Solutio ad primum Aureoli contra 4. concl* duplex esse indiuiduum vagum: Vnum, quod formaliter significat indiuiduum ex parte naturæ cum determinato modo existendi, qui singularibus conuenit, vt aliquis homo; Aliud, quod formaliter indiuiduum significat ex parte modi existendi, & ex consequenti naturam: vt hoc, quod dico persona, quæ formaliter & rectè significat subsistens in natura &c. Ad argumentum negatur conseq.

C Ad probationem dico indiuiduum vagum primo modo non affici iterum signo particulari; quia tale indiuiduum significat naturam sub modo existendi, qui competit indiuiduo: & ille modus vagè designatur, siue communiter per signum particulare, vt dicendo aliquis homo, aliquod animal: cui non vlterius potest superaddi aliud signum denotans vlteriorem vagationem, sed indiuiduum vagum. Secundo modo designat sine tali signo particulari aut partitiuo, & ideò ei non repugnat vlterior designatio talis modi per signum particulare. Hæc ferè ad verbum ex Cap.

Molinæ Replica. *Contra hanc* responsionem instat Molina. *Primò*: quia indiuiduum vagum ex eo non potest affici signo particulari, quia significat modum D existendi particulariter, qui modus existendi nequit determinari per alium modum; si ergo persona significat eundem modum de formali & in recto, non poterit existere particulariter per alium modum, ac proinde neque affici signo aliquo particulari. *Secundò*. Indiuiduum vagum, vt *Replica 2.* quidam homo, est complexum quoddam ac vnum per accidens; Nam idem est dicere quidam homo & vnus homo, & dicere quidam homines & multi homines; ergo dictio quidam non significat id reale, quo indiuidua, quibus applicatur, constituuntur vltimò, ac distinguuntur adinuicem. *Resp. ad 1.* & negatur antecedens: Nam *Sol. 1. repl.* propria causa ob quam indiuiduum vagum primo modo non potest affici signo particulari, est E quia semel determinatum est signo particulari; sequeretur enim nugatio; nam quo ad rem significatam nulla videtur absurditas. *Ad secundum* negatur antecedens; Nam indiuiduũ vagum, vt quidam homo, est vnum per se; ex natura enim & eius modo, qui est subsistentia, fit vnum per se: sicut etiam cùm dico vnus homo, & quidam homines, si dictio illa, *quidam*, significet solùm subsistentiam siue modum subsistendi indiuidualiter: si verò significetur pluralitas, alia est quæstio ad rẽm præsentem minimè pertinens.

Ob. cont. 3. concl. CONTRA *quintam concluſ.* argumenta. Vasq. Pe-

Persona diffinitur per indiuiduum seu incommunicabile: sed hæc duo non significant conceptum quidditatiuum rerum sed denominatiuú; ergo persona significat rationem denominatiuam comparatione Petri & Ioannis, quamuis sit essentialis huic & illi personæ, vt nomine personæ significantur. ergo non potest à Patre, & Filio, & Spiritu S. abstrahi conceptus communis quidditatiuè: benè tamen commune quasi proprium earum; proprium autem denominatiuè prædicatur. Minor probatur; quia indiuiduum est veluti passio propria cuiusque rei in ratione entis, sicut bonum; passio autem non prædicatur in quid, sed denominatiuè. *Solut.* *Resp.* falsam esse minorem propositionem. Ad probationem negatur assumptum; nam indiuiduum ad naturam communiter siue absolutè sumptam comparatur, vt complementum in eodem genere, non autem vt passio. Ad ens autem comparatur vt modus rei, de qua dicitur, intrinsecus: & ideò communiter sumptus de rebus singulariter existentibus prædicatur quidditatiuè.

CONTRA *sextam concl.* est argumentum, quod proponit & soluit Iauellus ex Ioanne Baccone, quo nihil probatur contra mentem D. Thomæ.

Ob. 1. cont. vlt. concl. CONTRA *vltimam* possunt adduci duo argumenta ex Caiet. loco superius allegato *in prædicamento substantiæ*, vbi sic argumentatur. Omne diffinibile, vel certitudinaliter scibile est vniuersale: sed persona est diffinibilis, seu scibilis. ergo. Minor probatur: quoniam de singularibus non est scientia. *Obi. 2.* *Secundò.* Id cuius diffinitio prædicatur de pluribus vniuocè, est vniuersale: sed diffinitio tota personæ prædicatur de pluribus vniuocè; ergò persona est vniuersalis. *Sol. 1.* *Resp.* falsam esse minorem primi argumenti; non enim persona diuina est diffinibilis. Secundò dico maiorem non esse veram nisi in rebus creatis, vbi id, quod est scibile, distinguitur secundum diuersa esse in singularibus. *Sol. 2.* *Ad secundum* dico falsam esse maiorem, quando id, quod de pluribus prædicatur, non est in eis secundùm aliud & aliud esse.

QVAESTIO XXXI.

De his quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis in quatuor articulos diuisa.

POST hæc considerandum est de his, quæ ad vnitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis.

Et circa hæc quæruntur quatuor.

Primò, De ipso nomine trinitatis.

Secundò, Vtrum possit dici, filius est alius à patre.

Tertiò, Vtrum dictio exclusiua, quæ videtur alietatem excludere, possit adiungi nomini essentiali in diuinis.

Quartò, vtrum possit adiungi termino personali.

Ratio ordinis articulorum huius quæstionis.

TOTA hæc quæstio, in qua S. Th. agit de his, quę ad vnitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis, est de modo loquendi per terminos & propositiones, quatuor habens articulos optimo ordine dispositos; Nam incipiens quasi à cómunioribus agit de modo loquendi primo quo ad hoc nomen Trinitas: an scilicet conuenienter dicatur in diuinis. Secundò quoad nomina significantia distinctionem vnius personę ab alia. Tertiò quo ad dictionem vel dictiones exclusiuas adiunctas terminis essentialibus, quibus dictionibus exclusiuis significatur quædam comparatio essentiæ ad attributa essentialia, vel etiam ad personas siue proprietates personales. Quartò, & vltimò agit de modo loquendi quo ad dictionem exclusiuam adiunctam termino personali, qua significatur quædam comparatio personæ ad prædicata essentialia vel notionalia. Vnde etiam in nobis primò gignitur per fidem notitia Trinitatis personarum: Secundò vnam personam alteri comparamus: Tertiò essentiam, in qua vniuntur personæ, consideramus in ordine ad attributa & personalia: Demum personas, tum per ordinem ad essentialia, tum per ordinem ad personalia siue notionalia contemplamur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit Trinitas in diuinis?

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd non sit Trinitas in diuinis.* 177 *Omne enim nomen in diuinis vel significat substantiam vel relationem.* 1. dist. 24. q. 2. a. 2. & 2. dist. 2. q. 1. a. 5. cor. & op. 3. c. 30. 50. 51. & 52. *Sed hoc nomen, trinitas, non significat substantiam, prædicaretur enim de singulis personis: neque significat relationem, quia non dicitur secundum nomen ad aliud. Ergo nomine trinitatis non est vtendum in diuinis.*

2 Præterea. Hoc nomen, trinitas, videtur esse nomen collectiuum, cùm significet multitudinem. Tale autem nomen non conuenit in diuinis, cùm vnitas importata per nomen collectiuum sit minima vnitas. In diuinis autem est maxima vnitas. Ergo hoc nomen trinitas, non conuenit in diuinis.

3 Præterea. Omne trinum est triplex: sed in Deo non est triplicitas, cùm triplicitas sit species inæqualitatis. Ergo nec trinitas.

4 Præterea. Quicquid est in Deo, est in vnitate essentiæ diuinæ, quia Deus est sua essentia. Si igitur trinitas est in Deo, erit in vnitate essentiæ diuinæ. & sic in Deo erunt tres essentiales vnitates, quod est hæreticum.

5 Præterea. In omnibus quæ dicuntur de Deo, concretum prædicatur de abstracto. Deitas enim est Deus, & paternitas est pater. Sed trinitas non potest dici trina, quia sic essent nouem res in diuinis, quod est erroneum. Ergo nomine trinitatis non est vtendum in diuinis.

Sed contra est, quòd Athanasius dicit, quod Vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda sit.* *In suo symbolo fidei.*

Respondeo. Dicendum, quòd nomen Trinitatis in diuinis significat determinatum numerum personarum. Sicut igitur ponitur pluralitas personarum in diuinis, ita vtendum est nomine trinitatis, quia hoc idem, quod significat pluralitas indeterminatè, significat hoc nomen trinitas determinatè.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc nomen trinitas, secundum ethymologiam vocabuli, videtur significare vnam essentiam trium personarum, secundum quòd dicitur trinitas quasi trium vnitas. Sed secundum proprietatem vocabuli, significat magis numerum personarum vnius essentiæ; & propter hoc non possumus dicere, quòd pater sit trinitas, quia non est tres personæ. Non autem significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum adinuicem relatarum: & inde est, quòd secundum nomen, ad aliud non refertur.

Ad secundum dicendum, quòd nomen collectiuum duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, & vnitatem quandam, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen, trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis: sed quantum ad secundum differt, quia in diuina trinitate, non so- D. 358

lum

lum est vnitas ordinis, sed cum hoc est etiam vnitas essentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd trinitas absolutè dicitur. Significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis: est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boet. in arithmetica. Et ideò non est in Deo triplicitas: sed trinitas.*

Lib. 1. c. 2.

Ad quartum dicendum, quòd in trinitate diuina intelligitur & numerus, & personæ numeratæ. Cùm ergo dicimus trinitatem in vnitate, non ponimus numerum in vnitate essentiæ, quasi sit ter vna, sed personas numeratas ponimus in vnitate naturæ, sicut supposita alicuius naturæ dicuntur esse in natura illa. E conuerso autem dicimus vnitatem in trinitate, sicut naturam dicitur esse in suis suppositis.

Ad quintum dicendum, quòd cùm dicimus, trinitas est trina ratione numeri importati, significatur multiplicatio eiusdem numeri in seipsum, cùm hoc, quod dico trinum, importet distinctionem in suppositis illius, de quo dicitur. Et ideo non potest dici, quod trinitas sit trina, quia sequeretur si trinitas esset trina, quòd tria essẽt supposita Trinitatis: sicut cùm dicitur Deus est trinus, sequitur quòd sunt tria supposita Deitatis.

Sensus quæsiti.

QVAERIT hic, vtrum congruè nomen Trinitatis propriè sumptum enuncietur de diuinis.

Forma Textus.

" CONCL. est. *Trinitatis nomine vtendum est in* " *diuinis.* Probatur. In diuinis ponitur pluralitas personarum; ergo etiam vtendum est nomine Trinitatis. Probatur consequentia; quia quod significat pluralitas indeterminatè, significat hoc nomen Trinitas determinatè; nam importat determinatum numerum personarum scilicet numerum ternarium. Procedit hæc ratio, vt notat Cai. supposita fidei veritate, quòd in diuinis sint verè tres personæ.

Expositio Textus.

DETERMINATIO huius art. militat contra hæreticos Trinitarios negantes in Deo trinitatem personarum, & aduersus Caluinistas non recipientes nomen trinitatis.

An trinitas sit nomen essentiale.

S.D. *in 1. dist. 24. qu. 2. art. 2.* quærit: vtrum hoc nomen Trinitas sit essentiale? & ibidem concludit quo ad ethymologiam significari nomine Trinitatis vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum: sicut etiam hic ait *in resp. ad 1.* quod idem affirmat *in 1. in resp. ad 2.* de eodem nomine quo ad eius impositionem siue significationem; Vbi tamen hanc statuit differentiam: quòd hoc nomen Trinitas, quo ad eius ethymologiam, significat vnitatem essentiæ in recto, numerum autem personarum in obliquo: dicitur enim Trinitas quasi trium vnitas. Quo ad veram autem nominis significationem numerus personarum significatur in recto, vnitas autem essentiæ in obliquo: Nam idem significatur cùm dicitur Trinitas, ac si diceretur tres personæ vnius essentiæ, vt Magister exponit & approbat S. D. quod etiam expressè docet hic *in d. resp. ad 1.* & satis apertè significat *in resp. ad 2.* An autem hoc nomine significentur relationes? negatiuè respondet hic S.D. loquens de formali nominis significato; nam de materiali, id est quoad ea, circa quæ ponitur hic numerus in diuinis, affirmat *in 1.* significari relationes, quæ solæ numerantur in diuinis: atque ideò Trinitatem esse ad aliquid, non inquantum est Trinitas, sed prout est diuina Trinitas: ac proindè habere relationem implicitam; ex quo sequitur nomen Trinitatis formaliter & explicitè non dici ad aliud, sed materialiter tantum & implicitè id est ratione singularum relationum Trinitatem personarum constituentium.

An trinitas significet relationem.

CONTROVERSIA VNICA.

An in Deo sit triplicitas?

Sententiæ Doctorum.

IN RESPONSIONE ad tertium negat S. D. in Deo esse triplicitatem, ob eam causam; quia significat proportionem inæqualitatis; cùm Boetius *in Arithmetica libr. 1. cap. 24.* statuat triplicitatem speciem inæqualitatis. Sed Vasq. *disp. 131. cap. 3.* rationem hanc vt inefficacem reprehendit, & aliam quam affert ex D. Augustin. *lib. 6. de Trinitate, cap. 6. 7. & 8. & libr. 15. cap. 3.* nimirum, quia si Deus diceretur triplex aut multiplex ratione personarum, sequeretur maius quid esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum simul, quàm sit solus Pater. Suam autem sententiam explicat duobus dictis; *Primum* est: Non potest dici Deus triplex aut multiplex; quia alterum sensum è duobus reddit, aut Deum pluribus constare & ita esse compositum: aut multos esse Deos; quasi Deus multiplicetur. *Secundum* est: Si voces multiplex & triplex & duplex referantur ad personas, processiones aut relationes, non video quare non possint Deo conuenire: Quare dicere licebit; In Deo esse multiplicem personam, esse triplicem personam, duplicem emanationem.

Suar. *lib. 3. de Trin. c. vlt.* dicit quatuor. *Primum.* Vox illa triplex non ita potest prædicari sub hac voce Deus, sicut prædicatur esse trinum: & ita Patres sensere. *Secundum.* Idem dicendum est de hac voce multiplex. *Tertium.* Secundum communem rationem personæ vel relationis, posset hæc vox triplex in diuinis vsurpari, dicendo duplicem personam procedentem, vel triplicem relationem. *Quartum.* Nulla persona secundùm proprium & specificum nomen potest dici triplex. Suar. consentit Ripa: quamuis in primi dicti ratione non conueniat.

Resolutio! Rationem Vasq. cur Deus non dicatur multiplex aut triplex, eandẽ esse cum rationib. Aug. & D. Tho.

QVAESTIO hæc cùm sit de vocibus, quarũ significatio & congruitas maximè pendet ex vsu, non nisi ex antiquorum Patrum doctrina potest definiri. Illi namq; in exprimendis sacrosanctæ Trinitatis mysterijs ea studuerunt adhibere vocabula, quæ tantæ rei veritatem propriè magis significare, & hæreticorum errores excludere videbantur. In primis Augustinus *in 6. de Trinitate, cap. 6.* ex accidentium, vel etiam partium diuersitate quæ in rebus creatis, ac præsertim corporeis inuenitur, deducit in eis multiplicitatem oppositam simplicitati, & ex eadem diuersitate à Deo negata, Deum negat esse multiplicem, etsi Deum dici multipliciter affirmet magnum, bonum, sapientem, verum &c. *In 7.* verò *capite*, & de hoc nomine triplex sic loquitur: *Nec quoniam Trinitas est, ideò triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater, & Filius.* & in octauo capite sic ait: *In ipso igitur Deo, cùm adhæret æqualis Patri Filius, aut Spiritus sanctus, Patri, & Filio æqualis, non fit maior Deus, quàm singuli eorum; quia non est quo crescat illi perfectio. Perfectus autem siue Pater, siue Filius, siue Spiritus sanctus, & ideo trinitas potius, quàm triplex.* &

libro

libro *15*. capit. tertio *etiam*(inquit)*in hoc libro apparuit trinitatis æqualitas, & non Deus triplex, sed trinitas: nec quasi aliquid duplum esse Patrem, & Filium, ad simplum Spiritum S. vbi nec tria plus aliquid sunt, quàm vnum horum*; Ex quibus Aug. verbis manifestè patet sancti nostri Doc. sententiam cum eiusdem S. Patris sententia conuenire. Vnde etiam constat eandem esse omninò rationem, quam hic ex Arithmetica Boetij reddit S. Th. cum ea, quam in verbis prædictis attulit Augustinus: Inæqualitatem enim proportionis triplicitatis nomine significatam à Deo negat S. Th. ob eam causam; quia destruit in diuinis personis æqualitatem perfectionis, qua tanta est vna sola persona, quanta est tota trinitas: qua etiam perfectionis æqualitate remota consequitur statim in Deo compositio: Concurrerent enim tres personæ suis tunc inæqualibus perfectionibus ad vnius in Deo perfectionis integritatem constituendam: sicque diceretur Deus triplex, quasi triplicem habens perfectionem; & eadem ratione sequeretur etiam Deum esse triplicem, id est tres habentem Deos gradibus suæ perfectionis differentes. Sublata siquidem à diuinis personis æqualitate, remanerent essentialiter inter se distinctæ per differentias deitatis; ac proinde quot essent personæ, tot essent Dij, quorum coniunctio triplicem Deum constitueret. Ex quibus elucet nihil noui dixisse Vasq. sed illud idem explicasse, quod S. D. & August. expresserant. Quâ sententiam significarunt etiam Nazian. *in oratione 45.* & Bernardus *lib. 5. de consideratione*, & Concilium *Tolet. 11. quicquid dicat* Vasq. Si verò prædicta nomina referantur ad personas vel relationes: cùm in proprio sensu proportionè significetinæqualitatis, nõ in solo numero abstracto, sed in ipsis personis numeratis, eadè ratione releganda sunt à diuinis. Sed quoniam impropriè nonnunquam sumitur triplex pro trino, sicut & duplex pro binario: idcirco posset fortassis admitti triplicem esse in Deo personam, sicut etiam D. Th. *de potent. q. 10. a. 2.* dixit duplicem esse in Deo emanationem, ideſt binarionumero comprehensam. Abstinendum tamen existimauerim à similium vsu vocabulorum, quæ solido carent antiquitatis fundamento.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Triplicitas non est in Deo, nec Deum triplicem, aut multiplicem recta fidei confessione possumus affirmare.*

SECVNDA CONCL. *Rationes D. Aug. & D. Tho. probant efficaciter præcedentem conclusionem.* Hæc patet ex dictis & ex solutionibus argumentorum reddetur apertior.

TERTIA CONCL. *Quo ad personas & relationes non est vtendum nomine triplicitatis aut triplicis, aut multiplicis in propria suæ vocis significatione.* Probatur hæc conclusio eisdem argumentis, quibus *probata fuit prima* conclusio.

Argumenta, & Solutiones.

QVARTA CONCL. *Si sumitur impropriè triplex pro trino, non incongruè dicitur de personis: sed est ab vsu talis vocabuli temperandum.*

ob. a. cont. 2 concl.

Contra 2. & 3. concl. argu Vasq. *Primò*. Si ex eo quòd Deus diceretur triplex ratione personarum, sequeretur absurdum illud, quod Aug. inferebat: idem planè colligeretur ex eo quòd trinus diceretur. Probatur conseq. Naminternario maius quid vdetur totus ternarius quauis vnitate seorsum.

Solut.

Resp. nullam esse conseq. Ad probationem negatur antecedens loquendo de ternario diuinarum personarum, & præcipuè de esse maius in ratione constitutiui vel perfectiui ipsius Dei. *Secundò* dico nomine triplicis rebus applicato significari formaliter inæqualitatem perfectionis eorum quę significatione triplicis cõtinetur, vt patet ex D. Aug. doctrina: talis autem inæqalitas non importatur hac voce trinus.

ob. b. *Secundò* arguit. Aequalitas & inæqualitas numeri in Deo necessariò concedenda est, sicut etiam pauciores & plures: Quis enim negat minorem numerum esse ternarium personarum in Deo, quàm quaternarium personarum hominum? & plures esse quatuor homines, quàm sunt tres diuinæ personæ? ergo non est inconueniens concedere nomen triplex in Deo, licet sit proportionis minoris.

Solut. *Resp.* nullam esse conseq. quia nomine triplicis rebus applicati non denotatur sola inæqualitas numeri, sed inæqualitas etiam perfectionis in personis numeratis, vt ostendimus.

ob. cont 3 concl. CONTRA *tertiam* concl. argu Suar. Multiplex numerat illud cui adiungitur iuxta formale significatum eius; ergo secundum communem rationem personæ vel relationis posset hæc vox in diuinis vsurpari.

Solut. *Resp.* falsum esse antec. præcisè: Nam multiplex addit rationem compositionis illi cui adiungitur, vt patet ex dictis Augustini.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Filius sit alius à Patre.

178. AD *secundum sic procedi tur. Videtur, quod filius non sit alius à patre. Alius enim est relatiuum diuersitatis substantiæ. Si igitur filius est alius à patre, videtur quod sit à patre diuersus. Quod est contra Aug. 7. de trin.* * *vbi dicit, quod cum dicimus tres personas, non diuersitatem intelligere volumus.* 1. di. 5. ar 1. & dist. 24. q. 2. ar. 1.

* lib. 7 de tri. ca. vlt. to 3.

2 *Præterea. Quicunque sunt alij abinuicem, aliquo modo abinuicem differunt. Si igitur filius est alius à patre, sequitur quòd sit differens à patre. Quod est contra Amb. in 1. de Fide.* † *vbi ait, Pater, & filius deitate vnum sunt: nec est ibi substantiæ differentia, neque vlla diuersitas.*

Li 1 de fide ad Gratianum ca. 2. ante med. to 2

3 *Præterea. Alienum ab alio dicitur. Sed pater nõ est alienus à filio. dicit enim Hila. in 7. de trin.* * *quod in diuinis personis nihil est diuersum, nihil alienum, nihil separabile. Ergo filius non est alius à patre.*

* Hil. 7 de trin non lõge à fine.

4 *Præte. Alius & aliud idem significant, sed sola generis cõsignatione differunt. Si ergo filius est alius à patre, videtur sequi quod filius sit aliud à patre.*

Sed contra, quod Aug. †. *dicit in lib. de fide ad Petrum. Vna est enim essentia patris, & Filij, & Spiritussancti, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud Spiritussanctus, quãuis personaliter sit alius pater, alius filius, alius spiritussanctus.*

De fide ad Petrum. c. 1. post medium to 3.

*Respondeo. Dicendum, quòd quia ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis (vt Hier. dicit.**) *ideo cum de trinitate loquimur, cum cautela & modestia est agendum, quia vt Augustin. dicit in 1. de trinit. Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Oportet autem in his quæ de trinitate loquimur, duos errores oppositos cauere, temperatè inter vtrumq; procedentes. s. errorem Arrij, e qui posuit cum trinitate personarum trinitatem substantiarum: & errorem Sabellij, qui posuit cum vnitate essentiæ vnitatem personæ*

Citatur. 4. dist. 3. in fine. † Lib. 1 de tri ca. 3 in prin to 3. 160.

Ad euitandum igitur errorem Arrij, vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis d *& differentiæ, ne tollatur vnitas essentiæ. Possumus autem vti nomine distinctionis propter oppositionem relatiuam. Vnde sicubi in aliqua scriptura autentica, diuersitas vel differentia personarum inuenitur, sumitur diuersitas, vel differentia pro distinctione. Ne autem tollatur simplicitas diuinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis, & diuisionis, quæ est totius in partes. ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomẽ disparitatis. ne*

D. 702.

verò tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni & discrepantis. Dicit enim Amb. in lib. de Fide* quòd in patre & filio non est discrepans: sed vna diuinitas. Et secundum Hila. (vt dictum est*) in diuinis nihil est separabile. Ad vitandum verò errorem Sabellij vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiæ diuinæ. Vnde Hil. dicit 7. de trin. Patrem & filium singularem Deum prædicare, sacrilegum est. Debemus etiam vitare nomen vnici, ne tollatur numerus personarum. vnde Hil. * in eodem lib. dicit, quòd à Deo excluditur singularitas, atque vnici intelligentia: dicimus tamen vnicum filium, quia non sunt plures filij in diuinis. Neque tamen dicimus vnicum Deum, quia pluribus deitas est communis. Vitamus etiam nomen confusi, ne tollatur ordo naturæ, à personis. vnde Amb. dicit, 1. de Fide. * Neque confusum est, quod vnum est, neque multiplex esse potest quod indifferens est. Vitandum est etiam nomen solitarij, ne tollatur consortium trium personarum. Dicit enim. Hil. 4. de tri. † Nobis neque solitarius, neque diuersus Deus est confitendus: hoc autem, nomen, alius, masculinè sumptum, nō importat nisi distinctionem suppositi: vnde conuenienter dicere possumus, quòd filius est alius à patre, quia sed est aliud suppositum diuinæ naturæ, sicut est alia persona & alia hypostasis.

Amb. li 1. de fide. c. 2. ante med. to 2.

† Loco ci. in arg. 3.

Lib. 7. de tri. non multum à fine libri.

* Loco ante cit. to 2.

† Lib. 4 nō multū ante medi.

Ad Primum ergo dicendum, quòd alius, quia est sicut quoddam articulare nomen. tenet se ex parte suppositi, vnde ad eius rationem sufficit distinctio substantiæ, quæ est hypostasis vel persona. Sed diuersitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia. Et ideo non possumus dicere, quòd filius sit diuersus à patre, licet sit alius.

Ad Secundum dicendum, quòd differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum vna forma in diuinis, vt patet per id quod dicitur Philipp. 2. Qui cùm in forma Dei esset. Et ideo nomen differentis non propriè competit in diuinis, vt patet per authoritatem inductam. Vtitur tamen Damascen. † nomine differentiæ in diuinis personis, secundum quòd proprietas relatiua significatur per modum formæ. Vnde dicit quod non differunt abinuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, vt dictum est. †*

D 934.

Ex 2. argu. † Dama. li 3. orthod. fide c. 7.

In cor. ar.

Ad Tertum dicendum, quòd alienum est quod est extraneum & dissimile. Sed hoc non importatur cùm dicitur alius. & ideo dicimus filium alium à patre, licet non dicamus alienum.

Ad Quartum dicendum; quòd neutrum genus est informe: masculinum autem est formatum, & distinctum: & similiter d fœmininum. Et ideò conuenienter per neutrum genus, significatur essentia communis: per masculinum autem & fœmininum, aliquod d suppositum determinatum in communi natura. Vnde etiam in rebus humanis, si quæratur, Quis est iste, respondetur, Sor. quod nomen est suppositi. Si autem quæratur, quid est iste, respondetur, animal rationale, & mortale. e *Et ideò quia in diuinis distinctio est secundum personas, non autem secundum essentiam, dicimus, quòd pater est alius à filio, sed non aliud, & è conuerso dicimus, quòd sunt vnum: sed non vnus.*

D. 598.

D 848.

17

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic, num vera sit & congrua hæc propositio, *Filius est alius à Patre, secundum propriam illius dictionis alius intelligentiam*, vt hic etiam obseruat Cai. Aduerte tamen intentionem S. D esse quærere de alijs etiam vocibus distinctionem, vel vnitatem, benè, aut malè significantibus in diuinis, vt patet ex littera.

Forma Textus.

ANTEQVAM respondeat huic quæsito S. Tho. tria præmittit. *Primò* in communi modum seruandum, cum loquimur de Trinitate. *Secundò* docet, quæ nomina sint cauenda propter Arrium. *Tertiò* quæ sint cauenda propter Sabellium. *Vltimò* respondet ad quæsitum.

Quod attinet ad primum: Modus seruandus, cum de Trinitate loquimur, est vt cautelam & modestiam adhibeamus; Quod probatur primò in communi auctoritatibus Sanctorum Hieronymi & Augustini. Nam Hieron. ait, quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. Augustinus verò *in 1. de Trinitate cap. 3.* sic ait; *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Secundò probatur in speciali: quoniam cum de Trinitate loquimur, oportet duos oppositos errores cauere, temperatè inter vtrumque procedendo. s. errorem Arrij, qui posuit cum trinitate personarum trinitatem substantiarum: & errorem Sabellij, qui posuit cum vnitate essentiæ vnitatem personæ.

A

B

C

D

E

Quo ad secundum proponit septem nomina cauenda propter hæresim. Arrij deuitandam. s. nomē *diuersitatis, differentiæ, separationis, diuisionis, disparitatis, alieni, & discrepantis*. Manifestantur singula: Et primum, quòd sit vitandū nomen *diuersitatis*, ostendit S. Thom. *in responsione ad primū*, quoniā diuersitas requirit distinctionē substantiæ, quę est essentia: & ideò nō possumus dicere, quòd filius sit diuersus à patre. Vnde Aug. *in argumento* allegatus ait: Cum dicimus tres personas, non diuersitatem intelligere volumus. Secundum autem. s. nomen *differentiæ* probat S. Th. esse vitandum *in responsione ad secundum*, quoniam differentia importat distinctionem formæ: vna verò est tantum formain diuinis, vt affirmat Apostolus *ad Philip. 2.* Qui cum in forma Dei esset. & Amb. *in argumento* allegatus ait non esse in Deo substantię differentiam. Damascenus tamen vtitur nomine differentię in diuinis personis, secundum quòd proprietas relatiua significatur per modum formæ. Vnde dicit quòd non differunt ad inuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates: verum differentia sumitur ibidem pro distinctione; Vitanda sunt ergo prædicta duo nomina, ne tollatur vnitas essentiæ. Possumus tamē (inquit S. D.) vti nomine distinctionis propter oppositionē relatiuam. Tertium autem & quartum. s. nomen *separationis, & diuisionis. s.* totius in partes vitanda sunt (inquit S. Th.) ne tollatur simplicitas essentiæ. Quintum autem. s. nomen *disparitatis* vitandum est, ne tollatur æqualitas. Sextum autem & septimum. s. nomen *alieni, & discrepantis*. vitāda sunt, ne tollatur similitudo diuinarum personarum. Nam, vt docet *hic* S. D. *ad tertium*, alienum est quod est extraneum & dissimile; & Ambro. *lib. 1. de fide cap. 2.* ait, quòd in patre & filio non est discrepans, sed vna diuinitas; & Hilarius *in 3. argumento* allegatus ait: in diuinis personis nihil est diuersum, nihil alienum, nihil separabile.

Diuersitas

Differentia

Separatio & diuisio.

Disparitas.

alienū & discrepans.

Quo ad tertium proponit quatuor nomina vitanda propter hæresim Sabellij. Primum est *singularitas*, ne tollatur communicabilitas diuinæ essentiæ: quod probatur etiam auctoritate Hilarij 7. *de Trin.* dicentis Patrem & filium singularem Deum prædicare sacrilegum est. Secundum est nomen vnici, ne tollatur numerus personarum, probatur ex Hilario *in eodem libero* dicente:

singularitas

vnicum.

cente: quòd à Deo excluditur singularitas atque vnici intelligentia. Et licet dicamus vnicum filium: quia non sunt plures filij in diuinis, non tamẽ dicimus vnicum Deum: quia pluribus Deo est cõmunis. Tertium est nomen *confusi*, ne tollatur ordo naturæ à diuinis personis; quod probatur etiam auctoritate Ambrosij *lib. 2.* de fide dicentis: Neque confusum est, quod vnum est: neque multiplex esse potest, quod indifferens est. Postremò vitandũ est nomẽ *solitarij*, ne tollatur cõsortium trium personarũ: quod probatur auctoritate Hilarij *in 4. de Trinit.* dicentis: Nobis neque solitarius, neque diuersus Deus est *confitendus*.

Confusum. *Solitarium*

„ Vltimò respondet ad quæsitum *conclusione affirmatiua. Conuenienter dicere possumus, quòd filius est alius à patre.* Probatur: qm̃ hoc nomen *alius* masculinè sumptum non importat nisi distinctionẽ suppositi; ergo conuenienter dicere possumus, quòd filius est alius à patre. Probatur consequẽtia; quia filius est aliud suppositum diuinæ naturæ; quod patet ex æquiualenti: quia. s. est alia persona & alia hypostasis.

Alius.

Expositio Textus.

Ex viginti septem vocibus, partim ad distinctionẽ, & partim ad vnitatẽ pertinẽtibus examinandæ sunt pluribus.

PRAETER ea nomina, quæ propter errores Arrij & Sabellij diximus à fidelibus esse deuitanda, & præter nomen *alius*, ac nomen *distinctionis*, quib⁹ posse nos vti cõgruè & catholicè cũ nostro D. definiuimus, sunt etiam quatuor decim alia vocabula ad præsentis doctrinę complementum examinanda: septem ad distinctionem, & septem ad vnitatem pertinẽtia. Priora sunt, *aliud, alter, alterum, discretus, discretio, discernere, secernere.* Posteriora sunt, *idem, vnus, vnum, vnio, vnitas, vnitum, coniunctio*; adeo vt simul omnibus vocibus computatis sint numero viginti septem; de quibus singilatim pauca quædam adnotabimus huius articuli intelligentia necessaria.

Differentiæ nomen. Ac primò de nomine *differentiæ* respondet S. Th. *ad 2.* eo significari distinctionem formæ, quæ vna est in diuinis: ac proinde nomen differentiæ in diuinis non propriè dici: atque ideò scripturas omnes, in quibus dictum differentiæ nomen inuenitur, interpretandas esse de distinctione; quomodo Damasceni dictum exponit dicens diuinas hypostases abinuicem differre, non secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Vasquez *disputatione 131. capitu. 2.* tria dicit. *Primum:* Quidam ex Patribus vsi sunt in diuinis nomine *differentiæ*. s. Iustinus, Nazian. Damasc. Euthym. Richar. de S. Victore, Magister & Alensis. *Secundum.* S. Th. cautius docet personas Trinitatis non esse dicendas differentes neque differre. *Tertium;* Damascenus, Euthymius, Magister & Alensis nõ dicunt absolutè tres personas differe, sed aut differre proprietatibus, aut ipsas proprietates differre: qui modus loquendi omnẽ aufert suspicionem vocabuli. Nam ideò S. Th. refugit concedere differentiam inter personas: quia ea videtur ad essentiam referri: cum autem additur secundum proprietates, omnis tollitur erroris occasio. Eandem ferè sententiam sequitur. Suar. *libro tertio, capite decimotertio* dicens se cẽsere in rigore nihil esse periculi in illa locutione; quia differentia non semper dicit distinctionem in forma essentiali, sed posse etiam dicere distinctionẽ in forma personali, quæ in diuinis personis est proprietas, atq; ita sentire D. Th. *Sed obseruãdum* est D. Th. *in respons. ad 2.* asserere nomen *differentiæ* dictum à Damasceno de personis secundum determinatas earum proprietates sumẽdum esse pro distinctione: quia nimirum vocabulo differentiæ propriè significatur naturæ diuersitas. Et quamuis particula illa, secundum proprietates, vocem differentiæ ad relatiuam distinctionem limitare videatur; quia tamen eius propria significatio est naturæ diuersitas, facilè credi posset, vel personarũ naturam distingui per earum proprietates, vel ipsas proprietates esse perfectiones quasdam absolutas ad ipsam naturam pertinentes: & consequenter dicendo personas differre secundum proprietates, intelligeretur personas differre secundum absoluta, & secundum ipsã naturã: *Dicendum* est igitur cũ D. Th. nomen *differentiæ*, quocunque modo dictum inueniatur in diuinis, exponendum esse pro distinctione: nisi velimus dicere nomen differentiæ propriè significare distinctionem formæ; & consequenter, cum applicatur personis quo ad earum proprietates, quæ sunt formæ hypostaticæ. idem omnino pollere quod nomen distinctionis: & hoc significasse D. Th. cum ait differentiam ibi sumi pro distinctione, id est, idem omninò significare ratione subiectæ materiæ: quod satis est verisimile.

Conciliatio

Diuersitas. De nomine verò *diuersitatis* idem affirmat S. D. quod de nomine differentiæ, nimirum, exponendum esse pro distinctione. Vasq. idem profert iudicium de hoc nomine, quod de præcedente. Suar. autem ait diuersitatẽ aliquid amplius significare, quàm distinctionem & differẽtiam; quia videtur innuere varietatem in forma siuè natura; propter quam causam communiter affirmant Patres prædictam vocem in diuinis esse vitandam; quod verissimum est, non tantum absolutè loquendo, sed etiam limitatè ad personales proprietates, ne videatur essentialis inter eas esse distinctio. Vocem autem *diuisionis*, quam S. D. ait esse vitandam, ne tollatur diuina simplicitas; quæ nullis constat partibus, quæ diuisione secerni valeant, ait Suar. si latius sumatur, prout solum dicit discretionem, admitti posse. Sed ego plus iustò latam hanc Suar. licentiam esse existimo; Neque enim vox illa *diuisio*, loquentium vsu in diuinis præsertim eam habet extensionem; neque in antiquis Patribus, aut scholasticæ Theol. professoribus talis habet significatio fundamentum. Quamobrem *diuisionis* vocabulum eâdem cautela vitandum existimo, qua voces *separationis, disparitatis, alieni, & discrepantis*, vt hic etiam admonet S. Th. de quibus nihil speciale dicendum occurrit.

Diuisio *Confuta. Suarez.* *Separatio, disparitas, alienum, discrepans.*

Super sunt aliæ eiusdem ordinis voces, quarum prima est relatiuum illud diuersitatis *aliud*, quo S. Tho. *hic in respons. ad 4.* ait significari distinctionem secundum essentiam; & ideo dici non posse, Patrem esse aliud à Filio, quamuis sit alius à Filio; cuius rationem affert: quòd neutrum genus sit informe, vtpotè nullam importans sexus distinctionem, masculinum autem formatum & distinctum, sicut & fœmininum; atque ideo conuenienter per neutrum genus significari essentiam communem veluti informem & quasi determinabilem per plures formas hypostaticas: per masculinum autem & fœmininum aliquod suppositum determinari in communi natura. Sed *in 1. s. distin. 9. quæst. 1. a 1. ad 2.* aliam reddit causam à recentioribus cõmuniter approbatam; sic enim ait. *Neutrum genus substantiuatur* (loquitur S. D. in re proposita scilicet in his terminis aliud, & alius) *non autem masculinum: substantiuum autem significationem suam habet absolutam, sed adiectiuum ponit significationem suam circa subiectum.*

Aliorum opinio.

Confu.

ctum. Quando autem aliquid dicitur absolute, A intelligitur de eo, quod simpliciter est: sicut ens absolute dictum significat substantiam, & ideò, quia alietas essentiæ est simpliciter alietas, ideò neutrum genus substantiuum importat alietatem essentiæ. Sed genus masculinum, quia adiectiuè tenetur, ponit alietatem circa suum subiectum; vnde si terminus personalis est, suum substantiuum, designat distinctionem personalem: & ideò hæc est vera: Pater est alius à Filio. Si autem sit terminus essentialis designat diuersitatem substantiæ; vnde hæc est falsa: Pater est alius Deus à Filio: & similiter neutrum adiectiuè sumptum, quando adiungitur termino personali, importat, alietatem personæ, vt cum dicitur: Pater est aliud suppositum à Filio: Vnde hoc non contingit ex variata significatione, sed ex eo, quod alietas significata in masculino, & neutro, non ad idem refertur. Hæc S. D. quam doctrinam sequitur ad verbum Mol. & post eum Suar. & Vasq. *cap. 1.* vbi eam confirmat sacrorum Conciliorum definitionibus & multis Patrum testimonij, tàm in materia Trinitatis quàm in materia incarnationis. Nam Patres affirmant in Christo esse aliud & aliud propter diuersitatem naturarum: non autem alium & alium propter vnitatem personæ.

Alter, & alterum. Prædictis dictionibus *alius & aliud*, affines sunt immo & significatione cõueniũt hæc duo vocabula *alter & alterum*, atque ideò ad eandem re- C gulam sunt redigenda; Si namque masculinè sumantur, dici potest absolutè pater alter à filio: qua loquendi forma non rarò vtuntur Patres Athanasius *in oratione de æterna substãtia Filij*, Hilarius *lib 2. de Trin.* Fulg. *lib. 3. ad Trasimundum capitulo 6.* Bern. *epistola 190.* vbi prædictam his vocibus regulam adaptauit. An autem ea regula fundamentum habeat in propria ac legitima vocum significatione an in sola vsus accommodatione: non est eadem scholasticorum sententia. Nam Dur. *in 1. dist 9* quem sequitur Suar. *in allegato libro 3. capit. 13* solam vsus accõmodationem existimat esse dictæ regulæ fundamentum. Sed Mol. *super hoc a.* credit regulam illam proprietati sermonis inniti: quæ est sententia D. Thom. in verbis paulò ante relatis expressa; sic D enim ait in fine: *Hoc non contingit ex varia significatione, sed ex eo, quod alietas significata in masculino, & neutro non ad idem refertur.* Hanc autem relationem ad diuersa, constat orignem ducere ab assignata differentia inter neutrum & masculinum: quod certum est ad proprietatem locutionis pertinere. De vocibus autem *discretus, discretio & discernere*, nulla potest esse dubitatio. Nam Dyonis. *in 2. capite de diuinis nomimibus*, non semel dictis vtitur vocibus ad personarum distinctionem exprimendam; sic enim ait: *Si quis autem dixerit confusionem nos contra diuinam discretionem introducere &c.* & infra: *Rectè gradiemur dicentes, quomodo Theologia quædam quidem vnitim tradit, quædam verò discretè; & neque vnita separare iustum* E *est, neque discreta confundere*; & infra: *Discreta autem sunt, Patris super essentiale nomen, & res, & Filij, & Spiritus sancti &c.* Solet etiam adduci Concilium Tolet. primum, & vndecimum. Verbum autem *secernere* idem sonare videtur quod separare, & diuidere, vt ait Vasq. *capitulo. 2.* Propter quod Lact. *lib. 4. diuinarum institutionum cap. 29.* dixit. *Nec vtrumque* (scilicet patrem & filium) *secreuimus.* Quanquam Richardus de S. Victore *libro quarto de Trinitate c. 15. & lib. 5. c. 1.* hac eadẽ vtatur voce ad personales proprietates relatã. Sed cum apud Ciceronem & alios latinæ linguæ probatos authores idem sit discernere, quod secernere: nec Doctorum vsus eorum significata distinxerit; vtroque verbo indifferenter vti nos posse crediderim, cum de personarum diuinarum aut proprietatum distinctione disseritur.

Discretus. Discretio. Discernere.

Secernere.

Iam verò de nominibus ad vnitatem spectantibus nonnulla summatim, quæ lucem afferant, adnotabimus. Prima quam recensuimus, est vox idem quæ nonnunquam refert essentiam & quã- *Idem.* doque personam: vt cum dico, Pater est Deus & Filius est idem Deus, dictio *idem* essentiam refert, & veram reddit propositionem; si verò dicam, Pater est Deus generans, & idem Deus est Filius, vox *idem* refert Deum generantem, B qui est persona Patris, ad quam contrahitur Deus per illud notionale generans, & significat eandem esse personam Patris cum persona Filij: quo sensu falsa est propositio; sed de hoc agemus inferius *q. 39. a. 4.* Hic tamen vtendum est regula præfixa superius: Nam si masculinè sumatur *idem*, falsa est hæc propositio, Filius est idem cum patre; si neutraliter, est vera. Ex qua etiam regula S. D. *in fine huius articuli* docet hanc propositionem esse veram, Pater, & Filius sunt vnum; hanc autem esse falsam, Pater & Filius *Vnum. Vnus.* sunt vnus. *Vnionis* autem & *coniunctionis* vocabu- *Vnio. Coniunctio.* la, quamuis apud Græcos nonnullos in Trinitatis mysterio fuerint vsitata, Latini tamen Doctores ab eis communiter abstinent: Vnde et- C iam Patres Concilij Alexand. *Epistola 16. apud Cyril.* de voce *coniuncto* in incarnationis mysterio sic loquuntur: *Immò & coniunctionis nomen vitamus, tanquam non existens idoneum, quod significet vnitatis arcanum:* Coniunctio namque non essentialem identitatem aut vnitatem, sed plurium essentialiter distinctorum collectionem in vnum participatione quadam suæ vocis proprietate videtur innuere. Vnio verò propria vox est ad exprimendam in incarnationis mysterio indiuisionem in esse personali duarum naturarum, creatæ scilicet & diuinæ; sed quia præsupponit essentialem vnitorum differentiam, idcirco non congruit ea vox mysterio Trinitatis. Vnde S. Th. *in 3. p. q. 2. art. 9. ad vlt. argum.* de vtroque comparatiue loquens mysterio sic a- D it: *Falsum est, quòd maior sit vnio incarnationis, quàm vnitas diuinarum personarum in essentia*; vbi *Vnitas.* vides S. D. prudenter abstinere ab vnionis vocabulo in Trinitate, & vti nomine *vnitatis*. Et ex his patet error Vasq. *cap. 2.* qui idem pror- *Lapsus Vasquez.* sus fecit iudicium de prædictis duobus nominibus scilicet coniunctio & vnio: cum, vt ostendimus, valdè differant; & secundo congruè vtamur in incarnatione, primo verò non ita: quamuis non sit omnino damnandum. Denique vox *vnitum*, teste Bern. *lib. 5. de consideratione circa medium* diuinæ non est apta simplicitati: sic enim ait: *Vnum quippe est, sed non vnitum, non partibus constat vt corpus.* *Vnitum.*

Postremò de vocibus *vnicus & singularis* arbi- *Vnicus.* trantur ex recẽtioribus quamplures, sopita iam E hæresi Sabellij non incongruè nos vti posse, ad *Singularis.* summam vnitatem diuinæ substantię significandam; ita sentit Ban. *super hoc a.* sequens Dur. *in 1. dist. 9. q. 1.* & Vasq. *cap. 4.* vbi plura collegit dicta Patrum nomen *singularis* de Deo prædicantium. Nos opinionem hãc suã permittimus probabilitate gaudere; diligens nihilominus erit delectus à Theologo vocum habendus, quibus piè, congruè ac fideliter tantæ celsitudinis exprimat sacramentum.

ARTICVLVS III.

Vtrum dictio exclusiua, Solus, sit addenda termino essentiali in diuinis.

179 8. dist 21. q. 1. ar. 1. Lib. 2. c. 3. à medio illius tom. 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd dictio exclusiua, solus, non sit addenda termino essentiali in diuinis, quia secundum Philosophum in 2. elenc. * Solus est qui cum alio non est: sed Deus est cum angelis, & sanctis animabus. Ergo nō possumus dicere Deum solum.

2 Præterea. Quicquid adiungitur termino essentiali in diuinis, potest prædicari de qualibet persona per se, & de omnibus simul: quia enim cōuenienter dicitur sapiens Deus, possumus dicere, pater est sapiens Deus: & trinitas est sapiens Deus: sed Augustin. in 6. de tri. † dicit, Considerandum est illa sententia, qua dicitur, non esse patrem verum Deum solum. ergo non potest dici solus Deus.

Lib. 6. de tri. ca. 9 in princ. to. 3.

3 Præt. Si hæc dictio solus, adiungitur termino essentiali, aut hoc erit respectu prædicati personalis, aut respectu prædicati essentialis: sed non respectu prædicati personalis. quia hæc est falsa: solus Deus est Pater, cum etiam homo sit pater. Neque etiam respectu prædicati essentialis, quia si hæc esset vera, solus Deus creat, videtur sequi, quòd hæc esset vera, solus pater creat. quia quicquid dicitur de Deo, potest dici de Patre. Hæc autem est falsa, quia etiam Filius est creator. Non ergo hæc dictio, Solus, potest in diuinis adiungi termino essentiali.

Sed contra est quòd dicitur 1. ad Timot. primo, Regi sec. immortali, inuisibili, soli Deo.

Respondeo. Dicendum, quòd hæc dictio solus, potest accipi vt categorematica, vel syncategorematica. Dicitur autem dicto categorematica, quæ absolutè ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo albus. Si ergo sic accipiatur hæc dictio, solus, nullo modo potest adiungi alicui termino in diuinis; quia poneret solitudinem circa terminū cui adiungeretur, & sic sequeretur Deum esse solitarium. Quod est contra prædicta. * Dictio verò syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum, sicut hæc dictio omnis, vel nullus. Et similiter, hæc dictio, solus, quia excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati. Sicut cùm dicitur solus Sortes scribit, non datur intelligi quòd Sor. sit solitarius: sed quòd nullus sit ei cōsors in scribēdo, quàmuis cum eo multis existentibus. Et per hunc modum, nihil prohibet, hanc dictionem solus, adiungere alicui essentiali termino in diuinis, in quantum excluduntur omnia alia à Deo consortio prædicati. Vt si dicamus solus Deus est æternus, quia nihil præter Deū est æternū.

art. præc.

Ad Primum ergo dicendum, quòd licet angeli, & animæ sanctæ semper sint cum Deo, tamen si non esset pluralitas personarū in diuinis, sequeretur, quòd Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicuius, q̄ est extraneæ naturæ. dicitur enim aliquis solus esse in horto, quāuis sint ibi multæ plātæ & animalia. Et similiter diceretur Deus esse solus vel solitarius, angelis & hominibus cum eo existentibus, si non essent in diuinis personæ plures. Consociatio igitur angelorum, & animarum, non excludit solitudinem absolutam à diuinis, multo minus solitudinem respectiuam, & per comparationem ad aliquod prædicatum.

Ad Secūdū dicēdū, quòd hæc dictio solus, propriè loquēdo, non ponitur ex parte prædicati d quod sumitur formaliter. respicit enim suppositum in quantum excludit aliud suppositum ab eo cui adiungitur. Sed hoc aduerbiū, tantū, cū sit exclusiuū, potest poni ex parte subiecti & ex parte prædicati. Possumus enim dicere, tantum Sortes currit. i. nullus alius. Et Sortes currit tantum. i. nihil aliud facit. Vnde non propriè dici potest,

D. 1052.

A Pater est solus Deus, vel d Trinitas est solus Deus, nisi D. 1132. fortè ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus. Et secundum hoc etiam posset esse vera ista, Pater est Deus, qui est solus Deus, si relatiuum referret prædicatum, & non suppositum. Augustin. autem cum dicit patrem non esse solum Deum, sed Trinitatem esse solum Deum, loquitur expositiuè, ac si diceret, cum dicitur, regi seculorum inuisibili, soli Deo, non est exponendum de persona Patris: sed de sola Trinitate.

Ad Tertium dicendum, quòd vtroque modo potest hæc dictio solus, adiungi termino essentiali. hæc enim propositio: solus Deus Pater, est duplex, quia ly Pater potest prædicare personam Patris. e Et sic vera: a
B non enim homo est illa persona; vel potest prædicare 186.
relationem e tantum. Et sic est falsa. Quia relatio pa- 187.
ternitatis etiam in alijs inuenitur, licet non vniuoce. Similiter hæc est vera: solus Deus creat. nec tamen sequitur. ergo solus Pater. quia, vt sophistæ dicunt, dictio exclusiua immobilitat terminum cui adiungitur, vt non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur, solus homo est animal rationale mortale. ergo solus Sortes.

Sensus quæsiti.

PRo sensu quæsiti aduerte duo. *Primum* est, dictionem illam *solus*, hic sumi communiter
C seu indifferenter ad vtramque significationem explicatam in corpore. *Secundum* est terminum essentialem hic accipi tam secundum se, quàm prout subsistat prædicato essentiali aut personali; nam priori modo sumitur in prima conclusione; posteriori autem modo in secunda, vt perspicuè declaratur *in respons. ad 3.*

Forma Textus.

POSITA & explicata vna distinctione, respondet S. D. quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Hæc dictio *solus* potest accipi dupliciter; vno modo vt categorematica: alio
D modo vt syncategorematica. Dictio categorematica est, quæ absolutè ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo albus: Dictio verò syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum: sicut hæc dictio *omnis vel nullus*; & similiter hæc dictio *solus*, quia excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati; sicut cum dicitur, *solus sortes scribit*, non datur intelligi, quòd sortes sit solitarius, sed quòd nullus sit ei consors in scribendo, quāuis cum eo plures existant.

PRIMA CONCL. *est, si hæc dictio solus accipiatur vt dictio categorematica, nullo modo potest adiūgi alicui termino in diuinis.* Probatur; quia ponet solitudinem circa terminum, cui adiungeretur, & sic sequeretur Deum esse solitarium, quod
E *in articulo præcedente* refutauimus.

SECVNDA CONCL. *Si hæc dictio solus sumatur vt syncategorematica, nihil prohibet eam adiungi alicui essentiali termino in diuinis.* Probatur; quia possunt excludi cætera, quæ non sunt Deus, à consortio prædicati: vt si dicamus: solus Deus est æternus; quia nihil præter Deum est æternū.

Expositio Textus.

DISTINCTIONEM & vim probationis primæ conclusionis latius explicat S. Tho. *in 1. dist. 21. q. 1. a. 1. in c.* quam doctrinam hic tangit *in responsione ad primum.*

Responsio ad secundum argumentum latè ex- *Dubitatio.*
plicatur à D. Th. *in 1. dist. 21. quæst. 2. art. 1.* vbi

tamen in duobus videtur huic suæ doctrinæ cõ- A
trarius. *Primum est*; quoniam *hic* negat hanc dictionem *solus* propriè loquendo poni ex parte prædicati; quia prædicatum formaliter sumitur; dictio verò *solus* respicit suppositum, inquãtum excludit aliud suppositum ab eo cui adiungitur. In *primò* verò *senten.* ait, quòd quamuis dictio *solus* sit dispositio subiecti, non tamen oportet vt semper addatur ad subiectum; quia illud etiam quod in prædicato ponitur, potest significari vt suppositum alicui naturæ vel proprietati, ratione cuius potest ab eo priuari consortium: vt si dicatur, *sortes est solus homo sedens:* Et quia natura diuina secundum se subsistens est, qualis nulla est natura creata: ideò potest illi addi hæc B
dictio *solus* tanquam rei subsistenti, & excludet omnia extranea à participatione prædicati, vt sit sensus. Trinitas est solus Deus, id est Trinitas est ille Deus, præter quẽ nullus alius est Deus. *Secundum* est, expositio verborum Augustini; sic enim ait hic S. D. Aug. autem cum dicit Patrem non esse solum Deum, sed Trinitatem esse solum Deum, loquitur expositiuè, ac si diceret; cum dicitur, *Regi sæculorum inuisibili soli Deo*, non est exponendum de persona Patris, sed de sola Trinitate: At *in primo sent.* relata ex Magistro sent. hac expositione, eam reijcit dicens non videri multum necessariũ ita dicere. *Sed hæc in nul-* *Solutio.*
lo, si benè fuerint perpensa, contradicunt; Nam C
hic affirmat nomen hoc *Deus* positum ex parte prædicati formaliter sumi, atque ideò non propriè dici, *Pater est solus Deus*, vel *Trinitas est solus Deus*, nisi fortè (inquit) ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus. Quod idem affirmat *in primo senten.* vbi considerata re significata per hoc nomen *Deus*, quæ est natura diuina subsistens, dixit illi adiungi posse dictionem exclusiuam *solus*. Nec tamen affirmat expresè propriam esse loquutionem, sed hoc ipso quod prædicatum illud Deus, non consideratur ibi formaliter, sed materialiter tantum, redditur impropria propositio, quod ibidem declarat S. D. ex- D
plicando prædictam implicationem in prædicato. *In eadem* tamen *dist. q. 2. a. 2.* affirmat dictã propositionem habere proprietatem locutionis: quod intelligendum est considerata re significata per illud nomen Deus scilicet diuina natura, quæ est quid subsistens. Expositio verò verborum August. quam ibidem retulit ex Magistro & hic approbat, non reijcitur absolutè, sed ibi tantum dicitur non esse multum necessarium ad eam expositionem recurrere; quia scilicet potest alio modo sustineri veritas dictarũ propositionum, vt ostendimus.

In eadem resp. agitur de sensu illius propositionis, Pater est solus Deus, de qua latè disserit S. D. *in prædicta dist. q. 2. a. 2.*

Plura hic notat Molina de dictione *solus*, quæ E
non sunt necessaria; cum omnes illius acceptiones ad eas pertineant, quas S. D. expressit hic, & *in 1. sentent.* vt cuique ingenium habenti facilè patet.

RESPONSIO ad tertium latius explicatur *in allegata dist. quæst. prima, art. primo, ad secundum, & quæstiuncula secunda*. Vide etiam quæ scribit Iauellus *super hoc, & sequenti articulo.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd dictio exclusiua possit adiungi termino personali, etiã si prædicatum sit commune. Dicit enim Dominus ad patrem loquens, Ioan. 17. Vt cognoscant te solum Deum verum. Ergo solus Pater est Deus verus.* 180. 1. dist. 22. q. 1. art. 2. & 4. con. c. 25. pot. q. 10. a. 4. ad 12.

2 Præterea. Matth. 2. dicitur, Nemo nouit Filium nisi Pater. Quod idem significat ac si diceretur, solus Pater nouit Filium. Sed nosse Filium est commune. Ergo idem quod prius.

3 Præterea. Dictio exclusiua non excludit illud quod est de intellectu termini cui adiungitur. Vnde non excludit partem neque vniuersale. Non enim sequitur, solus Sortes est albus. ergo manus eius nõ est alba. vel, ergo homo non est albus. Sed vna persona est in intellectu alterius, sicut Pater in intellectu Filij, & è conuerso. Non ergo per hoc quod dicitur, solus Pater est Deus, excluditur Filius, vel Spiritus sanctus. Et sic videtur hæc locutio esse vera.

4 Præterea. Ab Ecclesia cantatur, Tu solus altissimus Iesu Christe.

Sed contra. Hæc locutio, solus Pater est Deus, habet duas expositiuas scilicet Pater est Deus, & nullus alius à Patre est Deus. sed hæc secunda est falsa, quia Filius alius est à Patre, qui est Deus. ergo hæc est falsa, solus Pater est Deus, & sic de similibus.

Respondeo. Dicendum, quòd cum dicimus, solus Pater est Deus, hæc propositio potest habere multiplicem intellectum. Si enim solus ponat solitudinem circa Patrem, sic est falsa secundum quòd sumitur categorematicè. Secundum verò quòd sumitur syncategorematicè, sic iterum potest intelligi multipliciter, quia si excludat à forma subiecti, sic est vera, vt sit sensus, solus Pater est Deus, id est ille cum quo nullus alius est Pater, est Deus. Et hoc modo exponit August. in 6. de Trin. * *cum dicit. Solum Patrem dicimus, non* Li 6. de tri. c. 7. in fine
quia separatur à Filio, vel Spiritu Sancto: sed hoc to. 3.
dicentes significamus, quòd illi simul cum eo non sunt Pater. Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi, nisi intellecta alia implicatione, vt si dicatur: ille qui solus dicitur pater, est Deus. Secundum verò proprium sensum excludit à consortio prædicati. Et sic, hæc propositio est falsa, si excludit alium, masculinè. Est autem vera, si excludit aliud neutraliter tantum. quia filius est alius à patre, non tamen aliud, similiter & Spir. sanct. sed quia hæc dictio, solus, respicit propriè subiectum (vt dictum est † *magis se habet ad excludendum alium quàm aliud. Vnde non est extendenda talis locutio, sed piè exponenda, sicubi inueniatur in autentica scriptura.* Ar. præced.

Ad Primum ergo dicendum, quòd cum dicimus, te solum Deum verum, non intelligitur de persona patris: sed de sola trinitate, vt Aug. * *exponit. Vel si intelligitur de persona patris, non excluduntur aliæ personæ propter essentiæ vnitatem, prout ly solus excludit tantum aliud, vt dictum est.* † Libro 6. de Tri. c. 9. 13.

Et similiter dicendum est ad secundum. Cum enim aliquod essentiale dicitur de patre, non excluditur filius, vel Spiritus Sanctus propter essentiæ vnitatem. Tamen sciendum est, quòd in authoritate prædicta, hæc dictio nemo, non idem est quod nullus homo: quod videtur significare vocabulum. Non enim posset excipi persona patris: sed sumitur secundum vsum loquendi distributiuè, pro quacunque rationali natura. In cor. art.

Ad Tertium dicendum, quòd dictio d *exclusiua* D. 588.
non

non excludit illa, quæ sunt de intellecta tèrmini cui adiungitur. si non differunt secundum suppositum, vt pars & vniuersale. Sed filius differt suppositò à patre. & ideo non est similis ratio.

Ad Quartum dicendum, quòd non dicimus absolutè, quòd solus filius sit altissimus: sed quòd solus sit altissimus cum Spiritu sancto, in gloria Dei patris.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. & est per se perspicuus: & pertinet hic articulus ad modum loquendi contra Arrianos, quorum argumẽta præcipua sunt duo priora, quæ profert S.D. ex sacris litteris, vt patet *ex 4. cont. gent. ca. 8.*

Forma Textus.

PRAEMITTITVR distinctio multiplex, & iuxta singula membra respondetur singulis conclusionibus, addito vno correlario. *Prima distinctio* est hæc. Hæc propositio, solus Pater est Deus, potest multipliciter intelligi, iuxta multiplicem acceptionem illius dictionis exclusiuæ *solus*, quæ dupliciter sumi potest. Vno modo categorematicè. Alio modo syncategorematicè. *Secunda distinctio*: si sumatur illa eadem dictio syncategorematicè, dupliciter potest intelligi. Vno modo vt excludit à forma subiecti. Alio modo vt excludit à consortio prædicati. *Tertia distinctio*. Dictio illa *solus* prout excludit à consortio prædicati, potest dupliciter sumi. Vno modo prout excludit alium masculinè. Alio modo prout excludit aliud neutraliter tantum.

» PRIMA CONCL. *Si dictio solus sumatur categorematicè, falsa est hæc propositio, solus Pater est Deus.* Probatur; quia sic dictio solus ponit solitudinem circa Patrem.

» SECVNDA CONCL. *Si dictio solus sumatur* » *syncategorematicè, prout excludit à forma subiecti,* » *vera est hæc propositio, solus Pater est Deus, sed est impropria* Probatur prima pars; quia hunc habet sensum, solus Pater est Deus, id est, ille cum quo nullus alius est Pater, est Deus: ergo. Probatur antecedens ex Aug. *in 6. de Trinit. cap. 7.* Secunda pars probatur; quia hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi, nisi intellecta alia implicatione: vt si dicatur ille, qui solus dicitur Pater, est Deus.

» TERTIA CONCL. *Si sumatur dictio solus syn-* » *categorematicè, prout excludit à consortio prædicati* » *alium masculinè, hæc propositio, solus Pater est Deus,* » *proprium habet sensum, & est falsa.* Prior pars probatur; quia dictio *solus* respicit proprium subiectum; ergo magis se habet ad excludendum alium, quàm aliud; Posterior pars probatur; quia Filius est alius à Patre, & tamen est vnus Deus cum Patre.

» QVARTA CONCL. *Si dictio solus excludat ali-* » *ud neutraliter tantum, vera est dicta propositio, sed* » *minus propria.* Probatur prior pars; quia Filius est alius à Patre non tamen aliud, & similiter Spiritus S. igitur excludendo aliud neutraliter à consortio prædicati, scilicet deitatis, non excluditur Filius nec Spiritus sanctus, & sic est vera propositio. Posterior verò pars probatur eadem probatione, qua prior pars præcedentis conclusionis; quia scilicet hæc dictio solus respicit propriè subiectum; ergo magis se habet ad excludendum alium quàm aliud.

CORRELARIVM est. *Non est extendenda talis loquutio, sed piè exponenda ſicubi inueniatur in autentica scriptura.*

Expositio Textus.

PRIMVM argumentum D. Th. est Ioann. 17. Dominus ad Patrem loquens ait. *Vt cognoscant te solum verum Deum*; ergo solus Pater est Deus verus.

Respondet S.D. dupliciter: primò dictum illud Domini non intelligi de persona Patris, sed de sola Trinitate, vt exponit Aug. *lib. 6. de Trin. c. 9.* Secundò, si intelligatur de persona Patris, non excludi aliàs personas propter essentiæ vnitatem, prout dictio solus excludit tantum aliud. i. rem alterius naturæ.

In qua responsione, quoad priorem modum dicendi, aduerte dubitatum à quibusdam fuisse de veritate illius propositionis, sola Trinitas est Deus, cùm Filius non sit Trinitas, qui tamen est Deus. Sed obseruandum, quòd dictio exclusiua non excludit ab intrinsecè clausis in subiecto cui adiungitur, neque à concomitantibus ipsum subiectum: qualia sunt ea omnia, quæ nó ponunt in numerum cum ipso subiecto propositionis, vt partes essentiales integrantes & subiectiuæ, communia prædicata & accidentia concretè sumpta. Cùm autem correlatiuum ponat in numerum cum suo correlatiuo, non erit de numero concomitãtium in sensu nostro, quamuis correlatiua sint simul natura. Nam bene sequitur, solus Pater generat, ergo Filius non generat. Vt enim ait S. Tho. *in 1. dist. 21. q. 1. a. 2.* quamuis relatiua consequantur se in esse; non tamen consequuntur se in alijs prædicatis: non enim sequitur, si Pater sit musicus, quòd filius sit musicus. Etsi verò filius, aut quæuis alia persona diuina non sit pars sanctissimæ Trinitatis, magis tamen ac intimius ad eam pertinet, quam spectet quæcunque pars integralis aut essentialis in rebus cõpositis ad totius ex ea consurgentis naturam, seu perfectionem aut complementum, nec ponit in numerum vna persona cum tota Trinitate. Quamobrem inter concomitantia sanctissimam Trinitatem, vel potius inter intrinsecè clausa, vna aut altera quæuis persona computatur non minus quàm pars. Et quemadmodum dicendo, solus Petrus currit aut calefit, non excluduntur pedes, neque caput à cursu vel calefactione: ita dicendo, sola Trinitas est Deus, non excluditur Filius.

Secundò obserua secundam responsionem intelligendam esse de propositione in sensu improprio sine minus proprio, vt latè probat S. Tho. *in 1. dist. 21. q. 1. a 2.* & eodem modo intelligenda est responsio ad secundum argumentum.

Postremò, circa easdem responsiones lege, si placet, ea, quæ scribit Suar. *lib. 2. de Trin. c. 4. à n. 1. vsq; ad 5. inclusiuè.*

Responsio ad tertium explicatur à D. Th. *in 1. in a. proximè notato.*

QVAESTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione, in quatuor articulos diuisa.

CONsequenter inquirendum est de cognitione diuinarum personarum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, Vtrum per rationem naturalem possint cognosci diuinæ personæ.

Secundò, Vtrum sint aliquæ notiones diuinis personis attribuendæ.

Tertiò, De numero notionum.

Quartò, Vtrum liceat diuersimodè circa notiones opinari.

Ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentes, & articulorum eius inter se.

DISSERVIT hucusque S. D. de diuinis personis absolutè, & de earum pluralitate, & de pertinentibus ad pluralitatem; nunc agit de eisdem diuinis personis, quomodo cadãt sub nostra cognitione, i. quomodo à nobis cognoscantur. In qua quæstione sunt quatuor quæsita. Primum agit de cognitione naturali; reliqua tria de cognitione supernaturali, quæ habetur per notiones, quæ sunt rationes cognoscendi diuinas personas; De quibus notionibus tria quærit. Primum, an sint in diuinis, in 2. ar. Secundum, quid sint & quot sint, quod pertinet ad quæstionem quale aliquid est, vel potius ad quęstionem quid est in particulari, dum totum quasi vniuersale distinguitur in suas partes subiectiuas, & proprię singularum rationis explicãtur. Postremò quærit de earũ certitudine quo ad nos, siue quodam effectu consequente opinionem contrariam veritati, in duobus articulis præcedentibus determinatæ: hic verò est error in fide siuè crimen hæresis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

Ad Primum sic proceditur. *Videtur, quòd Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.* Philosophi enim non debuerunt in Dei cognitionem, nisi per rationem naturalem. Inueniuntur autem à Philosophis multa dicta de Trinitate personarum. Dicit enim Aristoteles * in 1. de cæ. & mun. Per hunc numerum scilicet ternarium, adhibuimus nos ipsos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata. Augustin. etiam dicit 7. confess. † Ibi legi scilicet in libris Platonicorum, non quidem his verbis: sed hoc idem omnino multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & huiusmodi quæ ibi sequuntur. In quibus verbis distinctio diuinarum personarum traditur. Dicitur etiam in glo. Roman. 1. & Exod. 7. quòd magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, id est, in notitia tertiæ personæ, scilicet Spiritus sancti. & sic ad minus duas cognouerunt. Trimegistus etiam dixit, * Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem. Per quod videtur generatio Filij, & Spiritus sancti processio intimari. Cognitio ergo diuinarum personarum potest per rationem naturalem haberi.

2 Præterea. Ricard. de sancto Victore dicit in libr. de Trinit. * Credo sine dubio, quòd ad quamcunque explanationem veritatis, non modo probabilia, immò etiam necessaria argumenta non desint. Vnde etiam ad probandum Trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis diuinæ, quæ seipsam infinitè communicat in processione diuinarum personarum. Quidam vero per hoc, quòd nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio. Augustinus * verò procedit ad manifestandum Trinitatem personarum, ex processione verbi, & amoris in mente nostra. Quam viam supra secuti sumus. † ergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas personarum.

3 Præterea. Superfluum videtur homini tradere, quod humana ratione cognosci non potest. Sed non est dicendum, quòd traditio diuina de cognitione Trinitatis sit superflua. Ergo Trinitas personarum ratione humana cognosci potest.

1 p. q. 39. a 8. cor. & 1. di. 3 q. 1. a. 4. Et 1. cont. c. 14. Et Veri. q. 10. a. 13. Et po. q. 9 a. 5 cor. & Boe. tri. q. 1. a. 4. Et Ro. 1. l. 6 fi.

Lib 1. de Cælo tex. 2.

† Li 7. conf c. 9. parum à princ. to. 3.

In li. qui dicitur Primã per Dial 4.

Li 1. de Tri. cap. 4. circa princ.

Lib. 10. de trin. c 11. & 12 & lib. 9. c. 4. & seq. to. 3.

† Q. 17. a. 1. & 3.

A *Sed contra est quod Hilar. dicit in libr. 1. de Trinit.* Non putet homo, suæ intelligentiæ, generationis Sacramentum posse consequi. *Ambr.* † etiam dicit: Impossibile est, generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet. *Sed per originem generationis & processionis, distinguitur Trinitas in personis diuinis, vt ex supradictis patet.* * Cum ergo illud homo non possit scire, & intelligentia consequi, ad quod ratio necessaria haberi non potest, sequitur, quòd Trinitas personarum per rationem cognosci non possit.

Pag. 5. à princ. lib.

† Ambr. li. 1. de fide ad Gratian. c. 5. ante med. to. 2.

Q. 30. a. 2.

Respondeo. Dicendum, quod impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum personarum peruenire. Ostensum est enim supra, * quòd homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non potest, nisi ex creaturis.

Q. 12. a. 4. & 12.

B *Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quid competere ei necesse est, secundùm quod est omnium entium principium. & hoc fundamento vsi sumus supra in consideratione Dei. Virtus autem creatiua Dei est communis toti Trinitati. Vnde pertinet ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primò quidem, quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Vnde* C *Apostolus dicit ad Hebr. 11. quòd fides est de non apparentibus. & Apost. dicit 1. Corint. 2. 4. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius seculi: neque principum huius seculi: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Secundò, quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cùm enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quòd huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare nisi per authoritates, his qui authoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides. Vnde* D *Dio.* * *dicit 2. c. de diu. no. Si aliquis est, qui totaliter eloquijs resistit, longè erit à nostra philosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum scil. sacrorum respicit, hoc & nos canone vtimur.*

c. 1. non vult tum vereor à princ.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Philosophi non cognouerunt mysterium Trinitatis diuinarum personarum per propria, quæ sunt paternitas, filiatio, & processio, solus Deus secundùm illud Apost. 1. ad Cor. 2. Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius seculi cognouit, id est, philosophorum, secundùm glo. Cognouerunt tamen quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto, vt infra patebit. c Quod ergo Aristot. dicit per hunc numerum adhibuimus nos ipsos, &c. non est sic intelligendum, quòd 109 E *ipse poneret ternarium numerum in diuinis. Sed vult dicere, quòd antiqui vtebantur ternario numero in sacrificijs, & orationibus, propter quandam ternarij numeri perfectionem. In libro etiam Platonicorum inuenitur, In principio erat verbum, non secundum quod verbum significat personam genitam in diuinis: sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ filio appropriatur. Et licet appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse, id est, in cognitione tertiæ personæ, quia à bonitate, quæ Spiritui sancto appropriatur, deuiauerunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, vt dicitur Roman. 1. vel quia ponebant Platonici vnum primum ens, quòd etiam dice-*

dicebant esse patrem totius vniuersitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel paternum intellectum. In qua erant rationes omnium rerum, sicut Macrobius * recitat super somnium Scipionis. Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quæ videretur spiritui sancto respondere. Sic autem nos nõ ponimus patrem & filium secundum substantiam differentes; sed fuit error Origenis, & Arrij † sequentium Platonicos. Quòd verò Trimegistus dixit, Monans monadem genuit, & in se suum reflexit ardorem, non est referendum ad generationem filij, vel processionem spiritussancti, sed ad productionem mundi. Nam vnus Deus produxit vnum mundum propter sui ipsius amorem.

* Li. 1. non multũ procul à medio illius.

† Origenes In 1. super illud, Et Deus erat verbum. Et idẽ refert Hier. in ep. ad Pãmachiũ, & Oceanũ, quæ incipit Scheduleæ quæst. 2.

Ad Secundum dicendum, quòd ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Vno modo ad probandum sufficientier aliquam radicem: sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum, quòd motus cœli semper sit vniformis velocitatis. Alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter probet radicem: sed quæ radici tam positæ ostendat congruere consequentes effectus. Sicut in astrologia ponitur ratio excentricorum, & epicyclorum ex hoc, quod hac positione facta, possunt saluari apparentia sensibilia circa motus cælestes: non tamen ratio hac est sufficienter probans, quia etiam fortè alia positione facta saluari possent. Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse vnum, & similia. Sed secundo modo se habet ratio quæ inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita congruunt huius rationes, non tamen ita, quòd per has rationes sufficientes probetur Trinitas personarum. Et hoc patet per singula. bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis est ex nihilo producere. e Non enim oportet si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum à Deo procedat: sed secundum modum suum recipiat diuinam bonitatem. Similiter etiam quod dicitur, quod sine consortio non potest esse iucunda possessio alicuius boni, locum habet quando in vna persona nõ inuenitur perfecta bonitas. Vnde indiget ad plenam iucunditatis bonitatem, bono alicuius alterius consociari sibi. Similitudo autem intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quòd intellectus non vniuocè inuenitur in Deo & in nobis. Et inde est, quod Augustt. † super Ioan. dicit, quòd per fidem venitur ad cognitionem, & non è conuerso.

D. 588.

342. 835. e

Tract 27. in Ioan. circa med. 109.

Ad Tertium dicendum, quòd cognitio diuinarum personarum fuit necessaria nobis dupliciter: Vno modo, ad rectè sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturæ. Per hoc autem, quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur, quòd Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam causam extrinsecam: sed propter amorem suæ bonitatis. Vnde & Moyses, postquam dixerat. In principio creauit Deus cœlum & terram, subdit: Dixit Deus: Fiat lux, ad manifestationem diuini verbi. Et postea dixit: Vidit Deus lucem quòd esset bona, ad ostendẽdũ probationem diuini amoris. Et similiter in alijs operibus. Alio modo & principalius ad rectè sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per filium incarnatum, & per donum Spiritussancti.

Sensus quæsiti.

IN Hoc quæsito obseruandum est *primò* dictionem illã *cognosci* teneri amplissimè, vt extẽditur ad cognitionẽ an est, & cognitionẽ quid est, ad cognitionem certam & euidentẽ, quę habetur per demonstrationem, & dicitur scientia; & ad cognitionem probabilem, quæ est opinio. *Secundò* particula illa *rationem naturalem*, denotat causam per se sufficientem secluso quocunq; principio, vel lumine supernaturali etiam inferiore ipsa fide; qualis est cognitio hæreticorum, quam habent de mysterijs fidei, vel quicunque infideles ex relatione fidelium.

A

B

C

D

E

Forma Textus.

S. THO. ad quæsitum respondet duabus conclusionibus, quarum

PRIMA est. *Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum personarum peruenire.* Probatur. Hoc solum cognitione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quòd est omnium entium principium, secundum scilicet quòd habet virtutem creatiuam & conseruatiuam: at virtus creatiua Dei est communis toti Trinitati & pertinet ad essentiæ vnitatem, & non ad distinctionem personarũ; Ergo per rationem naturalem cognosci tantum possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, non autem quæ pertinent ad distinctionem personarum. Minor patet. Maior probatur. Homo per rationem naturalem non potest in Dei cognitionem peruenire nisi ex creaturis: at creaturæ ducunt in cognitionem Dei sicut effectus in causam; ergo hoc solum etc. Maior huius argumenti patet ex dictis *supra q. 12. a. 12. & q. 2. a. 3.* vbi ex creaturis probauit Deum esse vt supremam omnium causam &c.

SECVNDA CONCL. *est. Qui probare nititur Trinitatem personarum ratione naturali, fidei dupliciter derogat scilicet quantum ad dignitatem, & quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem.* Probatur primò quo ad primam partem. Quoniam dignitas fidei est, vt sit de inuisibilibus, quæ humanam rationem excedunt; quod probatur duplici authoritate Apostoli. prima est *ad Heb. 11. Fides est substantia* &c. Secunda est *in 1. Cor. c. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos*: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, Denique probatur Conclusio quo ad secundam partem. Nam cùm aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium; credunt enim quòd huiusmodi rationibus innitamur & propter eas credamus.

Ex prædictis deducit S. Th. per modum *corollarij*, non esse tentandum probare quæ fidei sunt, nisi per authoritates, his qui authoritates recipiunt: apud alios verò satis esse defendere, non esse impossibile quod prædicat fides; quod probat authoritate Dionysij dicentis; si aliquis est, &c.

Videnda sunt ea, quæ supra notauimus *q. 12. a. 12.*

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate primæ conclusionis; an videlicet sit possibile homini, vel Angelo sola vi intellectus naturalis diuinæ Trinitatis notitiam adipisci?

DVos extremos ac inter se pugnantes errores referunt iuniores ex Durando *in 1. dist. 2. q. 4.* PRIOR est asserentium posse diuinæ Trinitatis mysterium ratione naturali non solum probabiliter, sed etiam demonstratiuè cognosci; quorum tria argumenta proponit ibidem Durand. & soluit, quibus etiam communiter respon-

Opiniones Doctorum.

respondẽt recentiores. Eandem sententiam quidam tribuunt Richardo, cuius mentem ac verba S. Tho. *hic ad 2.* optimè interpretatur, quam expositionem sequitur Suarez *lib 1. cap. 12.* Vasquez *disp.133.* refert sententiam Raymundi Lulli dicentis inueniri posse demonstrationem euidentem Trinitatis, seque adeò euidentes demonstrationes excogitasse, vt Gentilem & Maumetanũ conuincere valeant, si semel dumtaxat voluerit eas expendere. Addit Vasq. prædictum Raymundum loqui de inuentione talium demonstrationum, non ex solis naturę principijs, aut ex sola mentis virtute naturali, sed supposito lumine fidei, aut aliqua supernaturali illustratione diuinitus nobis infusa; quamuis de infidelium assensu loquens non explicet, vtrum sit necessarium lumen aliquod supernaturale, an vis argumentorum sola sufficiat. Huius viri rationes latè refert, & confutat Vasq. & post eum Suar. *in dicto lib.1. c. 11. num.3. & seq.*

POSTERIOR sententia siue potius error fuit quorundam dicentium sanctæ Trinitatis mysterium esse contra rationem naturalem, quem immeritò quidam ascribunt Roberto Holcot *in 1. dist. 3.*

Inter hos duos extremos errores media incedit catholica veritas hic ab A. nostro D. definita, An autem ex gentilibus aliqui & insigniores præsertim Philosophi diuinarum personarum Trinitatem ex sacrarum scripturarum lectione vel auditione, vel maiorum traditione, vel etiam reuelatione cognouerint; non negat hic expresè S. Th. vt eidem audacter imponit Vasq. Nam responsio ad primum cui innititur Vasq. infringit argumentum, cuius erat intentio probare Trinitatem diuinarum personarum posse per rationem naturalem cognosci: Responsio verò sustinet allegata Philosophorum & Aug. dicta, non conuincere mysterium Trinitatis posse ratione naturali cognosci quo ad propria, sed quo ad essentialia quædam attributa personis appropriata; quicquid sit de notitia ex sacrorum librorum lectione, reuelatione, auditione aut traditione ab antiquis Patribus habita, quam manifestè admittit S. D. *in 1. dist. 3 q. 1. a. 4. & 2.2.q.2. a. 7.* Quid autẽ probent Philosophorum dicta ab eodem expositore producta, dicemus inferius.

Reijcitur calumnia Vasquęij.

Resolutio Distinguũtur quatuor modi cognoscendi veritatem, & duo actus ad perfectã cognitionẽ concurrentes, & ratio credibilis ac ratio veri.

SCIENDVM *est primò* veritatem aliquam posse pluribus modis à nobis cognosci. *Primò* demonstratiue & euidenter, sicut cognoscimus Deum esse & Deum esse bonum, sapiẽté, omnipotentem, &c. *Secundò* probabiliter, sicut cognoscimus multa contingentia ex causis naturalibus defectibilibus vel etiam ex causis liberis; & vtroque modo potest aliqua veritas multipliciter à nobis cognosci. Primò re ipsa ità se habere, prout verè est. Secundò possibilemesse. Tertiò nullã in seipsa contradictionẽ inuoluere, siuè non esse impossibilẽ; qua quidẽ tria in re proposita in vnum coincidunt. Namquod Deo nõ repugnat est ei possibile: quod verò possibile est in Deo, quo ad illius esse naturale, necessariò est in illo; cum in æternis non differant esse & posse. Potest præterea veritas aliqua demonstratiuè cognosci quo ad eius credibilitatem, vt.s. demonstretur eam esse euidenter cerdibilem. *Tertiò*, principaliter potest cognosci veritas ex auditu per fidem, quæ duplex est: Altera firmum ac certũ habens intel lectus assensũ ex summa dicentis authoritate & ex infusa diuinitus menti qualitate seu lumine & instinctu, qualis est Theologica fides: Altera quę A nutantẽ ac minimè certum hẽt assensum, qualis est omnis humana fides, quæ fallaci dicentis hominis innititur testimonio, & qualitatis interius, inclinantis est efficacitate destituta. Hoc fidei genus in qualibet inuenitur hæreticorum lecta, quo ad eas veritates supernaturales, quas simul cum Ecclesia catholica confitentur; cum Theologica fide nihil credat, vt probat S. Th. *2.2.q.5. a.3.* quamuis de prædictis veritatibus reuelationem mediatam & externam habuerint. *Denique* potest aliqua veritas ita à nobis cognosci, vt ex ei' notitia soluere valeamus vniuersa argumenta, quæ aduersus eã possint adduci, quemadmodum supra dixit S. Th. & Caiet. *q.1. a.8. de* sacra B Theologia, cuius cognitio soluit omnia quę produci potest ab infidelibus aduersus fidei vnitatem argumenta.

Cognitionũ duo sint.

Secundò considerandum est, in omni nostra perfecta cognitione per naturalem discursum acquisita duos actus interuenire: Vnus est inquisitio cũ apprehensione quæsitæ veritatis. Alius autẽ est iudicium & assensus de quæsita & apprehensa veritate, siue sit omnino certus, siue partis oppositę vacillet admixta formidine. Sẽ de puro loquamur assẽsu, põt quilibet proposito sibi Trinitatis mysterio & quauis alia supernaturali veritate: ex naturali aliquo motiuo, puta dicentis authoritate vel audita ratione probabili assensum præbere per fidem humanam, vt de hæreticis ante diximus; sed hic assensus supponit de necessitate reuelationem supernaturalem in aliquo: At inuenire & simul apprehendere ac assentiri, nullam supponit reuelationem supernaturalem; & ideò impossibile est his omnibus actibus creatum intellectum ad sanctę Trinitatis arcanũ, aut quodcunque verum supernaturale pertingere, vt benè probat hic S. D. *& in 1.s. & alibi sæpè, & præsertim supra q. 1. a.8.* Nullum siquidem est obiectum naturale, quod cognitionem dubitationem aut suspicionem de sanctissimæ Trinitatis mysterio valeat excitare, vt inde principium inuestigationis sumat intellectus de tam sublimis mysterij veritate, certitudine aut D probabilitate, ob rationem quam pro prima cõclusione S. D. adducit.

Credibilenõ omne verũ.

Tertiò notandum est, non omne euidenter credibile fide humana esse verum; multa namq; sunt falsa probabiliora veris; quo fit vt rationis humanę discursu demõstrari possit aliquod mysterium super naturale esse euidenter credibile, quod egregiè præstitit S. Doct. de fidei mysterijs in communi *in 1. contra gent. c. 6. & 7.* non tamen fit consequens vt demonstretur aut demonstrari valeat esse euidenter verum aut non esse impossibile. Contingit enim quandoque ex duabus contradictorijs propositionibus neutrã esse euidentem, vt in re præsenti. Nam sicut non E est euidens esse impossibile Deum esse trinum & vnum, ita non est euidens, id esse non impossibile seu esse possibile. Quo fit omnia quæ ex lumine naturali pro hac vel illa parte produci possunt argumenta, facilè dissoluantur, quemadmodum tenentes quantitatem nõ realiter distingui à subst ãtia, omnia pro distinctione reali producta soluunt argumenta: cum tamen posita veritate realis distinctionis ipsius quantitatis à substantia, sit impossibile eam non distingui; igitur vtriusque partis ineuidentia probabilitati coniuncta, ad omnia sufficit, hinc & inde producta argumenta diluenda.

Contra Molin.

Quarto recolenda sunt ea quæ latè superius examinauimus, & definiuimus aduersus Mol. *q.12. a.5. Cont. vlt.* nimirũ per Dei potẽtiã fieri nõ posse crea-

aut quæ natiua sui intellectus efficacitate, diuinam prout in se est, intueatur essentiâ, aut quodnis obiectum supernaturale cognoscat; quam veritatem hic etiam probat Bannes optimis argumentis.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Impossibile est vi aut ratione purè naturali euidenter aut probabiliter inuenire aut apprehendere mysterium sanctissimæ Trinitatis.* Hæc est prima conclusio D. Tho. quam egregia demonstratione superius posita probat in textu, & eandem *in 1 dist. 3. q. 1 a. 4. & de veritate a. vlti. & alibi latius* extendit hic Zumel. amplificat Hanc multis argumētis probant Turr. *in 2. parte commentarij* Zumel. *disput. 1.* Mol. *super hoc a.* Suarez *lib. 1. de. Trinit. c. 11. num 4. & seq.*

" SECVNDA CONCL. *Impossibile est per Dei potentiam fieri creaturam, cui sit naturalis cognitio mysterij Trinitatis.* Hæc patet ex quarto notabili.

" TERTIA CONCL. *Ratione naturali demonstrari non potest mysterium hoc non esse impossibile.* Probatur, quia si ratione naturali probari posset effi aciter mysterium hoc non esse impossibile, probaretur etiam illud esse verum, quod non posse probari diximus in prima conclusione. Sequela probatur, quoniam æquiualent non impossibile, & possibile; præterea esse & possibile esse quo ad intrinseca & naturalia non differunt in perpetuis.

" QVARTA CONCL. *Nulla ratione naturali potest demonstrari mysterium S. Trinitatis esse impossibile.* Probatur: si ratione naturali demōstraretur hoc mysterium esse impossibile, tunc verum esset contrarium vero; at cōsequens est absurdum; igitur & antecedens. Probatur sequela; quoniam omne quod docet fides est verum; cum sit à Deo vt à prima veritate dicente & reuelante; fide verò docente credimus diuinæ Trinitatis mysterium. Et rursus, omne quod nobis euidenter elucet ratione ac lumine naturali verum est à prima veritate deriuatum: igitur si ratione naturali ostenderetur esse Trinitatis mysterium impossibile, verum esset contrarium vero; immò sequeretur Deum mentiri, vel vt est auctor gratiæ, vel vt est auctor naturæ; quorum vtrumque nedum absurdum est verum blasphemum. Quisquis enim mentitur vel ex eo quòd fallitur, vel ad hoc vt fallat, mendacium profert: Deus autem cum sit summè sapiens non potest falli; & cum sit summè bonus non potest ad falsitatem inducere. Ex hac conclusione sequitur.

" QVINTA CONCL. *Mysterium sanctæ Trinitatis non est contra sed supra rationem naturalem.* Probatur hæc conclusio, sicut præcedens. Eandem probat Suarez *in dicto cap. 11. nu. 18. & 19.*

" SEXTA CONCL. *Supposita fide potest hoc mysterium, non solum similitudinibus & exemplis explicari, verum etiam rationibus probabilibus suaderi, quod diuinæ congruat maiestati.* Hanc declarat S. Tho. *in respons. ad 2.* vbi etiam tres rationes soluit adoste-dendam huius mysterij probabilitatem communiter adductas. Eandem probant rationes omnes, quibus vtitur S. Th. *in q. 27. & alibi* ad probandum in Deo esse duas processiones, quarum altera est generatio & altera spiratio: quæ non tantum formaliter sed etiam realiter abinuicem distinguuntur. Eandem concl. explicat & probat Zumel. *in sua concl. 3. &* Suarez *in dicto c. 12. num. 8. & seq.*

" SEPTIMA CONCL. *Supposita fide de hoc mysterio potest demonstratiuè probari, non huius existentia mysterij, sed eorum ad illud congruentia, quæ consequuntur ipsum modo nostro intelligendi, immò etiam ea, quæ sunt de intrinseca illius ratione; vt realem distinctionem personarum non esse per absoluta, sed tantum per oppositas relationes: quatuor tātum esse relationes; in diuinis, & quinq; notiones; vnam personā esse in alia: omnes esse æquales, & plura similia.* Hanc concl. statuit, S. Tho. *hic in respons. ad 2.* & explicat exemplo petito ab excentricis *& epicyclis in* Astrologia.

OCTAVA CONCL. *Omnia argumenta, quæ produci aut excogitari possunt aduersus hoc mysterium, sunt euidenter solubilia.* Hanc cōcl. statuit generaliter de omnibus ad fidē pertinentibus S. D. *supra q. 1. a. 8. & ibidem* explicatur & probatur à Caietano &alijs recentioribus. Et probatur; quoniā omne argumentum non conuincens est euidenter solubile: at omne argumentum, quod produci possit contra mysterium sanctissimæ Trinitatis aut quamlibet aliam veritatem diuinitus reuelatam, est argumentum non conuincens; ergo &c. Probatur maior; quoniam cuiuslibet talis argumenti potest ostendi falsitas antecedentis aut consequentiæ, aut saltem eorum alterum potest negari, vt minimè conuincens intellectum; nec poterit vnquam sufficienter infidelis argumentator ostendere verum esse quod à fideli respondente negatur.

POSTREMA CONCL. *Quamuis probabile sit ex antiquis Philosophis multos cognouisse mysterium Trinitatis ex lectione sacrorum librorū, aut veterum traditione, non tamen est certum eos hanc habuisse notitiam, aut personarum distinctionem, per ea quæ singulis propria sunt verè ac perspicuè, quantum necesse est intellexisse.* Prior pars huius conclusionis est D. Th. *in 1. loco superius allegato*, & probant eam late Torres *in quarta parte sui commentarij*, quem ad verbum ferè sequitur Zumel. *in respons. ad 8. suum argum.* Eandem astruunt Mol. & Val. Posterior verò pars probatur ex doctrina D. Thom. *in respons. ad 1.* qua plura glossat Philosophorum dicta; possunt autem eadem doctrina & expositiones cæteris omnibus Philosophorum antiquorū dictis accommodari, vt ex responsionibus ad argumenta patebit.

Argumenta & solutiones.

CONTRA *primam* concl. militant tria prima argumenta D. Tho. quorum responsiones perspicuæ sunt in textu. Responsionem ad primum argumentum ab his quæ S. D. hic affert diuersam poducit & explicat latissimè Torres *in 3. p. commentarij*, quam tamen indicauerat S. D. *in 1. s.* Solutionem autem tertij latè explicat idem expositor *in 2. p. commentarij post quartam concl.* quem sequitur Zumel. *in fine suæ 3. conclus.* & *in 1.* Mol. & est doctrina D. Th. *in 1. cont. gent. c. 5.*

ob cong. 1. cōcl.

Contra *eandem* primam concl. est hoc argumentum. Qui euidenter iudicat conclusionem aliquam esse scibilem, iudicat etiam consequenter eam esse veram; ergo similiter si quis euidenter iudicat aliquid esse credibile, iudicat euidēter illud esse verum; constat autem ex dictis in principio huius Tractatus quemlibet fidelem & præsertim Theologum iudicare euidenter mysterium sanctæ Trinitatis esse credibile; ergo iudicat euidenter illud esse verum. *Resp.* cum Cai. *2. 2. q. 4.* nullam esse conseq. quoniam aliquid dicitur scibile & verum ex proprijs intrinsecis; credibile autem est aliquid ab extrinseco testimonio; quamobrem ratio quæ facit euidenter credibile non efficit iudicium euidens de veritate.

Contra eandem concl. sunt alia multa argumenta, quæ proferunt & soluunt hic Tor. Ban. Zumel.

Zumel. Mol. & Val. quæ apud eos vide si placet; A sunt tamen ex maiori parte desumpta ab A. nostro D. *in 1. s. & de verit. q. 10. a. vlt.*

CONTRA *secundam* concl. est argum. quartum Ban. quod est quintum apud Zumel. cui eadem responsione satisfaciunt. Videnda sunt quę diximus *in allegata contr.*

CONTRA *tertiam, & quartam* concl. sunt argumenta, quæ producit & soluit Ban. *post tertiam suam concl.* & Zumel. *post secundam &* Suarez *in dicto c. 11. nu. 10.*

Ob. 1. cont. vlt. concl. CONTRA *vltimam* concluſ. quo ad primam eius partem est dictum Apostoli *1. Corinth. 2.* relatum hic à D. Thom. *Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius sæculi cognouit,* i. Philo- B
Sol. sophorū secundum glossam. *Resp. primò* Apostolum loqui de principibus sæculi formaliter vt principes sunt sæculi, quod eis conuenit ex rationis & sapientiæ naturaliter acquisitæ præstantia; quamuis eorum aliqui notitiam aliquam habuerint prædicti mysterij modis iam dictis.

Secundò resp. eam cognitionem, quam Philosophorum habuere nonnulli ex libris Moysi & Prophetarum, non ita fuisse perspicuam, vt verè esset cognitio trium in vna deitate personarum, quo ad propria singularum cōstitutiua; sed quo ad appropriata tantum, vt hic ait S. Th. *ad primum.*

Repl. ca. *Sed contra* respons. hanc adduci potest author- C
Sol. itas D. Tho. *in 1. s.* vbi ait philosophos per essentialia tantum attributa diuinā trinitatem cognouisse: & addit aliam responsionem de lectione sacrorum librorum & auditione ab alijs. *Resp.* secundam illam respons. D. Th. intelligendam esse quo ad eum sensum, quem verè possent Philosophorum verba significare; quamuis talis ab
ob. 2. eis sensus non fuerit intentus nec apprehensus.

Contra secundam partem eiusdem concl. producit Vasq. ex Aug. Eugubino *lib. 1. de perenni Philos. c. 1.* & ex Suida *ser. 3.* & Lact. quædam dicta Platonis, Mercurij Tris. Damas. & Oraculi Delphici, quæ easdem aptè patiuntur glossas, quas D
adhibet S. D. eorundem Philosophorum dictis ad primum. Quare superuacaneum arbitror in eis recensendis & exponēdis laborare; cum præsertim Vasq. post dictorum omnium relationē *in fine primi capituli* referat & approbet sententiam Eugubini deducentis antiquos illos Philosophos aliquam, licet non omninò perfectam, Trinitatis notitiam habuisse: quo dicto confirmatur posterior illa pars vltimæ nostræ conclusionis; loquitur enim de imperfectione cognitionis, quæ non attingit propria personarum; alioquin imperfecta non esset Trinitatis cognitio.

DVAS *hic* versant controuersias Ban. & Zumel. PRIOR est, *an de potentia Dei absoluta fieri possit, vt homo secluſa visione beatifica habeat notitiam* E
euidentem mysterij Trinitatis? quam etiam tractat Suarez *locis supra notatis.* Huic aliam annectunt: *an. s. euidentia in attestante valeat esse simul cum fide?* Sedes huius controuersiæ propria est *in 2. 2. q. 5. a. 1. & 3. p. q. 11. a. 1.*

POSTERIOR est: *an hoc mysterium Trinitatis possit efficaciter probari aduersus Iudæos, qui admittunt vetus testamentum: an solum aduersus hæreticos, ex nouo testamento ab eis recepto?* Sed cum hic loquatur A. D. de cognitione Trinitatis ex lumine intellectus naturali, prædicta verò quæsita ad notitiam pertineant reuelatam, impertinentia sunt huic articulo manifestè: Remittantur igitur ad propria loca, in quibus vberius poterūt examinari ac domino largiente definiri.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sint ponendæ notiones in diuinis.

AD *Secundum sic proceditur, Videtur, quod non* 182
sint ponendæ notiones in diuinis. Dicit enim Infra q. 40. ar. 1. cor. & 1. dist. 26. q. 2. arti 1. Et dist. 33. art. 2. cor. Ca. 1. parā à prin. 171 195
Dion. in 1. cap. de diu. nom. * *quòd non est audendū dicere aliquid de Deo, præter ea quæ nobis in sacris eloquijs sunt expressa:* c *Sed de notionibus nulla fit mentio in eloquijs sacræ scripturæ. Ergo non sunt ponendæ notiones in diuinis.*

2 *Præterea. Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem essentiæ, aut ad Trinitatem personarum. Sed notiones non pertinent ad vnitatem essentiæ, nec ad Trinitatem personarum. de notionibus enim neque prædicantur ea, quæ sunt essentiæ. non enim dicimus quòd paternitas sit sapiens, vel creet. neque etiam ea quæ sunt personæ. non enim dicimus quòd paternitas generet & filiatio generetur. Ergo non sunt ponendæ notiones in diuinis.*

3 *Præterea. In simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sint principia cognoscendi: quia cognoscuntur seipsis: sed diuinæ personæ sunt simplicissimæ. Ergo non sunt ponendæ in diuinis personis notiones.*

Sed contra est quod dicit Io. * *Damas. differentiā* Lib. 3. Or. tod. fid. c. 5. cir. prin.
hypostaseon id est, personarum in tribus proprietatibus, id est paternali, & filiali, & processionali, recognoscimus. Sunt ergo ponendæ proprietates, & notiones in diuinis.

Respondeo. Dicendum, quod Præpositiuus attendēs simplicitatem personarum, dixit non esse ponendas proprietates, & notiones in diuinis. Et sicubi inueniātur, exponit abstractum pro concreto. Sicut enim consueuimus dicere, rogo benignitatem tuam, id est te benignum: ita cùm dicitur in diuinis paternitas, intelligitur Deus pater. Sed sicut ostensum est supra * *diuinis vtamur nominibus concretis, & abstractis. Quia* q. 3. ar. 3. ad 1. præcipuè & q. 13. ar. 1.
secundum quòd intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem diuinam secundum quòd in se est considerandam: & ideo secundum modum suum diuina apprehendit & nominat, id est secundum quod inuenitur in rebus sensibilibus, à quibus cognitionem accipit. In quibus ad significandum simplices formas, nominibus abstractis vtimur: ad significandum verò res subsistētes, vtimur nominibus concretis. Vnde & diuina, sicut supra dictum est † *ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus: ratione verò subsistentiæ, & complementi, per nomina concreta. Oportet autem non solum nomina essentialia in abstracto, & in concreto significare (vt cū dicimus deitatem & Deū, vel sapientiā & sapientem) sed etiam personalia, vt dicamus paternitatē, & patrem. Ad quod duo præcipuè nos cogūt. Primò quidem hæreticorum instantia. Cùm enim confiteamur patrem & filium & spir. sanc. esse vnum Deum, & tres personas, quærentibus quo sunt vnus Deus, & quo sunt tres, sicut respondetur, quod sunt essentia vel deitate vnum: ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi posit personas distingui. & huiusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, vt paternitas & filiatio. Et ideo essentia significatur in diuinis vt quid, persona verò vt quis: proprietas autem vt quo. Secundò, quia vna persona inuenitur in diuinis referri ad duas personas, scilicet persona patris ad personam filij, & personam Spiritus sancti. Non autem vna relatione, quia sic sequeretur, quod etiam filius & spiritus sanctus vna & eadē relatione referrentur ad patrem. c Et sic cùm sola relatio in diuinis multiplicet trinitatem, sequeretur, quòd filius & spiritus sanctus non essent duæ personæ. Neque tamen potest dici (vt Præ-* Loch. nunc proximè cit. 195.
positiuus

positiuus dicebat) quòd sicut Deus vno modo se habet ad creaturas , cum tamen creaturæ diuersimodè se habeant ad ipsum , sic pater vna relatione refertur ad filium , & ad Spiritum sanctum , cùm tamen illi duo, duabus relationibus referantur ad Patrem . Quia cùm ratio specifica relatiui consistat in hoc, quòd ad aliud se habet: necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diuersæ secundùm speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat . Oportet enim aliam speciem relationis esse domini, & patris secundùm diuersitatem filiationis, & seruitutis . Omnes autem creaturæ sub vna specie relationis referuntur ad Deum , vt sunt creaturæ ipsius. Filius autem , & Spiritus sanctus non secundùm relationes vnius rationis referuntur ad patrem, vnde non est simile. Et iterum:in Deo non requiritur relatio realis ad creaturam , vt supra dictum

2.28.a.1.ad 3. *est. *Relationes autem rationis in Deo multiplicare nõ est inconueniens. Sed in patre oportet esse relationem realem,qua refertur ad Filium,& Spiritum S.Vnde secundùm duas relationes Filij & Spiritus S.quibus referuntur ad Patrem , oportet intelligi duas relationes in Patre,quibus referatur ad Filium, & Spiritum S. Vnde,cum non sit nisi vna patris persona,necesse fuit seorsum significari relationes in abstracto , quæ dicuntur proprietates,& notiones.*

Ad Primum ergo dicendum , quòd licet de notionibus non fiat mentio in sacra Scriptura, sit tamen mentio de personis , in quibus intelliguntur notiones , sicut abstractum in concreto.

Ad Secundum dicendum , quòd notiones significantur in diuinis, non vt res, sed vt rationes quædam, quibus cognoscuntur personæ, licèt ipsæ notiones, vel rela-

2.28.a.1. *tiones realiter sint in Deo,vt supra dictum est . *Et ideò,ea quæ habent ordinem aliquem ad actum aliquem essentialem vel personalem,non possunt dici de notioni-*

C *bus,quia hoc repugnat modo significandi ipsarum.e Vn-*

183 *de non possumus dicere , quòd paternitas generet , vel creet,sicut sapientia vel intellectus . Essentialia verò, quæ non habent ordinem ad aliquem actum,sed remouent conditiones creaturæ à Deo,possunt prædicari de notionibus. possumus enim dicere,quòd paternitas est æterna, vel immensa, vel quodcunque huiusmodi. Et similiter propter identitatem rei possunt substantiua personalia & essentialia prædicari de notionibus:possumus enim dicere , quod paternitas est Deus , & Deitas est pater.*

*Ad Tertium dicendum , quòd licèt personæ sint simplices,tamen absq; præiudicio simplicitatis,possunt proprie rationes personarum in abstracto significari,vt dictum est.*e

Ratio Ordinis,& Sensus quæsiti.

HIC INCIPIT agere S.D. de cognitione supernaturali diuinarum personarum per notiones habita: de quibus primò quærit; an sint *in hoc a.* Deinde tractat simul duas quæstiones,scil. quid est;& quomodo est *in 2.ar.* in quo quærit de numero diuinarum notionum. Demum agit de earum certitudine quoad nos *in vlt.a.*

Quid sit notio.

In hoc quæsito tria sunt obseruanda. *Primum* est quid nominis ipsius notionis; Est enim propria ratio, non formalis,vt existimauit Ariminensis, sed obiectiua cognoscendi diuinam personam. Hanc diffinitionem optimè explicat Cai. *Secundum* est vsus huius nominis . Nam Cicero *3.libro Officiorum* vtitur hac voce pro diffinitione & cognitione rei. Aug. *lib.5. de Trin.c.6.* ait: Alia notio est, qua intelligitur ingenitus, & alia qua intelligitur genitor. D.Dionys.*cap.1.de diu.nom.* quod nos notionem dicimus,nominationem appellat. D. Basilius *libr. 2. contr. Eunom. propè fin.* notiones nominat proprias personarum formas

Triagenera & notas & characteres. *Tertium* est distinctio di-

A uinorum nominum , quorum tria sunt genera. *nominum diuinorum.* Nam *quædam* dicuntur essentialia ; hæc verò sunt quæ diuinam significant essentiam aut perfectionem vel attributum tribus personis commune, siue proferantur concretè, siue abstractè, vt Deus, Deitas, æternus, æternitas, potens, potentia & alia similia. *Quædam* dicuntur personalia,vt Pater,Filius,& Spiritus sanctus. *Quædã* denique sunt notionalia , ea nimirum quæ significant relationes originis per modum actionis vel passionis,vt generans, genitus, spirans, spiratus, dicere,generatio,generare,spirare. Notiones aũt sunt relationes formaliter in abstracto conceptæ & significatæ, quibus personæ distinguuntur ab

B inuicem,vt paternitas,filiatio,spiratio & processio;qua propter earum nũc dicta nomina non appellantur notionalia ; quia relationem non significant per modum actionis , sed per modum relationis & formæ abstractæ,qua persona constituitur vel saltem distinguitur ab alia. Cur autem relationes & non origines siue notionales actus, inter notiones enumerentur , duplex potest esse ratio: Prior est: quia relationes concipiuntur & significantur ad modum formarum permanentium : origines autem intelliguntur vt in fieri & vt viæ quædam à personis,vel ad personas.Posterior verò est ; quia propria relationum habemus abstracta, non autem originum ; nullum siquidem habemus abstractum genitoris aut geniti,

C sicut Patris & Filij; notiones autem sunt personarum rationes , quæ non nisi abstractè concipi aut significari possunt.

Forma Textus.

PROPONIT primò S.D. opinionem Præpositiui. Secundò confutat illam. Tertiò respondet quæsito.

Opinio Præpositiui erat,non esse ponendas proprietates & notiones in diuinis;cuius radix seu ratio erat simplicitas diuinarum personarum: quia existimabat diuinæ simplicitati repugnare vt aliquid significaretur vt forma,qua constituerentur diuinæ personæ. Vnde dicebat sicubi in sa-

D cris litteris inueniantur huiusmodi abstracta nomina , exponenda esse pro concretis , vt sicut consueuimus dicere: Rogo benignitatem tuam, id est,te benignum:ita cùm dicitur in diuinis paternitas , intelligatur & exponatur Deus Pater. Quod idem sensit Gilbertus Porretanus de nominibus essentialibus,vt Deitas & essentia: cuius error damnatus est in Concilio Remensi . Vnde eadem ratione posset error Prepositiui in aliquo Concilio condemnari.

Secundo igitur loco S.Tho. destruit radicem dictæ opinionis , & postea respondet quæsito vnica conclusione. Sic itaque argumentatur contra prędictam radicem.Intellectus noster secun-

E dum modum suum diuina apprehendit &nominat , id est , secundùm quòd inuenitur in rebus sensibilibus,à quibus cognitionem accipit:sed in rebus sensibilibus ad significandum simplices formas nominibus abstractis vtimur ; ad significandum verò res subsistentes vtimur nominibus concretis ; ergo & diuina ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus , ratione verò subsistentiæ & complementi per nomina concreta. Minor patet. Maior probatur: secundùm quòd intelligimus sic nominamus : sed intellectus noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem diuinam secundùm quod in se est considerandam;ergo secundùm modum suum diuina apprehendit & nominat.

Postremò respondet quæsito tali CONCLV-

SIONE. *Oportet non solùm nomina essentialia in abstracto & in concreto significare, vt cùm dicimus deitatem & Deum, vel sapientiam & sapientem, sed etiam personalia, vt dicamus paternitatem & Patrem.* Probatur dupliciter. Primò sic. A confitentibus Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse vnum Deum & tres personas, oportet responderi interrogantibus, quo sunt vnus Deus, & quo vel quibus sunt tres personæ; ergò oportet dicere, quòd Deitate sunt vnum, proprietatibus autem, scilicet paternitate filiatione & processione sunt plures. Consequentia probatur; quia sic & non aliter tribus interrogatiuis, scilicet quid, quis & quo reddimus propria responsiua; quoniam essentia significatur in diuinis vt quid, persona verò vt quis, proprietas autem verbi gratia paternitas vt quo. Secundò probatur eadem conclusio. Persona Patris vna refertur ad duas personas, scilicet Filij & Spiritus sancti, & non refertur vna relatione tantum; Ergo oportet in Patre distinguere duas relationes, quæ sunt duæ notiones, qua sunt paternitas quæ refertur ad filium, & spiratio quæ refertur ad Spiritum sanctum. Maior patet. Minor probatur. Si Pater vna relatione respiceret Filium & Spiritum sanctum, sequeretur quòd etiam Filius & Spiritus sanctus vna & eadem relatione referrentur ad Patrem, sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur falsitas; quia sola relatio multiplicat trinitatem: Ergò si Filius & Spiritus sanctus vna relatione referrentur ad Patrem, sequeretur quòd Filius & Spiritus S. non essèt distinctæ personæ, quod est hæreticum.

Instant. *Ad hoc* argumentum respondebat Præpositiuus & negabat maiorem, videlicet personam Patris non referri vna & eadem relatione ad personam Filij & Spiritus sancti. Et ad probationem negabat consequentiam; & rationem afferebat: quoniam Deus vnica relatione refertur ad creaturas, & tamen creaturæ pluribus relationibus ad Deum referuntur: & eodem modo dicebat Patrem vna relatione referri ad Filium & ad Spiritum S. cum tamen Filius & Spiritus sanctus duabus relationibus referantur ad Patrem.

Solut. *Sed hanc responsionem* tripliciter arguit S. Th. Primò. Impossibile est, vt vna relatio specie respiciat duas relationes differentes specie; sed filiatio & processio quibus Filius & Spiritus sanctus constituuntur & referuntur ad Patrem, sunt relationes differentes specie; ergò non potest Pater vna relatione vtramque relationem respicere per vnicam specie relationem, qualis est paternitas: sed referri debet per duas, videlicet paternitatem & spirationem. Maior probatur dupliciter. Primo; quia ratio specifica relationis consistit in hoc, quod ad aliud se habet; ergò &c. Secundò exempl o: quia oportet aliam speciem relationis esse domini & Patris, secundum diuersitatem filiationis & seruitutis, quæ specie distinguuntur. Secundò argumentatur ab oppositio; quia omnes creaturæ sub vna specie relationis referuntur ad Deum vt sunt creaturæ ipsius; & ille ad eas vt est earum creator: At Filius & Spiritus sanctus non referuntur ad Patrem secundum relationem eiusdem rationis, sicut creaturæ quatenus creaturæ sunt ad Deum creatorem: Vnde exemplum de creaturis non est simile sed oppositum. Tertiò contra idem exemplum seu instantiam argumentatur ostendendo illud militare contra ipsum authorem scilicet Præpositiuum: quoniam relatio Dei ad creaturas non est realis: ergo siue relationes quæ sunt in creaturis ad Deum sint eiusdem rationis, siue diuersarum rationum, nullum est inconueniens admittere ex parte Dei eisdem relationib⁹ plures relationes respondere, siue eiusdem siue diuersæ speciei; quoniam Deus refertur ad creaturas relatione tantum rationis: multiplicare verò relationes rationis in Deo non est inconueniens, immò necessarium. Ex quo sequuntur duo. Primum est quod Præpositiuus assumit antecedens falsum, videlicet Deum vna relatione referri ad creaturas. Secundum ex illo exemplo deduci oppositum: nam quemadmodum pluribus relationibus creaturarum secundùm rem differentibus correspondét etiam in Deo plures relationes secundum rationes differentes: ita pluribus relationibus realibus specie differentibus, quæ sunt in Filio & Spiritu S. oportet correspondere in Patre plures relationes reales: quoniam sicut illi ad Patrem realiter referuntur, ita Pater ad illos realiter refertur. Ex quo vlterius deducit S. D. quòd, cùm non sit nisi vna persona Patris, necesse fuit seorsum significare relationes illas duas in abstracto. quæ sic significatæ dicuntur proprietates & notiones.

PRIMA CONTROVERSIA.

An, & quomodo distinguantur notiones à personis.

Sententia Doctorum. FVIT Aureoli sententia, quam refert Caiet. ex Capr. notiones in diuinis distingui ex natura rei à personis, quarum notiones sunt, vt paternitatem à Patre, & filiationem à Filio.

Oppositam extremè sententiam tenuit Arim. *in 1. dist. 26.* relatus à Capr. *in eadem dist.* & à Caiet. *in hoc a.* Dicebat enim non esse necessarium propter instantias hæreticorum has in diuinis personis notiones collocare, & ab ipsis ratione distinguere; nam existimabat in diuinis abstracta nomina cum suis concretis esse synonima. Eandem sententiam sequitur Gabriel *in 1. dist. 18. q. 1. a. 3. dub. 1.* Ad huius opinionem proximè accedit Molina distinguit enim relationes, dicens eas dupliciter sumi posse: Vno modo præcisè vt cum essentia constituunt personas: Alio modo, vt includũt essentiã: quomodo paternitas dicit totũ id in abstracto, tam absolutum quàm respectiuum, quod Pater includit in sua ratione formali: & hoc modo relationes in abstracto solum differunt (inquit) à personis ratione concipiente. Eandem opinionem sequitur Vasq. *supra disp. 121 c. 2.*

S. Tho. autem hic & Cai. docent paternitatem & Patrem distingui solo modo intelligendi & significandi ex sensibilibus orto; quod idem confirmat Cai. *inf. q. 40. a. 2. in resp. ad 1. D. Th.* quam doctrinam alij sequuntur interpretes & præsertim Bannes qui paternitatem & Patrem affirmat distingui ratione ratiocinata, & Suar. *lib. 7 de Trin. c. 2. n. 6.*

Resolutio PROPRIVS huius controuersiæ locus est *inf. q. 40. a. 1.* vbi quærit S. D. vtrum relatio sit idem quod persona. Sufficiet igitur hic, ea tantum breuiter attigisse, quæ ad intelligendam præsentis articuli doctrinam videntur esse necessaria. Hæc verò sunt tria. *Primum* est, quod hic ait S. Thomas nimirum intellectum nostrum apprehendere diuina secundùm modum sensibilium rerum: in quibus ad significandum simplices formas vtimur abstractis nominibus; ad significandum verò res subsistentes vtimur concretis nominibus; & ideò diuina tam essentialia quàm personalia, ratione simplicitatis, per nomina (inquit) abstracta significamus: ratione verò subsistentiæ & cõplementi, per nomina concreta.

Igi-

Igitur formale significatum nominis abstracti est forma, quatenus simplex: concreti verò nominis formale significatū est forma, siuè res quatenus subsistens: constat autem in rebus creatis formæ simplicitatem & subsistentiam realiter esse distincta; igitur in diuinis distinguuntur ratione fundamentaliter, ac proinde concretum & abstractum in diuinis quo ad rationes eorum formales significatas non distinguuntur sola ratione concipiente, vt ait Mol. sed ratione fundamentum habente in eminentissima re diuina præhabente in se rationem omnem simplicitatis & subsistentiæ, vt latè superius ostendimus *q.28. a.2. contr.1.* Et quemadmodum deitas totum includit, quod Deus, & tamen ab eo formaliter differt modo dicto, adeò, vt hæc propositio sit catholica: Deitas generat Deum: hæc autem hæretica: Deitas generat Deitatem, vt habetur *de summa Trinitate, & fide catholica*; ita paternitas in abstracto completè sumpta diuinam includit essētiam, quam etiam includit hoc concretum *Pater*, & nihilominus ab eo distinguitur formaliter, vt ante diximus, adeò vt hæc sit vera: Pater generat: hæc autem falsa: paternitas generat. Et quia subsistentia, qua formaliter distinguitur concretum ab abstracto, modus quidam est: ea propter Cai & S. Th. quandoque dicunt concretum & abstractum distingui secundum modum concipiendi & significandi; quæ distinctio ob dictam causam fundamentum habet in re: sicut attributorum distinctio tam ab essentia quàm inter se, vt hic etiam perspicuè docet Cai. cum ait distinctionem inter abstractū & cōcretum ex diuina re oriri: ita vt in Deo sit aliquid vnde verificari possit abstractum & concretum; quia diuina res simplicitate abstractū, subsistentia verò concretum fundat: non autem quod in diuinis distinctio aliqua sit, ex qua deriuetur distinctio inter abstractum & concretum; similes enim distinctiones, vt alibi diximus cum Cai. ex re diuina procedunt, non vt effectus vniuoci ab vniuoca, sed velut æquiuoci ex æquiuoca causa, quæ scilicet non est in se distincta formaliter sed virtualiter tantum.

Abstracti, & concreti distinctio.

Contra Molinam.

Secundum hic annotandum est diuinam simplicitatem duplicem compositionem excludere. Prior est materiæ & formæ. Posterior est subiecti & accidentis. Quatenus illam excludit sequitur idem esse in diuinis abstractum & cōcretum, vt deitas & Deus, paternitas & Pater. Quatenus autem hanc scilicet subiecti & accidentis excludit, sequitur omne quod attribuitur Deo idem esse quod eius essentia vel substantia. Igitur secundum primam rationem simplicitatis & identitatis proprietas quælibet personalis idem est cum persona per eam cōstituta; nam idem est quod ipsa persona subsistens, vt paternitas idem est quod ipse Pater, & filiatio Filius, & spiratio Spiritus Sanctus: At secundum aliam rationem simplicitatis & identitatis, proprietates non personales sunt idem cum personis, vt communis spiratio est idem cum persona Patris, & persona Filij, vt ait S.D. *infra q.40.a.1.ad 1.*

Tertiū hic diligenter considerandum est necessitas nimirū abstractorum in materia diuinarum personarum, quam significat hic D. Tho. *in prima ratione contra Præpositiuum*, vt scilicet interrogantibus, quo vel quibus Pater & Filius & Spiritus S. sunt tres personæ, satisfiat dicēdo eas esse tres paternitate, filiatione & processione. Nam vt hic aduertit Cai. quem alij sequuntur interpretes, oportet interrogatiuo quo correspōdere respon-

A siuum, quod ex proprio modo significādi significet vt quo, vt satisfiat interroganti: alioquin nō quiesceret instantia quærentis: Sola verò abstracta significant vt quo siue quibus, non autem concreta, quale est hoc nomen *persona*. Vnde quærenti quo vel quibus Pater Filius & Spiritus sanctus sunt tres personæ, non satisfit dicendo tres esse personis: supponit enim interrogans tres esse distinctas in Deo personas & quærit formalia distinctiua. Constat autem personas ipsas non esse nec significari, vt formalia distinctiua formaliter loquendo, sed esse res ipsas inter se distinctas: abstracta vero singularum personarum, vt paternitas filiatio & processio formaliter sig-
B nificantur, vt distinctiua personarum formalia, hoc ipso quòd abstractè significantur, & vt quo siue quibus. Quamuis igitur interroganti, quo nam vel quibus distinguatur Trinitas in diuinis, benè respondeatur eam personis distingui: quærenti tamen instātius, quo vel quibus formaliter fiat hæc Trinitatis, id est, trium personarum distinctio, necesse est ea reddere distinctiua, quę formaliter vt distinctiua significantur; hæc verò sunt abstracta personarum, quæ significantur vt formæ, quibus ab inuicem distinguūtur personę. Hoc autem magis elucet, proposita de singulis interrogatione personis: Nam si quæratur quo Pater est Pater? necesse est respondere: paternita-
C te, & similiter de Filio & de Spiritu S. Hanc veritatem pluribus confirmant SS. ac Patrum dictis Vasq. *disp.136.c.2.* & Suar. *lib.7.c.1.*

PRIMA CONCL. *Non distinguuntur notiones à personis formaliter ex natura rei.* Hęc cōclusio probatur illis omnibus argumentis, quibus in *q.28. a.2.cont.1.* vsi sumus ad probandum hanc distinctionem non esse inter essentiam & attributa, & inter relationes & essentiam. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *Persona & eius proprietas aut notio non sunt synonima.* Hæc patet ex dictis, & præsertim ex prænotata controuersia. ”

TERTIA CONCL. *Distinguuntur persona & eius proprietas siuè notio, non tantum ratione cōcipiente, sed etiam ratione ratiocinata, siue habente fundamentum in re.* Hæc probatur ex eisdem fundamentis quibus præcedentes. ”

D

VLTIMA CONCL. *Necesse est in diuinis personalia significari non tantum nominibus concretis, sed etiam abstractis.* Hæc patet ex tertio notabili. ”

CONTRA *primam* conclus. militant multa argumenta, quorum præcipua soluimus *in d. controu. de distinctione diuinorum attributorum, & relationum ab essentia.* *Argumenta, & solutiones.*

CONTRA *secundam conclusionem* argumentatur Gregor. Arimin. *Primò.* Nihil est per modum proprietatis in diuinis personis, nisi complexè significatum; At hic modus proprietatis non est in re, vel non differt à re nisi conceptione & loquutione nostra; Ergo &c. Maior probatur quia sequeretur personas non esse simplices: & explicatur quoad illam particulam, *nisi complexè significatum*; quia generare Filium proprium est Patris. Minor autem probatur; quia complexio est opus mentis. *Resp.* falsam esse maiorem. Ad probationem negatur sequela; nam proprietates siue notiones non sunt in diuinis personis vt formæ inhærentes, aut informantes ſm rem, sed secundùm rationem tantùm inexistentes, quatenus principia sunt formalia cognoscendi. Sed de hoc infra *q.40. a.1.* Deinde falsum est nihil esse in diuinis per modum proprietatis, nisi complexè significatum; nam singulæ relationes personales proprietates quædam sunt, quæ tamen incomplexè significantur. *Obiect. cont. 2. concl.* *Sol.*

Ob. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam* argumentatur Mol. supra *q.28. a.2. disp. 3.* Pater & Paternitas dicto modo sumpta distinguuntur, sicut Deus & Deitas; Sed hæc sunt idem omnino formaliter, & virtute solaque ratione ratiocinante distinguuntur, quatenus mens vnum & idem prorsus modo concipit in concreto propter subsistentiam, & modo concipit in abstracto propter simplicitatem; Ergo similiter Pater & paternitas sola ratione distinguuntur concipiente.

Solut. *Resp.* falsam esse minorem: immo ex hoc ipso, quòd idem ex subsistentia concipitur in concreto, & ex simplicitate concipitur in abstracto, apparet in ipso distinctio virtualis siue fundamentalis, qua diuersis potest conceptionibus respondere, & distinctas propositiones verificare perinde ac si formalis & actualis esset in eo distinctio subsistentiæ & simplicitatis.

CONTRA *vltimam* argumentatur Greg. authoritatibus Aug. & Hieron. quibus respondet Cai. & alij recentiores post eum.

SECVNDA CONTROVERSIA.

An sit possibile relationem vnam specie, respicere duas relationes specie differentes?

Ratio dubitandi, & sententiæ Doctorum. RATIO dubitandi est; quia S. Th. *in 3. p. q. 35. a. 5.* docet eadem relatione referri vnumquemque ad suum patrem & matrem: cum tamen *ibidem ad tertium* dicat ex parte parentum duplicem esse relationem, vnam paternitatis & aliam maternitatis, quæ sunt specie differentes; eo quòd alia ratione pater, & alia ratione mater sit generationis principium.

Mol. *disp. 1. in fine* existimat esse probabile relationem parentis in communi, vt sub se comprehendit Patrem & matrem, esse speciem infimam & distingui differentijs accidentalibus, quæ cum parente in communi efficiant compositum per accidens: sicut cùm distinguitur homo in marem & fœminam. Eandem sententiam sequitur Zum. *disp. 1. ad 2. arg. AEgid.*

Ferrar. *in 2. cont. gent. c. 12. §. Ex istis patet.* duo dicit. *Primum.* In filio est vnica relatio materialiter, sicut fundamentum relationis in ipso est materialiter vnum: sunt autem duæ relationes formaliter, sicut & fundamenta formaliter sunt plura, & ideo licèt vno nomine, scilicet filiationis, significetur relatio filij ad patrem, & relatio eius ad matrem, sunt tñ plures relationes in ratione relationis: quamuis in ratione rei sint vnum. *Secundum* est. Quod inquit S. Tho. duabus relationibus specificè distinctis non posse vnicam relationem ex opposito respondere, intelligitur de vnitate formali relationis, siue de vnitate eius in ratione relationis, non autem de vnitate materiali, siue de vnitate in ratione rei. Hanc sententiam sequitur Vasq. *in notationibus ad a.* & Suar. *disp. Metaph. 48. sect. 17. num. 27. & 28.* quamuis existimet Ferrar. non consequenter loqui, eo, quòd supponat relationem esse quid in re distinctum à fundamento.

Denique Cai. *hic dub. 2* docet hoc velle D. Th. nimirum impossibile esse vnam relationem secundùm speciem habere extrema diuersarum rationum non partialium, modo inferius explicando; paternitas autem & maternitas partiales quædam sunt rationes vnius extremi, vt ibidem significat Cai. cuius sententiam sequuntur Sylu. Tor. Ban. & Zum. *in discursu articuli*, & Fonf. *lib. 5. Metaph. c. 15. q. 4. sect. 3.* & alij Thomistę communiter.

Resolutio. Explicatur sententia D. Th. SCIENDVM *est primò* ex D. Tho. *3 p. q. 35. a. 5.* vnitatem relationis, vel eius pluralitatem nõ attendi secundum terminos, sed secundùm causam vel subiectum; quo fit vt filius vna & eadem relatione referatur ad patrem & ad matrem, propter vnitatem causæ; nam vna & eadem natiuitate homo nascitur ex patre & matre: & ideo vna & eadem relatione ad vtrumque refertur: & eadem (inquit S. D.) est ratio de magistro qui docet eadem doctrina multos discipulos, & de domino qui gubernat diuersos subditos eadem potestate. Quòd si fuerint diuersæ causæ specie differentes, erunt etiam relationes specie diuersæ: quemadmodum si quis sit aliquorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica: alia est ratio magisterij vtriusque; & ideo relationibus diuersis vnus & idem homo potest esse magister vel diuersorum vel eorundem secundùm diuersas doctrinas. Addit autem S. D. *Et quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto, non est possibile, quòd sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali: secus autem esset, si esset pater vnius generatione naturali, & alterius per adoptionem.* Et *in responsione ad 3.* sic ait: *Vnum, & ens se consequuntur, vt dicitur in 4. metaph. & ideò, sicut contingit, quòd in vno extremo relatio sit quoddam ens, in alio autem non sit ens, sed ratio tantum (sicut de scibili, & scientia Philosophus dicit in 5. metaph.) ita etiam contingit, quòd ex parte vnius extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multæ relationes: sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differentes: propter hoc, quòd alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si verò essent plures, eadem ratione principium actionis vnius (puta cum multi trahunt nauem) in omnibus esset vna, & eadem relatio; Ex parte autem prolis est vna sola filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, inquantum correspondet vtrique relationi parentum secundum duos respectus intellectos.* Hæc D. Thom. vbi duo Caiet. aduertit. *Primum* est: cum ait S. Doct. in omnibus trahentibus nauem vnam esse relationem, intelligendum esse, non de vna relatione numero sed specie; nam diuersitati specificæ paternitatis & maternitatis, quæ sunt rationum diuersarum principia, contraponitur vnitas principij secundum eandem rationem in pluribus simul trahentibus nauem. *Secundum* est: Relationem filiationis ad patrem & matrem duplicem esse secundum duos respectus intellectus, in hoc sensu, quòd sicut albedo vna secundum rem est multiplex secundum rationẽ; cùm alia ratione sit visibilis & alia terminatiua sit alterationis; ita filiatio Socratis est vna res respectiua, & multiplex secundum multas rationes respectiuas ad patrem & ad matrem; non quia sola consideratione intellectus fiat duplex ille respectus, sed quia facit intellectus distinctionem rationis in illo vno respectu secundum rem, illum intelligendo vt respondet patri; & iterum vt relationem terminat matris. Vnde etiam Capreol. *in 3. dist. 8 q. vnica ad 7. Scoti* ait non existente patre aut matre eandem filij relationem manere quantum ad vnum respectum, desinere verò quo ad alium: sicut in eo contingit, qui duos habuit fratres & modo non habet nisi vnum. Quod idem affirmat Caietan. *in 3. p. qu. 35. art. 5. ad 1. dubium.* Ad huius verò doctrinæ explicationem.

Affertur ex Arist. radix. NOTANDVM *est secundò* illius propositionis D. Thom. quam examinamus, nimirum: *Necesse*

illius propositionis: Necesse est dicere, quòd duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciê &c.

Necesse est, dicere, quòd duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex oppositio vna relatio eis correspondeat, eam esse radicem, quam hic ex Arist. 5. *metaph. ca. de ad aliquid* affert & explicat Cai. quia videlicet nullum relatiuum dicitur bis; hoc autem quod est relatiuum semel tantum dici ex propria ipsius relatiui quidditate procedit; quia scilicet hoc ipsum quod est, ad aliud dicitur id est ad terminum, qui vnus omnino est. Sed hæc vnitas termini potest esse duplex: vna numeralis, & hæc necessaria non est in termino relationis; quia Socrates albus eadem relatione similitudinis refertur ad omnes albos. Altera est specifica, quæ duplex est: vna, quæ est diuersarum rationum partialium, quarum videlicet fundamenta vt partiales causę concurrũt ad vnũ numero effectum producendum: sicut facultates siuè actiones generatiuę patris & matris respectu filij; neutrius. n. virtus aut actio per se sufficit ad filij generationẽ. Vna igitur ex vtriusq; parentis concursu conflatur integra & perfecta nascentis generatio, qua filius procedit vnus numero. Quamuis igitur diuersa ratione concurrant in eandem generationem pater & mater, neutra tamen earum rationum est integra & per se sufficiens ad productionem effectus; & ob eandem causam, neque sola paternitatis neque sola maternitatis relatio per se constituit perfectum & integrum terminum & correlatiuum filiationis, sed, vt partes se habent vnius integri & adæquati extremi, cui ex alia parte respondet in filio vna specie relatio filiationis. Quemadmodum totum essentiale naturale, vna & eadem relatione respicit partes essentiales, quæ sunt materia & forma; quamuis partes ad totum relationibus specie diuersis referantur. Alia est vnitas termini specifica, non ex pluribus veluti partibus consurgens, sed per se sufficiens & adæquatè terminans: & talis est vnitas similis respectu similis, & serui vt sic respectu domini. Cum igitur ait Philosophus relatiuum bis non dici, non significat relatiuum ad duo solo numero distincta non dici; cum pater vnica relatione ad plures filios dicatur, & dominus ad plures seruos, neque intendit relatiuum bis non dici, hoc est non referri ad duo correlatiua diuersarũ rationum partialiũ: id enim falsum esse iam probauimus. Sensus igitur verborum Arist. est relatiuum bis non dici .i. nõ referri ad duo correlatiua, non partialia sed diuersarum omnino rationum perfectarum; hoc autem esset, si relatiuũ respiceret vnum terminum ex vna parte & alium ex alia; sicut in exemplo Arist. si scientia referretur ad scientem & ad scibile: cum tamen ad scibile tantum referatur, vt ibidem probat Arist quicquid dicat Vasq. *hic, & disp. 104.* vbi contra Græcorum & Latinorum communem interpretationẽ nititur verba Philosophi ad oppositum sensum inflectere, vt etiam aduertimus supra *q. 25. ar. 3.* Hanc autem doctrinam de specifica relationis vnitate in prole respectu patris & matris, cum prædicta distinctione rationis, affirmat Petrus Fonseca veram esse, siuè mater passiuè tantum concurrat ad generationem siuè etiam actiuè cuius oppositum absque solido fundamento docet Suarez, vt apparebit ex solutionibus argumentorum.

Quid sit, relatiuum bis non dici.

Relicitur Vasquezii interpretatio.

Suarez reijcitur.

Ex dictis sequitur conciliari facilè posse duas posteriores sententias: quamuis earum sectatores tam inter se, quàm cum oppositæ sententiæ defensoribus in quibusdam pauci admodũ momẽti dissideant. Nam quod ait Ferrar. vnicam esse materialiter & in ratione rei relationem in filio,

Conciliatur duæ posteriores sententiæ.

A duas autem formaliter siue in ratione relationis: hoc est, quod ait S. Th. relationem filiationis ad patrem & matrem duplicem esse, secundùm duos respectus intellectos: quos quidem respectus non efficit intellectus consideratio, sed eorum tantum distinctionem vt ait Cai. quod est dictu, filium filiatione referri secundùm rem ad patrem & matrem vno & eodem respectu secundum rem, sed diuerso secundùm rationem in re fundatam, vt affirmat Suarez. Ex quo sequitur vlterius vt existente solo patre aut matre, remaneat nihilominus eadem filij relatio quo ad vnum eius respectum; quamuis cesset secundùm alium, vt ait Capr. quem sequitur Fonseca: Nam B si eadem est filij relatio ad vtrumque parentem vt ad vnum terminum relata, nec differt nisi ratione distinguente duos respectus, ob diuersas rationes partiales termini eiusdem relationis adæquati: consequens est, vt ablata vna ratione partiali terminandi, puta matre, & manente (quãuis partialiter) termino secundum rem puta patre, cesset etiam relatio filiationis secundùm eam tantùm respectus rationem, qua terminabatur ad matrem: maneat autem simpliciter & secundum rem, licet in exercitio minùs explicata. Nec aliquid adimit, aut confert ad veritatem prædictæ distinctionis formalis in relatione filiationis identitas, aut distinctio eius à fundamento, vt arC bitratur Suarez, sed per accidens & impertinens omnino est vtrumque in re præsenti: Pendet enim illa distinctio duorum respectuum in vna relatione, non ex identitate aut distinctione eius à fundamento, sed ex ratione termini eius totalis, qui duas includit specie distinctas relationes; sub diuersis suis rationibus partialiter terminantes. Ex quo manifestè sequitur relationem ad eas terminatam diuersa ratione ad duos illos partiales terminos terminari; alioquin non esset mutuus formaliter respectus extremorum. An autem duo illi respectus filiationis aliquo modo sint actualiter distincti absque opere intellectus, patebit ex dicendis *in seq. contro.*

Suar. dictũ reijcitur.

D PRIMA CONCL. *Vna specie relatio non potest respicere duas relationes specie differentes, vt duos terminos totales.* Hanc probat ratio S. D. *in textu*; quia sc. ratio specifica relationis consistit in hoc, quòd ad aliud se habet &c. Et ratio Aristotelis; quia sc. relatiuum non dicitur bis.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

E SECVNDA CONCL. *Vna relatio secundùm speciem potest terminari ad duo extrema specie diuersa, vt partes vnius integri termini.* Hæc patet ab exemplo filiationis, cuius partiales termini sunt paternitas & maternitas, vt ostendimus.

TERTIA CONCLVSIO: *Relatio filiationis ad patrem & matrem vna est materialiter & vt res est, & duplex formaliter siue vt relatio est: quæ distinctio formalis eadem est cum distinctione rationis ratiocinatæ.* Probatur; quia secluso opere intellectus nõ distinguuntur illi duo respectus secundum se siue ex parte filiationis, sed tantum secundum extrinsecos terminos, ad quos refertur vna relatio filiationis; Ergò illa relatio est eadem materialiter, & distincta formaliter, id est, ratione ratiocinata. Probatur consequentia; quia distinctio duorum illorum respectuum actu non est in re, sed tamen habet in re fundamentum scil. relationem, prout duos respicit partiales terminos specie distinctos.

QVARTA CONCL. *Non existente patre, aut matre remanet eadem relatio filij, quantum ad vnum respectum definit autem quoad alium.* Hæc conclusio patet ex dictis.

Argumenta. & solutiones. Ob 1 cont. 2. concl.

CONTRA *secundam* concluſ. argumentatur Vaſq. Quia verba Ariſt. *in c. de ad aliquid* perperam explicantur à Cai. Nam ibi ſolum contendit Ariſt. monſtrare, non poſſe relatiuum referri ad terminum etiam relatiuum, ſed ad abſolutum, in ijs ſaltē in quibus alterum extremū ſolum extrin ſeca denominatione refertur, vt viſibile; probat .n. Ariſt. viſum nō referri ad viſibile. *Reſp.* falſum eſſe aſſumptum. Nec poſſum ſatis mirari virum aliàs eruditum & perſpicacem, contra planiſſimum litteræ ſenſum & communem omnium interpretum Græcorum & Latinorum, ac præſertim Angelici noſtri Doctoris expoſitionem affirmare Philoſophum in eo textu probare viſum non referri ad viſibile; cùm nihil ibi magis intendat, vt vel ipſa verba per ſe ſatis apertè clamant.

Solut.

Obi. 2.

Secundò probat relationem filiationis, licèt ſit eadem ſecundum rem ad patrem & ad matrem,

Sol.

non tamen eſſe eiuſdem rationis; *quod etiam* nos affirmamus cum D. Thom. & alijs *in tertia noſtra concl.*

Obi. 1. cōt. 2. & 3. concl.

CONTRA *eandem concl. & tertiam* argumentatur Suarez. Si mater ſolum paſſiuè concurrit; Ergo relationes patris & matris ad filium erunt ſpecie diuerſæ, vel ſunt termini formaliter diuerſi, vel eos indicant; Ergo fieri non poteſt, vt eis reſpondeat vnica relatio in correlatiuo. Probatur ſequela: Correlatiua ſpecie diuerſa, vel ſunt termini formaliter diuerſi, vel eos indicāt; relationes autem habent diuerſitatem ex terminis formalibus. *Reſp.* conſequens primum poſſe dupliciter intelligi. Vno modo de ſpecifica diuerſitate termini totalis, & ſic falſa eſt prima conſequētia; Alio modo de ſpecifica diuerſitate terminorum partialiū, & ſic admiſſa prima, negatur ſecunda conſequentia. Ad probationem reſpondetur eadem diſtinctione. Et præterea non eſt verum relationes habere diuerſitatem ſpecificam ex terminis, ſed illam habent ex fundamentis, vt ante diximus ex D. Th.

Solut.

Obi. 2.

Secundò: Relatio effectus ad cauſam diuerſi generis eſt etiam diuerſa, ſiue illa materialis ſit, ſiue formalis, ſiue efficiens; Ergò ſi cauſalitates patris & matris differunt, vt efficiens & materialis, relationes in effectu erunt diuerſæ. *Reſpon.* antecedens verum eſſe de diuerſitate relationis formali, ſiue ſecundùm rationem ratiocinatam, non autem ſemper de diuerſitate reali. Secundo verum eſt antecedens, quando illę diuerſæ cauſæ non concurrunt vt partiales ad vnum numero effectum.

Replica.

Sed hanc reſponſionem impugnat Suarez. Quia ſi mater concurrit paſſiuè, tunc pater & mater non cauſant in eodem genere; Ergo non componunt vnam cauſam totalem, ſed potius efficiunt collectionem cauſarum diuerſorum generum, qualia ſunt materia & efficiens. *Reſp.* nullam eſſe conſeq. quia mater etſi paſſiuè concurrat agit tamen

Solut.

præparando & miniſtrando materiam. Et præterea falſa eſt conſequentia, quando inſtrumentū agentis, puta ſemen, coniungitur cum materia in vnum corpus, quod ſecundùm diuerſas partes agit & patitur.

Obi. cont. vlt. concl.

CONTRA *vltimam* concl. argumentatur Suarez. Relatio pendet ex termino adæquato; Ergò difficile creditu eſt, quòd relatio ſit vna indiuiſibiliter ad patrem & matrem; vt compleat vnam cauſam totalem: & tamen quòd eadem relatio integra maneat ablato illo adæquato termino ex altera parte. Probatur conſequentia; quia ablato vno parente iam illa filij relatio non poteſt habere ſuum adæquatum effectum formalem; cùm non poſſit referre filium ad vtrumque parentem; Ergo abſolute non poteſt habere effectum formalem ſuum. Probatur ſequela; quia cùm indiuiſibiliter illum cauſet, non poteſt conferre partem eius, & non totum: nec poteſt tota manere, quin conferat totum effectum; cùm non maneat, niſi in ſubiecto vt inhærens.

Reſpon. relationem pendere ex termino adæquato dupliciter intelligi poſſe. Vno modo materialiter: Alio modo formaliter; & hoc dupliciter ſcilicet in actu ſignato & in actu exercito. Dico igitur ad argumentum. Si antecedens intelligatur de relatione materialiter ſumpta, nullam eſſe conſequentiam, vt patet de relatione paternitatis ad plures filios, vt ad vnum terminum adæquatum, quorum vno deficiente, remanet in patre eadem paternitas materialiter & ſecundùm rem, vt explicat optimè Caietan. *in 3. parte.* Si verò intelligatur formaliter & in actu ſignato, negatur etiam conſequentia; quoniam deſtructa vnius parentis exiſtentia in rerum natura, non tollitur reſpectus filiationis in actu ſignato ad vtrumque parentem, ſed tantùm in actu exercito. Si verò intelligatur de termino adæquato relationis formaliter in actu exercito, negatur ſimiliter conſequentia; quoniam ablato vno parēte, & altero tantùm remanente, relatio filiationis formaliter non remanet, niſi prout reſpicit parēte actu exiſtentem, qui eſt eius terminus adæquatus ſecundùm talem reſpectum. Manet igitur in eo caſu relatio filiationis integra ſecundùm rem ſiue materialiter, non autem ſecundùm rationem ſiue formaliter; ob defectum alterius partialis termini. Ad probationem autem conſequentiæ dico ad antecedens filiationem non poſſe habere ſuum effectum formalem adæquatum ſimpliciter: habere tamen ſuum effectum formalem adæquatum, ſecundùm talem reſpectū ad talem terminum; vnde negatur conſequentia qua infertur; ergo abſolutè non poteſt habere ſuum effectum formalem: Et ad eius probationem negatur aſſumptum; falſum eſt enim reſpectum actualem ad vtrumque parentem eſſe effectum formalem omnino indiuiſibilem filiationis; nam diuiſibilis eſt formaliter & exiſtenter ſeu in actu exercito.

Solut.

TERTIA CONTROVERSIA.

An duæ relationes, quæ ſunt in Patre ſcilicet paternitas, & ſpiratio, diſtinguantur realiter inter ſe; & ſimiliter duæ relationes exiſtentes in filio, ſcilicet filiatio, & ſpiratio?

Sententiæ doctorum.

PRIMA *ſententia* eſt Durandi *in 1. diſt. 13. qu. 2. & quol. 7.* dicentis prædictas duas relationes in patre eſſe realiter diſtinctas, cuius argumenta præcipua inferius adducentur & ſoluentur.

Secunda ſententia eſt Sylueſtri *ſuper hoc articulo*, qui duo dicit. Primum: Paternitas & ſpiratio ſunt duæ relationes reales diſtinctæ realiter, nō diſtinctione rerum ſed relationū. Manifeſtat hoc dictum ſuum diſtinguēdo dupliciter aliqua diſtingui realiter: Vno modo vt duæ res, vt homo & equus; alio modo tanquam in ſuis rationibus includentia diuerſas res, vt quantitas & æqualitas. Ait ergo ſpirationem & paternitatem non diſtingui realiter primo modo, ſed ſola ratione; ſed ſecundo modo diſtinguuntur realiter per terminos connotatos realiter diſtinctos. Quòd ſi quis dixerit relationes nō diſtingui realiter, niſi ſint oppoſitæ: verum eſt (inquit) de diſtinctione

reali

tali eo modo quo distinguuntur diuersæ res, non autem eo modo quo distinguuntur diuersæ relationes. Secundò dicit duas illas relationes specie distingui, ad quam distinctionem (inquit) sufficit, vt distinguantur per rationes, quando illæ rationes includunt diuersas res vel terminos; quia ratio specifica relationis sumitur à termino, & hæc (inquit) distinctio sufficit ad cõuincendum Præpositiuum; quia non intendit S. Th. notiones in Deo poni vt distinctas res, sed vt distinctas rationes cognoscendi, vt patet *hic ex responsione ad secundum.*

Tertia sententia est Ferrar. *2. cont. gent. c. 9.* vbi cum Scoto sentit in diuinis essentiam & relationem distingui ex natura rei; quoniam essentia secũdũ se includit tantũ absoluta relatio verò ea nõ includit, sed dicitur, ad aliquid. Ex quo sequitur, vt eadẽ rõe relationes diuinæ, quæ dicũtur ad terminos specie distinctos, distinguãtur ex natura rei; quoniã paternitas secundũ se dicit ordinẽ ad filiationem, & non ad processionem: & spiratio secundum se dicit ordinẽ ad processionem, & non ad filiationem.

Quarta sententia est Capr. *in 1. dist. 13. q. 1. a. 2. ad primũ & sextum argumentum*, quam etiam reputat probabilem Bannes *arti. sequenti in 3. sua conclusione.* Sentit Capr. paternitatem & spiratonem specie distingui, & loquitur de distinctione formali actuali absq; opere intellectus; immò si cõferantur illæ responsiones cum suis argumentis, videtur Capr. admittere distinctionem realem, eo modo quo posuit eam Sylu. Pro explicatione huius opinionis solent afferri duo exempla. *Primum* est: Sicut Petrus actu & formaliter per eandem rem quæ est albedo, similis est Ioanni & dissimilis Paulo; ita pater per eandem rem refertur ad filium relatione paternitatis, & refertur ad Spiritum S. relatione spirationis. Valet exẽplum apud tenẽtes relationem nõ distingui realiter à fundamẽto. *Secundum* exmplum est: sicut idem calor ignis est in prima specie qualitatis & ponitur in tertia specie, & tamẽ est vnica res ille calor; ita paternitas & spiratio sunt vnica res, & tamen distinguuntur formaliter in duas relationes, quatenus duas illas habet rationes specie diuersas.

Tres alias opiniones refert Zum. quas consulto relinquimus: quoniam ex dicendis perspicua fiet in omnibus veritas.

Postrema sententia est Cai. quam sequuntur communiter recentiores *super hoc & sequenti articulo*, & Suar. *li. 5. c. 5. 6. & 7.* Hæc sententia negat omnem distinctionem realem formalem & omnem distinctionem formalem actualem ex natura rei: & affirmat distinctionem realem virtualem, & distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ etiam solet appellari distinctio formalis virtualiter siuè eminenter.

Resolutio: aperitur status controuersiæ, & impugnatur opinio Durandi.

OMNIA relata Doctorũ placita, præter opinionem Durandi, probabilibus etiam in doctrina D. Th. nitũtur argumentis: quantũ valeãt, proponẽda ex eodẽ A. D. fundamẽta declarabũt.

Inchoandum est autem ab eo, quod communiter omnes prædicti confitentur cum D. Th. nimirum paternitatem & spirationem in patre duas esse relationes reales absolutè loquẽdo; cuius rationem assignat hic S. D. ex specifica distinctione terminorum, & ex propria relationis natura, cuius ratio specifica cõsistit in hoc quòd ad aliud se habet; & ex realitate respectus per dictas duas relationes significati; refertur enim realiter pater ad filium paternitate, & ad Spiritum Sanctum spiratione. Quod argumentum paucis complexus Caiet. dixit paternitatem & spirationem esse duas relationes reales: quia distinguuntur differentijs relationis: de quo infra disseremus vberius. Tota difficultas & controuersia est de modo distinctionis dictarum duarum relationum, in quo tantopere dissident expositores. Cum enim affirmet simpliciter D. S. paternitatem & spirationem duas esse relationes reales: eo modo dicendum est eas distingui, quo posito, dici valeant absolutè distinctæ, & duæ relationes simpliciter enunciari; posita verò sola formali distinctione secundum rationẽ inter eas, duæ quidem erunt secundum rationẽ, at simpliciter duæ non erunt. Nam, vt hic aduertit Caietanus, esse duo secundũ rationem, nõ est esse duo sed intelligi duo: sicut esse quantum secundum rationem, non est esse quantum, sed intelligi quantum. Consequens igitur est, vt vel realiter inter se distinguantur, aut saltem maior sit earum distinctio, quã rationis. Et hic est nodus, in cuius solutione mirificè vexantur expositores. Ad cuius euidentiam.

Secundò considerandum est in Deo quatuor esse relationes reales scilicet paternitatem, filiationem, spirationem, & processionem, vt probauit A. Doct. *supra q. 28. art. 4.* Cum autem in diuinis nulla sit realis distinctio, nisi per realem oppositionem relatiuam originis, vt *in eadem q. artic. 3.* probauimus cum D. Thom. sequitur eas tantum relationes inter se realiter esse distinctas, quæ realem habent oppositionem relatiuã, siuè ordinem originis ad inuicem. Ex quatuor autem prædictis relationibus tres tantum sunt, quarum singulæ singulis opponuntur relatiuè aut secundum originem: Nam paternitas opponitur relatiuè filiationi: opponitur autem processioni constitutiuæ Spiritus sancti secundum ordinem originis: quia Spiritus sanctus à Patre procedit. Similiter filiatio relatiuè opponitur paternitati: secundum originem verò processioni; quia Spiritus S. est à Filio. Denique processio opponitur paternitati & filiationi secundum ordinem originis, ob dictam causam; quia scilicet est relatio constitutiua Spiritus S. à Patre simul & Filio procedentis. At spiratio relatiuè quidem opponitur processioni, quæ spiratio passiua est, id est relatio consurgens ex spirari: non tamen opponitur paternitati aut filiationi relatiuè aut secundum originem, sed est relatio spiratorem constituens, qui secũdum rem idem est, quod Pater & Filius, quatenus vnum sunt in virtute & proprietate spiratiua; alioquin in diuinis non solum tres, sed quatuor essent personæ: Nam cum spirator realiter distinguatur à spirato scilicet Spiritu S. propter relatiuam oppositionem originis, si realiter etiam distinguitur à Patre & Filio; iã in diuinis consurgit quarta persona realiter à tribus distincta: & sic in diuinis erit quaternitas non tantum relationum sed etiam personarum, quod est hæreticum & damnatum à Concilio Later. sub Innoc. III. & refertur *in cap. Damnamus, de summa Trinitate, & fide Catholica*, vbi sic dicitur: *In Deo solummodo trinitas est, & non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* Et manifestè pugnat cum sacris litteris & publica doctrina fidei totius orbis Christiani, tres tantũ in Deo personas cõfitentis.

Sed ait Dur. relationem spirationis, etsi realiter distinguatur à paternitate & filiatione, nõ esse personã ab eis distinctã: quia persona diuina est relatio subsistẽs incõmunicabilis; spiratio verò subsistens quidẽ est, sed incõmunicabilis non

Confutatio. est; quia communis est Patri & Filio. *At turpiter nimis* allucinatur hic author; nam hoc ipso, quod spiratio secundum Durandum distinguitur realiter à paternitate & filiatione, realiter etiam distinguitur à Patre & filio; Et cum sit per se subsistens, sicut paternitas & filiatio, siuè Pater & Filius, erit persona realiter ab vtraque distincta, & consequenter vtrique incommunicabilis: Certum est autem spiratorem realiter à Spiritu S. distingui propter oppositionem relatiuam; Sequitur itaque manifestè ex opinione Durandi quaternitas personarum in diuinis. Qui plura desiderat aduersus hunc errorem argumenta, legat Zumel. *in disp. 1. in 1 & in 4. concl.* Mol. *disp. 3.* Val. *super hoc artic* & Suar. *lib. 5. de trinitate cap. 5.*

Explicatur & sustinentur sententiæ Syluestri & Capreoli & Ferrariensis.

Excluſa iam opinione Dur. inuestiganda est diligenter propositę controuersiæ veritas ex principijs & doctrina sanctiss. præceptoris.

Notandum est igitur tertiò ex D Th. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1.* sub eo aliqua multiplicari, & non esse vnum, cuius proprijs ac per se differentijs distinguuntur: vt ait Philosophus *in 5. metaphys. in cap. vno, & 4. Physicorum* (exempli gratia) Isosceles id est triangulus duorum æqualium laterum, & Isopleuros id est triangulus æquilaterus distinguuntur differentijs trianguli, & ideò non dicimus eos esse vnum triangulum sed plures. Non autem distinguuntur proprijs differentijs figuræ, sed sub vna eius differentia continẽtur: hæc verò differentia est in hoc, quod est habere tria latera, atque ideò dicuntur vna figura, B quæ est triangulus. Quæcunque igitur proprijs ac per se differentijs rei distinguentur, dicentur esse plures res: quæ verò sub vna rei differentia comprehenduntur, ea non plures sed vna res tãtum erunt. Omnis autem differentia siuè distinctio rei in diuinis, fit per oppositionem relationis: Sola igitur oppositio relatiua rerum constituit multitudinem in diuinis. Paternitas igitur & filiatio, siuè Pater & Filius, quia relatiuã habent oppositionem, sunt duæ res; at paternitas & communis spiratio, cum non opponantur relatiuè, sub vna rei differentia continentur, ac proindè sunt vna res; sed quia distinguuntur differentijs relationis, inquantum est relatio; idcircò plures sunt relationes simpliciter loquendo. Relatio namque ex propria sui quidditate ad alterum est, id est ad terminum; igitur iuxtà terminorum diuersitatem, erunt etiam differẽtiæ relationum; refertur autem paternitas ad filium, vt proprium terminum, spiratio verò ad Spiritum S. vt eius terminum; igitur paternitas & communis spiratio sunt duæ relationes, quãuis sint vna & non duæ res. Huic discursui si doctrinam addamus præsentis articuli, perspicua nobis erit distinctio specifica paternitatis à spiratione. Affirmat hic S. D. necesse esse dicere duas relationes non esse diuersas secundum speciem, si ex opposito vna relatio (scilicet secundum speciem) eis correspondeat. Cum itaque E filiatio & processio non sint relationes vnius rationis: sicut relatio creaturarum ad Deum, vt sunt creaturæ ipsius, quæ est vna specie, vt ait D. Th. dicendum est secundum mentem eiusdem D. S. prædictas duas relationes in Patre esse specie distinctas, vt ait Capr. vt etiam latè superius ostendimus *q. 27. a. 4. contr. 3.* de relationibus omnibus personarum constitutiuis & distinctiuis ex D. Th. *de potentia q. 10. art. 2. ad 12.*

Differentiæ per se relationis.

Specifica distinctio paternitatis, & spirationis.

Obiectio.

Sed considerandum est, aliud esse dicere paternitatem & spirationem distingui specie tanquam duas res relatiuas; & aliud affirmare eas distin-

gui tanquam duos respectus reales. Nam primũ falsum est; quia non distinguuntur differentijs rei: secundum autem est verum; quia distinguũtur differentijs relationis, vt relatio est: Est enim in Patre vna res relatiua duos habens distinctos respectus reales, quos ait Sylvest. realiter esse distinctos, non distinctione rerum sed relationum. Quomodo autem hoc esse possit, apparebit facilè consideranti naturam relationis, iuxta eorum sententiam, qui negant eam distingui realiter à fundamento. Hoc enim habet relatio inter omnia genera singulare, vt eius multiplicatio siuè distinctio specifica non exigat necessariò rerum multiplicationem: sed esse possint C duæ relationes specie distinctæ, & tamen non sint duæ sed vna res relatiua: sicut patet in exemplo superius adducto de albedine qua Petrus similis est formaliter Ioãni albo & dissimilis Paulo nigro: & lignum bicubitum sua quantitate est æquale alteri bicubito & inæquale tricubito. Sunt igitur paternitas & spiratio vna res respectiua, & duæ relationes ob duplicem respectum ad terminos realiter & formaliter inter se distinctos. Nam prout in ratione rei considerantur & significantur, modum induunt absoluti, & vt habent esse secundum se; hoc verò modo nec esse nec dici possunt absolutè plures res aut plura entia; quia pluralitas addita simpliciter absoluto, realem significat distinctionem.

Obiectio.

Sed obijcitur; quia multiplicato inferiori multiplicatur superius. Exempli gratia, benè sequitur: sunt duo homines; ergò duo animalia; igitur valet etiam deductio: sunt duæ relationes reales; Ergò duæ res. *Cui obiectioni* dupliciter occurritur. Nam primò valet propositio, quando inferius multiplicatur differentijs rei: cum autem dico, duæ relationes reales, non significo eas distingui differentijs rei sed relationis tantum. Secundò valet, quando inferius multiplicatur simpliciter, id est quantum ad omnia, quæ clauduntur in eius ratione intrinsecè: relatio verò in proposito non multiplicatur simpliciter, siuè quo ad omnia in eius ratione clausa; quia nec prout dicit in, nec differentijs rei plurificatur, sed tantum quatenus dicit ad. Et quoniam, se- D cluſa quacunque operatione intellectus, paternitas in patre realiter refertur ad filiationem, tanquam ad adæquatum sui terminum: & spiratio realiter refertur ad processionem, vt ad proprium sibi terminum adæquatum & realiter distinctum à filiatione, quæ terminus est paternitatis; probabile valdè est paternitatem & spirationem ante omnem operationem intellectus distingui formaliter actualiter, non in esse rei sed in esse relationis, id est secundum rationem relationis. Dixi autem id esse probabile; quoniam sequendo communem sententiam, responderi posset diuinam illam relationem, quæ paternitas est & spiratio, vnam esse secundum se realiter & formaliter; & ob summam diuinæ rei perfectionem, vtriusque relationis actum exercere, non minus quàm si duæ relationes essent realiter inter se distinctæ. Quemadmodum essentia, intellectus, voluntas, æternitas & relatio sunt vna res in Deo simplicissima realiter & formaliter: & tamen quodlibet ex prædictis non minus exercet propria, quàm si à quolibet alio realiter esset distinctum. Essentia namque propriũ quidditatis & naturæ munus exercet, ac si nihil aliud esset quã essentia; & similiter intellectus diuinus ita munus exercet intelligendi, ac si realiter distingueretur ab essentia, volũtate &c. Et similiter dicendũ est de volũtate, æternitate, relatione

Solutio duplex.

& alijs

& alijs formaliter Deo inexistentibus. Quo fit vt cum reali & formali secundum se dictorum omnium vnitate, sit virtualis inter ea distinctio æquiualens actuali & reali inter similes creaturarum perfectiones existenti: quod idem dicendum est & multò magis de duabus relationibus vnius personæ Patris, & similiter de duabus relationibus vnius personæ Filij.

Explicatur, & sustinetur, sententia Caietani.

Iam verò pro defensione sententiæ Caiet. quã sequuntur communiter expositores, *obseruandũ est* posse quinque modis intelligi paternitatem & spirationem esse duas relationes reales. *Primò* vt sint duę relationes reales realiter distinctæ, siuè in ratione rei, vt voluit Durandus, siuè in ratione relationis, vt voluit Sylu. *Secundò*, vt sint duæ distinctæ ex natura rei, vt voluit Scotus & Ferrar. *Tertiò*, vt sint duæ distinctæ specie siuè formaliter in esse relationis tantum, vt voluit Capr. *Quartò*, vt sint duæ distinctæ virtualiter. *Quintò*, vt distinguantur secundum rationem actualiter. Ex his omnibus modis eligit Cai. duos vltimos tanquam veritati & doctrinæ S. Th. magis congruentes. Nam quòd sint duæ virtualiter id est perinde se habeant ac si essent duæ, hoc maximè consonat excellentiæ diuinæ rei, vt est in rerum natura, absque omni opere intellectus: sufficitque proposito & intentioni D. Th

Obj.

Et ex hoc dicendi modo facilè potest ad vniuersa argumenta responderi; ex quibus illud præcipuum est: quòd specifica diuersitas duarum relationum infert specificam diuersitatem duarum relationum illis ex opposito respondentiũ; At constat filiationem cui respondet paternitas, & processionem cui respondet spiratio, esse specie distinctas ab inuicem; Ergò etiam paternitas & spiratio specie distinguentur. *Soluitur* enim hoc argumentum ex præfato fundamento; nam specifica diuersitas duarum relationum infert specificam diuersitatem relationum sibi correspondentium formaliter vel virtualiter, ita vt illæ relationes correspondentes habeant distinctionem specificam in rerum natura actualiter vel virtualiter, id est perinde se habeant ac si haberent illam distinctionem actualiter. Atque ita censendum est in re proposita. Nam persona Patris habet duas relationes reales scilicet paternitatem & spirationem, sic vt vnaquæque vendicet sibi propria, ac si essent seorsum actualiter duæ in re. Quo fit vt necesse sit duas prædictas relationes, tanquam duas Patris notiones in abstracto significare, vt habeamus quo vel quibus respondeamus quærenti, quo Pater & quo spirator: Nam non eodem est Pater quo spirator: Pater enim ad Filium dicitur, spirator autem ad Spiritum S.

Sol.

Vltimus etiam modus interpretandi distinctionem prædictarum relationum non displicet Caiet. videlicet vt distinguantur secundum rationem formaliter; quoniam (inquit) quæstio hæc non est de rebus absolutè, sed vt intellectis & significatis, vt patet *ex hoc a. & seq.* Vnde etiam cum dicimus Deum habere multas perfectiones reales, non significamus eas realiter esse distinctas: quoniam vt vtamur nomine significante aliquid reale in plurali numero, non necessariò requiritur realis distinctio à parte rei: sed satis est significatum illius nominis formale, hoc est conceptus nostros multiplicari, & cuilibet conceptui verè correspondere à parte rei aliquid reale. Sic igitur in proposito, vt simpliciter enunciemus paternitatem & spirationem esse duas relationes reales: non est necesse eas esse realiter distinctas, sed tantum formaliter secundum rationem; vt scilicet quemadmodum sunt distincta nomina, ita sint distincti conceptus in intellectu nostro: quibus singulis aliquid reale correspondeat: tametsi illud non sit realiter distinctum.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA *Concl. Paternitas & spiratio actiua sunt duæ relationes reales.* Hæc est conclusio S. D. *in textu.* Hæc patet *ex tertio fundamento*, & probant eam Bannes pluribus argumentis *in seq. art. dub. 2.* & Zumel. *super hoc art. disp. 1. in 3. conclus.* & Suarez *lib. 5. de Trin. cap. 7.* firmiora tamen sunt, quæ supra posuimus.

SECVNDA CONCLV. *Paternitas & spiratio non distinguuntur realiter in esse rei.* Hæc patet ex eodem fundamento & probant eam vberius expositores prædicti.

TERTIA CONCL. *Probabile est paternitatem & spirationem distingui realiter in esse relationis, vt ait Sylu.* Hæc etiam conclusio colligitur ex eodem tertio fundamento, & tuetur eam Bannes *in 3. sua conclusione.*

QVARTA CONCL. *Non est absolutè dicendũ paternitatem & spirationem realiter distingui in esse relationis.* Probatur primò; quoniam ea propriè distinguuntur realiter, quæ sunt duæ res quarũ vna non est alia; at paternitas & spiratio sunt vna res; Ergò &c. Secundò. Realis distinctio relatiua in diuinis fit per oppositionem relationũ; at duæ prædictæ relationes non opponuntur; Ergò. Itaque limitatè dicendum est paternitatẽ & spirationem distingui realiter in esse relationis, quatenus ad distinctos realiter terminos nullo intellectu considerante referuntur.

QVINTA CONCL. *Multò probabilius est paternitatem & spirationem distingui specie & formaliter in esse relationis, vt ait Capr.* Probatur primò. Quę differunt diffinitione differunt specie: at paternitas & spiratio differunt diffinitione; Ergò differunt specie. Maior est euidens. Minor probatur; quia diffinitio paternitatis est, cuius esse totum est ad Filium: spirationis autem diffinitio est cuius esse totum est ad Spiritum Sanctum.

Impugn.

Sed resp. falsam esse minorem propositionem: & ad probationem dicunt duas illas relationes distingui tantum virtualiter, modo superius explicato: nec duas esse earum diffinitiones aut rationes formaliter, sed vnam tantum duas virtute continentem. *Contra hanc* respons. satis apertè clamat littera D. Th. sic enim ait: *Cum ratio relationis specifica consistat in hoc, quòd ad aliud se habet: necesse est dicere, quòd duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.* Et post pauca: *Filius autem, & Spiritus S. non secundum relationes vnius rationis referuntur ad Patrem.* Et tandem concludens ait: *Vnde secũdum duas relationes Filij, & Spiritus S. quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum sanctum.* Hæc S. Thom. Vbi perspicuè patet pro eodem accipi relationes esse vnius aut diuersæ speciei, & esse vnius aut diuersæ rationis. Cum itaque neget S. D. dictas duas relationes in Patre esse vnius rationis, haud dubium est affirmare non esse vnius, sed diuersæ speciei. Et confirmatur ex supradictis *quæst. 27. artic. 4. Contr. 3.* ex D. Thom. *de pot. quæst. 10. articul. 2.* dicente Patrem & Filium differre specie proprietatis personalis: Quot igitur in diuinis sunt relationes reales, tot sunt earum

Sol.

rum ſpecies; de omnibus enim eſt eadem ratio. Cum itaque ſint quatuor in Deo relationes reales, ſequitur in Deo quatuor eſſe relationũ ſpecies ab inuicem differentes. Cum autem de diſtinctione ſpecifica loquimur, abſolutè actualè ſemper intelligimus & formalem, non autè virtualem tantũ; alioquin abſolutè dici poſſet multas eſſe in Deo perfectionum diſtinctiones ſpecificas, propter virtualem attributorum diſtinctionem, quod nullus in Academia S. D. admittet. Hanc concluſ. vt probabilem ſuſtinet Bannes & eſt apud eum tertia, & patet ex tertio noſtro fundamento, ex quo ſic diſcurro. Quando S. Thom. ait *in 1.* paternitatem & ſpirationem diſtingui in eſſe relationis, & non in eſſe rei: vel loquitur de diſtinctione actuali & formali, vel tantum de virtuali: Si primum habetur intentũ: Si ſecundum contra; quia falſum eſt paternitatẽ & ſpirationem non diſtingui virtualiter in eſſe rei; Ergò loquitur de diſtinctione formali & actuali. Et confirmatur; quia S. D. eo modo, quo negat diſtinctionem in eſſe rei, affirmat diſtinctionem in eſſe relationis; at illam negat eſſe actu; Ergò hanc affirmat eſſe in actu. *Quod ſi dicas* differmiter accipi nomen diſtinctionis, vt ſcilicet in propoſitione negatiua ſit ſenſus formalis, in affirmatiua verò virtualis; *æquiuocationem* admittis in diſcurſu, qua tollitur efficacitas argumenti. Præterea probatur eadem concl. authoritate S. Th. *in 1. diſtinct. 27. q. 1. a. 1. ad 3.* vbi ſic loquitur: *Sicut attributa eſſentialia non ſunt plures res, ita nec proprietates vni perſonæ conuenientes, ſed vna res, quæ eſt ipſa perſona: ſed tamen, quia relatio manet in diuinis, etiam ſecundum communem rationem generis, manet etiam relationis diſtinctio, inquantum eſt relatio: & ideò poteſt dici, quòd ſunt plures relationes, & vna relatio de alia non prædicatur. Non ſic autem eſt in eſſentialibus, quæ non manent ibi ſecundum communem rationem generis, vnde non diſtinguuntur ſecundum rationem alicuius communis, cuius ratio in Deo ſit: ſi tamen accipiatur commune reale, vt ſignificatur nomine primæ impoſitionis.* Hæc S. Th. Ex quibus verbis argumentando vt ſupra probari facilè poteſt S. D. loqui de diſtinctione ſpecifica ſiuè formali, & non virtuali tãtum; nam virtualiter diſtinguuntur etiam eſſentialia.

Nota argumentum.

" Sexta Concl. *Probabile eſt paternitatem* " *& ſpirationem diſtingui ex natura rei in eſſe relationis.* Hæc concluſio coincidit cum præcedente & probatur eiſdem medijs nec alijs indiget probationibus.

"

" Vltima Concl. *Maximè probabile eſt, &* " *diuinæ ſimplicitati valdè conſonum, paternitatem &* " *ſpirationem virtualiter tantum diſtingui.* Probatur. Primò. Omnis diſtinctio in diuinis aut eſt realis aut rationis ſiuè virtualis: Sed diſtinctio dictarum duarum relationum non eſt realis; Ergò eſt rationis ſiuè virtualis. Maior habetur vt euidens in doctrina D. Th. Et probatur; quia non ſunt multiplicanda entia nec diſtinctiones in re ſimpliciſſima ſine neceſſitate; at nulla neceſſitas eſt ponendi aliquam diſtinctionem actualem à parte rei inter prædictas relationes; Ergo &c. Minor huius argumenti probabitur ſoluendo argumenta pro præcedentibus concluſionibus huic oppoſitis. Minor autem principalis argumenti probatur; quia omnis diſtinctio realis in diuinis eſt per oppoſitionem relatiuam, qualis non eſt inter prædictas duas relationes. Secundò. Si dictæ duæ relationes diſtinguerentur ſpecie ſiue formaliter aut ex natura rei, maximè hoc eſſet propter rationem & authoritatem D. Th. *in hoc a.* At eius verba commodè patiuntur expoſitionem Cai. ſuperius explicatam. Ergo &c. Tertiò S. D. *infra q. 40. a. 1. ad 1.* ſic ait: *Cõmunis ſpiratio eſt idem cũ perſona Patris, & cum perſona Filij: non quòd ſit vna perſona perſe ſubſiſtens, ſed ſicut vna eſſentia eſt in duabus perſonis, ita & vna proprietas, vt ſupra dictũ eſt.* Hæc ibi S. Th. Igitur eadem & non maior eſt diſtinctio ſpirationis actiuæ à Patre, & Filio, quàm eſſentiæ diuinæ ab eiſdem perſonis; at ſola ratione diſtinguitur à perſonis eſſentia; Ergò etiam ſola ratione ſpiratio actiua diſtinguitur à perſonis, Patre videlicet & Filio ſecundum D. Th. Vltimò probatur concluſio: Quoniam vt prædicatum aliquod reale pluraliter enũcietur, non oportet illud realiter eſſe diſtinctum, ſed ſufficit diſtinctio virtualis in re, cum diſtinctione formali ſecundum rationem, modo ſuperius explicato. Pro hac eadem concluſione faciunt ea omnia argumenta, quibus vtuntur expoſitores communiter aduerſus opiniones Dur. Sylu. Scoti & Capreoli.

Contra *ſecundam* concl. ſunt multa argumenta, quæ referunt & ſoluunt Capr. *in 1. diſt. 13. q. 1. a. 2.* Bannes *a. ſeq.* Zumle. Mol. Val. ſuper *hoc a.* & Suarez *lib. 5. cap. 5. vſque ad 8.* *Argumenta & ſolutiones.*

Contra *tertiam* concl. argu. Torres. *Primò.* Paternitas & ſpiratio quatenus relationes non ſunt oppoſitę; Ergò nõ diſtinguũtur realiter quatenus relationes. *Reſp.* nullam eſſe conſeq. nam ad diſtinctionem relationum in eſſe relationis, non requiritur oppoſitio inter ipſas relationes, ſed ſufficit realis diſtinctio terminorum, ad quos referuntur: oppoſitio verò facit diſtinctionem relationum in eſſe rei. *Ob. 1. cõl. 3. concl.* *Solut.*

Secundò. Vel paternitas & ſpiratio vt relationes, ſunt diuerſæ res vel vna. Si das primum; ergò quatenus res realiter diſtinguuntur: Si ſecundum; ergò quatenus relationes non diſtinguuntur ſecundum rem nec realiter. Eodem argumento vtitur Zumel. melius explicato, ſic enim arguit. Vel illæ duæ relationes, quas dicis diſtingui in eſſe relationis & non in eſſe rei, ſunt vna res abſoluta vel relatiua. Si primum; hoc modo omnes aliæ relationes etiam oppoſitæ ſunt vna res: quia ſunt vna eſſentia diuina; & ſic non magis ſunt vnum paternitas & ſpiratio, quàm paternitas & filiatio. Si verò dicas vnam eſſe rem relatiuam; ergò quatenus relatiua ſunt vnum; Igitur non ſunt duæ relationes realiter diſtinctæ in eſſe relationis. *Obi. 2.*

Reſpondetur verum eſt ſecundum. Ad argumentum, quo probatur oppoſitum, negatur conſequentia; ſi dictio *vnum* dicat vnitatem in eſſe relationis formaliter; eſt tamen vera, ſi dicat vnitatem relationis in eſſe rei. Nam licet ſit vna res reſpectiua, eſt tamen duplex ratione terminorum; quia verè propriè & actualiter reſpicit duos terminos realiter diſtinctos. *Solut.*

Tertiò arguit Zumel. Relatio realis vt relatio eſt & ſecundum propriam rationem relationis, eſt ens & ens reale; Nam tranſcendentia intrinſecè prædicantur de omnibus rebus tàm abſolutis quàm reſpectiuis; Igitur illæ relationes nempè paternitas & ſpiratio actiua, etiam inquantũ relationes, ſunt res; Sed inquantum relationes diſtinguuntur realiter, vt dicit tertia concluſio; Ergo etiam diſtinguuntur inquantum res, quod illa negat. *Reſp.* verum eſſe quòd relationes illæ etiam *Obi. 3.* *Solut.*

etiam inquantum relationes sunt res; quia scilicet realitatem includunt: Sed cum subsumitur, distinguuntur inquantum relationes, potest dupliciter intelligi; *Vno modo* vt distinguantur inquantum relationes id est, inquantum res relatiuæ differentijs rei, & hoc nos non dicimus; *alio modo* quod distinguantur inquantum relationes, non differentijs rei sed differentijs respectuum ad diuersos terminos, & hoc est quod dicimus; At ex hoc non sequitur: Ergò distinguuntur inquantum res; nam ea distinguuntur inquantũ res, quæ sunt plures res quarum vna non est alia, & hæc distinctio in relationibus pendet ab oppositione. Vel dic quòd relationes inquantum relationes, prout dictio *inquantum* reduplicat rationem siuè causam realitatis vt sic, non sunt res; quia ex respectu ad aliud non habent vt sint res, licet ille respectus sit realis.

Obi. 4. *Quartò* arguit idem. Magis conueniunt paternitas & spiratio actiua, quàm paternitas & filiatio; Sed paternitas & filiatio conueniunt in eo, quod est commune omnibus relationibus scilicet in esse in; Ergò paternitas & spiratio actiua debent conuenire non solum in illo communi, sed etiam in eo quod est proprium illi relationi; Ergò non distinguuntur in illo, quatenus relationes sunt *Resp.* paternitatem & spirationem magis conuenire, quàm paternitas & filiatio; quoniam priores duæ conueniunt non tantum in illo communi, sed etiam in vna re relatiua, cum nõ sint duæ res relatiuæ: cum quo stat quòd sint duæ relationes distinctæ in esse relationis. Vnde non benè infertur conclusio scilicet Ergò conueniunt in eo, quod est proprium illi relationi.

Sol.

Obi 5. *Quintò arguit.* Paternitas & spiratio, vt relationes sunt, vel sunt res diuersæ quarum vna nõ est alia, vel vna res: Si primum; Ergo quatenus res distinguuntur: Si secundum; Ergò quatenus relationes non distinguuntur secundum rem neque realiter. *Resp.* quòd sunt vna res. Ad argumentum nego consequentiam; nam tantum sequitur: ergò quatenus relationes non distinguũtur vt duæ res, quarum vna non sit alia; non tamen sequitur: ergo non distinguuntur realiter vt relationes, id est vt respectus distincti; quoniam hæc distinctio realis respectuum stat cum vnitate relationis in esse rei. *Vbi aduerte*, quòd distinctio relationum quatenus relationes sunt, fit duobus modis: Vno modo in esse rei. Alio modo in esse relationis. Primo modo fit per oppositionem relatiuam. Secundo modo per ordinem ad terminos: Et propriè loquendo distinctio, secundo modo est relationum quatenus relationes sunt; quoniam attenditur penes propriam rationem relationis, quæ est ad aliud esse, & est formalis; quæ distinctio formalis non pendet ab oppositione, sed à fundamentis relationum, & ab ordine intrinseco ad terminos. Et quia formalis est, idcò conuenit relationi vt relatio est, quatenus particula *vt relatio est* reduplicat propriam & specificam rationem relationis.

Ob. in ord. 6. *Contra eandem* concl. argum. Val. Vasq. *disp. 138. cap. 1.* Multiplicato inferiori multiplicatur superius; Ergò si paternitas & spiratio distinguuntur in esse relationis realiter, distinguuntur etiam in esse rei relatiuæ. *Respond.* primò antecedens dupliciter intelligi posse: Vno modo de multiplicatione inferioris quo ad omnia in eo intrinsecè clausa: Alio modo quo ad aliquam eius rationem tantum; in primo ienſu est verum, in secundo est falsum. In propositio verò relatio multiplicatur in esse relationis, quatenus tantum dicit ad, id est prout respicit distinctos terminos: non autem vt dicit in, siuè vt res est. Nam paternitas & filiatio, etsi non distinguantur vt dicunt in, distinguuntur tamẽ per oppositionem, quæ facit distinctionem relationum in esse rei. Secundò dico antecedens verum esse, quando inferius multiplicatur differentijs rei. Tertiò respondetur antecedens verum esse in hoc sensu, nimirum multiplicato inferiori, multiplicatur superius in proprio distinctiuo inferioris; proprium autem distinctiuum paternitatis & spirationis in proposito est relatio filiationis & processionis; nam relationes distinguuntur secundum terminos.

Replica 1. *Sed contra* hanc responsionem argum. Val. *Primò*. Dato quòd satis sit vt superius multiplicetur secũdum proprium distinctiuum inferioris: falsum tamen est relationes tantum distingui in esse relationis per terminos; quinimò plures relationes intrinsecè seipsis sunt plures: per suos autem terminos non nisi extrinsecè distinguũtur: Igitur si paternitas & spiratio sunt duæ relationes ante omnem operationem intellectus, oportebit vt realitas quæ est superior ad relationem, non solum multiplicetur in terminis, sed etiam in paternitate & spiratione secundum seipsas intrinsecè. *Secundò*. Res debet multiplicari in terminis earum relationum, quæ ante omnẽ operationem intellectus sunt duæ relationes: Sed paternitas & spiratio sunt proprij duarum relationum termini, quæ ante operationem intellectus sunt duæ, videlicet filiationis & processionis; Ergò res debet multiplicari in paternitate & spiratione: quod est contra defensores illius sententiæ. *Respondetur* ad primum, distinctionem relationis in esse relationis præcisè sufficienter fieri per terminos, vt per se primò distinctiuos: distinctio autem relationis intrinseca, quæ fit per differentias ex fundamentis desumptas, in rebus creatis est distinctio in esse rei, in diuinis autem est formalis. Vnde falsum est antecedens quo ad priorem partem. *Ad secundum* dico falsam esse maiorem propositionem; nam sufficit multiplicatio in esse relationis.

2. *Sol. 1.* *Sol. 2.*

Argumenta pro sententia Cai. CONTRA *quintam, & sextam* concl. militant omnia argumenta superius adducta pro septima conclusione, quibus satisfit dicendo primò, necessariò poni distinctionem specificam & actualem inter prædictas relationes; quia terminos habent realiter inter se distinctos, ex quibus causatur distinctio relationum in esse relationis vt sic. Secundò. Dicta D. Thom tam *hic* quàm *in 1.* melius & commodius accipi in proprio & formali sensu, quàm glossentur secundum expositionem Caiet. Tertiò. Verba eiusdem S. D. adducta *ex quæst. 40. art. 1.* officere; quoniam dispar est longè ratio de diuina essentia comparatione Patris & Filij, & de communi spiratione ad easdem personas comparata. Nam essentia diuina absoluta est, nec potest ab alio distingui, nisi per suam intrinsecam & absolutam rationem: At spiratio & paternitas relatiua sunt, ac proinde suam habent distinctionem in esse relationis ex terminis, ad quos referuntur, & similiter spiratio & filiatio.

Obi. cont. 5. concl. *Contra quintam* conclusionem argumentatur Zumellus. Vel illa distinctio specifica est essentialiter in re ipsa, vel est per rationem saltem completiuè & actualiter: si dicatur primum, est coincidere in sententiam Scoti: si secundum, stat eadem difficul-

tas posita. *Præterea.* Cum Deus non sit in genere, nulla est in eo species neque speciei differentia. *Solut.* *Resp.* ad 1. distinctionem illam esse in re ipsa, quo ad duplicem relatiuum respectum ad duos terminos, non autem inter duas relationes scilicet paternitatem & spirationem secundum se, siuè in ratione rei; quia deest oppositio relatiua: Scotus autem duas illas relationes etiam secundum se distingui affirmat ex natura rei. Secundò dico, non esse absurdum concedere distinctionem ex natura rei inter relationes in esse relationis, vt etiam admittunt Ferrarienſis & multò magis Sylu. *Ad secundum* respondetur, nec Capr. nec nos affirmare propriè speciem in diuinis, sed modo superius explicato.

Ob. 1. cont. 6. concl. *Contra sextam* concl. argumentatur Zumel. *Primò.* Ex hac sententia sequitur compositio in persona Patris & Filij: Ergò &c. Probatur antecedens; nam spiratio actiua est in illis; Ergò si non est per omnimodam identitatem, erit per *Solut.* compositionem. *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem distinguo antecedens; nam esse per omnimodam identitatem contingit tripliciter: Vno modo simpliciter, tàm in esse rei quàm in esse relationis. Secundo modo in esse relationis tantum. Tertiò modo in esse rei; in primo & secundo sensu negatur se quela, in tertio conceditur. Sed nos non dicimus spirationem in Patre & Filio non esse per omnimodam identitatem rei; nec verum est ita distingui spirationem à Patre, sicut paternitatis ab homine secundum hanc sententiam, vt ei imponit Zumel. Nam paternitas ab homine distinguitur in ratione rei: non ita spiratio à paternitate, sed tantũ in ratione relationis.

Obi. 2. *Secundò.* Intelligere & velle non distinguuntur formaliter ex natura rei in Deo; Ergò nec paternitas & spiratio. Probatur sequela; quia istæ relationes resultant per illos actus, vt sunt in Patre; Ergò non magis distinguuntur quàm illi. Præterea (inquit) rationes factæ cõtra Dur. possunt applicari contra hanc sententiam Scoti. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem negatur sequela; nam intelligere & velle vt sic, non sunt relationes, quæ distinctos realiter terminos respiciant. Si autem sumantur vt sunt actus notionales scilicet dicere & spirare, iam sunt relationes & distinguuntur vt relationes in esse relationis.

Ob. cõt. 7. concl. CONTRA *vltimam* sunt argumenta Scoti, quæ proponit & soluit Zumel. & argumenta superius adducta pro sententia Capr. quorum solutio patet ex dictis & confutantur etiam à Bannesio. *Vnum tantum superest* argumentum, quod fecimus ex discursu S. Th. *in 1.* nimirum: Vel S. Th. loquitur de distinctione actuali & formali, vel tantum de virtuali. &c. *Resp.* in diuinis aliqua *Distinctio virtualis duplex.* dupliciter esse distincta virtualiter: *Vno modo*, quia possunt fundare diuersos cõceptus nostros perindè ac si essent tres omninò distinctæ: & hoc modo distinguuntur paternitas & spiratio in esse rei virtualiter, sicut etiam omnes diuinæ perfectiones; *Alio modo* distinguuntur in diuinis aliqua virtualiter, quia à parte rei habent distincta exercitia: sicut paternitas ita respicit filiationem & eam terminat, vt non respiciat, nec terminet processionem: & similiter spiratio ita respicit & terminat processionem, vt non filiationem: Non sunt autem prædictarum duarum relationum exercitia in esse rei distincta; quoniam exercitium earum in esse rei est esse realitatem, id est habere esse ratum & firmum in rerum natura: hoc verò esse reale vnum est duarum relationum, cum non opponantur. Et eodem modo respondetur ad aliam authoritatem S. Th. *ex respons. ad 3. in eodem a.*

Proponitur secundum argumentum S. Doctoris, & responsio eius in forma.

SECVNDVM *argumentum est.* Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem essentiæ aut ad trinitatem personarum; Sed notiones non pertinent ad vnitatem essentiæ, nec ad trinitatem personarum; Ergò non sunt ponendæ in diuinis. Probatur minor; quoniam de notionibus neque prædicantur ea, quæ sunt essentiæ; quoniam non dicimus, quod paternitas sit sapiens, vel creet; neque ea, quæ sunt personæ; nam non dicimus, quòd paternitas generet, & filiatio generetur; Ergò &c. *Respondet* S. Thom. & negat minorem quo ad secundam partem Ad probationem negat antecedens quo ad vtramque partem, si vniuersaliter intelligatur. Et reddit rationem negationis; quoniam quædam essentialia, & quædam etiam personalia de notionibus prædicantur, licet sint quædam alia essentialia & quædam personalia vel notionalia, quæ de illis non prædicentur. Quæ verò sint illa quæ prædicantur, & quæ sint illa quæ non prædicãtur, explicat S. Th. distinguendo primò essentialia & personalia, quorum duplex est differentia; nam quædam sunt quæ dicunt ordinem ad aliquem actum siuè quæ dicunt aliquem actum: sicut hoc verbum essentiale *creat* & hoc verbum *generat* quod est personale siuè notionale. Quædam alia essentialia & personalia sunt, quæ non dicunt ordinem ad aliquem actum nec aliquem actum, sed remouent conditiones creaturarum: sicut hoc nomen *æternus, immensus, incorruptibilis* & similia. Secundò distinguit prædicata siuè sint essentialia siuè notionalia, dicens duplici modo significari, vel adiectiuè vel substantiuè, vt hoc nomen *Deus*, & hoc nomen *Pater*. Quibus præmissis dicit tria. Primum. Quæ significant actũ, de notionibus non prædicantur; quoniam notiones significantur in diuinis, non vt res sed vt rationes quædam, quibus cognoscuntur personæ: quæ tamen notiones vel relationes realiter sunt in Deo: & ideò ea, quæ habent ordinem ad aliquem actum, vel quæ significant aliquem actum essentialem, vel notionalem, non possunt dici de notionibus; quoniam hoc repugnat modo significandi ipsarum. Secundum. Quæ non dicunt actum possunt prædicari; quoniam possumus dicere, paternitas est æterna & immensa. &c. Tertium. Substantiua propter identitatem rei prædicantur, siuè sint personalia siuè essentialia; nam dicimus, paternitas est Deus, & paternitas est Pater; & eadem ratione est sapiens vel generans substantiuè, vt cumulatius explicabimus *in sequentibus.*

QVARTA CONTROVERSIA.

Quænam possint verè & congruè prædicari de nominibus diuinis abstractis, tàm notionalibus vel personalibus, quàm essentialibus?

ORITVR hæc controuersia ex primo dicto siuè regula, quam statuit S. D. *in respons. ad 2.* dicens ea quæ habent ordinem ad aliquem actum essentialem vel personalem, non posse dici de notionibus. quia repugnat modo significãdi ipsarum. *Ratio dubitandi sententiæ exponitur.*

Ratio dubitandi est, quam hic tangit Caiet. & cæterã

cæteri post eum expositores. Nam si ea quæ habent ordinem ad aliquem actum essentialem vel personalem seu notionalem, non possunt dici de notionibus ob eam causam; quia hoc repugnat modo significandi ipsarum: sequitur has propositiones non esse veras: Deitas intelligit, deitas creat, sapientia gubernat, sapientia disponit: cũ tamen sint verissimæ, & duæ postremæ in sacris litteris habeantur expresse, cum innumeris alijs similibus *in lib. Sap. & præsertim cap. 7. 89. & 10.* Quod si prædictæ veræ sunt, eadem ratione videtur has esse veras: paternitas creat, paternitas intelligit, paternitas generat; eadem enim in vtrisque ratio militat. s. modus abstractè significandi.

Torres *in 4 parte commentarij huius a.* & Zum. *disput. 2.* subnotant Cai. quòd ad omnia abstracta regulam S. D. extenderit: cùm tamen hic solum loquatur de abstractis, quæ notiones sunt. Et forsitan (inquit Zum.) est alia ratio de abstractis in genere & de abstractis in specie, quæ sunt notiones. Habet hæc expositio fundamentum in illis verbis D. Thom. Vnde non possumus dicere, quod paternitas generet vel creet, sicut sapientia vel intellectus. Constat autem hæc esse abstracta essentialia: non est igitur de omnibus abstractis eadem ratio. Constituit præterea Torres quasdam regulas infra *q. 39. a. 6. in 3. p. commentarij* ad dignoscendam veritatem & falsitatem propositionum, in quibus diuina prædicata de se inuicem affirmantur, aut negantur: ex quibus illæ dumtaxat hic à nobis erunt considerandæ, quæ veritati, quam quærimus, inueniendæ fuerint opportunæ.

Bannes & Zumel. tria dicunt. *Primum.* Veritas aut falsitas propositionum, in quibus aliquæ actiones prædicantur de abstractis in diuinis, nõ solum consideranda est ex modo significandi ipsius abstracti, sed etiam ex propria ratione ipsius actionis, per quam aliquid procedit. Ad eius enim rationem pertinet, vt procedens sit distinctum realiter ab eo à quo significatur procedere, tanquam à suppposito, pro quo supponit subiectum etiam abstractè significatum. Et ex hac regula decernunt has propositiones esse catholicas: Deus creat, deitas creat, Deus generat, Deus generatur, has autem esse hæreticas: Deitas generat, deitas generatur. *Secundum* eorum dictum est: Quia relationes nõ concipimus vt principia agendi, neque vt suppposita quæ agunt, neque vt terminos per se actionis; ideo falsa est hęc propositio, paternitas generat. *Tertium*: Falsa est etiam dicta propositio ob aliam causam, nimirum, quia id, quod procedit per generationem, debet esse simile ei, à quo procedit tanquã à suppposito, pro quo accipitur subiectum: paternitas autẽ propter modũ significãdi in abstracto non supponit pro Patre, sed tamen verificatur de illo: & ideò illa propositio, paternitas generat, æquiualenter facit hunc sensum, quod generat aliquid simile paternitati in eadem specie proprietatis: & ita generaret aliam paternitatẽ, quod est hæreticum.

Molina *disput. 4.* quasdam præstituit regulas, quas hic referre non est necesse. Sed quam habeant veritatem, apparebit ex dicendis inferius.

Caiet. tria dicit. *Primum.* Commune est omnibus abstractis non congruere operationibus ex suo modo significandi: sed tamen quorundã ratio formalis secundũ se non habet ordinem ad opus, quorundam autem habet, vt sapientia ad ordinare &c. *Secundum.* Illa abstracta, quæ ex re formali significata opus respiciunt, congruam propositionem admittunt. *Tertium* Reliqua abstracta, quę ex re formaliter significata non sunt principia operis, congruas enunciationes habere non possunt circa operationes. Eandem sententiam sequuntur Sylu. Iauel. & Vasq.

PRIMA REGVLA. *Omnis ea propositio vera est, in qua actio vel emanatio in concreto prædicatur de subiecto, quod significat principium, à quo procedit actio, vel supponit pro habente tale principium. Si verò subiectum nec significet principium actionis, nec supponat pro habente principium, falsa est propositio.* Colligitur hæc regula partim ex D. Thom. *hic ad 2. & infra q. 40. art. 1. ad 3.* & partim ex dictis Cai. supra notatis. Quæ regula primò est explicanda, deinde limitanda. Et à communioribus inchoando. Proprium est propositionibus in quibus actio vel emanatio in concreto affirmatur de aliquo subiecto, vt non faciant sensum identicũ sed formalem; quia scilicet denotant prædicatũ conuenire subiecto vt principio, aut habenti principium à quo procedit actio. Secundò manifestatur hæc regula quo ad priorem eius partem inductiuè ex pluribus propositionibus; Nã hæ omnes sunt veræ: Sapientia disponit siuè gubernat, intellectus intelligit, voluntas vult, essentia intelligit, vult, gubernat, creat &c. nam subiectum harum propositionũ significat principium à quo emanat actio, vt patet. Hæ verò propositiones: Deus creat, Deus intelligit, Deus generat, Pater generat, Pater creat, generãs creat, genitus spirat & similes veræ sunt ob aliam rationem in regula tactam: quia scilicet earum subiectum supponit pro habente principium dictorum actuum, vt patet *ex q. 39. a. 4.* Posterior verò pars eiusdem regulæ manifestatur inductiuè: Nam hæ sunt falsæ propriè loquendo: Intellectus vult, voluntas intelligit, æternitas creat, paternitas generat, filiatio creat, vel intelligit, spiratio vult &c. Harum enim propositionum subiecta, neque significant actionis principium, neque supponunt pro habente principium actionis, quæ de quolibet dictarum propositionum subiecto prædicatur. *Non sufficit* tamen hæc regula ad veritatem omnium earum propositionum, in quibus subiectum abstractè significatur. Nam si prædicatum significet realem productionem, & principium talis productionis nõ sit realiter distinctum à re producta, non sufficit ad veritatem talis propositionis, tale prædicatum secundum rem conuenire subiecto tanquam principio quo: quoniam inter producens & productum debet esse realis distinctio. Quapropter hæ propositiones sunt falsæ: essentia generat, intellectus generat, voluntas spirat; quamuis enim essentia sit primum principium quo generationis, & intellectus sit principium proximum: quia tamen prædicatum realem significat productionem ad reale productum terminatam, necesse est principium quod producit realiter à producto distingui. In dictis verò propositionibus non ponitur, nec supponitur aliud principium, quam essentia vel intellectus aut voluntas, & consequenter fit sensus, quodlibet horum esse productiuum vt quod & non tantũ vt quo, & consequenter realiter distingui à producto, putà Filio aut Spiritu S. quod est hæreticum. Hæc regula sic explicata complectitur regulam D. Thom. *in hac respons. ad 2.* videlicet ea quæ habent ordinem ad actum aliquem essentialem vel personalem, non possunt dici de notionibus. Quamobrem dictio *sapiens* adiectiue sumpta, quæ dicit ordinem ad actũ, non potest pro-

Resolutio. Statuuntur sex regulæ necessariæ ad cognoscẽdam veritatem, aut falsitatem earũ propositionũ, in quibus diuina prædicata de inuicem affirmãtur, aut negantur.

Limitatio regulæ.

priè & formaliter dici de paternitate. Continet etiam gloſſam Cai. diſtinguentis nomina abſtracta, vt ſupra, & duo priora dicta Ban. & Zumel.

SECVNDA REGVLA. *Omnes illæ propoſitiones veræ ſunt in quibus actio vel id quod dicit ordinem ad actionem, prædicatur in abſtracto de ſubiecto.* Probatur. Nam quando actio prædicatur in abſtracto de ſubiecto, propoſitio facit ſenſum identicum: ac proinde ad eius veritatem ſufficit, vt prædicatum ſit idem realiter cum ſubiecto. Quò fit vt ſequentes omnes propoſitiones ſint veræ: eſſentia eſt intellectus: ſapientia eſt volitio: intellectio eſt volitio: paternitas eſt ſapientia: & aliæ ſimiles. Hæc enim prædicata, licet ſint actus vel actuum principia, non tamen ſignificantur vt talia in actu exercito, ſicut ſignificatur principium ſciendi in actu exercito, cum dico: paternitas eſt ſapiens: Et ideò pertinet hæc regula ad eam, quam paulò ante retulimus ex D. Thom.

TERTIA REGVLA. *Omnes illæ propoſitiones veræ ſunt, in quibus actiones in concreto & ſubſtantiuè, & in actu ſignato ſignificatæ prædicantur.* Probatur; quia tunc propoſitiones reddunt ſenſum identicum. Quare omnes hæ propoſitiones veræ ſunt: eſſentia diuina eſt agere diuinum: intellectus diuinus eſt velle diuinum: voluntas diuina eſt intelligere diuinum. Comprehenditur hæc regula ſub illa communiori, quam poſtremo loco tradit S. D. *in reſponſ. ad 2.* in illis verbis: *Propter identitatem rei poſſunt ſubſtantiua perſonalia, & eſſentialia prædicari de notionibus: poſſumus enim dicere: paternitas eſt Deus, & deitas eſt Peter.* Limitanda tamen eſt, vt vera ſit in actibus diuinis abſolutè ſignificatis. Nam ſi addatur aliquid ſignificans reſpectum ad tale vel tale obiectum, poterunt eſſe falſæ propoſitiones: veluti ſi dicerem, Deum, intelligere peccatum eſt velle peccatum; aut Deum intelligere alium mundum eſt velle alium mundum; quia reſpectu talium obiectorum redduntur falſæ dictæ propoſitiones ob diſtinctionem rationis, quæ eſt inter prædictos actus, vt notat Torres *ſupra q. 28. a. 2. diſp. 2. propè finem.*

Limitatio.

QVARTA REGVLA. *Omnis ea propoſitio vera eſt, in qua prædicatur actio ſubſtantiuè & in actu exercito.* Hæc regula ſub illa D. Thom. poſtrema iam dicta continetur. Probatur ex doctrina D. Thom. *in 3. diſt. 5. in fine, in expoſitione litteræ,* vbi ſtatuit differentiam inter ſubſtantiua & adiectiua, quòd ſubſtantiua ſignificant non tantum formam ſed etiam ſuppoſitum formæ, & ideò poſſunt prædicari ratione vtriuſque; & quando prædicantur ratione ſuppoſiti, dicitur prædicatio per identitatem; quando autem ratione formæ, dicitur per denominationem ſeu informationem, quæ eſt magis propria prædicatio; quia termini in prædicato tenentur formaliter: Adiectiua verò ſolam ſignificant formam: & ideò nó poſſunt prædicari niſi per informationem. Vnde cum dico: paternitas eſt generans, accipiendo generans ſubſtantiuè, prædicatum illud generãs ſignificat ſuppoſitum & facit ſenſum identicum & non formalem; atque ita non denotat actum generandi conuenire paternitati formaliter, ſicut denotaret ſi dictio *generans* ſumeretur adiectiuè; ſed ſignificat idem eſſe paternitatem, quod illa res vel illud ſuppoſitum, cui conuenit generare, quod eſt veriſſimum. Nam paternitas eſt realiter Pater, cui Patri conuenit generare. Et in eodem ſenſu vera eſt hæc: paternitas eſt ſapiens, accipiendo ſapiens ſubſtantiuè: reddit enim hunc ſenſum: paternitas eſt vna res cum eo, cui conuenit vt ſit ſapiens: hoc autem eſt Deus vel Pater. Si verò ſumatur adiectiuè, falſa eſt ob antè dictam cauſam.

QVINTA REGVLA ex D. Th. hic ad ſecundum eſt. *Eſſentialia & perſonalia quæ non dicunt aliquem actum vel ordinem ad actum, ſed remouent cõditiones creaturarum, poſſunt de notionibus prædicari.* Probatur; Nam poſſumus dicere paternitatem eſſe immenſam & æternam: fit enim in omnibus ferè ſimilibus propoſitionibus ſenſus identicus.

VLTIMA REGVLA eſt. *Ea quæ ſignificantur vt diſtincta formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuicem in diuinis.* Hanc regulam colligimus ex D. Th. *in art. ſeq. in reſponſ. ad 3.* addita expoſitione Caietani. Manifeſtatur hæc regula: quia ſicut non dicimus; attributum potentiæ eſſe attributum ſcientiæ, licet verè dicamus ſcientiam eſſe potentiam: ita non dicimus notionem paternitatis eſſe notionem ſpirationis aut innaſcibilitatis, neque paternitatem eſſe ſpirationem aut innaſcibilitatem; quoniam tam illa, quàm hæc ſignificantur vt diſtincta formaliter in actu exercito, vt explicat Caietanus & nos ſupra latè probauimus paternitatem & ſpirationem diſtingui formaliter in eſſe relatiuo: quæ formalis diſtinctio importatur formaliter nominibus paternitatis & ſpirationis hoc ipſo, quòd ſignificãt relationes vt ad diſtinctos terminos relatas. Explicabitur amplius hæc regula *in articulo ſequenti.*

Ad has ſex regulas reducuntur etiam illæ, quas tradit Torres *in ſupradicto a. 6. q. 39* & aliæ quas ex eiuſdem doctrina præſcribit Ban. Zumel. & Molina. *Aduerte* tamen has regulas non extendi ad omnes omninò propoſitiones affirmatiuas & negatiuas, quæ de Deo formari poſſunt. Ad eas enim non pertinent, de quibus egimus *ſupra in tota q. 31.* Adiuncta tamen his regulis doctrina ibidem tradita, cognoſci facilè poterit in qualibet de ijs, quæ in Deo ſunt enunciatione formata veritas aut falſitas.

CONTRA *primam regulam*, qua parte continet ſententiam Caiet. argumentantur Ban. & Zumel *Primò.* Quemadmodum in Deo idem eſt quod agit & quo agit ſcilicet Deus & deitas, & ideò vtraque harum propoſitionum cõceditur: Deus creat & deitas creat; ita videtur hæc concedenda; paternitas generat vel creat; ſicut etiam conceditur hæc: Pater generat vel creat *Reſpondetur* maximam eſſe differentiam inter illa duo abſtracta ſcilicet deitatem & paternitatem; quia deitas eſt principium formale, quo Deus creat; ſed paternitas non eſt principium formale, quo Pater generat; quia relatio vt ſic non eſt principium formale actionis. Quamobrem hæc eſt falſa; paternitas generat: ſit enim ſenſus, quod paternitas ſit ratio generandi, vel etiam quod ſit ſuppoſitum generans, quorum vtrumque formaliter eſt falſum Hęc autem eſt vera deitas creat; ſignificatur enim deitas vt formale principiũ quo Deus creat; conuenit autem deitati eſſe ex ſua ratione formali primum operationis principium.

Ob. cõt. 1. reg. 1.

Solut.

Sed hanc reſponſ. impugnant prædicti expoſitores; quoniam ſequeretur hanc pariter eſſe cõcedendam, deitas generat, ſicut illa deitas creat; nam deitas eſt principium primum, quo pater generat. *Reſp.* nullam eſſe conſeq. Ad probationem dico primò eſſentiam non eſſe principium generationis ſecundum ſe, ſed tantum vt in Patre. Cum autẽ dicitur deitas generat, nullo modo ſignificatur relatio Patris vel perſona Patris; & ideo ſit ſenſus falſus, nimirum eſſentiam ſecũdum ſe rationem eſſe generandi. Cũ igitur eſſentia ſecundũ ſe ſit ratio creandi, redditur hęc propoſi-

Replica.

Solut.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

positio vera, essentia creat. Secundò dico plenè huic argumẽto fuisse satisfactum in eiusdem regulæ limitatione.

Obi. 2. *Secundò* sic arguunt. Sicut paternitas importat formaliter relationem, ita & pater: Ergo si ob dictam causam negatur hæc, paternitas generat, neganda etiam erit hæc, Pater generat, quod

Solut. est hæreticum. *Respondetur* nullam esse consequẽtiam, propter maximam differentiam in modo significandi. Nam Pater significat formaliter paternitatem, sed in concreto & per modum suppositi & subsistentis; actiones autem sunt suppositorum siuè subsistentium: paternitas autem significatur vt ratio relatiua, qua pater subsistit vt pater: atque ideo non est eadem ratio. Ripa negat Patrem significare relationem formaliter: quod quomodo sustineri possit non video, cum eadem sit abstracti & concreti formalis significatio. Nam vtrumque puram formam significat, vt ait Aristoteles de albo *in prædicamentis*, & explicat Caiet. *in 7. capit. de ente & essentia versus finem. §. Ad quorum euidentiam, &c.* quod etiam apertè significat S. Th. de hoc nomine Pater *in q. 40. a. 4. ad 1.* affirmans in eo dicto magistri, quia generat est pater, accipi nomen Patris prout designat relationem tantum; quod esse nullo modo posset, nisi Pater idem formaliter significaret, quod paternitas. Sed quia illud est concretum, hoc autem abstractum, idcirco significatum illius se habet vt res, cuius est existere & operari: huius autem vt ratio, quæ principium est cognoscendi

Replica. *Sed hanc responsionem* sic arguunt. Hæc propositio, *paternitas generat*, non significat paternitatem esse principium quo generationis, sed denotat esse id, quod generat: at hic sensus est verus. Ergo. Probatur maior. Nam hæc propositio, deitas generat, non facit hunc sensum, deitas est principium quo generandi; sic enim esset catholica propositio: quæ tamen est hæretica; quia re vera facit sensum hæreticum videlicet, Deus est, quod generat aliquid à se distinctum.

Solutio. Minor probatur; quia paternitas formaliter est ipse pater, qui generat. Ergo &c. *Respond.* primò falsam esse maiorem propositionem. Ad probationem negatur antecedens. Ad eius probationẽ negatur assumptum; non deitas absolutè non est principium quo generationis, vt significat dicta propositio, sed est principium tantum vt in Patre. Secundò nego minorem. Ad probationẽ nego sequelam; quia differunt Pater & paternitas in modo significandi, qui maximè attendendus est in discernenda propositionum veritate & falsitate.

Contra eandem regulam & secundam sunt quædam argumenta non magni ponderis, quæ profert & soluit Torres *in postrema parte commentary huius a. & infra q. 39. a. 6. in vltima parte commentarij.*

Articvlvs Tertivs.

Vtrum sint quinque notiones.

183. 1. dist. 26. q. 2. art. 3. & dist. 27. q. 3. a. 1. cor. & dist. 22. q. 1. & 30. q. 9. art. 9. 21. & 27. & q. 10. art. 5. 12. & opu. 2. c. 57. 58. 59. 60.

AD Tertium sic proceditur. *Videtur, quòd non sint quinque notiones. Propriè enim notiones personarum sunt relationes quibus distinguuntur. Sed relationes in diuinis non sunt nisi quatuor, vt supra dictum est.* * *Ergo & notiones sunt tantum quatuor.*

2 *Præterea. Propter hoc, quòd in diuinis est vna essentia, dicitur Deus vnus: propter hoc autem, quòd sunt tres personæ, dicitur Deus trinus. Si ergo in diuinis sunt quinque notiones, dicetur quinus. Quod est inconueniens.*

A 3 *Præterea. Si tribus personis existentibus in diuinis sunt quinque notiones, oportet, quòd in aliqua personarum sint aliquæ notiones duæ vel plures, sicut in persona patris ponitur innascibilitas, & paternitas, & communis spiratio. Aut igitur istæ tres notiones differunt re, aut non. Si differunt re, sequitur, quòd persona patris sit composita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur, quòd vna earum possit de alia prædicari: vt dicamus, quòd sicut bonitas diuina est eius sapientia propter indifferentiam rei: ita communis spiratio sit paternitas. Quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.* & 61. * q. 28 a.

Sed contra videtur, quòd sint plures. Quia sicut pater à nullo est, & secundum hoc accipitur notio,
B *quæ dicitur innascibilitas: ita à Spiritu sancto non est alia persona. Et secundum hoc oportebit accipere sex notiones.*

4 *Præterea. Sicut patri & filio commune est quòd ab eis procedat Spiritussanctus: ita commune est filio & Spiritui sancto, quòd procedant à patre. Ergo sicut vna notio ponitur communis patri & filio: ita debet poni vna notio communis filio, & Spiritui sancto.*

Respondeo. Dicendum, quòd notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam. Diuinæ autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet à quo alius, & qui ab alio: & secundum hos duos modos
C *potest innotescere persona. Igitur persona patris non potest innotescere per hoc, quòd sit ab alio, sed per hoc, quòd à nullo est. Et sic ex hac parte eius notio est* 188.
innascibilitas: e *Sed inquantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter. Quia inquantum filius est ab eo, innotescit notione paternitatis: inquantum autem Spiritus sanctus est ab eo, innotescit notione communis spirationis. Filius autem potest innotescere per hoc, quòd est ab alio nascendo, & sic innotescit per filiationem. Et per hoc, quòd est alius ab eo, scilicet Spiritussanctus, & per hoc innotescit eodem modo sicut & pater, scilicet communi spiratione. Spiritussanctus autem innotescere potest per hoc, quòd est ab alio, vel ab alijs, & sic innotescit processione. Non autem per hoc, quòd alius sit ab eo: quia nulla diuina persona procedit*
D *ab eo. Sunt igitur quinque notiones in diuinis, scilicet innascibilitas, paternitas, & filiatio, communis spiratio, & processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio nisi per reductionem, vt infra dicetur.* * *Quatuor autem* q. 33. a. 4. ad 3.
tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas: quia conuenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales id est constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio. Nam communis spiratio, & innascibilitas, dicuntur notiones personarum, non autem personales, vt infra magis patebit. † q. 40. a 1. ad 1.

Ad Primum ergo dicendum, quòd præter quatuor relationes oportet ponere aliam notionem, vt dictum
E *est.* * * In cor. a.

Ad Secundum dicendum, quòd essentia in diuinis significatur, vt res quædam, & similiter personæ significantur vt res quædam: sed notiones significantur, vt rationes notificantes personas. Et ideo, licet dicatur, Deus vnus, propter vnitatem essentiæ, & trinus, propter trinitatem personarum: non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad Tertium dicendum, quòd cùm sola oppositio relatiua faciat pluralitatem realem, in diuinis, plures proprietates vnius personæ, cum non opponantur adinuicem relatiuè, non differunt realiter. Nec tamen de inuicem prædicantur: quia significantur vt diuersæ rationes personarum. Sicut etiam non dicimus, quòd attributum potentiæ sit attributum scientiæ:

licet dicamus, quod scientia sit potentia. c

71. D. 371. R. 19. art. 3. *Ad Quartum dicendum, quòd cùm persona importet dignitatem, vt suprà dictum est, non potest accipi notio aliqua spiritussancti ex hoc, quòd nulla persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad authoritatem patris, quòd sit à nullo.*

Ad Quintum dicendum, quòd filius & spiritus sanctus non conueniunt in vno speciali modo existendi à patre: sicut pater & filius conueniunt in vno speciali modo producendi spiritum sanctum. Id autem quod est principium innotescendi, oportet esse aliquid speciale, & ideo non est simile.

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic & aperitur quidditas notionum diuinarum, tàm in communi quàm in speciali; quanquam sola verborum inspecta superficie, numerus tantum earum quinarius videatur inquiri. Nam cum ratio præcisa numeri ex quidditate notionis in communi, & eius per se differentijs necessario sumenda sit: sapienter A. D. in vno proposito numeri quæsito, aliud quidditate notionum implicitè clausum comprehendit. Vt autem hic aduertit Caiet. quæstio est de numero quinario adequatè, an scilicet ita sint quinque, vt non sint plures, neque pauciores, vt perspicuè patet ex argumentis pro vtraque parte propositis.

Forma Textus.

RESPONDETVR quæsito vnica cõclusione; deinde ad ampliorẽ explicationẽ quidditatis notionũ ponitur differentia inter notiones, relationes, proprietates & notiones personales quo ad numerum.

» CONCL. 1. *Notiones sunt quinque scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, &* » *processio.* Probatur. Notio dicitur id quòd est propria ratio cognoscendi diuinam personam: sed per hęc quinque sufficienter innotescunt diuinę personæ. Ergo sunt quinque notiones in diuinis, scilicet innascibilitas, etc. Minor probatur. Persona innotescit per hos duos modos scilicet à quo alius, & qui ab alio: nam hæc duo pertinent ad origines, quibus multiplicantur personæ: sed ex his duobus modis consurgunt prædictæ quinque notiones Ergo &c. Probatur minor in littera ordinatè: vide illam.

Secundo loco statuit S. Thom. differentiam inter notiones, relationes, proprietates & notiones personales quo ad numerum, vt perspicuè patet in textu.

Expositio Textus.

QVOD *primò notandum* occurrit, est, D. Tho. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 3.* alio ferè magis artificiali ac profundo discursu rationem reddere, cur sint præcisè quinque notiones diuinæ; conditiones enim tres notionibus essentiales assumit, vt proprias & primas causas numeri notionum quinarij, quas etiam in hoc articulo significat. Primam quæ est origo, *in principio corporis*, reliquas duas *in responsione ad quartum & quintum*. Hic autem ea doctrina supposita, eandem planiori methodo conclusionem deducit.

Nota triplicem differentiam ex D. Th.

Secundo considerandum est triplicem assignari posse differentiam inter notionem, proprietatem & relationem, vt *ibidem* ait S. Th. *Prima* est quo ad rationem significationis: & hic vna & eadem res relatiua, vt paternitas dicitur relatio, prout refertur ad filium; dicitur proprietas, quatenus soli conuenit Patri; dicitur notio, vt principium est formale quo pater innotescit; denique dicitur proprietas siue notio personalis, quatenus hypostatica forma est personæ constitutiua in esse proprio personali. *Secunda* quæ potest assignari differentia est quò ad ordinem intelligendi, in quo ordine primò consideratur relatio, secundò proprietas, tertiò notio: Nihil enim potest esse formale principium aliquid cognoscendi, nisi sit illi proprium; igitur notionis intelligentiam præcedit proprietatis conceptio: rursus nomen & ratio proprietatis nulli conuenit rei, nisi fuerit ab alijs distincta; in diuinis autem distinctio non est nisi per oppositionem relationis; igitur intellectum proprietatis in diuinis præcedit conceptus relationis, non ea tantum ratione qua distinguit, sed ea multò magis ratione, qua constituit: cum prius in qualibet forma vel differentia, concipiatur actus constituendi, quàm distinguendi. *Tertia* prædictorum differentia est ea, quam hic assignat Doctor S. quo ad numerum. Vbi aduerte cum eodem S. D. in dicto loco, spirationem communem patri & Filio dici non posse simpliciter proprietatem; quia non vni tantum, sed duabus conuenit personis; nuncupari tamen poterit proprietas secũdum quid, prout scilicet aliquid dicitur proprium comparatiuè; spirare namque proprium est patris & filij respectu Spiritus sancti, cuius opposita proprietas est spirari.

Postremò notanda est explicatio Cai. *in respons. ad 2.*

PRIMA CONTROVERSIA.

An plures notiones eidem personæ conuenientes de inuicem prædicentur?

QVAESTIO est inter Doctores, non de sola conclusione, quam negatiuam proponit S. Th. sed etiam de ratione ab eodem hic assignata. Nam Scotus *in quol. 5. a. 2.* imponit D. Th. quòd dixerit distinctionem rationis inter paternitatem & spirationem sufficere ad impediendam earum de inuicem prædicationem in abstracto, & ait impediri prædicationem illam, ob distinctionem ex natura rei inter prędictas duas relationes.

Sensus quæstionis, & scientiæ Doctorum.

Molina tria dicit. *Primum.* Hæc est in sensu formali concedenda, paternitas est spiratio actiua: sicut hæ duæ in eodem sensu sunt concedendæ, paternitas est essentia, intellectus est voluntas. *Secundum.* Ratio Cai. non satisfacit. *Tertium.* Hæc est negãda, notio paternitatis est notio spirationis, & hoc est quod probat exemplum D. Th. vt egregiè notauit Scotus.

Sed conclusionem & probationem D. Thom. quam hic subtiliter explicat Caiet. cæteri omnes complectuntur & tuentur expositores. Nam licet Sylu. multa, quæ prima facie videntur diuersa, satis obscurè congerat, nihil aliud tamen insinuat, nisi quod hic perspicuè docet Caiet.

Resolutio. Explicatur quid sit relationem, aut quænit alia significari vt distincta in actu exercito,

PROPOSITAE difficultatis resolutio pendet ex legitimo sensu verborum D. Th. *in resp. ad 3.* Ait igitur S. D. notiones eiusdem personæ, puta paternitatem & spirationem de inuicem non prædicari, quia significantur vt diuersæ rationes (scilicet relatiuæ) personarum. Qua loquendi forma non significatur notiones iam dictas de inui-

ínuicem non prædicari, quia ratione distinguã- A
Contra Scotũ & Mol. tur, vt Scotus & post eum Molina intellexit; cum valde distet notiones ratione distingui, & significari vt distinctas rationes personarum: multa namque ratione distinguuntur in Deo, quæ vt distinctæ rationes non significãtur; Omnes enim diuinę perfectiones ratione distinguũtur ab inuicem, nec tamen earum nomina significant eas vt rationes ab iniuicem distinctas, atque ideo de inuicem prædicantur. Quod igitur intendit S. D. est regula illa, quam ex hoc loco *in articulo præcedente* deduximus, nimirum ea quæ significantur vt distincta, formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuicem in diuinis: sub qua sumendo notiones, vt ita distinctas significari, sequitur cuidẽter eas de inuicem B non prædicari. Et fundatur prædicta regula, vt hic aduertit Cai. in doctrina Arist. *5. meth. capit. de vno*, vbi docet Philosophus sub illo vno aliqua multiplicari, cuius differentijs per se distinguũtur: & quia paternitas & spiratio diuersis per se differẽtijs relationis vt relatio est, sub diuina relatione distinguũtur; quia paternitas est ad filiũ, & spiratio ad spiritũ sanctũ: idcirco duæ relationes reales diuinæ sunt, vt supra dixim⁹ cũ D. Th. Et quia distinctionem hanc important paternitas & spiratio in actu exercito, vt his nominibus significantur scilicet paternitatis & spirationis; ideò significãtur hoc ipso, vt distinctæ rationes personarum id est, relatiuorum personalium. Quòd verò nominibus proprijs significentur ita C distinctæ, probatur; quia nomine paternitatis significatur formaliter propria ratio relatiua patris ad filiũ: nomine verò spirationis exprimitur ratio propria relatiua spirationis ad S. sanctũ. Significantur igitur ambæ dictæ relationes nominibus proprijs, ac primæ intentionis, & non tantum sub notionis vocabulo vt distinctæ formaliter & in actu exercito, & ideò non prædicantur de inuicem: quod enim de aliquo prædicatur, hoc ipso quòd de eo dicitur, vnum esse cum eo significatur; igitur quæ significantur vt distincta in actu exercito, non possunt de inuicem prædicari; alioquin eadem secundum eandem rationem essent vnum & diuersa, quod est impossibile. Ratio igtur, quam hic affert S. D. D non est sola rationis distinctio, vt perperã intellexere Scotus & Molina: sed modus iam dictus significandi, non Logicus sed Methaphisicus.

Dubitatio. *Sed dicet aliquis*, sapientia & potẽtia in Deo nõ solum ratione distinguuntur, verùm etiam proprijs nominibus significantur, vt perfectiones distinctæ: quia nomen sapientiæ rationem formaliter significat ordinatiuam & iudicatiuam: nomen verò potentiæ vim significat productiuam, quæ sunt duæ per se differentiæ perfectionis, vt perfectio est, & tamen de inuicem prædicantur; igitur ratio D. Th. non est legitima. *Huius obiectionis* *Solut.* solutio, materiam hanc insigniter E illustrabit. Ad cuius euidentiam.

Secundò considerandum est ex D. Tho. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1. ad 3.* quòd, quemadmodum attributa essentialia non sunt plures res, ita nec proprietates vni personæ conuenientes: sed sunt vna res relatiua, quæ est ea persona, in qua conueniunt; exempli gratia, paternitas & spiratio sunt vna res, quæ est persona patris. Sed differentia est inter proprietates prædictas abstractæ conceptas & attributa, quòd hæc de inuicem prædicantur, proprietates autem siuè relationes minimè. Cuius rationem affert S. Thom. quia relatio manet in diuinis, etiam secundum communem rationem sui generis; & ideò manet etiam relationis distinctio, in quantum est relatio, intellige vt significata in actu exercito per proprium cuiusque relationis nomen scilicet paternitatis, filiationis, spirationis & processionis: sicut etiam hæc nomina relationẽ significant vt exercitam: & ideò (inquit S. Th.) dici potest plures esse relationes, & vnam de alia non prædicari: quod de perfectionibus diuinæ naturę seu attributis affirmare non licet: cum in Deo non habeant communem sui generis rationem, nomine primæ intẽtionis significatam, sub qua proprijs ac per se differentijs distingui valeant. Non est enim in Deo ratio qualitatis, quæ in rebus creatis, ex quibus ad diuinas transferuntur perfectiones, commune genus est ad B sapientiam, potentiam, iustitiam & similes alias perfectiones simpliciter in creaturis, quas Deo constat formaliter conuenire. Quare benè dixit Boetius, vniuersa prædicamenta de Deo dicta, præter ad aliquid, in substantiam mutari; cuius rationem S. D. adduxit *in a. 1. & 2. ad 1. q. 28.* quia scilicet propria ratio reliquorum prædicamentorum accipitur secundum comparationem ad subiectum, secundum quam illis conuenit esse accidentale, quod est inesse subiecto. Propria verò ratio relationis, non accipitur secundum comparationem ad subiectum, sed secundum comparationem ad aliquid extra scilicet ad terminum; nihil autem in Deo potest habere habitudinem ad id, in quo est nisi habitudinem identitatis, ob summam Dei simplicitatem; & ideò C cuncta reliqua prædicamenta vertuntur in substantiam, non autem relatio, quæ secundũ propriam rationem non respicit illud in quo est, sed extrinsecum terminum.

Ex his ad obiectionem dico, sapientiam & poten- *Solut.* tiam in Deo non contineri sub hoc communi quod est perfectio, tanquam sub proprio genere, sicut paternitas & spiratio sub relatione, eo modo loquendo de genere, quo ponitur in diuinis. Nam proprium genus sapientiæ & potentiæ in creaturis est qualitas, nõ autem perfectio: in Deo autem loco qualitatis succedit substãtia, vt affirmant Boetius & Doct. S. Constat autem sapientiam & potentiam in Deo non distingui sub diuina substantia, vt sub quodam communi differentijs per se substantiæ, vt substantia est: sicut paternitas & spiratio sub relatione diuina distinguuntur differentijs per se relationis, vt relatio est; igitur sapientia & potentia, vt his nominibus proferũtur, nõ significantur vt distinctæ in actu exercito, & ideo de inuicem prædicantur.

Et ex hac differentia nascitur illa, quam recẽtiores quidam assignant dicentes propositiones, in quibus vna relatio de alia prædicatur, accipi semper in sensu formali; & ideò falsam esse prædicationem. Propositiones autem, in quibus dicitur vna perfectio de alia, faciunt vt plurimum sensum identicum, licet quandoque formalem admittant, & ideò vt plurimũ veræ sunt, in paucioribus autem sunt falsæ. Nam si prædicetur actio siuè operatio de potentia, prædicatum tenetur adiectiuè, & sit sensus formalis; vt cum dico, intellectus intelligit, volũtas vult, potentia creat; quæ omnes propositiones veræ sũt; quia propria in his cuiq; potentiæ tribuitur operatio. Si verò vnius operatio potentiæ de altera prædicetur, fit eadẽ ratione sensus formalis, sed falsus: vt si dicã, intellectus vult, voluntas intelligit; sensus est. n. intellectus qua rõtione ẽ intellectus elicit volitionẽ, & volũtas quatenus est volũtas, actũ hẽt intelligendi, & ideò sunt ambæ falsæ. Cũ

autem vna quæuis alia perfectio, quæ non sit operatio, de alia prædicatur in Deo, sumitur prædicatum substantiuè, & sit sensus identicus: ac proinde vera est propositio, vt hæc, intellectus est voluntas, & aliæ similes. Si verò diuinæ perfectiones sumantur vt nomine attributi significatæ, de inuicem prædicari nó possunt: sic enim significantur in actu exercito, vt rationes omninò distinctæ; & propositiones habent sensum formalem; sicut hæc, attributum scientiæ est attributum potentiæ, falsa est, ob dictam causam. Nam, vt obseruat S. D. *loco superius allegato*, nomen attributi est nomen secundæ impositionis, & est commune omnibus diuinis perfectionibus, sub ea ratione, qua sunt attributa consideratis: & ideò diuiditur ratio communis attributi differentijs per se, in attributum scientiæ, potentię &c. & quia singulæ per se differentiæ, singulis attributorum nominibus formaliter significantur: idcirco dicendo, attributum scientiæ & attributum potentiæ, significo distinctionem eorum in actu exercito: sicut etiam cum dico, notio paternitatis & notio spirationis; & ideò, cũ enunciatur vnum de alio, prædicata sumuntur formaliter, & reddunt falsas propositiones.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Quæ significãtur*, vt distincta formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuicem in diuinis.

SECVNDA CONCL. Relationes diuinæ in abstracto significatæ, nó prædicantur de inuicé, quia significantur in actu exercito, vt rationes formaliter distinctæ personarum.

TERTIA CONCL. Diuinæ perfectiones nó significantur nominibus proprijs, vt distinctæ formaliter: & ideò possunt vt plurimũ de inuicé prædicari.

QVARTA CONC. Diuinæ perfectiones sub nomine attributi, non prædicantur de inuicé, sicut nec diuinæ relationes sub nomine notionis.

Ob. 1 cõt. 2. concl.

CONTRA *secundam* concl. arg. Mol. *Primò.* Secundum sententiam D. Th. & veritatem, paternitas & spiratio actiua nec re, nec ratione formali distinguuntur inter se, sed tantum virtute; Ergo hæc in sensu formali erit concedenda, paternitas est spiratio actiua; sicut hæ duæ sunt cõcedendæ, paternitas est essentia, voluntas est intellectus. *Resp.* primò cum Caiet. paternitatem & spirationem, etsi non distinguantur à parte rei nisi virtualiter; quatenus tamen à nobis concipiuntur, distinctionem habent, vt significentur tanquam rationes distinctæ personarum in actu exercito. Secundò respondetur paternitatem & spirationem distingui, non tantũ virtualiter sed etam actualiter & formaliter: non in esse rei, sed in esse relationis, vt supra latè probauimus.

Solut.

Replica.

Sed contra hanc respons. potest afferri tale argumentum ex Molina. Intellectus est quo Deus intelligit & nóquo vult: volutas verò est id quo vult & non quo intelligit, & tamen hæc est vera, intellectus est voluntas in Deo, Ergo etiam si paternitati conueniat vt sit respectus ad filium, & spirationi actiuæ conueniat vt sit respectus ad Spiritum sanctum, vt virtute distinguitur à paternitate, nihilominus hæc erit vera paternitas est spiratio. *Resp.* nullam esse conseq. primò, quia nomina intellectus & voluntatis in Deo non significant perfectiones illas, vt distinctas ab inuicé in actu exercito; sicut nomina paternitatis & spirationis significant diuinas relationes, vt ita distinctas. Secundò dico paternitatem & spirationé actu distingui in esse relationis: intellectus autẽ & voluntas nó distinguũtur actu in esse suo absoluto.

Solut.

Secundò vtitur argumẽto Scoti, quod hic affertur & soluitur à Cai. ex doctrina superiꝰ explicata. *obi. 2.*

SECVNDA CONTROVERSIA.

De veritate conclusionis: An scilicet illæ omnes & solæ sint notiones diuinarum personarum, quas hic enumerat S. Th.

Sensus quæstii & Sententiæ Doctorum.

QVAMVIS *præcipuè* sit hic nobis cum Scoto de inspirabilitate cõtrouersia, an .s. quinario communiter à patribus admisso notionũ numero sit addenda; complectimur tamen eadẽ forma quęsiti dubitationes de quibusdam ex dicto numero superius recensitis (hæ verò sunt innascibilitas & spiratio) & de pluribus alijs, in eodem numero minimè comprehensis, sed quadam cum illis affinitate gaudentibus; vt imago, verbum, donum, esse ab alio, non esse principiũ alicuius personæ, quod conuenit Spiritui sancto; generare, generari, spirare, producere, produci & similia.

SCOTVS *in 1. dist. 28. q. 1. ad 3.* argum. ait se non videre, cur inspirabilitas non sit notio filij, vel etiam simul patris & filij; quemadmodum spiratio communis est vtrique notio. Eandem sententiam, paulò fidentius sequitur & tuetur Rada *controuersia 25. a. 3.* & explicat tribus cõclusionibus. *Prima* est. Opinio asserens in diuinis esse sex notiones, est in fide tutissima. *Secunda.* Nullus sanctorum patrum antiquorum dixit esse quinque notiones. *Tertia.* Doctor subtilis non tenet absolutè inspirabilitatem esse sextam notionem, sed cum moderamine, vt putà si non assignetur aliqua bona ratio, ob quam cogamur dicere eam non esse notionem. *In eadem* verò *cõtrou. a. 2.* loquens de innascibili siuè ingenito, cuius abstractum scilicet innascibilitas propria est notio patris, duo dicit. *Primum.* Negatio per hoc nomen ingenitum importata supponit in prima persona aliquam entitatem positiuam, in qua fundetur & ratione cuius sit propria eius. *Secundum.* Hæc entitas positiua est paternitas, non sub ratione paternitatis, sed sub ratione entitatis hypostaticæ primæ, hæc verò est entitas singularis incommunicabilis prima, indifferens ad absolutum & respectiuum.

Vasquez *disp. 137.* quamuis in conclusione cõueniat cum D. Th. rationes tamen, quas hic affert Cai. & post eum alij, partim impugnat, & partim contemnit. Et eodem modo procedit etiam aduersus rationes, quas assignant Durand. Torres & alij recentiores: suam verò sententiam aperit duobꝰ dictis. *Primũ* est. Ratio ob quã innascibilitas sit notio, etiã si negatione significetur, est quia licet formaliter & expresè significet negationem & id quod pater non est: materialiter tamen & directè significat positiuam aliquam dignitatem personæ, modum scilicet aliquem subsistendi illius in quo dignitas aliqua modo nostro intelligendi apparet, & per negationem à nobis cognoscitur. *Secundum* eius dictũ est. Significatũ positiuũ huius vocis innascibilitas est paternitas sub peculiari conceptu primæ originis & principij. *In disp.* verò *159. c. 5.* ait personã patris priusquã generet non apprehẽdi sub conceptu patris, sed sub conceptu innascibilis & fęcundi ad producendũ: & intelligi vt constitutã ex essentia & proprietate seu notione innascibilis & fęcundi ad producendũ; & addit, tunc cõcipi personã primã sub ratione cuiusdam formæ hypostaticæ, quã nos nomine aliquo quidditatiuo scilicet ingeniti aut fęcundi ad producendũ, non denominatiuo quale est forma hypostatica, magis exprimimus.

Barth.

Barth. Torres dicit quatuor. *Primum* est. Quia de ratione notionis est vt significetur per nomen abstractum, & hucusq; Theologi Doctores & sancti non inuenerunt plura nomina abstracta ad notiones significãdas, quàm quinque, simpliciter fatemur esse quinque notiones & non plures. *Secundum*. Sancti Patres ideò plura nomina abstracta notionum non instituerunt, quoniam plura non erant eis necessaria, ad significandas personarum distinctiones aduersus hæreticos, ad formales loquutiones. *Tertium*, Concedimus plures rationes, affirmationes & negationes in Deo esse, ad quas exprimendas, si sancti plura nomina abstracta imposuissent, ingenuè fateremur plures notiones esse, quàm quinque; sed quoniam fas nobis non est nouum nomen inducere in diuinis, contra Doctorum authoritatem & Sanctorum; neque enim id fieri potest sine temeritate & erroris periculo, idcirco quinque tantum in diuinis notiones constituimus. *Quartum*. Innascibilitas est pura negatio. Eandem sententiam sequitur ad verbum Zumel. *disp. 1.*

Cai. cum D. Th. negat prædictis quinque notionibus aliam adiungi posse, ob eam causam, quòd illæ sufficienter continent omnem modum, quo possunt innotescere diuinæ personæ, vt nullus alius ab eis verè & propriè distinctus formaliter in ratione innotescẽdi valeat excogitari. De innascibilitate verò specialiter affirmat A. D. *infra q. 33. a. 4.* & *ibidem* Cai. priuationem esse, aut in genere principij personaliter dicti, aut diuinæ rei; hic autem dicitur innascibilitas esse negatio, quod in idẽ redit; cũ omnis priuatio sit negatio. Eandem sententiam & Cai. doctrinam in hoc articulo sequuntur alij S. D. interpretes vt Sylu. Iauellus, Bannes, Zum. Mol. Valen. Suar. *lib. 1. c. 9. & 10.* Pesant. & Ripa *super hoc a.*

Resolutio. Ex cõditionibus & diffinitione notionis ostenditur 5. esse tantum notiones. Tres conditiones notionis.

PRINCIPIVM inuestigandę veritatis ac soluendæ difficultatis in qualibet re proposita, ex iplius rei de qua disseritur quidditate proprietatibus ac naturalibus conditionibus petendum est. Affirmat autem S. D. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 3.* tria necessariò requiri, vt aliquid dicatur notio diuinæ personæ; *primum* vt ad originem pertineat; quia relationibus originis personæ distinguuntur; *secundum* vt pertineat ad dignitatem; eò quòd persona sit hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente; *tertium*, vt aliquid speciale significet; quia commune non est sufficiens principium innotescendi; Ex quibus talis potest construi diffinitio. NOTIO *est ratio propria siue specialis cognoscendi diuinam personam ad eius originem & dignitatem pertinens.*

Diffinitio notionis explicata.

Per primam partem, scilicet *ratio cognoscendi diuinam personam*, significatur notionem esse formale principium, illudque præcipuum cognoscendi; ac proinde quamlibet notionem abstractè significandam ac per modum formæ; Ex quo sequitur, notionales actus vt generare & generari aut generatio, spirare & spirari aut spiratio prout est actio inter notiones minimè computentur; quoniam vt ait Torres ex D. Tho. *inf. q. 40. a. 2.* prius ac principalius distinguuntur diuinæ personæ per relationes, quàm per origines; nec origines alia ratione dicuntur actus notionales, nisi quia notiones implicant, vt generatio paternitatem, & natiuitas filiationem; immò solo differunt ab eis modo significandi, vt docet A. D *infr. qu. 41. ar. 1.* significantur enim actus notionales ad modum operationum à personis, & ad personas procedentium, vt generare & spirare; aut etiam ad modum passionis, vt generari & spirari. Relationes autem, vt paternitas & filiatio significantur vt formæ personarum constitutiuæ: atque ideò propriæ ac præcipuę sunt rationes cognoscendi, & notiones appellantur; actus verò notionales non item.

Cur esse ab alio non sit nota.

Secunda particula est, *propria siue specialis*, quæ duas implicat conditiones; *prior* est, vt notio non sit aliquid commune pluribus personis secundum rationem, sicut processio siue esse ab alio, commune est filio, & spiritui sancto communitate rationis; hoc enim, quod est ab alio esse, non dicit vnam aliquam realem proprietatem filio & spiritui sancto communem: sicut relatio spirationis communis est secũdum rem patri & filio, qua cognoscuntur & distinguuntur, vt vnus spirator à Spiritu S. Quod etiam dicendum est de inspirabilitate, quæ secundum rationem tantum communis est patri & filio & ideò non est notio. *Posterior* conditio est vt notio sit ratio qualibet alia ratione cognoscendi distincta; Quo fit vt rationes illę quę ad vnũ formale pertinent principium cognoscendi, pro vna sint tantum notione cõputandæ: sicut paulò ante diximus de relationibus & actibus notionalibus. Quod idem affirmãdum est de rationibus verbi, & imaginis respectu filij, quibus eadem significatur omninò ratio cognoscendi; Filius enim in diuinis, vt supra diximus *q. 27.* procedit per modum imaginis & verbi: & ex hoc ipso, quòd procedit vt imago & verbum secundum perfectissimam per se verbi differentiam, procedit vt simile in natura & consequenter vt filius. Itaque nomine filij magis expresè significatur diuina persona per actum intellectus in Deo procedens, quàm nomine verbi, quo similitudo dumtaxat intellectualis videtur exprimi: ac proinde nomen filiationis in natura intellectuali infinita rationem maximè propriam personæ per actum intellectus procedentis constitutiuã & distinctiuam significat, & implicat excellenter rationem imaginis & verbi. His addenomina verbi & imaginis abstracta non esse sed concreta, & ob hanc aliam causam à numero notionum excludi. Idem censendum est de nominibus amoris & doni respectu spiritus sancti: hæc enim concretè significantur nec aliam denotant relationem siue formam aut rationem cognoscendi, quàm sit ea quæ processionis nomine, prout proprietas est spiritus sancti constitutiua, principaliter significatur. Aliam rationem reddit S. Tho. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1.* quam infra posuimus *in probatione secundæ conclusionis.*

Cur esse ab alio non sit nota.

Cur notio. Cur verbũ & imago nõ sint notiones. Cur amor & donum non sint notiones.

Tertia particula est, *ad eius originem*, quæ intelligenda est de origine tàm positiua quàm negatiua, propter innascibilitatem, cui vt statim dicemus, inter negationes soli conueniunt omnes prædictæ diffinitionis particulæ.

Postrema particula est, *ad eius dignitatem pertinens*, cuius explicatio petenda est *ex q. 29. a. 3. ad 2. & q. 42. a. 4. ad 2.* In his .n. locis duo dicit S. D. Primum est: Nomen personæ in diuinis significare maximam dignitatem, quæ est subsistere in diuina natura. Secundum est: Paternitatem esse dignitatem Patris sicut est essentia Patris; quoniam dignitas est absoluta & ad essentiam pertinet. Ex quo deducit S. D. *in dicto a. 4.* quòd sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio: ita eadem dignitas quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio; & concludens ait; *Verè ergo dicitur, quòd, quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec sequitur, paternitatẽ habet Pater; ergo paternitatem habet Filius; mutatur enim quid, in aliquid; eadem enim est essentia & di-*

Gnitas Patris, & Filij, sed in patre est secundum relatio A *nem dantis, in Filio secundum relationem accipientis.* Hæc D. Th. Igitur notiones ea ratione pertinent ad dignitatem, qua pertinent ad personam, & idem sunt cum essentia. Et de politiuis quidem notionibus satis constat ex dictis, quomodo pertineant ad dignitatem.

Ostenditur conditiones, & diffinitio nē notionis innascibilitatis cōgruere

IAM VERO de innascibilitate, quæ negatio formaliter est, quomodo congruant illi singulæ prædictæ diffinitionis particulæ dicendum est.

Secūdò itaq; notandū est ex Cai. negationes modorū originis inter notiones non esse regulariter computandas. Primò quia notio est innotescendi causa, ex priuatione verò non cognoscitur habit⁹, neq; per negationē affirmatio; sed è contra, co- B gnoscitur priuatio per habitū, & ex affirmatione negatio. Secundò, quia notio rationem significat ad dignitatem pertinentem, negatio verò per se nullam denotat dignitatem. Quod si talis fuerit negatio, quæ respectu talis personæ cui conuenit, aliquas designet conditiones ad dignitatem pertinentes, & sit nobis ratio diuinam illam personam cognoscendi, prout ab alijs est distincta, meritò cæteris erit notionibus annumeranda: inter negationes autem diuinis personis conuenientes sola est innascibilitas, cui prædicta conueniunt. Ad cuius euidentiam.

Tertiò sciendum est innascibilitatem, quæ ponitur propria notio patris, idem esse quod ingenitum, quod est proprium patris, vt ait S. D. *q. seq.* C *a. vlt.* Nomen autem ingeniti quinque modis accipi potest in diuinis. *Primò*, vt idem est quod increatum; & ita nomen est essentiale tribus commune personis; Quo sensu Damasc. hoc vtitur vocabulo *libro 1. orthod. fidei, c. 9.* & Ambr. *lib. de Dominicæ incarnationis sacramento cap. 8. & 9.* in eodem sensu negat solum patrem esse ingenitum, id est, increatum. *Secundò* sumitur ingenitum prout idem est quod non genitum, siue non filius vt inquit Augustin. *in 5. de Trin. c. 7.* & sic sumitur negatiuè, vt negat generationem passiuam propriè dictam: & sic conuenit non tantum Patri sed etiam Spiritui sancto & essentiæ. Vnde Hieron. à D Magistro relatus *in 1. dist. 14.* ait Spiritum S. esse ingenitum, id est, non genitum. *Tertiò* sumitur ingenitum priuatiuè, vt scilicet importat negationem generationis propriè sumptæ in gere diuini suppositi, prout scilicet aliquod suppositum diuinæ naturæ non est genitum, cuius tamen naturæ aliquod suppositum est genitum; sicut talpa dicitur cæca, quia quædam animalia eiusdem generis nata sunt videre, quamuis ipsa visu careat; & hoc modo conuenit Patri & Spiritui sancto esse ingenitum, non autem essentiæ, quia ipsa non est suppositum. *Quartò* accipitur nomen ingeniti priuatiuè in genere principij personaliter dicti, & ita conuenit soli patri. Nam Spiritus sanctus etsi non sit genitus, non tamen E est principium personaliter dictum; cùm nulla sit ab eo persona. Denique sumi potest ingenitum latius, vt negat omnem modum originis, vt idem sit ingenitum, quod non ab alio siue per generationem siue per spirationem: & in hoc sensu proprium est patris. Sic enim inquit S. Th. *infra q. seq. a. 4. ad 2. Nec conuenit Spiritui sancto, qui est ab alio per processionem, vt persona subsistens: nec etiam diuinæ essentiæ concretè, vel abstractè sumptæ, quam affirmare possumus esse in Filio, vel in Spiritu sancto, ab alio scilicet à patre communicatam.* Quomodo verò ingenitum priuatiuè sumptum non dicat imperfectionem, explicat infra D. Th. *in d. a. 4. ad 2.*

Ingenitum quinque modis dicitur in diuinis.

Ex dictis sequitur primò nomen innascibilitatis, aut ingeniti nihil ponere, aut significare formaliter, aut materialiter positiuum, quod sit de proprio eius intellectu: licet aliquid ponat aut connotet vt ei præsuppositum, vt ait S. Tho. *in 1. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 1.* vbi sic ait: *Aliqua dictio dicitur ponere dupliciter aliquid: vel ita, vt illud quod ponit sit de intellectu eius sicut aliquid essentiæ ipsius, vt homo ponit animal; vel quia præsupponit illud in quo fundatur, quamuis non sit de essentia eius: sicut omne accidens ponit substantiam: dico ergo, quòd hoc nomen ingenitus non ponit aliquid, quod constituat intellectum ipsius: quia hoc nō posset esse, nisi aliquā rationem principij poneret, vel in communi, vel in speciali; quia nihil aliud notionale potest Patri conuenire: & quocunque modo dicatur, non ponet in numerum innascibilitas cū paternitate: quia commune non ponit in numerum cum proprio, sed tantum ponit aliquid, quòd præsupponit in quo fundatur. Sed quamuis nihil ponat, quod sit de intellectu eius, non tamen sequitur, quin posit esse notio; quia illud cuius ratio consistit in remotione, optimè per negationem certificatur, sicut cæcitas; & huiusmodi est ratio primi, vel eius quod est non de principio esse: quia principium est, ante quod nihil est.* Hæc D. Tho.

Secundò sequitur negationem, seu priuationem vocabulo ingeniti aut innascibilitatis significatam fundari in ratione principij, secundum quod est notio patris, hæc verò est paternitas & vniuersalis authoritas seu fontalis plenitudo, vt bene ait Capreolus *in 1. dist. 28. q. 1.* quæ quoniam ad dignitatem pertinet, & optimè notificatur negatione formaliter significata per hanc vocem innascibilitas, idcirco dicitur etiam innascibilitas patris ad eius dignitatem pertinere, & eiusdem asseritur notio: de cuius ratione non est, vt dignitatem significet positiuè, sed satis est vt eam expressè quouis modo notificet.

Innascibilitatis obs. rationes est propria notio Patris.

Postremò considerandum est innascibilitatem, præter communem regulam negationum & priuationum, fuisse positam à Patribus & Scholasticis notionem Patris, ob singulares quasdam rationes huic soli negationi congruentes. Sunt autem quinque. *Prima* habetur *ex vltimo artic. seq. quæst. in corpore, & ad primum*, quam hic assignat Cai. quia nimirum sola persona Patris in Trinitate rationem habet primi principij, quod à nullo principio est; prima verò & simplicia per negationes optimè notificantur, vt ait S. D. supra relatus: dicimus enim punctum esse cuius pars non est.

Secunda ratio est illa, quam tangit hic S. Th. *in resp. ad 4.* & expressius *in 1. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 4.* & Caietanus *super hoc artic.* quoniam esse primum principium pertinet ad dignitatem & authoritatem Patris. Propter quam dicebat Hilarius authoritate donantis patrem esse maiorem, & si non minor sit filius, cui vnum esse donatur, id est eadem diuinitatis essentia communicatur. Quam ob causam consueuit filius in Euangelio ad patrem vniuersa referre, & orationes ferè omnes ad patrem Ecclesia dirigit.

Obi. tacita Solut.

Non est autem eadem ratio de negatione generationis, quę conuenit Spiritui S. & de negatione spirabilitatis seu spirationis passiuæ, quę negatio cōuenit Filio; cū hæ negationes nō negent esse ab alio simpliciter, sed tm sm̄ quid, atque ideo neutra pertinet ad dignitatem eius personæ cui conuenit. At ab alio non esse simpliciter & absolutè, sed esse primū principium, à quo est omne procedens in natura diuina, magna dignitas est, & ideò ponitur innascibilitas patris notio. *Quòd etiam* à Spi-

Sol. alterius tacitæ obi.

Sol. alterius tacitæ obi.

Spiritu S. nulla persona procedat, ad eius non attinet dignitatem secundum nostrum modum intelligendi & enunciandi; quod ideo dixi; quia sicut à nullo esse conuenit patri ratione suæ proprietatis personalis, ita Spiritui S. ex eius personali proprietate congruit, vt nulla sit aut esse possit ab eo persona. Igitur cùm diuinæ personæ dignitas sit essentia, eadem à parte rei loquendo dignitas, quæ vt est proprietas, aut sub proprietate patris, est ei ratio vt à nullo sit, erit etiam Spiritui S. prout est sub eius proprietate ratio, vt nulla procedat ab eo persona; sed tota differentia posita est in modo nostro concipiendi, qui dictam negationem in proprietate patris constitutiua fundatam, sub ratione dignitatis apprehendimus; negationem autem originis actiuè, seu productionis in Spiritu S. non intelligimus esse dignitatem. Nam in rebus humanis siue sensibilibus ex quibus ad diuina conscendimus, aut ea per reuelationem cognita nominamus, rationem quidem primi principij in quolibet ordine concipimus vt dignitatem, & eadem ratione negationem procedentis ab alio; sed negationem principij, siue productionis, vt scilicet ab hoc supposito, siue persona nulla procedat alia,

Tacitæ obi. Solut.

nullius apprehendimus esse dignitatis. *Quanquam enim* in separatis à materia & in corporibus cœlestibus, ex eorum videatur esse perfectione, vt nulla sit in eis generatio, si de generatione, siue naturæ communicatione loquamur, quæ fit actione transeunte; quod tamen absolutè non generent, ex eorum limitatione procedit. Nam corporibus cœlestibus actiones immanentes minimè congruunt; in Angelis autem per intelligere & velle, cùm accidentia sint, non potest aliquis intrinsecus terminus, qui sit substantia produci, sicut in Deo, sed accidens tantum scilicet verbum & amor accidentalis. *Tertia ratio* est D. Aug. *lib. 5. de Trinit. c. 8.* nimirum varia connexio patris & ingeniti. Siquidem apud nos pater omnis est genitus, siue propriè vt quilibet homo præter Adam: siue minus propriè, prout scilicet genitum idem est quod productum siue causatum, vt Adam, quem Deus creatione produxit. Nullus est igitur in humana natura aut quouis alio viuentium genere pater, qui simpliciter id est omnibus modis appellari possit ingenitus: at persona patris in diuinis, hæc habet duo sibi necessariò coniuncta, scilicet esse patrem, & esse omnibus modis ingenitum. Porrò filio connexum est necessariò semper inspirabile, & Spiritui sancto innascibilitas; Nam filius ex hoc ipso, quòd filius est procedens per modum intellectus vt verbum inspirabilis est, & vt talis à nobis intelligitur: & Spiritus S. ex hoc ipso, quòd per actum voluntatis procedit vt amor & impulsus, non procedit vt similis nec vt genitus: & ideò nec inspirabilitas ponitur notio filij vel etiam patris; ob similem causam, nec innascibilitas asseritur notio Spiritus S. neque enim explicant aliquid speciale, quòd non exprimatur sufficienter per propria personarum constitutiua; neque pertinet ad dignitatem. Quarta ratio est D. Hilarij *in lib. de Synodis*, quam refert S. D. *in d. a. 4. ad 4.* quia scilicet per innascibilitatem patris vnitas diuinę naturæ significatur; sicut enim necesse est in quolibet genere constituere vnum aliquod primum, ita pariter oportet in diuina natura ponere principium vnum non ab alio procedens, quod ingeniti nomine designatur. Quamobrem qui duos poneret innascibiles, duos hoc ipso Deos cõstitueret, & duas naturas diuinas, quod etiã ibidẽ Hilar. affirmat dicens: *Cum aut vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt*: Nam si duo essent innascibiles, neuter eorum esset ab altero, & cõsequenter nõ esset inter eos oppositio relatiua; igitur necesse esset eos distingui naturæ differentijs. Ob dictã igitur causam cõstituerunt sancti Patres & Doctores innascibilitatem propriam notionem patris. Postrema ratio Suar. est; quia negationes alijs personis congruentes consequuntur origines & relationes, & ad eundem pertinẽt intellectum siue conceptionẽ, qua concipiuntur à nobis origines & relationes, ac proinde cum illis non ponunt in numerum; sed hæc ratio non differt à tertia, vt perspicuè patet intuenti.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Actus notionales actiuè vel passiuè sumpti non sunt notiones.* Probatur; quia non significantur vt formæ, sed vt operationes à personis vel ad personas.

SECVNDA CONCL. *Ratio verbi & imaginis in filio, & doni in Spiritu S. non sunt speciales notiones.* Hęc est D. Th. *in 1. dist. 17. q. 1. a. 1. ad 4.* cuius rationem assignat dicens: *Verbum & filius non distinguũtur differentia relationis; quia vtrumque dicit relationem eiusdem ad idem; & propter hoc non importantur nomine verbi, & filij duæ relationes, sed vna, similiter nomine doni & amoris, sed distinguuntur tantum, secundum quòd habent fundamentum in re pro vt vnum fundatur in emanatione naturæ, scilicet, filius, & aliud in emanatione intellectus, scilicet verbum, quæ in Deo non nisi ratione differunt; & ideò verbum & filius differunt solum ratione, & non relatione. Sed ingenitus & pater non respectu eiusdem dicuntur & ideò constat, quòd non sunt vna relatio, vel notio* Hæc D. Tho. Alias rationes minus solidas reddit *Vasq. c. 5.*

TERTIA CONCL. *Esse ab alio quod est commune filio & Spiritui S. non est eorum notio, neque inspirabilitas quæ patri conuenit & filio, est eorum notio, sicut, neque innascibilitas stricte sumpta est notio Spiritus S.* Probatur; quia notio dicit aliquid speciale, non autem commune secundum rationem pluribus; constat autem ex dictis singula prædicta pluribus esse communia secundum rationem. Deinde nihil prædictorum pertinet ad dignitatem.

QVARTA CONCL. *Innascibilitas siue esse ingenitum est mera negatio, & propria est notio Patris.* Huius cõclusionis explicatio & probatio habetur ex dictis.

POSTREMA CONCL. quæ est D. Tho. in littera, & sequitur ex prædictis. *Notiones diuinæ sunt tantum quinque, adeò vt plures esse non possint: cuius oppositum* affirmat Torres in tertio suo dicto. An autem sit error in fide, aut temeritas prędictum numerum augere, aut etiam minuere, dicemus cum D. Th. *a. seq.*

Argumenta, & Solutiones.

CONTRA *primam* concl. sunt argum. *quæ* referunt & soluunt Ban. Zumel. & alij.

CONTRA *secundam* conclusionem est argumentum quarum D. Tho. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1.* ab eo solutum, quod potest formari contra hanc conclusionem, sed eadem responsione soluitur, quam paulò ante retulimus.

CONTRA *tertiam* concl. quo ad secundam eius partem scilicet inspirabilitatem, non procedit nisi argumentum Scoti desumptum à simili scilicet innascibilitate, quam esse longè dissimilem in multis ostendimus.

CONTRA *quartam* concl. quo ad priorem eius partem, sunt argumenta Aureoli & Radæ, quæ refert & soluit Cap. *in dicta 28. dist. q. 1.* & Iauellus *super hoc art.*

CON-

Ob. 1 cont. 4 Concl

Contra eandem partem argu. Vasq. Primò. A Basili. *lib. 4. contra Eunomium parum à principio* sic ait: *Quare innascibilitas substantiæ modus, non substantiæ* (id est essentię) *nomen est*. Cyril. *li. 1. Thesaurica. 4. circa finem* ita loquitur. *Et nomine ingeniti, non substantiam* (hoc est essentiam) *sed modum, quo Deus est significare volumus*. & Damascenus *lib. 1. de fide cap. 9.* sic ait: *Vox ingenitus, nec naturæ discrimen, nec dignitatem, atque authoritatem* (qua scil. pater filio antecellat) *sed existentiæ modum indicat:* Ergo nomen ingeniti positiuam aliquam ratio-

Solut.

nem significat. *Resp.* nullam esse conseq. negatio namq; modus quidam est substantiæ negatiuus. Secundò dico, innascibilitatem non significare modum positiuũ formaliter aut materialiter in B trinsecè, sed illum connotare seu indicare tantum vt fundamentum. Tertiò illam indicare personam patris sub ratione primi principij, & hic est modus de quo loquuntur SS. Patres prædicti.

Obj. 2.

Secundò. Vt aliquid habeat rationẽ notionis, necesse est illud ad dignitatem, hoc est ad perfectionem personę pertinere; at negatio nullam tribuit dignitatem; Ergo innascibilitas, quæ notio est, non est pura negatio. *Resp.* notionem positam esse innotescendi gratia, ac proinde illud

Solut.

omne, quo specialiter personæ dignitas innotescit siue sit affirmatiuè significatũ, siue negatiuè, C aut potius sit mera negatio, ad notionum pertinet numerum: Iam autem ostendimus negationem illam, quam significat innàscibilitas, rationem esse specialem cognoscendi personam patris & eius dignitatem: immò secundum nostrum modum intelligendi, ad maximam dignitatem patris pertinere; quia scilicet carere principio sui productiuo, summa dignitas est vel conditio saltem sine qua non esset in patre summa dignitas.

Aliæ obiectiones. Prima.

Deinde argumentatur contra rationes Caietani, & SS. Patrum. *Primò*. Nisi per negationem conciperemus aliquam positiuam rationem principij, sequeretur ipsam solam negationem inter notiones personæ non esse numerandam; D Ergo debebat ostendere Cai. quomodo id quod per innascibilitatem concipimus, sit distinctum positiuum ab alijs notionibus, nostro modo in-

Solut.

telligendi. *Resp.* assumptam propositionem esse falsam, ob rationem paulò ante dictam. Secundò dico per innascibilitaté à nobis cognosci vniuersalem patris authoritatem & fontalem plenitudinem, non vt clausam in intellectu innascibilitatis, sed vt connotatã tanquam fundamentum. Tertiò dico per eandem cognosci personam patris in ratione primi principij, quæ optimè cognoscitur per negationem.

Secunda.

Secundò. Nihil refert innascibilitatem esse negationem peculiarem in patre æterno, & eam in alijs patribus creatis non reperiri, ad hoc vt sit E peculiaris notio patris æterni; Ergo &c. Probatur antecedens; quia si non inueniatur aliquid positiuum speciale, quod negatione illa innote

Solut.

scat, non debet specialis notio constitui. *Resp.* falsum esse antecedẽs. Ad probationem dico satis esse ea negatione personam patris innotescere, quatenus ab alio non est, nec requiri, vt aliquid speciale positiuum in patre per eam cognoscamus.

Tertia. Solut.

Tertiò. Ratio, quam Cai. affert ex Hilario parum habet momenti. Ergo &c. *Resp.* falsum esse antecedens, & modestia Theologi Doctoris indignum. Iam enim ostendimus rationem illam multum habere momenti. Quod autem attinet ad illud positiuum, quod affirmat Vasq. per nomen innascibilis significari, *in ar. 4. sequentis q.* examinabitur.

Quarta.

Quartò contra eandem rationem, Si ideò innascibilitas est notio, quia denotat aliquam patris dignitatem seu authoritatem, sequitur eam non esse notionem ratione negationis, sed ratione positiuæ dignitatis, quam indicat. Probatur sequela; quia nulla negatio vt negatio, potest esse dignitas alicuius aut perfectio, tametsi negatione aliquando perfectionem positiuam significemus.

Sol.

Resp. nullam esse conseq. Ad probationem dico, licèt negatio per se præcisè non sit dignitas, requiri tamen ad patris dignitatem necessariò, & ex ea cognosci patrem speciali modo, & hoc satis est vt sit notio. Nec tamen sequitur inspirabilitatem esse notionem; quia per eam quoquo modo cognoscimus secundam personam, vt deducit Vasquez: nam inspirabilitas neque ad dignitatem attinet filij, nec specialem affert rationem cognoscendi; nam hoc ipso, quòd filius est, inspirabilis est.

Cætera quæ ex eiusdem expositoris discursu militare possent contra propositam Sanctorum & D. Tho. doctrinam, eadem perspicua fugantur luce veritatis.

Obi. cont. vlt. concl.

CONTRA *vltimam* conclus. argum. Torres & Zum. *Plures* rationes, affirmationes & negationes sunt in Deo, ad quas exprimendas sancti plura nomina abstracta imponere potuerunt; Ergo plures esse notiones potuerunt, quàm quinque.

Sol.

Resp. nullam esse conseq. ob ea, quæ supra latè diximus de cæteris negationibus & affirmationibus, quibus omnibus & singulis ostendimus deesse conditionem aliquam necessariam ad notionem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum liceat contrariè opinari de notionibus.

AD *Quartum sic proceditur*. *Videtur, quòd non liceat contrariè opinari de notionibus*. Dicit enim Aug. *in 1. de Trin.* † *quòd non erratur alicubi periculosius, quàm in materia Trinitatis, ad quam certum est, notiones pertinere. Sed contrariæ opiniones non possunt esse absque errore. Ergo contrariè opinari circa notiones non licet.* 184. 1. dist. 33 a. 5 Li. 1 de tri. c. 3. to. 3.

Art præc.

2 *Præterea. Per notiones cognoscuntur personæ vt dictum est.** *Sed circa personas non licet contrariè opinari. Ergo nec circa notiones.*

Sed contra. Articuli fidei non sunt de notionibus. Ergo circa notiones licet sic, vel aliter opinari.

Respondeo. Dicendum, quòd ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Vno modo directè, sicut ea quæ nobis sunt principaliter duinitus tradita, vt Deum esse trinum, & vnum, filium Dei esse incarnatum, & huiusmodi. Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim: maximè si pertinacia adiungatur. Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei. Sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanæ. ex hoc enim sequitur, Scripturam diuinam esse falsam.

Circa huiusmodi ergo, absq; periculo hæresis, aliquis falsum potest opinari, antequam consideretur, vel determinatum sit, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, & maximè si non pertinaciter adhæreat. Sed postquam manifestum est, & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absq; hæresi. Et propter hoc, multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur propter hoc, quod nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur. Sic igitur dicendum est, quòd circa notiones aliqui absque periculo hæresis, contrariè sunt opinati, non

inten-

intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans, quòd ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Sensus quæsiti.

NON quæritur hic determinatè de notionũ negatione quoad earũ esse, & quoad earum numerũ sed indistinctè. Videtur tñ hic præcipuè quæri, non de proprietatibus secundum rem sed prout formaliter notiones sunt; respicit enim hic articulus ea, quæ duobus præcedentibus fuere determinata; constat aũt in 2.a. D.Th. disputare cum Præpositiuo de diuinis proprietatibus & relationibus quatenus abstractè significantur, ac pròinde sub ratione notionum. Quem sensum non obscurè significat S. Th. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1.* Vbi errorem circa notiones comparat errori circa relationes & proprietates, indicans planè formalem quæstionum diuersitatem. Adde *supra q. 28. a. 2.* determinasse contra Gilbertum esse errorem in side asserere in Deo relationes esse tantùm extrinsecus affixas, & ab eius essentia separatas; igitur hic non de relationibus sed de notionibus formaliter est sermo. Ex quo patet non rectè sensum quæsiti & responsionis à Mol. & Val. fuisse perceptum, quorum alter ab hoc quæsito numerum, alter notiones formaliter excludit, ad proprietates personales simpliciter responsum referens.

Forma Textus.

TRiplex colligitur ex littera distinctio, & sex conclusiones.

Prima distinctio est. Ad fidẽ pertinet aliquid dupliciter: Vno modo *directè*, sicut ea quæ sunt nobis principaliter diuinitùs tradita, vt Deum esse trinum & vnum, filium Dei esse incarnatum & huiusmodi. *Indirectè* verò ad fidem pertinent ea ex quibus scilicet negatis sequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanæ; nam ex hoc sequitur Scripturam diuinam esse falsam.

Secunda distinctio. Circa ea quæ indirectè pertinẽt ad fidem, potest aliquis falsum opinari dupliciter: *Vno modo* antequam cõsideretur vel determinatum sit, quòd aliquid ex hoc sequitur contrarium fidei: *Alio modo* postquam manifestum est & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei.

Tertia distinctio. Duplicer contingit opinari falsum, tam circa ea quæ directè, quàm circa ea quæ tantùm indirectè pertinent ad fidem: Vno modo cum pertinacia: Alio modo sine pertinacia.

„ PRIMA CONCL. *Opinari falsum circa ea, quæ* „ *directè ad fidem pertinent, hoc ipso inducit hæresim,* „ *maximè si pertinacia adiungatur.*

„ SECVNDA CONCL. *Opinari falsum circa ea,* „ *quæ indirectè pertinent ad fidem, antequam consideretur* „ *vel determinatum sit quòd ex hoc sequitur aliquid* „ *contrarium fidei, est absque periculo hæresis, maximè si* „ *non pertinaciter adhæreat.*

„ TERTIA CONCL. *Opinari falsum circa ea, quæ* „ *indirectè pertinẽt ad fidem, postquam manifestum est,* „ *& præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex* „ *hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare,* „ *non est absque hæresi.*

„ QVARTA CONCL. sive corollarium: *Multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur.* Probatur; quia nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur.

„ QVINTA CONCL. *Circa notiones aliqui absq;* „ *periculo hæresis contrariè sunt opinati.* Probatur: „ quia non intendebant sustinere aliquid contrarium fidei.

„ VLTIMA CONCL. *Si quis falsum opinaretur* „ *circa notiones, considerans quòd ex hoc sequatur a-* „ *liquid contrarium fidei, in hæresim laberetur.* Hæc relinquitur nota ex præmissis distinctionibus.

Expositio Textus.

DISTINCTIONEM primam latius explicat D. Tho. *2. 2. q. 1. a. 6. ad 1. & q. 2. a. 5.* dicens quædam esse credibilia, de quibus est fides secundum se, siue per se ac principaliter: hæc verò sunt quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, vt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, & alia huiusmodi; & secundum hæc distinguuntur articuli fidei. Quædam alia sunt credibilia, de quibus non est fides secundùm se siue per se, sed tantum per accidens siue in ordine ad alia manifestanda & secundariò: sicut quod Abraham duos habuit filios, quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuos, & alia similia, quæ narrantur in sacra scriptura in ordine ad manifestationem diuinæ Maiestatis vel incarnationis Christi. Priora credibilia tenentur fideles omnes explicitè credere, cum etiam publicè ac solemniter toti populo proponantur in Ecclesia. Posteriora verò non tenentur omnes explicitè sed tantum implicitè credere, quatenus scilicet in sacra Scriptura continentur, quam credunt fideles omnes esse diuinitùs reuelatam: nisi postquam constiterit ea in doctrina fidei contineri: tunc enim ea tenentur omnes explicitè credere. Superiores tamen ad quos pertinet alios erudire, multa de secundariò credibilibus tenentur explicitè credere, sicut etiam ad eos attinent subtiliores considerationes circa diuinæ Trinitatis & Mysterij Incarnationis arcana. Ex hac D. Thomæ doctrina patet Bannesium *in 2. 2. q. 11. a. 2. dub. 1.* non bene explicasse, quænam ad fidem directè vel indirectè pertineant: Dixit enim ea ad fidem directè pertinere, quæ immediatè cadunt sub habitu fidei, hoc est sine consequentia rationis, & hoc modo (inquit) ad fidem directè pertinent omnia, quæ sunt in sacra Scriptura, traditiones Apostolicæ & definitiones Conciliorum. Indirectè verò illa, ex quorum negatione sequitur necessariò falsum esse, quod asseritur per fidem; vt si quis negaret Christum esse risibilem: sequitur enim Christum non esse verum hominem. Pugnat enim hæc expositio manifestè cum doctrina D. Thomæ paulò antè relata. Dicendum est igitur, ea tantùm ad fidem directè pertinere, quæ publicè & solemniter fidelibus in Ecclesia credenda proponuntur, tanquam ad salutem maximè necessaria, vel necessitate medij vel saltem necessitate præcepti. Quamobrem sacra Scriptura, traditiones Apostolicæ & Conciliorum definitiones ea ratione directè, ac per se ad fidem pertinent, qua necessaria continent ad salutem, siue sint articuli fidei siue legitima eorum intelligentia: quo ad reliqua verò secundariò tantum & in ordine ad principalia credibilia siue per accidens ad fidem pertinent; vnde neque omnes communiter ea scire tenentur & explicitè credere, nisi fortè ad eorum notitiam peruenerint, alioquin oporteret fideles omnes esse doctissimos. Circa reliquas verò distinctiones, quæ necessaria sunt, inferius annotabimus.

Quænam dicantur rectè & quæ indirectè pertineant ad fidem, & quis censeatur hæreticus, & an sit temerarium sextam notionem inducere.

Contr. Ban.

Vtrum

Vt autem primæ distinctionis necessitas ac simul primæ & tertiæ conclusionis discrimen & sensus eluceat, sciendum est, aliud esse loqui de hæresi & de hæretico secundum se, siuè secundum rei veritatem: & aliud de eisdem sermonem habere prout exteriori iudicum violatæ religionis subduntur censuræ. Nam si de rei veritate loquamur tam hæreticus est qui falsum opinatur in his quę ad fidem pertinent indirectè, suppositâ notitia doctrinæ fidei aut determinationis Ecclesiæ, quàm qui falsam habet opinionem cum pertinacia circa ea quæ directè ad fidem attinent. Si verò considerentur dictorum opinantium errores, prout humanæ subduntur authoritatis iudicio, non modica distant ab inuicem differentia; nam qui falsam habuerit opinionem in ijs quæ directè ad fidem pertinent, hæreticus iuxta leges & facti probationes censebitur à iudicibus; nisi (quod haud facile est) probet efficaciter ignorantiam, per quam excluditur pertinacia. At qui falsitatem aliquam aduersus ea quæ indirectè ad fidem attinent, mente tenuerit & verbis etiam expresserit, non statim hęreticus iudicabitur; nisi doctrina, magisterium, aut pastorale munus excusationem omnem ignorantiæ resecauerit, quam gregales homines in simili materia sibi legitimè possunt ostendere.

Hæreticus qui sit.

Iem verò hic offerunt sese plura de pertinacia de nomine hæresis, & eius ratione disputanda, quæ huic loco minimè congruunt: sed propriam habent sedem, *in 2.2.q.11.a.2.* quo loco videndus est Cai. & Ban. ac cæteri S.D. interpretes. Explicat hic eandem materiam Torres *multis cap.* non minus piè, quàm eruditè.

Aduerte tamen differentiam, quam hic statuit Cai. inter requisita ad rationem hæresis & ad rationem hęretici fuisse ab eodem retractatam *in 2.2.q.11.a.1.* vt hic obseruat Iauellus: & posteriorem Cai. sententiam sequitur & explicat Ban. *in d. loco dub.3.* vbi ex Cano *de locis lib.12.c.8.* vtrumque dicendi modum ex parte conciliat.

Postremò ad quæsitum illud: *Num sit error, aut temeritas aliqua sextam notionem inducere?* Torres *in a.prac. prope fin.* respondet, sine temeritate & erroris periculo non posse nouum notionis nomen induci contra communem auctoritatem Doctorum & Sanctorum. Quam sententiam sequitur Bann. *in eodem a.dub.1.* & Zum. *disp.1.* Cuius tamen oppositam pronunciat Rada *in supranotata controuer.25.a.3.* dicens, opinionem asserentem in diuinis esse sex notiones, esse in fide tutissimam; quod dictum *probat primò*; quia etiamsi Patres antiqui dixissent notiones esse quinque, non tamen inde colligitur eas non esse sex; & argumentum ab authoritate negatiuè non valet: Nam quòd quinque notiones tantum posuerint & non sex, in causa esse potuit quia plures non cognouerunt: sicut patet de Ambrosio, qui innascibilitatem inter notiones recusabat admittere; nec vllus Sanctorum vnquam dixit esse quinque notiones. *Secundò*; quia ponere sex notiones nullo modo derogat fidei Catholicæ circa mysterium Trinitatis; quia cum sex notionibus æquè benè saluantur omnia, quæ pertinent ad fidem Trinitatis sicut cum quinque tantum. *Deniq;* Doctores scholastici opinionem de quinque notionibus defendunt vt probabilem.

Rada sententia, & rationes. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

Sed hac partim nullius omninò sunt ponderis & partim falsa. *Ad primum* .n. dicitur, quòd licèt argumentum ab authoritate negatiuè cõmuniter non valeat, plurimi tamen æstimanda est SS. Patrum & Scholasticorum diligentia in Mysterio SS. Trinitatis, in cuius contemplatione quàm maximè Patres laborarunt, vt fidei veritatem de vnitate essentiæ & Trinitate personarum aduersus hæreticos tuerentur; atque ideò rationes quibus ab inuicem discernerentur personæ subtiliter excogitarunt, & ad veræ fidei firmitatem in Ecclesia perpetuò conseruandam Scripturæ commendarunt. Cùm itaque plures non agnouerint & quinque dumtaxat recensuerint, magnum argumentum est ex Patrum sententia non esse plures. Loca Patrum annotarunt diligenter Suar. *lib.5.c.9.& 10. & lib.8.c.2.* & Vasq. *disp.137. & 140.* His adde nullam de quatuor relationibus esse posse controuersiam, an sint notiones; nam hoc ipso quod vt proprietates personarum, ac formæ concipiuntur abstractè, rationes sunt cognoscendi ac proinde notiones. *Ad secundum dicò,* fidei Catholicæ multum præiudicare noua figmenta & vocum nouitates, in summo præsertim Mysterio SS. Trinitatis. *Ad vltimum dico,* Doctores Scholasticos, non vt simpliciter probabilem sed veluti à Patribus acceptam & validis argumentationibus comprobatam, de quinario notionum numero tueri sententiam, vt perspicuè videre licèt in discursu D. Tho. superius explicato. Quid verò significare voluerit Ambrosius non admittens ingeniti nomen in patre, explicant Torres & Ban. *in seq.q.a.4.* & ibidem alij recentiores, *& in a.prac.* satis ostendimus.

ad 2. *ad 3.*

QVAESTIO XXXIII.

De persona patris, in quatuor articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de personis in speciali. Et primò circa personam patris.

Circa quam quæruntur quatuor.

Primò. Vtrum Patri competat esse principium.

Secundò. Vtrum persona Patris propriè significetur hoc nomine, pater.

Tertiò. Vtrum per prius dicatur in diuinis pater secundum quòd sumitur personaliter, quàm secundum quod sumitur essentialiter.

Quartò. Vtrum sit proprium Patri, esse ingenitum.

Ratio ordinis huius quæstionis, & articulorum eius inter se.

HVCVSQVE tractauit S. Th. de personis diuinis & de pertinentibus ad earum notitiam in communi: nunc incipit agere de personis in particulari. Et quoniam persona Patris est primum principium, quod à nullo est & à quo reliquæ duæ personæ procedunt: idcircò primò differit de persona Patris, & agit primò de ea quo ad nomina positiua, *in primis tribus articulis*: deinde quoad nomen negatiuum, quod est ingenitum *in 4. & vlt.a.* Quo ad primum, tractat primò nomen magis commune; quod est principium: deinde nomen Patris; quod est proprium primæ personæ in diuinis: de quo duo tractat, scilicet eius significationem *in 2.art.* deinde modum siue ordinem significandi *in tertio articulo.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum competat Patri esse principium?

185 Inf q 36. a. 4. & 1. di. 29. a. 1. & 9. 1. ca 2. & 30 q. 1. a. 1. 8. 10. † Ex lib. 4. Met. a. tex. 3. 10. 30.

AD primum sic proceditur. *Videtur*, quòd Pater non possit dici principium Filij, vel Spiritus sancti. Principium enim & causa idem sunt secundum Philosophum. † Sed non dicimus Patrem esse causam Filij.

Ergo

Ergo non debet dici quod sit eius principium.

2 Præterea. Principium dicitur respectu principiati. Si igitur pater est principium filij, sequitur filium esse principiatum: & per consequens esse creatum. Quod videtur esse erroneum.

3 Præterea. Nomen principij à prioritate sumitur. Sed in diuinis non est prius & posterius, vt Athan. dicit. Ergo in diuinis non debemus vti nomine principij.*

Sed contra est, quod dicit Aug. in 2. de Trin.† Pater est principium totius deitatis.

Respon. Dicendum, quòd hoc nomen, principium, nihil aliud significat quàm id, à quo aliquid procedit. Omne enim à quo aliquid procedit quocunq; modo, dicimus esse principium, & è conuerso. Cùm ergo pater sit à quo procedit alius, sequitur, quòd pater est principium.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine principij: Sed Latini doctores non vtuntur nomine causæ, sed solum nomine principij. Cuius ratio est: quia d principium communius est quam causa: sicut causa communior quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei, dicitur principium, sed non causa. Quantò autem aliquod nomen est communius, tanto conuenientius assumitur in diuinis, vt supra dictum est. Quia nomina quantò magis specialia sunt, tantò magis determinant modum conuenientem creaturæ. Vnde hoc nomen causa, videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij. In omnibus enim causæ generibus semper inuenitur distantia inter causam, & id cuius est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem. Sed nomine principij vtimur etiam in his, quæ nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quendam ordinem. Sicut cùm dicimus, punctum esse principium lineæ, vel etiam cùm dicimus, frontem lineæ, esse principium lineæ.*

Ad Secundum dicendum, quod apud Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu sancto dici, quòd principientur. Sed hoc non est in vsu Doctorum nostrorum. Quia licèt attribuamus patri aliquid authoritatis ratione principij, nihil tamen ad subiectionem, vel minorationem quocunque modo pertinens, attribuimus Filio vel Spiritui sancto, vt vitetur omnis erroris occasio. Secundum quem modum, Hilarius dicit 9. de Trinitat. Donantis authoritate pater maior d est: sed minor non est filius, cui vnum esse donatur. e*

*Ad Tertium dicendum, quòd licèt hoc nomen, principium, quantum ad id, à quo imponitur ad significandum, videatur à prioritate sumptum: non tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est quod significat nomen, & à quo nomen imponitur, vt supra dictum est.**

* In suo symb. fid.
† lib. 4. de Trin c. 20. declinando ad fin. to. 3.
D. 1055.
q. 13. a. 11.
li. 9. de Trinitate med. & fin. lib. D. 617.
75 b 69 b 186
q. 13. a. 8.

Sensus quæsiti.

QVANQVAM verborum forma præferat quæstionem an est aut quia est: intentio tamen S. D. est quærere, quid significet hoc nomen *principium*, prout de Patre dicitur in diuinis; tota namque præsentis articuli doctrina tam in corpore quàm in respõsionibus ad argumenta, versatur circa significationem huius nominis principium.

Forma Textus.

CONCL. est. *Pater est principium.* Probatur. Principium nihil aliud est, quàm id à quo aliquid procedit: Sed Pater est à quo alius procedit, scilicet Filius & Spiritus sanctus. Ergo Pater est principium. Maior probatur ex communi vsu & sensu; quoniam omne id à quo aliquid procedit aliquo modo dicimus esse principium, & è conuerso. Secundò probatur hæc veritas in argumento *sed contra*, authoritate Augustin. *in 4. de Trin. c. 20.* vbi ait quòd Pater est principium totius Deitatis.

CONTROVERSIA VNICA.

Quo sensu dicatur Pater principium diuinarum personarum procedentium, vel totius Deitatis, vel etiam Trinitatis: an dicendus sit causa: & an illi soli conueniat nomen authoris?

QVINQVE continentur in proposita controuersia difficultates, ex quibus quarta quæstionem implicat Metaphysicam de nominibus causæ & principij: an significatione conuertantur; quam latè nimis & scrupulosè magis quàm solidè (vt video) versat Vasq. *Quo sensu Pater dicatur principium.*

Quod igitur attinet ad PRIMAM PARTEM: Considerandum est ex D. Thom. *in 1. dist. 29. qu. 1. a. 2.* rationem principij fundari super originem, quæ dupliciter potest considerari; *Vno modo* secundum communem rationem originis, quæ est aliquid ab alio esse: & sic vna ratio est communis ad originem personarum & originem creaturarum; non quidem communitate vniuocationis sed analogiæ. *Alio modo* potest origo considerari secundùm determinatum modum originis: & sic diuersæ sunt speciales rationes originis: sed hæc diuersitas æquiuocationem non parit: quoniam vt ait Philosophus *in 1. de anima. textu 8.* animalis ratio secundum vnumquodque est alia, nec tamen de subiectis sibi speciebus æquiuocè dicitur. Similiter itaque ratio principij prout communiter sumitur & significat id, à quo aliquid procedit ratio vna communis est secundùm analogiam ad principium diuinæ personæ, & ad principium creaturæ; secundùm autem determinatos illius modos, videlicet generationis & spirationis distinguitur ad modum vniuoci in diuersas speciales rationes principij. Et quia processio creaturarum exemplatur à processione diuinarum personarum: per prius (absolutè loquendo) dicitur principium respectu personæ, quàm respectu creaturæ; Nam persona procedens ex suo principio perfectam assequitur naturæ similitudinem, quam creatura vix diminutè participat. De qua re copiosè differit Fonsec. *in 5. Meth. q. 6.* & Suar. *disp. 12.* Sciendum tamen est, vt *ibidem* ait S. Thom. in principio prout dicitur de Deo respectu creaturæ duo considerari, scilicet habitudinem quæ temporalis est, & illud in quo fundatur hæc habitudo, nimirum virtus & operatio diuina: quibus tamen non conuenit ratio principij, nisi quasi habitualiter; & hoc posteriori modo sumendo principium prius est in Deo ratio principij creaturæ, quàm diuinæ personæ secundum nostrum modum intelligendi: ea ratione, qua prius de Deo concipimus & prædicamus essentiale, quàm notionale: Sed hæc prioritas (ait S. D.) est secundum quid. *Ratio principij analoga.* *Principium in Deo per prius dicitur respectu personæ quàm respectu creaturæ.*

Ex dictis sequitur secundum doctrinam Angelici nostri Doctoris, vnum esse communem conceptum analogum ad ens reale & ad ens rationis; nam principium de Deo dictum in ordine ad creaturam relatio rationis est formaliter. *Sequitur secundò* Durandum *in dicta dist. q. 1.* perperam ex maiori rei productæ diuersitate à suo principio, colligere dici principalius rationem principij de Deo respectu creaturæ, quàm respectu personæ; oppositum enim sequitur euidenter. *Conceptus analogus cõmunis enti reali, & rationis.*

Principij nomẽ in sacris litteris quãdoque dici de patre, & quandoque de filio. Vasq. cẽsura reprehenditur.

Secundò aduerte Vasq. *in 2.c.* non satis cautè reprehendere Zumell. & alios, quòd affirment ex quibusdam diuinarum litterarum locis nomen principij rectè dici de Patre, & quandoque etiam de filio; quorum primus est Ioannis 1. *In principio erat verbum*; quem locum exponunt de Patre D. Augustin. *libr. 6. de Trinit. c. 2.* Cyrill. *libr. 1. in Ioan. c. 1.* & Origen. *homilia 2 in diuersos*, & D. Th. & Concilium Syrmiense, *c. 27.* & alij quàm plures. Ait igitur Vasq. planiorem illius loci sensum esse vt *in principio*, sit idem quod *ab initio*, sicut exponit Aug. *loco allegato*, & Basil. *in Commentario*, & Chrysostom. *hom 2. in Ioan.* & Ambros. *lib. 1. de fide, c. 5.* & hinc satis (inquit) constat ex eo loco non probari patrem esse principium, quod idem existimat de verbis illis Psalmi 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, quæ de Patre exponuntur ab Augustino & D. Thom. Sicut etiam negat probari filium esse principium per illa verba Ioannis 8. *Principium qui & loquor vobis*. Ratio eius est iam dicta; quia scilicet prædicta verba plures alios admittunt sensus à Patribus expressos. Sed hæc ratio friuola est: nam sicut temerarium est negare in sacris litteris esse locum aliquem, qui in sensu litterali dupliciter possit intelligi: ita posito in eisdem verbis iuxta Patrum sententiam duplici sensu litterali, non potest absque temeritate negari, ex vtroque posse Theologum argumenta deducere magis vel minus firma, prout magis vel minus certus fuerit alter, vel etiam vterque sensus litteralis, vt explicant recentiores *super q. 1. a. 10.* & præsertim Ban. *dub. 7.*

Quomodo sumat hic principium.

Tertiò diligenter obserua distinctionem & conuenientiam significationis huius nominis *principium*, cum hoc nomine *causa*; Et primò aduertit Capr *in 1. dist. 29. q. 1.* & Cai. *hic*, & alij recentiores principium, de quo loquitur hic S. D. ad ampliss. imam pertinet significationem principij, quam ponit Aristoteles *in 5. Meth.* dicens, communissimam rationem principij esse primum ex quo est aut cognoscitur aliquid. Dicitur enim in littera, hoc nomen, *principium*, nihil aliud significare, quàm id, à quo aliquid procedit; hæc autem acceptio ad nullam pertinet earum, quas ibidem expressè tradit Arist. Igitur sub communissima tantum comprehenditur de principio enim productiuo sermo est, quod in diuinis tantùm sine causalitate & essentiali distinctione reperitur, & ideo sub nulla specialium acceptionum continetur.

Principium apud Arist. & Græcos idem esse cõuertibiliter cum causa.

Quartò scito, non modicam esse tam inter Philosophos, quàm inter expositores D. Thom. controuersiam: an secundùm Arist. & Græcos, principium sit idem conuertibiliter cum causa. Nam Paulus Soncin. *in 5. meth. quæst. 1. in respons. ad vltimum argum.* ait, propositionem illam Aristot. *in 4. meth. text. 3. principium & causa sese consequuntur*, (quam S. D. exponens addit conuertibiliter) intelligendam esse sumendo nomen principij, vt refertur ad principiatum, quod semper est distinctum secundùm substantiam à suo principio & habet rationem effectus: & consequenter principium eo modo sumptum habet rationem causæ. Eandem expositionem sequitur Iauell. *in 5. meth. quæst. 1. & super hoc artic.* dicens Arist. ibi loqui de principio productiuo, quòd in rebus creatis sem per distinguitur secundùm essentiam, & habet rationem causæ respectu producti: Philosophum autem non cognouisse principium productiuum in diuinis. Eandem sententiam sequitur Fonseca *in 5. met.* & Suar. *ibid. disp. 12.* & Vasq. *super hoc artic.*

Sed alij antiquiores Thomistæ docent secundum mentem Arist. & Græcorum, principium ampliss. imè sumptum & causam similiter communissimè sumptam adinuicem conuerti. Ita Petrus Bergomensis author aureæ tabulæ, *dubio 1055.* qui duo dicit. Primum est, principium & causa sunt idem re conuertibiliter, sed differunt ratione. Secundum, causa dupliciter sumitur: vno modo propriè scilicet pro causa quæ aliquo modo influit in effectum, & sic principium in plus se habet quàm causa; quia id à quo incipit motus est principium, non tamen causa hoc modo accepta. Alio modo accipitur causa communiter, vt scilicet se extendit ad causam per se, & ad causam per accidens, quocunque modo accidentis: quem modum causæ popularem & non philosophicum appellant: & sic principium & causa conuertuntur secundum Aristot. *in 4. meth. tex. 3.* Quam sententiam ad verbum sequitur Flandrensis *in 4. meth. qu. 3. a. 1. & in 5. q. 1. a. 1.* & Magister Porrecta & Zumel. *super hoc a.* & Alex. *in dicto textu*, cui consonat expositio S. Tho. prædicta & verba etiam Arist. *in 5. meth. in cap. de principio*, vbi enumeratis modis principij sic ait: *Toties autẽ & causæ dicuntur, omnes enim causæ principium*; vbi videtur Aristot. nomen causæ sumpsisse latissimè.

Obiect.

Sed huic probationi duo obijcit absurda Fonseca & post eum Suar. & Vasq. *Primum* est quòd vbi de principio & causa distinctè agitur, non debet causa cum principio confundi. *Secundum* est, quòd probatio Aristot. erit ineptissima; nulla enim est hæc consequentia: omnes causæ sunt principia; igitur tot modis dicuntur causæ quot principia; perinde est ac si probaret tot esse homines, quot animalia: quia omnes homines sunt animalia. *Ad primum dico* primò satis distingui principium à causa prædicto modo accepta, ex diuersa ratione formali, vt ibi notat S. D. Secundò dico, Aristot. voluisse *in ca. de principio* ostendere conuenientiam causæ ampliss. imæ sumptæ cum principio, quam etiam *in 4. libro* tradiderat: ne diuersitate nominum idem quandoque significantium deciperemur. Tertiò dico satisfeciss. e Philosophum *in proprio cap. de causa* tradendo genera & modos causæ propriè sumptæ prout distinguitur à principio propriè sumpto. *Ad secundum* dico formam illam probationis non esse intentam ab Aristot. sed eius intentio fuit probare modos illos principij prius ab ipso enumeratos verè conuenire principio & quòd locum etiam habeant in causa, & omnis causa sit principium; supponit autem Arist. causam & principium sese mutuò conuertibiliter consequi, prout dixerat *in quarto*. *Nec verum est*, quod ait Suarez, principium secundùm generalem principij rationem latius patere, quam causam, latissimè accipiendo causam; quamuis enim primogenitus principium dicatur filiorum, non autem causa propriè sumendo nomen causæ: latissimè tamen causa dici poterit, sicut etiam Aristot. *12. Meth. tex. 12.* priuationem, quam inter principia numerauerat *in 1. Phys.* vocat causam: sic enim omne quocunque modo requisitum, aut quouis modo etiam vt occasio ad rei productionem dicitur eius causa. Constat autem primogenitum nonnullam esse reliquorum post eum ab eisdem parentibus genitorum occasionem; nec latius expedit philosophicam & minimè vtilitatis difficultatem extendere.

Solut.

Obi. Suar. soluũtur.

Cur autem in diuinis non vtamur nomine causæ sicut Græci dicentes Patrem esse causam Filij, declarat S. Tho. *in resp. ad 1.* quam responsionem explicant & sequuntur expositores & præsertim

Zum.

Zumell. & Mol. *disp. 3.* & Fonſ. *lib. 5. Meth. c. 1. q. 7. ſect. 2.*

Hic vnum aduerte, nimirum Cai. interpretari dictum illud Auguſt. *7. de Trin. c. 4.* Illud, quod eſt ei cauſa vt ſit, eſt ei cauſa vt ſapiens ſit, vt intelligatur de eſſentialibus & de cauſa ſecundum rationem; quâ expoſitionem arguit Zumell. quia pater non eſt cauſa id eſt ratio ſuijpſius & ſuæ ſapientiæ; igitur dictum Aug. & alia ſimilia SS. Patrum explicãda ſunt negatiuè, vt ſit ſenſus: Pater eſt origo ſui & cauſa ſuæ ſubſtantiæ; quia non eſt ab alio, nec habet originem, neque aliquam cauſam ſui. Sed quamuis hæc expoſitio bona ſit, immeritò tamen reijcitur interpretatio Cai. quamuis enim Pater non ſit cauſa ſui eſſe nec ſapientiæ B ſuæ, continet tamen in ſe rationem ſui eſſe & ſuæ ſapientiæ. Nam eius eſſentia eſt ratio illius exiſtentiæ, & ſumma actualitas in genere entium & in genere intelligibilium eſt ratio ſapientiæ. Nec affirmat Cai. Patrem eſſe rationem ſui eſſe & ſuæ ſapientiæ, vt imponit ei Zumell. Sicut ergo Pater non eſt cauſa ſuæ æternitatis, ſed tamen continet in ſe immutabilitatem, quæ ratio eſt æternitatis: ita non eſt cauſa ſuæ ſapientiæ, cùm tamen in ſe contineat rationem ſapientiæ.

Congruè dici Patrem principiũ totius Deitatis, magis quàm Trinitatis.

SECVNDA PARS *propoſitæ* quæſtionis erat: quo ſenſu verum ſit dictum illud Auguſt. *in 4. de Trin. cap. 20.* Pater eſt principium totius Deitatis: C quæ propoſitio prius fuit Dion. *in 3. cap. de diuinis nominibus*, quem ſequuti ſunt Athanaſ. *in oratione contra Gregales Sabellij*, Nazianzenus *in ſermone de ſtatu Epiſcoporum*, Concilium Toletanum VI. & XI. *in Confeſſione fidei*, Concilium Florent. *ſeſſione 24. in litteris vnionis*. Eius intelligentiam tradit Magiſter *in 1. diſt. 29.* & latius S. Th. *infra q. 39. a. 5. ad 6.* & *in fine dictæ diſtinctionis in expoſitione textus*: ex quo loco deſumpſere iuniores omnes ſuas expoſitiones. Ait ergo S. D. Deitatem in dicto pronunciato dupliciter ſumi poſſe; Vno modo pro eſſentia diuina & ſic totum non dicit integritatem partium ſed perfectionem naturæ: & dicitur Pater eſſe principium totius Deitatis, non quia Deitatem generet vel ſpiret, ſed quia diuinitatem communicat generando vel ſpirando; D vt ſit ſenſus: eſt principiũ Deitatis id eſt vt Deitas habeatur ſecundum omnem modum, quo cõmunicabilis eſt. Alio modo poteſt ſumi Deitas pro vniuerſitate perſonarum diuinarum; & fit planior ſenſus, nimirum: Pater eſt principium totius Deitatis, id eſt, aliarum omnium perſonarum: ſicuti punctum dicitur principium totius lineæ, quamuis ſuijpſius principiũ non ſit: & hoc eſt etiam, quod ibi Magiſter exponens ait Patrem eſſe principium totius Deitatis: quia non habet de quo ſit, vel de quo procedat, ſed ab eo Filius eſt genitus, & Spiritus S. procedit in quibus eſt tota diuinitas.

Reijcitur ſententia Bann. & Mol.

Et quamuis Ban. Mol. & alij dictum illud affirment in rigore eſſe improprium & falſum: nõ E ita tamẽ abſolutè loquendum exiſtimo, ob ſummam quę Patribus & Concilijs debetur reuerentiam; cùm præſertim abſque vlla verborum extorſione aut violentia, duas valdè planas habeat expoſitiones ſuperius poſitas, quæ proprium mihi videntur dictæ propoſitionis ſenſum exprimere, vt magis patebit ex dicendis infra *q. 41.*

Sed paulò durius videtur eſſe dictum Concilij Vormatienſis *in confeſſ. fidei*, vbi Patrem appellat principium totius Trinitatis. Cuius tamen facilis eſt intellectus ex iam dictis: eſt enim Pater principium totius Trinitatis, non extrinſecum ſed intrinſecum: ſicut punctum lineę; & vt prima perſona quæ eſt aliarum fons atque principium.

Simpliciter tamen videtur impropria & in rigore falſa hæc propoſitio, & ideo non vſurpanda, ſed pie exponenda. *Soli Patri nomen aut bonis proprie conuenire.*

POSTREMA PARS *eſt*: An Patri ſoli conueniat nomen authoris? S. D. *in 1. diſt. 29. q. 1. a. 1.* negat Filio conuenire nomen authoris, ob eam cauſam, quòd de ratione authoris eſt, vt ſit principium non de principio: quam rationem hic affert Ca. aduerſus Aureol. & ſequitur Suar. *de Trin. lib. 8. c. vlt.* qui tamen falsò allegat S. Th. *in hoc a.* Sed oppoſitam ſententiam ſequitur Ban. Zum. Mol. & Vaſq. *ſuper hoc a.* negantes eſſe de ratione authoris, vt ſit principium non de principio.

Ripa dubius incedens duo dicit. *Primum* eſt: Vocem authoris ſignificare principium non ab alio, iuxta materiam de qua fuerit ſermo, vt authores elucubrationum, ciuitatum aut familiarum dicuntur, qui in iſtis componendis, ædificãdis & adminiſtrandis non ab alio pendent; quamuis alia ratione puta vt filij, vt homines non ſint primi; & hoc inquit modo recentiorum argumenta delebis. *Secundum* eſt: D. Th. *inf. q. 36. a. 4. ad 7.* nomen authoris de perſona Filij admittere cum Hilario dicente Spiritum S. eſſe à Patre & Filio authoribus. Sed hæc parum aut nihil fauent prædictæ ſententiæ; nam in re propoſita Filius à Patre recipit virtutem ſpirandi & conſequenter ex dicta vocis interpretatione tantum abeſt, vt deleri valeant argumenta, vt maius inde potius robur accipiant. Neque S. D. infra nomen authoris admittit, etſi propter Hilarij reuerentiam illud non neget, ſed exponendum affirmat ſubſtantiuum pro adiectiuo: nihil interim decernens de vocis proprietate, vtpotè nihil ad illum locum pertinente, & de qua ſatis egerat *in 1.*

Dicendum itaque videtur cum AEgidio *in 1. diſt. 29. q. 1. a. 1.* authoré non dici propriè, niſi eum, qui principaliter producit. Nam authoritatiuè facere, eſt principaliter facere: in quo ſenſu eſt vſu frequenti apud Ciceronem & alios Latinæ linguæ peritos. Aliquando tamen communiter ſumitur author pro eo, quod eſt alterius productiuum, etiamſi vim ab alio recipiat producendi; & in hoc ſenſu dixit Hilarius Spiritum S. à Patre & Filio authoribus conſitendum eſſe.

Concluſiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Principium, & cauſa communiſſimè ſumpta ſecundum Ariſt. cõuertuntur ad inuicẽ.*

SECVNDA CONCL. *Principium Analogicè dicitur in Deo reſpectu perſonarum: & reſpectu creaturarum; & per prius reſpectu perſonarum, quàm reſpectu creaturarum.*

TERTIA CONCL. *In Eccleſia Latina non eſt dicendum Patrem eſſe cauſam Filij: neque Patrem & Filium Spiritus S.*

QVARTA CONCL. *Rectè ac ſatis propriè dicitur Patrem eſſe principium totius Deitatis: quamuis impropriè dicatur principium Trinitatis.*

VLTIMA CONCL. *Nomen authoris ſoli Patri, non autem Filio propriè conuenit.*

Argumenta, & ſolutiones.

CONTRA *primam concl.* ſunt argumen. Fonſ. Suar. Vaſq. & aliorum, quæ facilem habent ex dictis ſolutionem.

CONTRA *ſecundam* concluſ. ſunt argum. à D. Th. *in 1.* & prædictis authoribus propoſita & ſoluta.

CONTRA *tertiam* ſunt argum. quæ producunt & ſoluunt Zum. Mol. Vaſq. & Suar.

CONTRA *quartam* ſunt argumenta, quæ D. Th. *in 1.* & recentiores prædicti adducunt & ſoluunt.

CONTRA *vltimam* argum. Bann. Zum. Mol. & alij. Pater Platonis dicitur eius author, cùm tamẽ ipſe fuerit ex alio principio; ergo, *Reſp.* falſum eſſe an-

ob 1. con. vlt. concl. Sol.

se antec. propriè loquendo; quamuis extenso authoris vocabulo dici possit.

Obi. 2. *Secundò* argu. Mol. Aug. *lib. 3. contra Maximinum cap. 14.* sic ait: *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor, & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere filium patremque maiorem, nec eiusdem substantiæ filium, cuius est Pater, detestabor, & respuam.* Ergo nomen authoris dicitur de aliquo, etiamsi fuerit ex alio principio. Solut. *Resp.* nullam esse conseq. supponit enim Aug. Patrem esse primum principium, & ideo verba illa, *quia iste de illo est &c.* non dicunt rationem præcisam, sed primitatem supponunt.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum hoc nomen Pater, sit nomen propriè diuinæ personæ.

186 Inf q 40. a. 2. cor. & 3 q. 60 a 7. ad 2. & 4. dist 3. a. 2. q. 1. ad 5. AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd hoc nomen pater, non sit propriè nomen diuinæ personæ. Hoc enim nomen pater, significat relationem. Persona autem est substantia individua. Non ergo hoc nomen, pater, est propriè nomen significatiuum personæ.*

2 Præterea. Generans communius est quàm pater. Nam omnis pater est generans, sed non è conuerso. Sed nomen cõmunius magis propriè dicitur in diuinis, vt dictum est. Ergo magis proprium nomen est persona diuinæ generans & genitor, quàm pater. q. 13. a. 11.

3 Præterea. Nihil quod secundum metaphoram dicitur, potest esse nomen proprium alicuius. Sed verbũ metaphoricè apud nos dicitur genitum vel proles: & per consequens ille cuius est verbum, metaphoricè dicitur pater. Non ergo principium verbi in diuinis potest propriè dici pater.

4 Præterea. Omne quod dicitur in diuinis, per prius dicitur de Deo quàm de creaturis: sed generatio per prius videtur dici de creaturis quàm de Deo. verior enim ibi videtur esse generatio, vbi aliquid procedit ab alio distinctum, non secundum relationem tantum, sed etiam secundum essentiam. Ergo nomen patris quod à generatione sumitur, non videtur esse proprium alicuius diuinæ personæ.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm. Ipse inuocabit me, pater meus es tu.

Respondeo. Dicendum, quòd nomen proprium cuiuslibet personæ significat id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus alijs. Sicut enim de ratione hominis est anima & corpus, ita de intellectu huius hominis est hæc anima, & hoc corpus, vt dicitur in 7. Meta. Lib 7 Met text. 34. & 35 tom 3. *His autem, hic homo ab omnibus alijs distinguitur. Id autem per quod distinguitur persona patris ab omnibus alijs, est paternitas. Vnde proprium nomen personæ patris est hoc nomen, pater, quod significat paternitatem.*

Ad primum ergo dicendum, quòd apud nos relatio non est subsistens persona. Et ideo hoc nomen pater, apud nos, non significat personam, sed relationem personæ: non autem est ita in diuinis, vt quidam falsò opinati sunt. nam relatio quàm significat hoc nomen, pater, est subsistens persona. 166

Vnde supra dictum est, quòd hoc nomen, persona, in diuinis significat relationem, vt subsistentem in diuina natura. D. 29. a 4.

Ad Secundum dicendum, quòd secundum Philosophum in secundo de anima, Denominatio rei maximè debet fieri à perfectione & fine. Lib 2. text. 44. to. 4.

Generatio autem significat vt in fieri. sed paternitas significat complementum generationis: & ideò potius est nomen diuinæ personæ pater, quàm generans, vel genitor.

A *Ad Tertium dicendum, quòd verbum non est aliquid subsistens in natura humana. Vnde non propriè potest dici genitum vel filius.*

Sed verbum diuinum est aliquid subsistens in natura diuina. c *Vnde propriè & non metaphoricè dicitur* 162 *filius, & eius principium pater.*

Ad Quartum dicendum, quòd nomen generationis, & paternitatis, sicut & alia nomina, quæ propriè dicuntur in diuinis, per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quantum ad rem d *significatam, licèt non* D. 107. *quantum ad modum significandi.* e 73

Vnde & Apostol. dicit ad Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Quod sic ap-

B *paret. Manifestum est enim, quòd generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati. Et quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior & perfectior est generatio. Sicut generatio vniuoca est perfectior, quàm non vniuoca. Nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundum formam. Vnde hoc ipsum, quod in generatione diuina est eadem numero forma generantis & geniti: in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantùm,* e *ostendit, quòd generatio, & per* 161 a b c *consequens paternitas, per prius sit in Deo quàm in creaturis. Vnde hoc ipso, quòd in diuinis est distinctio geniti à generante secundum relationem tantùm, ad*

C *veritatem diuinæ generationis & paternitatis pertinet.*

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat egregiè Cai. quem cæteri sequuntur interpretes. Solus Vasq. Turrianum sibi quasi patronum ostendens, dictionem illam *propriè*, contendit hic tantum sumi, prout distinguitur contra communiter, non verò vt distinguitur contra metaphoricè aut extraneè, Nam *ex q. 13.* satis colligitur (inquit) an nomen Patris de Deo dicatur Metaphoricè. *Sed in primis Torres*, quanquam affirmet dictionem illam primo modo sumi, cæteros tamen nõ excludit; deinde doctrina illa generalis de diuinis nominibus non sufficit ad singulas difficultates in qualibet materia dissoluendas; multæ e- Vasq. opinio Confut.

D nim ex proprijs rerum naturis emergunt, quę ex earundem quidditatibus sunt diluendæ. Præterea tertium argumentum expresè militat contra secundum sensum, & alia omnia magis tangunt tertium quàm primum illius dictionis intellectum, vt patet intuenti; & in eodem sensu procedit argumentum quo probatur conclusio: loquitur enim de distinctiuo hypostaticè: hoc verò est quid intraneum veluti forma constitutiua.

Forma Textus.

CONCL. *est. Pater est nomen proprium personæ Patris.* Probatur: Nomen significans id per quod persona quælibet distinguitur ab omnibus alijs, est illius proprium; at pater significat pater-

E nitatem, per quam distinguitur persona patris ab omnibus alijs; Ergo Pater est nomen proprium personæ Patris. Maior probatur exemplo hominis singularis cuius nomen, puta Sortes, ideò est eius proprium quia significat hanc animam & hoc corpus, quibus hic homo ab alijs distinguitur; Ergo similiter nomen significans id per quod persona quælibet &c. Antecedens probatur; quia sicut de ratione hominis est anima & corpus, ita de intellectu huius hominis est hæc anima, & hoc corpus.

Expositio Textus.

DVBITATIONEM hic excitat Cai. de sensu maioris & minoris: an s. loquatur S.D. de significatione formali & actuali, an de materiali &c. I dubit.

po-

Zumell. & Mol. *disp. 3.* & Fonſ. *lib. 5. Meth. c. 1. q. 7. ſect. 2.*

Hic vnum aduerte, nimirum Cai. interpretari dictum illud Auguſt. *7. de Trin. c. 4.* Illud, quod eſt ei cauſa vt ſit, eſt ei cauſa vt ſapiens ſit, vt intelligatur de eſſentialibus & de cauſa ſecundum rationem; quâ expoſitionem arguit Zumell. quia pater non eſt cauſa id eſt ratio ſuijpſius & ſuæ ſapientiæ; igitur dictum Aug. & alia ſimilia SS. Patrum explicãda ſunt negatiuè, vt ſit ſenſus: Pater eſt origo ſui & cauſa ſuæ ſubſtantiæ; quia non eſt ab alio, nec habet originem, neque aliquam cauſam ſui. Sed quamuis hæc expoſitio bona ſit, immeritò tamen reijcitur interpretatio Cai. quamuis enim Pater non ſit cauſa ſui eſſe nec ſapientiæ B ſuæ, continet tamen in ſe rationem ſui eſſe & ſuæ ſapientiæ. Nam eius eſſentia eſt ratio illius exiſtentiæ, & ſumma actualitas in genere entium & in genere intelligibilium eſt ratio ſapientiæ. Nec affirmat Cai. Patrem eſſe rationem ſui eſſe & ſuæ ſapientiæ, vt imponit ei Zumell. Sicut ergo Pater non eſt cauſa ſuæ æternitatis, ſed tamen continet in ſe immutabilitatem, quæ ratio eſt æternitatis: ita non eſt cauſa ſuæ ſapientiæ, cùm tamen in ſe contineat rationem ſapientiæ.

Congruè dici Patrem principiũ totius Deitatis, magis quàm Trinitatis.

SECVNDA PARS *propoſitæ* quæſtionis erat: quo ſenſu verum ſit dictum illud Auguſt. *in 4. de Trin. cap. 20.* Pater eſt principium totius Deitatis: C quæ propoſitio prius fuit Dion. *in 3. cap. de diuinis nominibus*, quem ſequuti ſunt Athanaſ. *in oratione contra Gregales Sabellij*, Nazianzenus *in ſermone de ſtatu Epiſcoporum*, Concilium Toletanum VI. & XI. *in Confeſſione fidei*, Concilium Florent. *ſeſſione 24. in litteris vnionis*. Eius intelligentiam tradit Magiſter *in 1. diſt. 29.* & latius S. Th. *infra q. 39. a. 5. ad 6.* & *in fine dictæ diſtinctionis in expoſitione textus*: ex quo loco deſumpſere iuniores omnes ſuas expoſitiones. Ait ergo S. D. Deitatem in dicto pronunciato dupliciter ſumi poſſe; Vno modo pro eſſentia diuina & ſic totum non dicit integritatem partium ſed perfectionem naturæ: & dicitur Pater eſſe principium totius Deitatis, non quia Deitatem generet vel ſpiret, ſed quia diuinitatem communicat generando vel ſpirando; D vt ſit ſenſus: eſt principiũ Deitatis id eſt vt Deitas habeatur ſecundum omnem modum, quo cõmunicabilis eſt. Alio modo poteſt ſumi Deitas pro vniuerſitate perſonarum diuinarum; & fit planior ſenſus, nimirum: Pater eſt principium totius Deitatis, id eſt, aliarum omnium perſonarum: ſicuti punctum dicitur principium totius lineæ, quamuis ſuijpſius principiũ non ſit: & hoc eſt etiam, quod ibi Magiſter exponens ait Patrem eſſe principium totius Deitatis: quia non habet de quo ſit, vel de quo procedat, ſed ab eo Filius eſt genitus, & Spiritus S. procedit in quibus eſt tota diuinitas.

Reijcitur ſententia Bann. & Mol.

Et quamuis Ban. Mol. & alij dictum illud affirment in rigore eſſe improprium & falſum: nõ E ita tamẽ abſolutè loquendum exiſtimo, ob ſummam quę Patribus & Concilijs debetur reuerentiam; cùm præſertim abſque vlla verborum extorſione aut violentia, duas valdè planas habeat expoſitiones ſuperius poſitas, quæ proprium mihi videntur dictæ propoſitionis ſenſum exprimere, vt magis patebit ex dicendis infra *q. 41.*

Sed paulò durius videtur eſſe dictum Concilij Vormatienſis *in confeſſ. fidei*, vbi Patrem appellat principium totius Trinitatis. Cuius tamen facilis eſt intellectus ex iam dictis: eſt enim Pater principium totius Trinitatis, non extrinſecum ſed intrinſecum: ſicut punctum lineę; & vt prima perſona quæ eſt aliarum fons atque principium.

Simpliciter tamen videtur impropria & in rigore falſa hæc propoſitio, & ideo non vſurpanda, ſed pie exponenda. *Soli Patri nomen aut bonis proprie conuenire.*

POSTREMA PARS *eſt*: An Patri ſoli conueniat nomen authoris? S. D. *in 1. diſt. 29. q. 1. a. 1.* negat Filio conuenire nomen authoris, ob eam cauſam, quòd de ratione authoris eſt, vt ſit principium non de principio: quam rationem hic affert Ca. aduerſus Aureol. & ſequitur Suar. *de Trin. lib. 8. c. vlt.* qui tamen falsò allegat S. Th. *in hoc a.* Sed oppoſitam ſententiam ſequitur Ban. Zum. Mol. & Vaſq. *ſuper hoc a.* negantes eſſe de ratione authoris, vt ſit principium non de principio.

Ripa dubius incedens duo dicit. *Primum* eſt: Vocem authoris ſignificare principium non ab alio, iuxta materiam de qua fuerit ſermo, vt authores elucubrationum, ciuitatum aut familiarum dicuntur, qui in iſtis componendis, ædificãdis & adminiſtrandis non ab alio pendent; quamuis alia ratione puta vt filij, vt homines non ſint primi; & hoc inquit modo recentiorum argumenta delebis. *Secundum* eſt: D. Th. *inf. q. 36. a. 4. ad 7.* nomen authoris de perſona Filij admittere cum Hilario dicente Spiritum S. eſſe à Patre & Filio authoribus. Sed hæc parum aut nihil fauent prædictæ ſententiæ; nam in re propoſita Filius à Patre recipit virtutem ſpirandi & conſequenter ex dicta vocis interpretatione tantum abeſt, vt deleri valeant argumenta, vt maius inde potius robur accipiant. Neque S. D. infra nomen authoris admittit, etſi propter Hilarij reuerentiam illud non neget, ſed exponendum affirmat ſubſtantiuum pro adiectiuo: nihil interim decernens de vocis proprietate, vtpotè nihil ad illum locum pertinente, & de qua ſatis egerat *in 1.*

Dicendum itaque videtur cum AEgidio *in 1. diſt. 29. q. 1. a. 1.* authoré non dici propriè, niſi eum, qui principaliter producit. Nam authoritatiuè facere, eſt principaliter facere: in quo ſenſu eſt vſu frequenti apud Ciceronem & alios Latinæ linguæ peritos. Aliquando tamen communiter ſumitur author pro eo, quod eſt alterius productiuum, etiamſi vim ab alio recipiat producendi; & in hoc ſenſu dixit Hilarius Spiritum S. à Patre & Filio authoribus conſitendum eſſe.

Concluſiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Principium, & cauſa communiſſimè ſumpta ſecundum Ariſt. cõuertuntur ad inuicẽ.*

SECVNDA CONCL. *Principium Analogicè dicitur in Deo reſpectu perſonarum: & reſpectu creaturarum; & per prius reſpectu perſonarum, quàm reſpectu creaturarum.*

TERTIA CONCL. *In Eccleſia Latina non eſt dicendum Patrem eſſe cauſam Filij: neque Patrem & Filium Spiritus S.*

QVARTA CONCL. *Rectè ac ſatis propriè dicitur Patrem eſſe principium totius Deitatis: quamuis impropriè dicatur principium Trinitatis.*

VLTIMA CONCL. *Nomen authoris ſoli Patri, non autem Filio propriè conuenit.*

Argumenta, & ſolutiones.

CONTRA *primam concl.* ſunt argumen. Fonſ. Suar. Vaſq. & aliorum, quæ facilem habent ex dictis ſolutionem.

CONTRA *ſecundam* concluſ. ſunt argum. à D. Th. *in 1.* & prædictis authoribus propoſita & ſoluta.

CONTRA *tertiam* ſunt argum. quæ producunt & ſoluunt Zum. Mol. Vaſq. & Suar.

CONTRA *quartam* ſunt argumenta, quæ D. Th. *in 1.* & recentiores prædicti adducunt & ſoluunt.

CONTRA *vltimam* argum. Bann. Zum. Mol. & alij. Pater Platonis dicitur eius author, cùm tamẽ ipſe fuerit ex alio principio; ergo, *Reſp.* falſum eſſe an-

ob 1. con. vlt. concl. Sol.

se antec. propriè loquendo; quamuis extenso authoris vocabulo dici possit.

Obi. 2. *Secundò* argu. Mol. Aug. *lib. 3. contra Maximinum cap. 14.* sic ait: *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor, & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere filium patremque maiorem, nec eiusdem substantiæ filium, cuius est Pater, detestabor, & respuam.* Ergo nomen authoris dicitur de aliquo, etiamsi fuerit ex alio principio. Solut. *Resp.* nullam esse conseq. supponit enim Aug. Patrem esse primum principium, & ideo verba illa, *quia iste de illo est &c.* non dicunt rationem præcisam, sed primitatem supponunt.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum hoc nomen Pater, sit nomen propriè diuinæ personæ.

186 Inf q 40. a. 2. cor. & 3 q. 60 a 7. ad 2. & 4. dist 3. a. 2. q. 1. ad 5. AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd hoc nomen pater, non sit propriè nomen diuinæ personæ. Hoc enim nomen pater, significat relationem. Persona autem est substantia individua. Non ergo hoc nomen, pater, est propriè nomen significatiuum personæ.*

2 Præterea. Generans communius est quàm pater. Nam omnis pater est generans, sed non è conuerso. Sed nomen cõmunius magis propriè dicitur in diuinis, vt dictum est. Ergo magis proprium nomen est persona diuinæ generans & genitor, quàm pater. q. 13. a. 11.

3 Præterea. Nihil quod secundum metaphoram dicitur, potest esse nomen proprium alicuius. Sed verbũ metaphoricè apud nos dicitur genitum vel proles: & per consequens ille cuius est verbum, metaphoricè dicitur pater. Non ergo principium verbi in diuinis potest propriè dici pater.

4 Præterea. Omne quod dicitur in diuinis, per prius dicitur de Deo quàm de creaturis: sed generatio per prius videtur dici de creaturis quàm de Deo. verior enim ibi videtur esse generatio, vbi aliquid procedit ab alio distinctum, non secundum relationem tantum, sed etiam secundum essentiam. Ergo nomen patris quod à generatione sumitur, non videtur esse proprium alicuius diuinæ personæ.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm. Ipse inuocabit me, pater meus es tu.

Respondeo. Dicendum, quòd nomen proprium cuiuslibet personæ significat id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus alijs. Sicut enim de ratione hominis est anima & corpus, ita de intellectu huius hominis est hæc anima, & hoc corpus, vt dicitur in 7. Meta. Lib 7 Met text. 34. & 35 tom 3. *His autem, hic homo ab omnibus alijs distinguitur. Id autem per quod distinguitur persona patris ab omnibus alijs, est paternitas. Vnde proprium nomen personæ patris est hoc nomen, pater, quod significat paternitatem.*

Ad primum ergo dicendum, quòd apud nos relatio non est subsistens persona. Et ideo hoc nomen pater, apud nos, non significat personam, sed relationem personæ: non autem est ita in diuinis, vt quidam falsò opinati sunt. nam relatio quàm significat hoc nomen, pater, est subsistens persona. 166

Vnde supra dictum est, quòd hoc nomen, persona, in diuinis significat relationem, vt subsistentem in diuina natura. D. 29. a 4.

Ad Secundum dicendum, quòd secundum Philosophum in secundo de anima, Denominatio rei maximè debet fieri à perfectione & fine. Lib 2. text. 44. to. 4.

Generatio autem significat vt in fieri. sed paternitas significat complementum generationis: & ideò potius est nomen diuinæ personæ pater, quàm generans, vel genitor.

A *Ad Tertium dicendum, quòd verbum non est aliquid subsistens in natura humana. Vnde non propriè potest dici genitum vel filius.*

Sed verbum diuinum est aliquid subsistens in natura diuina. c *Vnde propriè & non metaphoricè dicitur* 162 *filius, & eius principium pater.*

Ad Quartum dicendum, quòd nomen generationis, & paternitatis, sicut & alia nomina, quæ propriè dicuntur in diuinis, per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quantum ad rem d *significatam, licèt non* D. 107. *quantum ad modum significandi.* e 73

Vnde & Apostol. dicit ad Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Quod sic ap-

B *paret. Manifestum est enim, quòd generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati. Et quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior & perfectior est generatio. Sicut generatio vniuoca est perfectior, quàm non vniuoca. Nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundum formam. Vnde hoc ipsum, quod in generatione diuina est eadem numero forma generantis & geniti: in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantùm,* e *ostendit, quòd generatio, & per* 161 a b c *consequens paternitas, per prius sit in Deo quàm in creaturis. Vnde hoc ipso, quòd in diuinis est distinctio geniti à generante secundum relationem tantùm, ad*

C *veritatem diuinæ generationis & paternitatis pertinet.*

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat egregiè Cai. quem cæteri sequuntur interpretes. Solus Vasq. Turrianum sibi quasi patronum ostendens, dictionem illam *propriè*, contendit hic tantum sumi, prout distinguitur contra communiter, non verò vt distinguitur contra metaphoricè aut extraneè, Nam *ex q. 13.* satis colligitur (inquit) an nomen Patris de Deo dicatur Metaphoricè. *Sed in primis Torres*, quanquam affirmet dictionem illam primo modo sumi, cæteros tamen nõ excludit; deinde doctrina illa generalis de diuinis nominibus non sufficit ad singulas difficultates in qualibet materia dissoluendas; multæ e- Vasq. opinio Confut.

D nim ex proprijs rerum naturis emergunt, quę ex earundem quidditatibus sunt diluendæ. Præterea tertium argumentum expresè militat contra secundum sensum, & alia omnia magis tangunt tertium quàm primum illius dictionis intellectum, vt patet intuenti; & in eodem sensu procedit argumentum quo probatur conclusio: loquitur enim de distinctiuo hypostaticè: hoc verò est quid intraneum veluti forma constitutiua.

Forma Textus.

CONCL. *est. Pater est nomen proprium personæ Patris.* Probatur: Nomen significans id per quod persona quælibet distinguitur ab omnibus alijs, est illius proprium; at pater significat pater-

E nitatem, per quam distinguitur persona patris ab omnibus alijs; Ergo Pater est nomen proprium personæ Patris. Maior probatur exemplo hominis singularis cuius nomen, puta Sortes, ideò est eius proprium quia significat hanc animam & hoc corpus, quibus hic homo ab alijs distinguitur; Ergo similiter nomen significans id per quod persona quælibet &c. Antecedens probatur; quia sicut de ratione hominis est anima & corpus, ita de intellectu huius hominis est hæc anima, & hoc corpus.

Expositio Textus.

DVBITATIONEM hic excitat Cai. de sensu maioris & minoris: an s. loquatur S.D. de significatione formali & actuali, an de materiali &c. I dubit.

po-

potentiali: *& respondet* hic sermonem esse de significatione formali & actuali, qua hoc nomen Pater vt primum analogatum, significat constitutiuum & distinctiuũ primę personę diuinæ Trinitatis. Verùm, cũ nomen patris in titulo, ac proinde etiam in conclusione ipsomet exponente Cai. sumatur, prout admittitur in diuina Trinitate, id est vt patrem significat constitutum personaliter paternitate, vt hypostatica forma, nullius necessitatis & exiguæ vtilitatis videtur esse dubitatio.

2. Dubitatio.

Sed hic aliæ duę paulò maiores sese offerunt difficultates. Prior est: Cur paternitas sit prima diuinæ personæ proprietas, illius ad modum formæ substantialis seu hypostaticæ constitutiua?

Solutio.

Cui breuiter satisfit dicendo diuinam naturam ex B sua infinita fœcunditate pluribus suppositis communicabilem, hoc sibi naturaliter ac necessariò vendicare, vt secundum ordinem quendam originis, (qui non nisi per actiones immanentes scilicet intellectus & voluntatis potest in Deo, qui per essentiam intellectualis est considerari,) sit eadem numero diuina natura in tribus personis; diximus autem supra iuxtà duas actiones immanentes, duas esse processiones in diuinis: & eam quæ est per voluntatẽ, præsupponere eam quę est per intellectum: & secundum quamlibet processionẽ duas attendi relationes, secundum quas solas potest in diuinis realis esse distinctio. Igitur diuinæ personæ sicut distinguuntur ita cõstituũtur relationibus inter quas C prima est paternitas: quæ quamuis, vt relatio est in actu exercito, præsupponat generationem, & in ea fundetur; quatenus tñ est hypostatica forma primæ personæ constitutiua, generationem ipsam, præcedit, vt terminus naturalissimus ipsius diuinæ naturæ; sicut personalitas Petri præcedit omnem eius operationem. Nec est quęrendum aliquod paternitatis sic acceptę fundamentũ: quoniã vt sic nõ sumitur vt relatio in actu exercito, sed vt hypostatica forma & vt subsistens, de cuius ratione est, vt secũ ferat suum fundamẽtum, id est vt non egeat alio ab ea formaliter distincto fundamento, aut ratione fundandi. Et hoc fortè voluit significare Scotus *in 1. distin. 28.* vel alij ab eo relati, quos impugnat Zum. *in 4. a.* D *huius q.*

Posterior difficultas est de sensu & veritate verborum Apostoli *ad Eph. 3.* quæ refert hic S. D. *ad 4.* Hæc vero sunt: *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* De quibus hoc in loco disputant Torres & Zum. ad quos lectorem remittimus. Vide etiam Ferrariensem *in 1. cont. gentiles c. 34. §. Potest 2.* &c. Vbi difficultatem expedit à prædictis propositam & ab eis minus benè solutam.

Articvlvs Tertivs. E

Vtrum hoc nomen, pater, dicatur in diuinis per prius secundum quòd personaliter sumitur.

187. 1. distin. 2.

AD *Tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen, pater, non dicatur in diuinis per prius, secundum quod personaliter sumitur. Commune enim secundum intellectum est prius proprio: sed hoc nomen pater, secundum quòd personaliter sumitur, est proprium personæ patris: secundum verò quòd sumitur essentialiter, est commune toti trinitati. nam toti trinitati dicimus, pater noster. Ergo per prius dicitur pater essentialiter sumptum, quàm personaliter.*

2. *Præterea. In his quæ sunt eiusdem rationis, non est prædicatio per prius & posterius. Sed paternitas & filiatio secundum vnam rationem videntur dici secundum quòd persona diuina est pater filij, & secundũ quòd tota trinitas est pater noster vel creaturæ, cùm secundum* Basilium: accipere sit commune creaturæ, & filio. Ergo non per prius dicitur pater in diuinis secundum quòd sumitur essentialiter, quàm secundum quòd sumitur personaliter.* * 10. 1 in hom. de fide, quæ est 15. circ. med.

3 *Præterea. Inter ea quæ non dicuntur secundum rationem vnam, non potest esse comparatio. Sed filius comparatur creaturæ in ratione filiationis, vel generationis, secundum illud Collo. 1. Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Ergo non per prius dicitur in diuinis paternitas personaliter sumpta, quàm essentialiter, sed secundum rationem* B *eandem.*

Sed contra est, quòd æternum prius est temporali. Ab æterno autem Deus est pater filij, ex tempore autem pater est creaturæ. Ergo per prius dicitur paternitas in Deo respectu filij, quàm respectu creaturæ.

Respondeo. Dicendum, quòd per prius dicitur nomen de illo in quo saluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo in quo saluatur secundum aliquid. De hoc enim dicitur quasi per similitudinem ad id, in quo perfectè saluatur: quia omnia imperfecta sumuntur à perfectis. Et inde est, quod hoc nomen, leo, per prius dicitur animali, in quo tota ratio leonis saluatur, quod propriè dicitur leo, quàm de aliquo homine, in quo inuenitur aliquid de ratione leonis, vt puta audacia, vel fortitudo, vel aliquid huiusmodi: de hoc enim per similitudinem dicitur, Manifestum est autem C *ex præmissis,* quòd perfecta ratio paternitatis & filiationis inuenitur in Deo patre & Deo filio, quia patris, & filij vna est natura & gloria. Sed in creatura filiatio inuenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem: cùm non sit vna natura creatoris, & creaturæ, sed secundum aliqualem similitudinem. quæ quantò perfectior fuerit, tanto propinquius accedit ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ pater, propter similitudinem vestigij tantum, vtpote irrationalium creaturarum: secundum illud Iob. 38. Quis est pluuiæ pater? aut quis genuit stillas roris? Alicuius verò creaturæ, scilicet rationalis secundum similitudinem imaginis: secundum illud Deute. 32. Nonne ipse est pater tuus qui possedit,* D *& fecit, & creauit te? Aliquorum verò est pater secundum similitudinem gratiæ. qui etiam dicuntur filij adoptiui, secundum quòd ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum: secundum illud Ro. 8. Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei. si aũt filij, & hæredes. Aliquorum verò secundum similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident, secundum illud Roman. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Sic igitur patet, quòd per prius paternitas dicitur in diuinis secundum quòd importatur respectus personæ ad personam, quàm secundum quòd importatur respectus Dei ad creaturam.* q. 27. art. 2. & q. 28 ar. 4.

Ad Primum ergo dicendum, quòd communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri, sunt priora quàm propria; quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso. In intellectu enim personæ patris intelligitur Deus, sed non conuertitur. Sed communia quæ important respectum ad creaturam per posterius dicuntur, quàm propria, quæ important respectus personales: quia persona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice, quàm artificiatum quod producitur ad similitudinem verbi concepti in mente: ita per prius procedit filius à patre, quàm creatura, de qua nomen filiationis dicitur secundum quòd ali-

quid participat de similitudine filij vel patris: vt patet per illud quod dicitur Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinauit fieri conformes imaginis filij eius.

*Ad Secundum dicendum, quòd accipere dicitur esse commune creaturæ & filio, non secundum vniuocationem, sed secundum similitudinem quandam remotam: ratione cuius dicitur primogenitus creaturæ. Vnde in authoritate inducta subditur: Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, postquam dixerat conformes fieri aliquos imaginis filij Dei. Sed filius Dei naturaliter habet quoddam singulare præ alijs, scilicet habere per naturam id quod accipit: vt idem Basilius * dicit. Et secundum hoc dicitur vnigenitus: vt patet Ioan. 1. Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse nobis enarrauit: & per hoc patet solutio ad tertium.*

Sensus quæsiti.

NOMEN prioritatis hic aduertit Cai. directè sumi, pro prioritate secundum naturæ ordinem, quem inter intentiones seu rationes nominibus significatas attendimus, vt videre est *in 5. Meth.* vbi explicantur & ordinantur voces Metaphysice, quo ad rationes earum proprias. Sensus igitur quæsiti est: an ratio Patris nomine significata personaliter dicta sit naturæ ordine prior intentio talis nominis, quàm eiusdem ratio essentialiter. Hanc expositionem vt nimis Metaphysicam reprehendit Torres, qui tamen non aliam sed eandem affert, vt sibi propriam ac singularem.

Sylu. prioritatem hanc intelligit secundum C ordinem perfectionis. Iauel. addit significare etiam prioritatem naturæ & durationis. Sed hæc expositio manifestè falsa est; nam de prioritate durationis nulla potest esse dubitatio: Et quamuis argumentum ad oppositum ex prioritate durationis probet prioritatē rationis significatæ, nō tamē hinc rectè colligitur quęsitū esse de prioritate durationis; præter quam quòd argumenta, quæ in oppositum solet adducere S. D. fola sępè gaudent probabilitate, & nonnunquā etiam falsum concludunt, & in fine articuli soluuntur. Denique S. Th. loquitur hic de ordine prioritatis, qui tollit vniuocationem & constituit analogiam; constat autem durationis ordinem admittere vniuocationem, vt patet in succesiua indiuiduorum vnius speciei generatione. Quòd autem non quæratur hic prioritas perfectionis, ex eo liquet, quòd ex hac prioritate probat S. D. eam, quæ secundum naturæ ordinem est inter intentiones, seu rationes nominum patris personaliter, & patris essentialiter dicti. Reliqua ad tituli sensum pertinentia lege apud Cai. quem alij sequuntur interpretes.

Forma Textus.

" CONCL. *est. Pater per prius dicitur in diuinis* " *personaliter, quàm essentialiter.* Probatur. Per prius dicitur ratio nominis de illo, in quo saluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo in quo saluatur secundum aliquid; at perfecta E ratio paternitatis & filiationis inuenitur in Deo patre & in Deo filio: in creatura verò filiatio inuenitur respectu Dei non secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam similitudinem; ergo &c. Maior probatur. Primò; quia nomen de illo in quo saluatur eius ratio secundum quid, dicitur quasi per similitudinem ad id, in quo perfectè saluatur; ergo &c. Probatur hoc assumptum: quia omnia imperfecta sumuntur à perfectis. Secundò probatur eadem A maior & assumptum exemplo huius nominis *leo*, quod prius diciturde animali in quo tota ratio leonis saluatur, quod propriè dicitur leo, quā de homine in quo inuenitur aliquid de ratione leonis puta audacia vel fortitudo: quia de hoc per similitudinem dicitur. Minor quo ad primam partem pobatur; quia Patris & Filij in diuinis vna est natura & gloria. Secunda verò pars quo ad partem negantem probatur; quia non est vna natura creatoris & creaturæ. Quo ad partem autem affirmantem probatur ordinando & explicando quatuor gradus similitudinis, nimirum vestigij, imaginis, gratiæ & gloriæ: secundum quos dicitur Deus in sacris litteris creaturæ Pater & creatura eius filia.

Expositio Textus.

B

EX ARTICVLI discursu sequitur hoc nomen Pater in diuinis esse commune patri personaliter & essentialiter dicto, secundum analogiam proportionalitatis metaphoricè dictā: de qua *supra q. 13. a. 5.* ac proinde vnitatem habet conceptus proportionalem, sicut analogum propriè sumptum, vt ibidem ostendimus cū Cai. & consequenter eadem est ratio de hoc nomine principium, prout significat personam diuinam producentem aliam personam, & Deum producentem creaturam; & de hoc nomine pater de Deo dicto respectu personę & respectu creaturę; licet illud analogiam habeat proportionalitatis propriè dictam, hoc autem metaphoricè; significantur enim vtroque cōceptus simpliciter plures proportionalem habentes vnitatem: quamuis materialiter & fundamentaliter rationes principij proportionalem fundantes vnitatem maiorem videantur habere conuenientiam, propter quam nominis proprietatem admittunt. Sed hæc non efficit maiorem conceptus vnitatem; nam tanta est proportionalis vnitas inter extrema, quæ parum materialiter distant, sicut inter ea quę maximè distant. Ex quo patet Turr. quem ex parte sequitur Zumel. notabiliter in Metaphysica defeciſse & sine causa responsionē D. Tho. ad secundum vt minus sufficientem reiecisse. *Nomen Patris quomodo analogū.*

Respons. ad primum explicat optimè Cai. quem recentiores sequuntur. Turr. & post D eum Zumel. prolixam hic instituit disputationem arguendo & replicando, quam lege, si placet.

In eadem responsione aduerte Iauellum hic negare hanc propositionem esse formalem: *Pater est* Deus: quia (inquit) absolutum non prædicatur in recto prædicatione quidditatiua, & formali de relatiuo, cū sint opposita. Et addit Deum esse de intellectu Patris, sumendo Deum in obliquo; quia Pater est quid subsistens paternitate distinctum in Deo. *Sed cum* in integra ratione Patris diuini, prout etiam à nobis concipitur, includatur essentia concretè sumpta, vt latè superius ostendimus *in q. 29. a. 2.* necesse est hanc esse quidditatiuam & formalem: *Pater est Deus*; secus autem sumendo Patrem quo ad relationem præcisè prout distinguitur ab essentia, quomodo non sumitur hic à D. Th. cum ait communia absoluta claudi in intellectu propriorū, sed non è contra: loquitur enim de proprijs secundum integrum & completum eorum conceptum. Probatur autem quod diximus hac euidēti ratione. Quando prædicatur natura in concreto de suo supposito, est prædicatio per se quidditatiua & formalis; vt cum dico, *Petrus est homo*: sed in hac propositione, *Pater* est Deus *Hanc esse per se & formalem, Pater est Deus.*

præ-

prædicatur natura in concreto de suo supposito; ergo est prædicatio quidditatiua & formalis. Maior patet *ex a.3.q.59.& ex 3.p.q.16. a. 1. & a. 2.* Minor est de fide. Sed de hoc iterum redibit sermo *q. 39. a. 6.* vbi mutata sententia nobiscum sentit Iauellus.

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum esse ingenitum, sit patri proprium.

188. 1.dist 13. ar. 4. & dist 26. q. 1 ar. 1. & opus. 1. c. 9.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd esse ingenitum, non sit patri proprium. Omnis enim proprietas ponit aliquid in eo, cuius est proprietas. Sed ingenitus nihil ponit in patre, sed remouet tantum. Ergo non significat proprietatem patris.*

2 Præterea. Ingenitum aut dicitur priuatiuè, aut negatiuè. si negatiuè, tunc quicquid non est genitum, potest dici ingenitum. Sed Spiritus sanctus non est genitus, neque etiam essentia diuina. Ergo ingenitum etiam eis conuenit. & sic non est proprium patri. Si autē priuatiuè sumatur, cum omnis priuatio significet imperfectionem in priuato, sequitur quod persona patris sit imperfecta, quod est impossibile.

3 Præt. Ingenitus in diuinis non significat relationem, quia non dicitur relatiuè: significat ergo substantiam. Ingenitus igitur, & genitus secundum substantiam differunt. Filius autem qui est genitus, non differt à patre secundum substantiam. Pater ergo non debet dici ingenitus.

4 Præt. Proprium est, quod vni soli conuenit. Sed cùm sint plures ab alio procedentes in diuinis, nihil videtur prohibere, quin etiam sint plures ab alio non existentes. Non igitur est proprium patri esse ingenitum.

5 Præt. Sicut pater est principium personæ genitæ, ita & personæ procedentis. Si ergo propter oppositionem quam habet ad personam genitam, proprium patris ponitur esse, quòd sit ingenitus: etiam proprium eius debet poni, quod sit improcessibilis.

Li. 4 de trin. non multū remote à fine lib.

Sed contra est, quod dicit Hilar. 4. de trinit. Est vnus ab vno, scilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in vnoquoque & innascibilitatis & originis.*

Respondeo. Dicendum, quòd sicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium secundum: ita in personis diuinis, in quibus non est prius & posterius, inuenitur principium non de principio, quod est pater, & principium à principio, quod est filius. In rebus autem creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter. Vno quidem modo, inquantum est principium primum, per hoc, quòd habet relationem ad ea quæ ab ipso sunt. Alio modo, inquantum est primum principium, per hoc, quòd non est ab alio. Sic igitur, & pater innotescit quidem paternitate & communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes. Inquantum autem est principium, non de principio, innotescit per hoc, quod non est ab alio. Quod pertinet ad proprietatem

183. *innascibilitatis, c quam significat hoc nomen, Ingenitus.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd innascibilitas, quam significat hoc nomen, Ingenitus, secundum quod est proprietas patris, non dicitur tantum negatiue, sed importat vel vtrumque simul, scilicet quod pater à nullo est, & quod est principium aliorum: vel importat vniuersalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum: quia sic innascibilitas non esset alia proprietas à paternitate & spiratione, sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas, & authoritas, nihil aliud significant in diuinis, quam principium originis & ideo dicendum est secundum Augustī. 5. de Trinit. quòd ingenitus negationem generationis passiuè importat. Dicit enim, quòd tantum valet quod dicitur ingenitus, quantum valet quod dicitur non filius: nec propter hoc sequitur, quòd ingenitus non debeat poni propria notio patris: quia prima & simplicia per negationes notificantur. Sicut dicimus, punctum esse, cuius pars non est. e*

lib. 5 destri. c. 7. in prin. to. 3.

45. a
52. d
431.

Ad Secundum dicendum, quod ingenitum quandoque sumitur negatiuè tantum. Et secundum hoc Hier. dicit Spiritum sanctum esse ingenitum, id est, non genitum. Alio modo potest dici ingenitum aliquo modo priuatiuè, non tamen aliquam imperfectionem importat. Multipliciter enim d dicitur priuatio. Vno modo, quando aliquid non habet, quod natum est habere ab alio, etiamsi ipsum non sit natum habere illud: sicut si lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quam quædam res natæ sunt habere. Alio modo, dicitur priuatio, quādo aliquid non habet, quod natum est habere ab aliquo sui generis, sicut si talpa dicatur cæca. Tertio modo, quando ipsum non habet, quod natum est habere. Et hoc modo priuatio imperfectionem importat. Sic autem ingenitum non dicitur priuatiue de patre, sed secundo modo, prout scilicet aliquod suppositum diuinæ naturæ non est genitum, cuius tamen naturæ aliquod suppositum est genitum. Sed secundum hanc rationem, etiam de Spiritu sancto potest dici ingenitum. Vnde ad hoc, quod sit proprium soli patri, oportet vlterius in nomine ingeniti intelligere, quod conueniat alicui personæ diuinæ, quæ, sit principium alterius personæ, vt sic intelligatur importare negationem in genere principij personaliter dicti in diuinis. Vel vt intelligatur in nomine ingeniti, quod omnino non sit ab alio per generationem. Sic enim nec Spiritui sancto conuenit esse ingenitum: qui est ab alio per processionem, vt persona subsistens: nec etiam diuinæ essentiæ, de qua potest dici, quòd est in filio, vel in Spiritu sancto ab alio, scilicet à patre.*

* Citatur in magi. sent. li. 1. dist. 13. Parag. f. D. 1059.

Ad Tertium dicendum, quòd secundum Damas. Ingenitum vno modo significat idem quod increatum, & sic secundum substantiam dicitur: per hoc enim differt substantia creata ab increata. Alio modo significat id, quod non est genitum. Et sic relatiue dicitur eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis: e sicut non homo ad genus substantiæ, & non album ad genus qualitatis. Vnde, cum genitum in diuinis relationem importet, ingenitum etiam ad relationem pertinet. Et sic non sequitur, quòd pater ingenitus distinguatur à filio genito secundum substantiam, sed solum secundum relationem, in quantum scilicet relatio filij negatur de patre.*

* Lib. 1. de fide orthodoxa. ca. 9.

18.

Ad Quartum dicendum, quod sicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in diuina natura oportet ponere principium quod non sit ab alio, quod ingenitū dicitur. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas. Vnde Hila. dicit in lib. Synodis. Cum vnus Deus sit, duo innascibiles esse nō possunt. Et hoc præcipue, quia, si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio. Et sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oportet igitur, quòd distinguerentur diuersitate naturæ.*

* Lib. de Sy. nodo post med. illius per 6. pag. & est diffinitio. 26.

*Ad Quintum dicendum, quod proprietas patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem natiuitatis filij, quàm per remotionem processionis Spiritus sancti. Tum quia processio Spiritus sancti non habet nomen speciale, vt supra dictum est; * tum quia etiam ordine naturæ præsupponit generationem filij. Vnde remoto à patre, quod non sit gen-*

genitus, cùm tamen sit principium generationis: sequitur consequenter quod non sit procedens processione spiritussancti: quia spiritussanctus non est generationis principium, sed à genito procedens.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. quem sequuntur Syl. Torres & alij: Sumitur enim proprium vt distinguitur contra commune, tàm respectu essentiæ, quam respectu aliarum personarum.

Forma Textus.

CONCL. *est. Esse ingenitum significat proprietatem Patris.* Probatur. Sicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium secundum: ita in personis diuinis inuenitur principium non de principio, quod est Pater: & principium à principio, quod est Filius: at in rebus creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter; Vno modo quatenus est principium primum per hoc, quod habet relationem ad ea quæ ab ipso sunt: Alio modo quatenus est primum principium per hoc, quod non est ab alio; igitur etiam Pater similiter innotescit quidem paternitate & communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes: quatenus autem principium est non de principio innotescit per hoc quod non est ab alio: quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat nomen ingenitus. Prima propositio declaratur ex differentiæ principij in creaturis & in diuinis; nam in creaturis principium vtroque modo dictum prioritatem habet respectu eius, quod ab ipso est: in diuinis autem est ratio principij, & eius quod est à principio, sine priori & posteriori.

Expositio Textus & responsionum ad argumenta.

Formatur ex hoc articulo diffinitio innascibilitatis, & explicatur, ac defenditur contra Vasquezium.

PROBAVIT S. D. *in corpore* innascibilitatem, quam significat hoc nomen *ingenitum*, esse propriam Patris: sed eius quidditatem non aperuit, quam tamen explicat diligenter *in respon. ad argumenta*; ex quibus hæc potest elici diffinitio. *Innascibilitas*, quam significat hoc nomen ingenitum, *est negatio generationis per modum priuationis, in genere diuini suppositi, quod sit principium personaliter dictum*; aut *est negatio omnis processionis ab alio, soli patri conueniens in diuinis.*

PRIMA particula scilicet *negatio generationis* probatur, & explicatur in *respons. ad 1. argum.* vbi S. Tho. refert & reijcit opinionem dicentium innascibilitatem non solam negationem, sed vniuersalem etiam authoritatem vel fontalem plenitudinem significare: vel simul Patrem à nullo esse & aliorum esse principium. Deinde cum Aug. concludit nomen ingeniti negationẽ passiuæ generationis importare. Eadem particula latius explicatur *in responsionibus ad tertium, & quintum arg.* De hac particula & prædictis responsionibus D. Th. latè disputant hic Torres & Zumel. Eãdem simul tum quarta declarat & probat Mol. *super hoc a.* multis sanctorum Patrum authoritatibus: nos ea, quæ ad eius intelligentiam videntur esse necessaria notauimus *in præcedenti q. ar. 3.*

Obijcit Vasquez.

Solus Vasq. nobis est molestus, qui susceptо contra D. Th. patrocinio D. Bonau. & aliorum antiquorum scholasticorum, rationem *hic in respons. ad 1.* ab Angel. D. contra eorum opinionem allatam conatur infringere. Ratio hæc est: Si innascibilitas prout est proprietas patris, non dicitur tantum negatiuè, sed importat vel vtrumque simul scilicet quòd pater à nullo est & quòd est principium aliorum: vel vniuersalem authoritatem aut fontalem plenitudinem non esset innascibilitas alia proprietas à paternitate & spiratione, sed includeret eas sicut includitur proprium in communi; ergo &c. Probatur sequela; quia fontalitas & authoritas nihil aliud significant in diuinis quam principium originis. *Cui rationi* respondet Vasq. negando conseq. quoniam D. Bonau. nõ contendit positiuum & negationem simul formaliter expressè & ex æquo significare, sed negationem primò & formaliter, positiuum verò materialiter sed directè. Deinde cum ait materiale illud & positiuum esse rationem fontalis plenitudinis & vniuersalis principij, nõ intelligit rationem aliquam communem secundum prædicationem ad modum generis aut speciei, (sic enim non esset diuersa ratio à paternitate & spiratione) sed rationem primi principij, quæ nec paternitate nec spiratione exprimitur, & significat cæterarum personarum principium: Fons enim est vniuersale principium vniuscuiusque riuuli ex eo fluentis.

At non infringit aut effugit Vasq. efficacitatem argumenti: Nam in hoc, quod dico cæterarum personarum principium, si non sumatur abstractè sed secundum totam suam latitudinem, necesse est formaliter includi duplicem modum principij scilicet per generationem & spirationem: & si non prorsus explicitè; non enim poterit explicari ratio principij sic accepti, nisi duplicem modum prædictum exprimendo: & ita redit immo magis augetur vis argumentationis D. Th. probantis innascibilitatem sic non fore distinctam à paternitate & spiratione; sed esse cum eis eandem omnino realiter & formaliter. Quod autem ait Vasq. de mente D. Bonau. innascibilitatem significare negationem primò, & positiuum secundariò, non apparet primò id esse de mẽte D. Bonauenturæ. Secundò, quia cætera nomina priuationum & etiam accidentium, solam significant priuationem, subiectum autem extrinsecè connotant, vt patet de cęcitate, albedine & similibus: Igitur etiam innascibilitas & ingenitum nihil directè significant nisi negationem siuè priuationem; alioquin nomen ingeniti non significaret vnum, & sic nihil significaret; nàm quòd vnum non significat, nihil significat: vnum enim cum ente conuertitur. Tertiò, non est certum D. Th. hic eius sententiam referre & impugnare, sed potius eorum, qui nomen ingeniti affirmabant significare primò positiuum. Denique nihil respondet. Vasq. ad authoritatem D. Augustini relatam hic à D. Tho.

Contra eandem particulam, & responsionem ad tertium sic argumentatur idem expositor. Ingenitum non significat solam negationem natiuitatis sed cuiuscunque processionis; ergo non est specialis notio. Probatur consequentia; quia sicut processio vniuersè accepta non est peculiaris notio, quia est vniuersale prædicatum, quod non constituit diuersam notionem à particularibus; sic etiam ingenitum ratione solius negationis nondeberet peculiarem notionem nec relationem cõstituere: ac proinde non esset inter notiones, neque inter relatiua nomina computandum. *Resp.* primò, nomen ingeniti inter relatiua computari, eo modo, quo priuatio pertinet ad genus oppositi sibi habitus. Secundò dico nõ esse eandem sed longè diuersam rationem de processione in communi, & de negatione processionis in communi; nam duplex processio nõ potest ad vnius personæ dignitatem pertine-

Alia obiect. F. Io Vasq.

Solutio.

re:

re: negatio verò duplicis processionis ad maxi- A
mam pertinet primæ personæ dignitatem. Deinde in ratione primi, quod optimè per negationem significatur, clauditur necessariò processionis vtriusque negatio; nam si modo aliquo ab alio procederet, primum non esset. Postremò negatio tanto specialior est, quantò communius est id, quod ea negatur.

Secvnda verò particula scilicet *per modum priuationis in genere diuini suppositi*, per quam distinguitur in specie, vel in indiuiduo, declaratur *in respons. ad 2* distinguendo priuationem cũ Arist. *in 5. Metaph. in c. de priuatione*. Hanc responsionem optimè distinguit & explicat Caiet.

C

Tertia, *quòd scilicet sit principium personaliter dictum*, per quam differt innascibilitas patris à negatione generationis, quæ conuenit essentię diuinæ & Spiritui sancto, explicatur ibidem.

Qvarta, *per quam* etiam differt ab eisdem scilicet *negatio omnis processionis ab alio*, in eadem responsione declaratur.

Postrema denique particula, videlicet, *soli patri conueniens in diuinis*, probatur in responsione ad quartum argumentum, cuius sensum exponit & à calumnia Scoti tuetur Caiet. Hanc eandem particulam explicant & probant Ban. Zum. & alij ex pluribus sanctorum Patrum dictis & Conciliorum definitionibus.

Qvaestio XXXIIII.

B

De persona Filij, in tres articulos diuisa.

Deinde considerandum est de persona filij. Attribuuntur autem tria nomina filio scilicet Filius, verbum, & Imago. Sed ratio filij ex ratione patris consideratur. Vnde restat considerandum de verbo & imagine.

Circa verbum quæruntur tria.

Primò, Vtrum verbum dicatur essentialiter in diuinis, vel personaliter.

Secundò, vtrum sit proprium nomen filij.

Tertiò, Vtrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturas. D

Ordo quæstionum & articulorum.

Post quæstionem de personaPatris sequitur quæstio de persona Filij, quæ tribus nominibus propriè id est non metaphoricè dictis solet nominari, scilicet nomine Filij, Verbi & Imaginis; reliqua verò vel sunt metaphorica, vt lux & splendor: vel appropriata vt species, æqualitas & sapientia: vel coincidunt cum prædictis, vt genitus & natus, quæ coincidunt cum nomine Filij: & ideò ad prædicta tria propria reducuntur. De his ergo tribus nominibus agendum erat in præsenti quæstione. Verum quoniam ratio Filij ex ratione Patris consideratur, superuacaneum erat post quam tractatum fuit de persona Patris vt Pater est, agere de Filio sub ratione Filij. Igitur de Filio sub ratione tantùm duorum nominum agendum instituit S. D. videlicet, sub ratione Verbi *in præsenti quæstione*, & sub ratione Imaginis *in sequenti*.

Dubitatio. *Sed difficultas* consurgit de ordine: A communioribus enim vt prius naturaliter notis est inchoandum: constat autem rationem imaginis latius patere, quam verbum; siquidem omne verbum est imago, sed non è contra. Præcedit igitur ordine doctrinæ imaginis quæstio eam, quâ hic priori loco tractat de verbo S. D.

Sed considerandum est, primum illud esse doctrinæ principium, vnde quis oportunè discat, vt ait Arist. *in 5. Metaph. in c. de principio*; quòd autem sit Filius imago perfecta Patris in diuinis, ex solo modo processionis eius proprio demóstratur, qua procedit vt verbũ: vt patet *ex ambobus art. quæst. seq. & ex 2. 3. & 4. a. q. 27.* Quoniã igitur *in dicta q. 27.* probatum fuit personam Filij vt verbum ex patre procedere per intellectũ dicente, cuius intelligere est eius esse, ac proindè simillimum ac consubstantiale esse verbũ Patri, ac verè genitum & Filium & imaginem: idcirco prius de verbo, deinceps de imagine differendum fuit: vt ex ratione verbi deduceretur imago. Sicut enim Dei Filio singulare est, quòd procedat vt verbum: ita peculiarem habet rationem imaginis, ex perfecta verbi prout tale est ratione ac similitudine deriuatam.

Sol. *S. Thomæ.*

Quærit ergo primò de Filio sub ratione verbi. De quo tria quærit. Primò: *vtrum verbum dicatur essentialiter, an personaliter?* quod est quærere quasi genus ipsius verbi, an scilicet collocetur in genere nominum essentialium, an in genere nominum personalium. *In secundo articulo* inuestigat differentiam, & speciem per se primò significatam nomine verbi, quærens *an sit proprium nomen Filij? In tertiò* quærit respectum eodem nomine secundariò significatum: *an scilicet in nomine verbi importetur respectus ad creaturas?*

Articvlvs Primvs.

Vtrum verbum in diuinis sit nomen personale.

189.

Ad Primum sic proceditur. Videtur, quòd verbũ in diuinis non sit nomen personale. Nomina enim personalia propriè dicuntur in diuinis vt pater, & filius. Sed verbum metaphoricè dicitur in diuinis, vt Origen. dicit super Ioan. † Ergo verbum non est personale in diuinis. 12. q 93. ar. 1. ad 2. & verit. q. 4. ar. 2 & 4. & op. 1 c. 11. † In Euãg. 10. c. 1. super

2 Præterea. Secundum Augustì. in lib. de Trin. * Verbum est notitia cum amore. Et secundum Anselm. in Monol. † dicere summo spiritui nihil aliud est, quam cogitando intuerì. Sed notitia & cogitatio & intuitus in diuinis essentialiter dicuntur. Ergo verbum non dicitur personaliter in diuinis. illud, in principio e- rat verbũ. * Lib. 9 de trin. c. 10. circa fin. † Ex ca. 31.

3 Præterea. De ratione verbi est quòd dicatur. Sed secundum Anselm. * Sicut pater est intelligens, & filius est intelligens, & Spiritus sanctus est intelligens: ita pater est dicens, filius est dicens, & Spiritus sanctus est dicens, & similiter quilibet eorum dicitur. Ergo nomen verbi essentialiter dicitur in diuinis, & nõ personaliter. 33 & 34. * In Mono. cap. 58.

4 Præterea. Nulla persona diuina est facta. Sed verbum Dei est aliquid factum. Dicitur enim in Psal. 148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Ergo verbum non est nomen personale in diuinis.

Sed contra est, quod dicit Aug. in 7. de Trin. †Sicut filius refertur ad patrem, ita & verbum ad id, cuius est verbum. Sed filius est nomen personale, quia relatiue dicitur. Ergo & verbum. †Lib. 7. de trı c. 1 paulò post prin. to. 3.

Respondeo. Dicendum, quòd nomen verbi in diuinis si propriè sumatur, est nomen personale, & nullo modo essentiale.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur: quartò autem modo dicitur impropriè, siue figuratiuè. Manifestius autem, & communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur, quod quidem ab interiori procedit quantum ad duo, quæ in verbo exteriori inueniuntur, scilicet vox ipsa, & significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum, secundum Philosophum in libro 1. Perihor. * Et iterum, vox ex si- Lib. 1 Peri- hec. in prin.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ex significatione, vel imaginatione procedit, vt in lib. A
tomo 1. de Anima † dicitur. Vox autem quæ non est significa-
†Lib. 2. de anima tex. 90. t. 2. tiua, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quia significat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primò & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur. Secundariò verò, ipsa vox interioris conceptus significatiua. Tertiò verò, ipsa imaginatio vocis verbum dicitur.
Lib. 1. orth. fid. cap. 17. Et hos tres modos verbi ponit Damas. * in 1. lib. cap. 17. dicens, quòd Verbum dicitur naturali intellectus motus, secundum quem mouetur, & intelligit, & cogitat, velut lux & splendor quantum ad primum. Rursus, verbum est quod non verbo profertur, sed in corde pronunciatur quantum ad tertium. Rursus etiam verbum est angelus, id est nuntius intelligentiæ B
quantum ad secundum. Dicitur autem figuratiuè quarto modo verbum id, quod verbo significatur, vel efficitur: sicut consueuimus dicere, hoc est verbum quod dixi tibi, vel quod mandauit rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simpliciter enunciantis, vel etiam imperantis. Dicitur autem propriè verbum in Deo secundum, quod verbum significat conceptum intellectus. Vnde Augustin. dicit in 15. de
† Lib. 15. de trin. c. 10. a. med. 10 3. Trinit. † Quisquis potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verùm etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione inuoluantur, iam potest videre aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est: In principio erat verbum. Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet quòd ab alio procedat, scilicet à notitia concipientis. Vnde verbum secundum quòd propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis, eo quòd persona diuinæ distinguuntur secundum originem, vt dictum
Q. 27. art. 3. 4 & 5. D. 1161. * est. Vnde oportet quòd nomen verbi, secundum quòd propriè in diuinis accipitur, non sumatur d essentialiter, sed personaliter tantum.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Arriani, quorum
160. fons Origenes inuenitur, posuerunt filium alium à patre esse in diuersitate substantiæ. e Vnde conati sunt, cùm filius Dei verbum dicitur, astruere non D
esse propriè dictum, ne sub ratione verbi procedentis cogerentur fateri filium Dei non esse extra substantiam patris. Nam verbum interius sic à dicente procedit, quòd in ipso manet. Sed necesse est si ponitur verbum Dei metaphoricè dictum, quod ponatur verbum Dei propriè dictum. Non enim potest aliquid metaphoricè verbum dici, nisi ratione manifestationis. Quia vel manifestat sicut verbum, vel est verbo manifestatum. Si autem est manifestatum verbo, oportet ponere verbum quo manifestetur. Si autem dicitur verbum, quia exterius manifestat ea, quæ exterius manifestantur, non dicuntur verba, nisi inquantum significant interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora signa manifestat. Etsi ergo E
verbum aliquando dicatur metaphoricè in diuinis, tamen oportet ponere verbū propriè dictum, quod personaliter dicatur.

Ad Secundum dendum, quòd nihil eorum, quæ ad intellectum pertinēt, personaliter dicitur in diuinis, nisi solum verbum. Solum enim verbum significat aliquid ab alio emanans. Id enim quod intellectus in concipiēdo formatur, est verbum. Intellectus autem ipse secundum quòd est per speciem intelligibilem in actu, considerātur absolutè. Et similiter intelligere, quod ita se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu. non enim intelligere significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem. Cum ergo dicitur, quòd verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu: sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. e Vnde
52 4. & Augustin. * dicit, quòd verbum est sapientia genita.
Li. 7. de tri. Quod nihil aliud est quam ipsa conceptio sapientis. Quæ etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per eundem modum potest intelligi, quòd dicere Deo, sit cogitando intueri, inquantum scilicet intuitu cogitationis diuinæ concipitur verbum Dei. Cogitationis tamen nomen Dei verbo propriè non conuenit. Dicit enim Augustin. * 15. de Trinit. Ita dicitur illud verbum Dei, vt cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod non accipiat formam, vt verbum sit, eamque dimittere posit, atque informiter quodammodo volutari. Cogitatio enim propriè in inquisitione veritatis consistit, quæ in Deo locum non habet. Cum verò intellectus iam ad formam veritatis pertingit, non cogitat, sed perfectè veritatem cōtemplatur. Vnde Anselmus impropriè accipit cogitationem pro contemplatione.

e 2. nō long. à princ. com. 3.

Lib. 15. de tri. c. 16. in princ.

Ad Tertium dicendum, quòd sicut propriè loquendo, verbum dicitur personaliter in diuinis, & non essentialiter: ita & dicere. Vnde sicut verbum non est commune patri, & filio, & Spiritui sancto, ita non est verum quod pater, & filius, & Spiritus sanctus sint vnus dicens. Vnde Augustin. dicit * 7. de Trinit. Illo Li. 7. de tri. c. 1. circa coæterno verbo non singulus intelligitur in diuinis, sed dici conuenit cuilibet personæ. Dicitur enim non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo vni soli personæ in diuinis conuenit dici eo modo quo dicitur verbum: eo verò modo quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ conuenit dici. Pater enim intelligendo se, & filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia quæ eius scientia continentur, concipit verbum: vt sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis verbo quod concipit intelligendo lapidem dicit: Ansel. verò impropriè accepit dicere pro intelligere. Quatamen differunt: nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua, nulla ratio originis importatur: sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus, & intellectum, vt supra * ostensum est. Sed dicere importat principaliter
D habitudinem ad verbum conceptum. nihil enim est q. 14. art. 2. & 4. aliud dicere, quàm proferre verbum. sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic solæ personæ quæ profert verbum, est dicens in diuinis, cùm tamen singula personarum sit intelligens, & intellecta, & per consequens verbo dicta.

Ad Quartum dicendum, quòd verbum sumitur ibi figuratiuè, prout significatum vel effectus verbi dicitur verbum. Sic enim creaturæ dicuntur facere verbum Dei, inquantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex verbo concepto diuinæ sapientiæ; sicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit opus, ad quod ex verbo Regis instigatur.

Sensus quæsiti.

IN Hoc quæsito plura sunt explicanda; Primò dictio illa *verbum* quæ latè fuit explicata superius *in art. 1. q. 27.* Est enim species expressa, conceptio, intentio intellecta &c. Secundum est verbum *sit* quo denotatur hoc in loco non quæri, vtrum possit supponere pro persona, vel ex accommodatione vsus sit personale nomen; sed an ex propria sua significatione & simpliciter sit nomen personale, an non? Tertium est particula illa *nomen personale* quod distinguitur cótra nomen essentiale, de quorum differentia satis superius diximus. Postremum est particula illa *in diuinis* qua significatur hic non quæri de verbo vniuersaliter, sed tantum de verbo, quatenus de Deo prædicatur, cum dicitur; *Et Deus erat verbum.*

Fertur

Forma Textus.

DISTINGVIT primò S. D. & distinctionis membra disponit: deinde proponit conclusionem & probat.

Distinctio est. Verbum in nobis dupliciter dicitur, scilicet propriè & metaphoricè: Dicitur autem propriè tribus modis: nam primò & principaliter dicitur verbum interior mentis conceptus; secundariò verò ipsa vox interioris conceptus; tertiò vocis imaginatio. Probatur prima ratione; Quia manifestius & communius in nobis dicitur verbum, quod voci profertur: in hoc autem verbo, quod voce profertur, duo sunt scilicet vox ipsa & vocis significatio; Vox ab imaginatione procedit; prius est enim imaginatio vocis, quàm vox exterior: Significatio verò ex conceptione est intellectus. Et dicitur verbum vox exterior ex significatione; nam vox, quæ non est significatiua, verbum dici non potest; igitur primò & principaliter interior mentis conceptus dicitur verbum; secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua; tertiò verò ipsa imaginatio vocis verbum dicitur. Secundò probatur eadem dictio trimembris authoritate Damasceni & Augustini, vt patet in textu. Dicitur autem methaphoricè verbum id quod verbo significatur vel efficitur, vt habes in littera.

„ CONCL. *est. Oportet, quod nomen verbi, secundũ*
„ *quod propriè in diuinis accipitur, non sumatur essentia-*
„ *liter, sed personaliter tantum*. Probatur. Verbum secundumquòd propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens; sed hoc pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis; ergo nomen verbi secundum quòd propriè in diuinis accipitur, non sumitur essentialiter, sed personaliter tantum. Minor probatur; quoniam personæ diuinæ distinguuntur secundum origines. Maior probatur. Verbum dicitur propriè in diuinis, secundum quòd verbum significat conceptum intellectus: sed conceptus cordis ex ratione sua habet, quòd ab alio procedat. s. à notitia concipientis; ergo verbum secundum quòd propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens. Maior huius argumenti probatur authoritate Augustini *in 15. de Trin. cap. 10.* vbi ait: *Quisquis &c.*

Expositio Textus.

DVO SVNT hic obseruanda: primum est, conclusionem D. Tho. in sacris litteris ac SS. Patribus & communi Scholasticorum consensu, adeò firma atque perspicua veritatis habere fundamenta, vt oppositam sententiam errorem esse manifestum in fide minimè dubitem. De qua re legendi sunt Ban. *super hoc art.* Zumel. *disp. 1.* & Suar. *lib. 9. de Trin. cap. 3.* Secundum est necessitas triplicis verbi; quam pulchrè tradit S.D. *in 1. dist. 27. q. 2. a. 1.* quæ colligitur etiam ex discursu huius articuli.

PRIMA CONTROVERSIA.

De ordine significationum huius nominis Verbum.

DVBITATIONEM hic excitat Cai. de ordine inter verba seu verbi significationes in textu positas ex Damascen. & August. inter quas primò statuit S. D. conceptum mentis: secundò vocem eius significatiuam: tertiò vocis imagina-

A tionem. *Ratio verò dubitandi est*, quia vel loquitur S. Tho. de ordine quo ad nos, vel secundũ se. Si de ordine quo ad nos: primus locus debetur verbo vocis. Si de ordine secundum se, siue quo ad naturam: verbo cogitatiuæ secundus cõgruit locus; quoniam ex imaginatione cogitatiuæ dependet vocale verbum. *Ratio dubitandi.*

Huic difficultati Cai. respondet dicens hic sermonem esse de ordine naturæ inter intentiones verbi nomine significatas; & rationi dubitandi satisfacit præmisso duplici canone methaphysico, in qualibet multiplicis nominis significatione, quo ad ordinem inter significata cognoscendum, præ oculis habendo. *Primus* est: omne nomen per prius dicitur formaliter, quàm secũdum denominationem extrinsecam. *Secundus* est: *Solut. Cai.* *Canones 2. metaphysic.*

B omne nomen de pluribus formaliter dictum, prius dicitur de eo, à quo dependet aliud, quã de dependente ex illo. Ex primo canone patet verbum vltimò dici de verbo cogitatiuæ, de quo non formaliter, sed causaliter tantum dicitur. Ex secundò verò constat nomen verbi prius dici de conceptu mentis, quàm de voce illius significatiua, de qua formaliter quidem dicitur, sed cum dependentia à verbo cordis siuè mentis.

Ad rationem igitur dubitandi respondet in forma, ordinem naturæ inter intentiones nominis multa significantis, neque attendi secundum ordinem rerum, in quibus intentiones per nomen significatæ saluantur, neq; secundum ordinem ipsarum intẽtionum in esse naturæ propter primam regulam; vt patet de hoc nomine *calidũ*

C quod prius dicitur de re virtute solis calefacta, quàm de ipso sole, à quo dependet calefactio; quia nimirum Soli non conuenit calor aut esse calidum formaliter, sed tãtum causaliter. Igitur attenditur ordo naturæ inter intentiones talium nominum secundum habitudinem ipsarum intentionum, in hoc quod est includi in alia, & nõ è contra. Certum est autem intentionem, quæ est secundum extrinsecam denominationẽ, includere formalem intentionem seu significationem, & non includi ab ea: cum illa sine hac nõ possit concipi nec definiri: hæc verò in nullo ab ea dependeat. Cum itaque cogitatiuæ non nisi causaliter insit verbum; conceptui verò mentis ac voci formaliter, postremus meritò locus assi-

D gnatur verbo cogitatiuæ.

Sed hanc doctrinam Zumel. impugnat in præsentis articuli discursu, dicens rationẽ verbi non reperiri magis intrinsecè in voce significatiua, quàm in conceptu seu imaginatione ipsius vocis; quia sicut vox significat rem & conceptum, ita vocis imaginatio significat rem significatam per vocem: immo (inquit) sicut conceptus seu imaginatio vocis non est intrinsecè verbum, ita neque ipsa vox habet, quod sit verbum intrinsecè & formaliter, sed tantum per denominationem extrinsecam; quia solum est verbum, inquantum est signum verbi interioris, vt dixit Dur. *in primo dist. 27.* tum etiam quia vox non est signum in- *Refutatio quorundam superioris solutionis.*

E trinsecè & formaliter, sed per extrinsecam hominum impositionem. Denique affirmat idem expositor verbum per posterius dici de vocis imaginatione, quã de voce ipsa; quia in sui significatione, qua significat rẽ eandem quã vox, depẽdet ex significatione vocis; quia per se non est impositum ad significandum, sed tantum ex impositione vocis.

Eandem Cai. sententiam impugnat Vasquez *in sua dubitatione circa articulũ*, dicens primò doctrinam hanc Caiet. esse contra mentem S. Th. in hoc art. vbi docet verbum vno tantum modo, ni-

do, nimirum quarto dici metaphoricè & impro- A priè: tribus autem alijs propriè; igitur illo solum quarto modo dicitur verbum extrinseca denominatione secundum mentem D. Tho. Ait igitur Vasq. se existimare verbum imaginationis propriè appellari verbum, & esse qualitatem expressam, qua interius rem aliquam cogitamus; nam participatione (inquit) intellectus imaginatio hominis interius dicitur loqui, eo ipso quòd cogitat, & non solum dicitur verbum vocis apprehendere, sed etiam intus secum loqui. Quam sententiam sequitur Suarez *lib.9.de Trin.cap.2.numero 11.* Secundò ait Caiet. falsò existimare vocẽ externam ideò propriè dici verbum, quia natura sua sine libera impositione sit verbum. B

Denique Molina *supra qu.27.art.1.disp.6.* negat nomen verbi impositum fuisse primò ad significandum solum verbum vocale, & deinde vsu frequenti fuisse extensum ad significandum mẽtis conceptum. Primò, quia si res ita se habet, concedendum est, datum fuisse tempus in quo verbum vocis dictum esset propriè verbum, filiº autem Dei, & quicunque mentis conceptus non item Secundò quia tunc concedendum esset vocabulum hoc, *verbum*, magis præcipuè dici de verbo vocis, quàm de mentali conceptu; quod pugnat cum August. *15.de Trin.c.11.* Consequ. probatur ab exemplo contrariæ sententiæ: dicunt enim quòd sicut videre primò fuit impositum ad C significandum actum videndi, qui oculis conuenit: Deinde per accommodationem vsus fuit extensum ad significandam quamcunque euidentem cognitionem cuiusuis potentiæ cognoscentis: post quam extensionem propriè dicimus Beatos videre diuinam essentiam; ita vocabulum hoc, *verbum*, primo fuit impositum, vt significaret solùm verbum vocale; deinde verò ex vsus accommodatione verbum mentis; at videre præcipuè dicitur de actu oculorum, minus præcipuè verò de actibus euidentibus aliarum potentiarum; ergo &c.

Resolutio & defensio Cai. Quæ sit ratio verbi, & ordo impositionis nominum.

Sed verissima est doctrina Caietan. qui duobus D optimis argumentis probat verbum dici formaliter de verbo vocis: quæ sicut non vidit aut videre neglexit prædictus interpres, ita nec impugnauit aut soluit. Vt autem proposita Zumel. diluantur obiecta

Considerandum est de ratione verbi esse hoc, quod est esse manifestatiuũ & expressiuũ; primò quidem & immediatè notitiæ vel etiam conceptus, consequenter autem rei cognitæ vel conceptæ. Verbum igitur mentis, quod est per se primò verbum manifestatiuum & expressiuum est notitiæ habitualis ipsi cognoscenti & dicenti, vt hic aduertit Caiet. ex D. Tho. & eadem etiam ra- E tione rei per verbum expressæ. Verbum autem vocis manifestatiuum primò est & expressiuum interni conceptus, consequenter autem rei conceptu repręsentatæ, vt superius ostendimus *q.13. a.1.* Cùm itaque tota ratio verbi conueniat voci; necesse est eidem etiam nomen verbi formaliter conuenire. Sed verbum cogitatiuæ cùm nihil aliud sit, quàm vocis externè sonantis imaginatio; neque mentis conceptum, neque rem ipso conceptu repræsentatam per se primò aut secundò manifestat, sed eius tantum exprimit signum materialiter sumptum, non autem formaliter, vt signum est. Nam, vt ait Philosophus, id quod significat nomen est ratio seu deffinitio quam solus cognoscit & concipit intellectus: cuius imperio cogitatiua vocem concipit, & appetitus cum vi mouente format extrinsecus. Et licèt cogitatiua conceptum quendam rei singularis formare possit verbo proportionalẽ, vt ait S. Th. inf. *q.85. a.2.ad 3.& quol.5.q.5.* quia tñ rei quidditatem nõ exprimit, ideò verbum propriè non est. Nec obstãt singularia, quorum notitiam habet cogitatiua; quoniam in eorum quidditate clauduntur vniuersalia, vt species siue genus & differentia specifica; quorum notitiam non habet hæc sensitiua potentia.

Secundò considerandum est ex D. Th. supra *q.13. a.6.& de verit.q.4.a.1.ad 10.* nomina communia de Deo propriè dicta per prius à nobis imposita fuisse creaturis, quas prius cognoscimus, quã Deo: quamuis quo ad rem significatam per nomen prius de Deo dicantur, quàm de creaturis; quia à Deo huiusmodi perfectiones aut rationes formales in creaturas emanant. Prius enim intellectus absolutè considerauit, exempli gratia, rationem ordinatiuam & iudicatiuam in creatura rationali, & illi nomen imposuit sapientiæ: deinde per rationis discursum, similem & nobiliorem rationem in Deo, eamque eodem nomine nuncupauit: postremò tertiò considerans rationem illam ordinatiuam in creatura similitudinem habere proportionalem ad rationem ordinatiuam in Deo existentem & ab ea dependere, tertia quadam impositione nomen sapientiæ, quoad rationem illam ordinatiuam primò in creatura, deinceps in Deo significauerat, imponit ad vtramque simul significandam, vt similem proportionaliter; vel etiam ad eam, quæ in creatura est significandam, cum habitudine causalitatis exemplaris, efficientis aut finalis ad eã, quę in Deo est: vt latè & perspicuè declarat Ferrar. *in 1.cont.gent.c.34.* Et idem ordo impositionis potest & debet concipi in nomine verbi dicto de verbo vocis & de conceptu mentis.

Soluuntur argumenta.

Ad Rationes *itaque Zumel.* iam patet euidenter responsio. Falsum est enim verbum cogitatiuæ aut vocis imaginationem significare rem & conceptum; verbum autem exterius ex hoc ipso, quod manifestatiuum est interioris conceptus, formaliter & intrinsecè verbum est: & priº à nobis cognitum & nominatum, quàm verbum mentis. Et quamuis vox per extrinsecam hominum impositionem sit signum interni conceptus; hinc tamen non efficitur vocem non esse formaliter & intrinsecè verbum. Ex hoc enim quòd aliquid est signum expressiuum ab extrinseco efficienter, non sequitur illud esse signũ expressiuum ab extrinseco formaliter; sicut domus habitatio est hominibus apta ab extrinseco effectiuè, non tamen ab extrinseco formaliter, sed ab intrinseco; & aqua caliditatem suscipit ab extrinseco, & tamen in se ipsa formaliter est calida: sic igitur in proposito vox ab extrinseca hominum impositione, vt ab efficiente verbum est: sed tamen in seipsa formaliter & intrinsecè rationem habet verbi, sicut & expressiui.

Ad argumenta verò Vasq. dico primò verbum dici propriè. i. non metaphoricè de tribus illis acceptionibus verbi, & consequenter etiam de verbo cogitatiuæ: nec tamen inde sequitur; ergo verbum cogitatiuæ propriè formaliter & intrinsecè verbum est; sicut non sequitur medicina propriè. i. non metaphoricè sana est; ergo est propriè. i. formaliter & intrinsecè sana. Et sicut non conuenit cogitatiuæ propriè, i. formaliter verbum, ita nec loquutio. Dico secundò falsò imponi Cai. quòd dixerit ideò vocem externam dici propriè verbum, quia natura sine libera impositione sit verbum: cùm nihil simile sonent eius verba.

Ad primum autem argumentum Molinæ, si de re, siue de ratione verbi sit sermo, nego cõsequen

tiam;

tiã; fuit enim ab æterno in Deo verè & propriè A res & ratio illa, quæ verbum est; si verò de nominis impositione loquatur; hoc est, quod diximus cum D. Thom. Ad secundum autem negatur sequela. Ad probationem negatur minor; magis enim præcipuè dicitur videre de actu intellectus, quam de actu oculi.

Secvnda Controversia.

An verbum aliquo modo dicatur essentialiter in diuinis?

Sententiæ Doctorum.

Qvaestio hęc licet sit absolutè proposita, præcipuè tamen est de mente S. Thom. Quęritur ergo primo an secundũ veritatẽ verbũ in diuinis possit aliquo modo dici essentialiter, B deinde etiam principaliter quæritur, quid in hac re senserit S. Th. Obseruandum est primò vt inquit S. Th. *in 1. dist. 27. q. 2. a. 2.* quæstionem hanc parum valere: quia non est de re, sed de vocis significatione, quæ est ad placitum. Vnde in ea plurimum valet vsus; quia nominibus vtendum est vt plures.

Durandus *in 1. dist. 27. q. 3.* sentit verbum in Deo ex vi suæ significationis dicere aliquid essentiale & non personale, & solum per quandam appropriationem dici de filio; quam appropriationem docet fieri secũdum quandã analogiam & proportionem; quæ sententia sequitur ex alia eius falsa opinione, quòd secunda persona in diuinis non procedat per actum intellectus, sed per actum naturæ; de qua supra abundè egimus.

Caiet. *super hoc a.* de mente S. Tho. docet *primò* verbũ personaliter dici, & nullo modo essentialiter. *Secundò* S. Tho. in hac dubitatione paulatim ad veritatis perfectionem peruenisse. Nam *in 1.* (inquit) secutus est illorum opinionem, qui verbi nomen, sicut amoris nomen considerantes, quandoque essentiale, quandoq; personale dixerunt; sed postea *in quæst. de ver.* declinauit in alteram partem, scilicet quòd dicitur personaliter, non tamen absq; formidine alterius; quod ex eo patet, quòd respondet rationibus ad vtramq; partem. At *in hoc a.* negauit omninò verbũ essentialiter dici, vt patet ex ipsa conclusione articuli, & eius ratione superius allata, per quam rationem excluditur omne essentiale à ratione verbi: quoniam in nullius essentialis ratione clauditur, siuè intrinsecè, siue vt necessariò concomitans, quod ab alio procedat: quod tamen in dicta ratione assumit S. Thom. claudi in ratione conceptionis & verbi.

Hanc sententiam sequitur Molina & Zumel. *super hoc art.* Suarez *lib. 9. cap. 3.* Vasq. & Ripa. Addit autem Zumel. D. Tho. in sententijs existimasse actũ intelligẽdi & cognitionem mentis posse dici verbum: atq; ideo credidisse verbum aliquando dici essentialiter in diuinis. Sed D. Tho. nunquam in ea sententia fuisse patet ex ijs, E quæ supra dximus *quæst. 27. art. 1.* de distinctione verbi ab intelligere.

At Capr. *in 1. dist. 27. q. 2. conc. 4.* & author tabulæ aureæ *dub. 1160. & 1161.* & Syluester *super hoc art.* & Ferr. *4. cont. gent. cap. 13.* & Porrecta *super hoc ar.* affirmant verbum de mente S. Thom. propriè acceptum dici in diuinis tantum personaliter, sed communiter sumptum dici etiam essentialiter; quæ tamen acceptio propria est, id est nõ metaphorica; & hanc semper fuisse mẽtem S. Thom. Quæ sentẽtia, quoniam videtur veritatẽ attingere, ideò à nobis est amplectẽda, & explicanda.

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

Resolutio. Ex doctrina D. Tho. probatur verbũ communiter acceptum essentialiter dici in diuinis.

Ad Cvivs euidentiam *notandum est primò* ex D. Th. *in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. & de verit. q. 4. ar 2.* quod verbo propriè dicto conueniunt quatuor. *Primum* est, vt sit aliquid expressum à notitia mẽtis. *Secundum* quod sequitur ex primo est, vt dicat relationem realem originis ad dicentem; quæ duo probat hic latè Zumel. *concluſ. 4. Tertium* est, quòd sit manifestatiuum rei intellectę. *Quartum* est, quod sit intellectum scilicet ad intra. Igitur in verbo diuino propriè dicto reperiuntur hæc omnia, vt patet ex his, quæ diximus cum D. Th. *in q. 27. & 28.* In essentia autem diuina respectu diuini intellectus sunt secundum rem duo postrema, vt patet ex dictis *in q. 14. & 15.* Duo verò priora non sunt in essentia diuina simpliciter, sed tantum secundum quid, scilicet secundum rationem; nam intelligimus diuinam essentiam vt obiectum diuino intellectui ad ipsum referri tanquam obiectum, & terminum intrinsecum ad ipsam potentiam; quæ relatio non est nisi rationis: quoniam in Deo essentia non distinguitur ab intellectu; & eadẽm ratione intelligimus eãdem essentiam quam emanantem in esse intelligibili per actum intellectus, cuius est terminus intrinsecus, vt docet S. Th. *de veri. vbi supra.* Sed quia, vt ibidẽ inquit S. Th. si aliquid eorũ, quæ sunt de ratione alicuius, auferatur, iã nõ erit propria acceptio: ideo essentia non dicitur verbũ secundum propriam verbi acceptionem, sed tantum communiter. Et quoniam, vt eodem loco C docet S. Th. & *in 1.* in vsu Sanctorum & communiter loquentium est, vt hoc nomen verbum relationem realiter distinguẽtem importet; Vt enim ait idẽ Aug. *7. de Trin. c. 2.* verbũ est quod sapientia genita: nominibus autem vtendum est vt plures; quia secundum Philosophũ, vsus maximè est emulandus in significationibus nominũ: ideò magis dicendum est, quod verbum personaliter dicatur, quàmquòd dicatur essentialiter. Nam, vt docet Magister *in 3. dist. 14.* quæ in diuinis dicuntur, non sunt extendenda nisi quatenus sacra scriptura eis vtitur; constat autem sacram scripturam non vti nomine verbi propriè dicti nisi personaliter. Loca sacræ scripturæ profert Zumel. *disp. 1. concl. 1. & 2.*

D *Secundò considerandum est* ex D. Tho. *in 1. cont. gent. cap. 53.* intellectum nostrum, per intentionem intellectam quam format, similem esse rei cognitæ, & illam intelligere; intellectum autem diuinum nulla alia specie intelligere, quàm sit essentia sua, quæ est similitudo omnium rerum. Vnde statim infert S. Tho. *Per hoc ergo sequitur, quòd conceptio intellectus diuini, prout semetipsum intelligit, quæ est verbum ipsius, non solum sit similitudo ipsius Dei intellecti, sed etiam omnium, quorum est diuina essentia similitudo. Sic igitur per vnam speciẽ intelligibilem, quæ est diuina essentia, & per vnam intentionem intellectam, quæ est verbum diuinum, multa possunt à Deo intelligi.* Hæc D. Thom. Vbi manifestè diuinam essentiam, quatenus est similitudo omnium obiectiua, nuncupat verbum, quod est sumere verbum essentialiter, Cum enim ait à Deo per verbum multa intelligi; nomine verbi non intelligitur persona procedens; alioquin Pater per Filium intelligeret, & esset sapiens Filio & sapientia genita; quod passim negant Aug. D. Tho. & Magister & omnes Scholastici. Vnde etiam Ferrarienſ. *ibidem* notat non accipi verbum eo loco, vt est secunda persona in diuinis; cum nõdum de Trinitate mentio facta fuerit: & ibidem cum Philosophis disputat S. Th. contra quos nihil valeret huiusmodi declaratio. Ait ergo Ferr. eo loco per verbũ intelligi id, ad quod

immediatè terminatur actus intelligendi, siue A sit aliquid realiter distinctũ à re intellecta, siue sit res intellecta, vt est intellecta; essentia namque diuina vt intellecta est rerum omniũ similitudo; & Deus eam intelligendo, intelligit illam, vt omnium similitudinem; atque ita multa intelligit.

Differentia verbi creati, & increati.

Tertio obseruandum est maximam esse differentiam inter verbum creatum & verbum increatũ quòd ad hoc, quod est concurrere ad actum intellectionis. Nam verbum creatum habet duo: *Primum* est, quod est omnino necessarium ad intelligendum, tanquam intrinsecus terminus intellectionis. *Secũdum*, quod est id, quo intellectus formaliter intelligit, & quo intellectus cõstituitur in hoc, quod est esse perfectè ipsũ intelligibile. Quæ duo aut nullo modo conueniunt verbo diuino propriè dicto, aut nõ conueniunt ei ratione suæ proprietatis constitutiuæ in esse verbi personaliter dicti. Nam quia Pater æternus præsentem habet suam essentiam, non tantum in esse naturali, sed etiam in esse intelligibili, tanquam adæquatum obiectum, non tantum quo, sed etiam quod, & in quo omnia contemplatur; sequitur primam conditionem verbo diuino non conuenire, sed diuinæ essentiæ. Præterea vt ait S. T. *in 1. vbi supra ad 4. Nullo modo concedendum est, quòd Pater intelligat Filio, vel* B *quòd intelligat in Filio, sicut in obiecto, vel specie, qua cognoscitur; quia hoc poneret filium habere aliquã rationem principij ad patrem.* Vnde etim S. Aug. retractat hanc propositionẽ: Pater est sapiens sapientia genita; constat autem quòd idem est sapere & intelligere; igitur si pater non est sapiens sapientia genita, non est etiam intelligens sapientia genita, id est verbo per generationẽ proceden te. Ex quo patet quòd verbo diuino non conuenit secunda conditio verbi creati.

Conuenientia verbi creati, & increati.

Conuenientiam & differentiam multiplicem verbi creati & increati diligenter tradit Suarez *lib. 9. de Trin. cap. 2. num. 13. & 14.* Aduerte tamen quartam differentiam ab eo assignatam non esse veram nec conformem doctrinæ D. Th. Nihilominus, si prædictas conditiones volumus diuino verbo conuenire, distinguendum erit, quòd in verbo diuino duo sunt; entitas repræsentatiua, quæ est essentia, qua est idem cum patre; & proprietas relatiua, qua ad patrem refertur, & in suo esse personali constituitur. Et rursus essentia filij potest dupliciter considerari: vno modo prout est in filio: alio modo secundum se seclusso ordine ad filiationem & ad reliqua notionalia. Quibus præmissis dici potest verbum diuinum esse rationem intelligendi patri; non ratione proprietatis relatiuæ sed ratione essentiæ; nõ prout est in filio sed sũ se consideratæ. Et idem dicendum est de alia cõditione. Nam etiam verbũ creatũ habet, quòd sit ratio intelligẽdi ratione identitatis specificæ cũ specie impressa & cum E obiecto; non aũt vt habet relationem producti & distincti ab intelligente. Vel dicendũ est, quòd illæ duæ conditiones non sunt necessariæ, sed tantum procedere ab alio & esse manifestatiuũ, quod conuenit etiam verbo diuino vt verbum est; quia vt sic includit essentiam. Vnde S. Tho. *in præallegato loco* subdit; *Sed tamen concedendum est, quòd Pater intelligit in Filio, & se ipsum, & alia, inquantum videt filium esse similitudinem suam, & omnium aliorum; sicut principium videtur in eo, cuius est principium, licet etiam in se ipso videatur.* Possum enim videre hominem in imagine sua, quãuis ipsum etiam per se videam.

Conclusio.

PRIMA CONCL. *Verbum in diuinis propriè dicitur tantum personaliter.* Hæc est conclusio D. Thom. *in hoc a.* quam multis argumentis in *prima sua disputatione* probant Zumel. & Suar. *lib. 9. de Trinit. cap. 3.* *nes deduc-ta, & probata.*

SECVNDA CONCL. *Verbum in diuinis communiter acceptum dicitur essentialiter.* Hanc conclusionem declarant & probant ea omnia, quæ supra notauimus *in tribus fundamentis huius controuersiæ.*

CONTRA primam concl. sunt argumenta, quæ proponunt hic & soluunt Cai. Ban. & Zumel. *disp. 1. §. Argumenta omnia, & §. Sed circa controuersiam.* *Argumẽta, & solutiones.*

CONTRA *secundam* concl. militant ea omnia argumenta, quæ produci solent & possunt pro prima conclusione, quæ nihil aliud concludunt nisi verbum in diuinis propriè sumptum personaliter tantum dici.

Contra vtramque concl. sunt argumenta, quę producit & soluit S. Th. *in 1. & in q. de veritate.*

Contra id, quod supradictum est, nimirum, verbum diuinum esse rationem intelligendi Patri ratione essentiæ, non prout est in filio, sed secundum se consideratæ, est hoc *argumentum.* Verbum diuinum eo modo est ratio intelligendi Patri, quo includit essentiam; sed verbum diuinum includit essentiam, prout est in ipso verbo, & non vt absolutè tantum consideratur; ergo verbum diuinum est ratio intelligẽdi patri ratione essentiæ, prout est in ipso verbo. Maior est euidens; nam alioquin non posset dici verbum esse rationem intelligendi patri, si nec ratione suæ proprietatis, nec ratione alicuius inclusi esset ei ratio intelligendi; oportet enim rationem agendi intimè claudi in eo, quod est agendi ratio: non minus, quàm formam in agente, cuius est agendi ratio. Minor autem est per se nota; implicat enim aliquid in aliquo claudi, & vt sic in eo non esse. *Resp.* maiorem dupliciter intelligi posse. Vno modo in sensu formali, vt scilicet verbum diuinum sit eo modo ratio intelligendi, quo includit essentiam vt ad eius constitutionem & rationem formalem & propriam pertinentem: sicut supra diximus *in q. 28. a. 2.* in integro conceptu diuinæ filiationis & filij essentiam includi, sicut in conceptu filiationis creatæ includitur accidens; & hoc modo falsa est illa maior propositio: sic enim Pater intelligeret verbo & filio à se producto, & esset sapiens sapientia genita; essentia enim prout etiam in filio propria est, vt affirmat Caiet. *infra q. 42.* Alio modo potest illa maior intelligi materialiter & identicè tantum, vt sit sensus: verbum diuinum eo modo est ratio intelligendi patri, quo includit essentiam realiter & identicè, id est, quo idem est realiter quod essentia: & sic verissima est propositio: sic enim tota ratio siue causalitas formalis, eo modo quo hic inuenitur, ad essentiam transfertur; & significatur essentiam ipsam diuinam secundum se esse rationem intelligendi patri, vt ante diximus. *Obi. 1.* *Solat.*

Circa rationem aduersus Origenem & Arrianos allatam *in respons. ad 1. argum.* qua probat necessarium esse in Deo ponere verbum propriè & personaliter dictum, si ponatur verbum Dei methaphoricè dictum, *dubitatio* occurrit; quoniam ex hoc quod verbum methaphoricè dictum manifestat verbum, aut manifestatur verbo, nihil aliud sequitur nisi ponendum esse in Deo verbum propriè, id est non metaphoricè dictum, quod manifestet aut manifestetur verbo metaphoricè dicto: hoc autem satis est esse verbum essentiale, quod communiter dicitur verbum: hoc enim sufficit ad

mani-

manifestationem omnem tam actiuè, quàm passiuè sumptam; non igitur necesse est, vt ait S. Tho. ex hoc, quod ponitur verbum Dei metaphoricè, poni in Deo verbum propriè, vt distinguitur contra communiter, quod scilicet sit verbum personaliter dictum. *Resp.* primò rationem D. Thom. non esse demonstratiuam sed probabilem. Nec obstat modus loquendi, cum ait: sed necesse est si ponitur &c. hæc enim necessitas ad verbum propriè, id est non metaphoricè dictum refertur: siue illud sit personale siue essentiale. Sed quia de facto manifestatio hęc verbi metaphoricè dicti refertur ad verbum personaliter dictum; ideò in fine responsionis deducitur, oportere in Deo poni verbum propriè dictum, quod personaliter dicatur; & huic consonat notatio Caiet. dicentis discursum hûc nõ tenere gratia formæ, sed gratia materiæ. Vnde potest secundò dici rationem hanc esse necessariam gratia materiæ, non gratia formæ. Tertiò dici potest D. Th. loqui de verbo, quod simpliciter hoc est sine addito siue absque conditione diminuẽte verbum est; sequitur enim, si verbum metaphoricè ponitur, quod scilicet manifestet verbum simpliciter dictum, aut manifestetur verbo simpliciter dicto, esse in Deo verbum simpliciter dictum: hoc autem est verbum personale. Nam vt supra diximus cum D. Th. si aliquid eorum quæ sunt de ratione alicuius auferatur, non erit propria acceptio. Cum itaque verbo essentialiter dicto desint aliqua, quæ sunt de ratione verbi strictè sumpti: verbum essentialiter dictum non erit propriè, id est stricte & simpliciter verbum, sed tantũ secundum quid siue communiter.

Solut. Verbũ metaphoricè quomodo inferat verbũ propriè.

DISPVTANT hic recentiores in responsione ad tertium, *an dicere sit notionale tantum vel etiam essentiale?* & probant esse tantum notionale. Videndi sunt Zumel. & Vas. De hoc nos plura diximus *supra q. 27. a. 1. in 3. contr. & alibi.* Quædam alia versat hic Zumel. *disp. 2.* de quibus *in eadem quæst.* disputauimus *in dicta controuersia.*

Videnda sunt etiam, quæ notat Caiet. *super hoc a. & q. 14. a. 4.*

ARTICVLVS II.

Vtrum verbum sit proprium nomen Filij.

190. ii. dis. 27. q. 2. Et veri. q. 4. a. 3. & op. 1. c. 11.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod verbum non sit proprium nomen filij. Filius enim est persona subsistens in diuinis. Sed verbum non significat rem subsistentem, vt in nobis patet. Ergo verbum non potest esse proprium nomen personæ filij.

2 Præterea. Verbum prolatione quadam procedit à dicente: si ergo filius est propriè verbum, non procedit à patre, nisi per modum prolationis.

Lib de hæresib. c 11. Quod est hæresis Valentini, vt patet per Aug.* lib. de hæresib.

tom. 6. 3 Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ significat proprietatem aliquam eius. Si igitur verbum sit proprium nomen filij, significabit aliquam proprietatem eius: & sic erunt plures proprietates in diuinis, quàm supra enumeratæ

183. sunt e.

4 Præterea. Quicunque intelligit, intelligendo concipit verbum. Sed filius intelligit. Ergo filij est aliquod verbum. Et sic non est proprium filij, esse verbum. †

† Lib. 5. cõ.

5 Præterea. Heb. 1. dicitur de filio: Portans omnia verbo virtutis suæ. Ex quo Basilius † accipit, quòd Spiritus sanctus sit verbum filij. Non est ergo proprium filij, esse verbum.

tra Eunom. cap. 11.

Sed contra est, quod Augustinus dicit * 6. de Trinitate. Verbum solus filius accipitur.

* Lib 6 de tr. c. 2. in fi. tom. 3.

Respon. Dicendum, quòd verbum propriè dictum in diuinis, personaliter accipitur, & est proprium nomen personæ filij. significat enim quandam emanationem intellectus. Persona autem, quæ procedit in diuinis secundum emanationem intellectus, dicitur filius, & huiusmodi processio dicitur generatio, vt supra * ostensum est. Vnde relinquitur, quòd solus filius propriè dicatur verbum in diuinis.

* Q. 27. art. 1.

B Ad Primum ergo dicendum, quòd in nobis non est idem esse, & intelligere. Vnde illud, quod habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram: sed esse Dei est ipsum eius intelligere. e Vnde verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus eius, sed pertinet ad ipsam naturam eius: & ideo oportet, quòd sit aliquid subsistens. Quia quicquid est in natura Dei, subsistit. & ideò Damascenus dicit, * quòd verbum Dei est substantiale, & hypostasi ens. Reliqua verò verba, scilicet nostra, virtutes sunt animæ.

87.

* Li. 1. Orth. fid. c. 18 non procul à fi.

Ad Secundum dicendum, quòd non propter hoc error Valentini est damnatus, quia filium dixit prolatione natum. vt Arriani calumniabantur, sicut Hilarius refert * sexto de Trinitate. sed propter varium modum prolationis, quem posuit, sicut patet per Aug. * in lib. de hæresibus.

C

* Li 6 de tri. non remote à princ. Loco in arg. citato.

Ad Tertium dicendum, quòd in nomine verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine filij. Vnde dicit Augustin. Eo dicitur verbum quo filius. Ipsa enim natiuitas filij, quæ est proprietas personalis eius. diuersis nominibus significatur: quæ filio attribuuntur ad exprimendum diuersimodè perfectionem eius. nam, vt ostendatur connatur alis patri, dicitur filius: vt ostendatur coæternus, dicitur splendor: vt ostendatur omnino similis, dicitur imago: vt ostendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum. Non autem potuit vnum nomen inueniri, per quod omnia ista designarentur.

D

Ad Quartum dicendum, quòd eo modo conuenit filio esse intelligentem, quo conuenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in diuinis, * vt dictum est. est autem filius Deus genitus, non autem generans Deus. vnde est quidem intelligens, non vt producens verbum, sed vt verbum procedens, prout scilicet in Deo verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu diuino, sed relatione sola distinguitur à principio verbi.

a 4 17. Q. 14. art. 2, & 4.

Ad quintum dicendum, quòd cùm de filio dicitur, Portans omnia verbo virtutis suæ, verbum figurate accipitur pro effectu verbi. Vnde * glo. ibi dicit, quòd verbum sumitur pro imperio, inquantum scilicet ex effectu virtutis verbi est, quòd res conseruentur in esse, sicut ex effectu virtutis verbi est, quòd res producantur in esse. Quòd verò Basilius interpretatur verbum pro Spiritusancto, improprie, & figurate locutus est, prout verbum alicuius dici potest, omne illud quod est manifestatiuum eius, vt sic ea ratione dicatur Spiritus sanctus verbum filij, quia manifestat filium.

E

Glosa interlinearis, ibidem.

Sensus quæsiti.

ADVERTIT hic Cai. dictionem illam *proprium*, distingui contra commune & contra extraneum, id est adiacens per modum accidentis; quemadmodum Petrus nomen est principis Apostolorum: significat enim eius substantiam: Bariona verò, id est filius Ionæ &

amore feruens, propria non sunt eius nomina; A cum non significent eius substantiam, sed adiacentia quædam eidem accidentia. Sensus ergo est, vt ait Caiet. vtrum verbi nomen in diuinis soli filio conueniat, vt eius personalis proprietas, id est forma personæ constitutiua. *Quam expositionem* reprehendit Vasq. dicens secundam in Trinitate personam, etsi non tantum sit propriè verbum id est sola sit verbum, sed etiam propriè id est non metaphoricè, & propriè id est non ab extrinseco, sed suaptè natura & charactere; nihilominus S. Th. de his duobus posterioribus modis nihil curare, licet (inquit) oppositum falsò existimet Caiet. *in a. 2. quæst. præcedentis* refutatus. *Sed quemadmodum* in illius B quæsiti explicatione demonstrauimus sensum illum legitimum esse, quem Caiet. expressit: sic & multò facilus veram esse prædictam nostri Caiet. expositionem ostendimus. Nam conclusio & eius probatio inferius adducenda paulò attentius considerata, triplicem illum vocis *proprij*, sensum admittit: immò & necessariò claudit. Et præterea primum & tertium argumentum, ac eorum responsiones agunt de proprio, quatenus distinguitur ab extraneo; postremum autem & eius responsio proprium examinat, non solum vt distinguitur contra commune, sed etiam vt est à metaphorico separatum.

Censura Vasquezij.

Defensio.

Dicunt quidam primam proprij intelligentiam continere postremam, sicut inferius continet superius; quia omne proprium contra commune est proprium contra extraneum; quod ominò falsum est; nã risibile est homini propriũ id est non commune, & tamen extraneum est id est non substantiale. C

Forma Textus.

CONCL. *Verbum propriè dictum in diuinis personaliter accipitur, & est proprium nomen filij.* Probatur. Verbum propriè dictum in diuinis significat quandam emanationem intellectus. At D persona, quæ procedit in diuinis, secundum emanationem intellectus dicitur filius & eius processio dicitur generatio; ergo solus filius propriè dicitur verbum in diuinis. Maior & minor patent ex supra dictis *in quæst. 27. art. 1. & 2.*

Expositio Textus.

VIM huius discursus subtiliter explicat Caiet.

Responsio ad primum argum. explicata fuit *supra q. 27. a. 2.*

Secundum autem argumentum, & eius responsio quo ad hæresim Valentini explicatur hic à E Vasq. prædictam hæresim ex Patribus distinctè referente.

Quintum autem argumentum & eius responsio perspicuè declarantur à D. Th. *de verit. q. 4. a. 3.* & à Vasq *super hoc a.* & Suar. *lib. 9. de Trinit. c. 1. nu. 11.* qui planius explicat Apostoli verba Heb. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.*

ARTICVLVS TERTIVS

Vtrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturam.

191. 1. dist. 27. q. 2. art. 2. Et ver. q. 4. a. 3. & quol. 4. q. 4. a. 1. ad 5. † Ari. 1. hu-

AD Tertium sic proceditur. *Videtur, quod in nomine verbi non importetur respectus ad creaturam. Omne enim nomen connotans effectum in creatura, essentialiter in diuinis dicitur; sed verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter,* † *vt dictum est: ergo verbum non importat respectum ad creaturam.*

2 *Præt. Quæ important respectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, vt Dominus, & creator: sed verbum dicitur de Deo ab æterno. Ergo non importat respectum ad creaturam.* im quæst.

3 *Præterea. Verbum importat respectum ad id à quo procedit: si ergo importat respectum ad creaturã, sequitur, quòd procedat à creatura.*

4 *Præterea. Ideæ sunt plures secundum diuersos respectus ad creaturas. Si igitur verbum importat respectum ad creaturas, sequitur, quòd in Deo non sit vnum verbum tantum, sed plura.*

5 *Præt. Si verbum importat respectum ad creaturam, hoc non est nisi in quantũ creaturæ cognoscuntur à Deo. sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia. Ergo in verbo importabitur respectus ad non entia. quod videtur falsum.*

Sed contra est, quod dicit Aug. * *in lib. 83. quæstionum, quòd in nomine verbi significatur non solum respectus ad patrem, sed etiam ad illa quæ per verbum facta sunt operatiua potentia.* * Lib. 83. qu. q. 63 to. 4.

Resp. Dicendum, quòd in verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur. Vnde in nobis sunt diuersa verba, secundum diuersa, quæ intelligimus. Sed quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum verbum eius est expressiuum, non solum patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua, & factiua: est ita verbum Dei, eius quod in Deo patre est, est expressiuum tantum: creaturarum vero est expressiuum, & operatiuum; & propter hoc dicitur in Psal. 32. Dixit & facta sunt, quia importatur in verbo ratio factiua eorũ, quæ Deus facit. 95.

Ad Primum ergo dicendum, quòd in nomine personæ includitur etiam natura oblique. c Nam persona est rationalis naturæ individua substantia: in nomine igitur personæ diuinæ quantum ad relationem personalem non importatur respectus ad creaturam, sed importatur in eo quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet, inquantum includitur in significatione eius essentia, quod importetur respectus ad creaturam. Sicut enim proprium est filio quòd sit filius: ita propriũ est ei, quod sit genitus Deus, vel genitus creator. & per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine verbi. 172.

Ad Secundum dicendum, quòd cum relationes cõsequantur actiones, quædam nomina important relationem Dei ad creaturam, quæ consequitur actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, sicut creare & gubernare, & talia dicuntur de Deo ex tempore. e Quædam verò relatio est, quæ consequitur actionem nõ transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, vt scire, & velle, & talia non dicuntur de Deo ex tẽpore: e & huiusmodi relatio ad creaturã importatur in nomine verbi. nec est verum, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas omnia dicantur ex tempore, sed sola illa nomina, quæ importãt relationem consequentem actionem Dei in exteriorẽ effectum transeuntem, ex tempore dicuntur. e 74. c 94. a 97. b

Ad Tertium dicendum, quòd creaturæ non cognoscuntur à Deo per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Vnde non oportet quòd à creaturis procedat verbum, licet verbũ sit expressiuum creaturarum.

Ad Quartum dicendum, quòd nomen Ideæ, principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam. Et Ideo pluraliter dicitur in diuinis, e neq; est personale. Sed nomẽ verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicẽtem, & ex cõsequeti ad creaturas, inquantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam. Et propter hoc in diuinis est vnicum tantum verbum & personaliter dictum. 97. b

Ad Quin-

*Ad Quintum dicendum, quod eo modò quo scientia Dei est non entium, & vebum Dei est non entium, quia non est aliquid minus in verbo Dei quàm in scientia Dei, vt * Aug. dicit. Sed tamen verbum est entium vt expressiuum & factiuum. non entium autem vt expressiuum & manifestatiuum,* e.

Lib. 15. de tri. c. 14. parum à princip. tom. 3. 98.

Sensus quæsiti.

HIC QVAERITVR secundarium significatum, siuè connotatum huius nominis verbum, prout de Deo dicitur; hic verò est respectus ad creaturas. In quo quæsito duo sunt obseruanda. *Primum* est, hic non quæri vtrum res quæ est verbum, nimirum secunda persona Trinitatis, respiciat creaturas? sed, vtrum res illa diuina, vt verbi nomine significatur, respiciat creaturas, quas non respicit, vt significatur nomine filij, aut imaginis? *Secundum* est, hic S. Tho. loqui de verbo, vt est perfecta similitudo expressa diuinæ essentiæ, & consequenter secundum omnia in ea quocunque modo contenta; quod est loqui de verbo quo ad eius totale significatum; de quo *infra in responsione ad quartum.*

Forma Textus.

AD QVAESITVM respondet S. Thom. tribus conclusionibus gradatim ordinatis, *secundum* maiorem communitatem.

PRIMA quæ est omnium communissima, talis est. *In verbo importatur respectus ad creaturas.* Probatur. Verbũ mente conceptum est repræsentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur: sed Deus intelligendo se intelligit omnem creaturam; ergo in verbo importatur respectus repræsentatiui ad omnem creaturam, tanquam repræsentatam.

SECVNDA CONCL. *Verbum Dei est expressiuum Patris, & creaturarum.* Probatur ex eodem principio. Verbum Dei est repræsentatiuũ & expressiuum omnis eius, quod actu intelligitur; sed Deus vno actu se & omnia intelligit; ergo vnicum verbum eius est expressiuum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Maior probatur; quoniam in nobis sunt diuersa verba secundum diuersa quæ intelligimus. ergo.

TERTIA CONCL. *Verbum Dei eius, quod est in Deo Patre, est expressiuum tantum: creaturarum verò est expressiuum & operatiuum.* Probatur dupliciter. Primò. Scientia Dei est Dei quidem cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua & factiua; ergo & verbum Dei, eius quod est in Patre &c. Secundò probatur authoritate *psalmi. 32.* quo ad secundam partem: *Dixit & facta sunt*: quibus verbis significatur in verbo importari rationem factiuam eorum, quæ Deus facit.

Expositio Textus.

FERRAR. *in 4. contra gent. cap. 13. §. Ad cuius euidentiam,* luculenter explicat sensum & probationem secundæ & tertiæ conclusionis. Reliqua verò, quæ ad huius litteræ explicationem videntur esse necessaria, examinabuntur inferius in specialibus controuersijs.

In Respons. ad 1. aduerte, essentiale adiunctum notionali; prout scilicet eo notionali quodam modo modificatur & contrahitur, proprium esse personæ, cuius est illud notionale. Nàm, vt ait hic S. Doct. sicut proprium est filio, quòd sit filius: ita proprium est ei, quod sit Deus genitus vel creator genitus.

Circa. respons. *ad 4.* vt intelligas, quomodo nomen ideæ sit impositum ad significandum respectum, vide quæ supra diximus *q. 15. a. 2. controu. vnica,* de formali significatione ideæ; vbi conciliauimus dicta D. Thom. Quibus adde, relationem ad creaturas non esse de intellectu, siue ratione formali verbi diuini; quod optimè potest intelligi cum solo respectu ad per se primò obiectum, quod essentia.

Circa Responsionem ad quintum vide quę supra diximus *q. 14. a. 9. in expositione litteræ.*

PRIMA CONTROVERSIA.

An verbum diuinum procedat ex cognitione essentiæ, personarum & creaturarum: an autem ex cognitione solius essentiæ?

PRIMA *sententia* est Scoti, quam referunt Cai. & alij S. Th. interpretes *super hoc articulo,* & explicat Rada *contr. 11.* Consistit autem in quatuor propositionibus hæc opinio. *Prima* eius propositio est: Verbum non producitur de cognitione essentiæ, nec vt principio quo, nec vt productione, sed immediatè à memoria fœcunda Patris per actum dicendi, cognitione aliqua non concurrente: licet cognitio essentiæ diuinæ præsupponatur: Ex quo deducit Rada falsò tribui Scoto à Cai. & alijs, quòd asserat verbum produci de cognitione essentiæ: fatetur tamen cum Ferrariensi *in 4. contra gent. cap. 13.* cum dicimus verbum diuinum de scientia Patris originari, intelligendum esse, accipiendo scientiam Patris per modum actus primi, non autem per modum actus secundi; nec alium sensum Scoto tribuit Cai. *Secunda* eiusdem sententiæ propositio. Cognitio diuinæ essentię, nõ tamẽ creaturarum, præsupponitur productioni verbi: sed vtramq; processionem scilicet verbi & amoris consequitur in Deo cognitio creaturarum; quoniam diuina essentia in ratione obiecti mouet primò diuinum intellectum ad cognitionem essentialem: secundò mouet ad dilectionem sui infinitam: tertiò ad productionem notitiæ genitæ, quæ est verbum: quartò ad productionem Spiritus S. vltimò ad cognitionem creaturæ & productionem eius in esse cognito. *Tertia* eiusdem propositio; Esse obiectiuum lapidis non præcedit cognitionem diuinã, sed per eam producitur, quod esse obiectiuum est esse diminutum & secundum quid, non reale sed rationis. *Vltima propositio.* Cognitio intuitiua diuinarum personarum ad proprias earum subsistentias terminata, non præsupponitur ad verbi productionem: nec ex cognitione intuitiua nascitur, immò nec ex cognitione essentiæ procedit: Quæ singula dicta multis argumentis Rada confirmat, ex quibus nos inferius ea, quæ Thomisticæ veritati sunt aduersa diluemus.

Sententiæ Doctorum.

His adde Scotum *in 1. dist. 32. q. 1. ad vltimum* affirmare verbum sic procedere de scientia solius essentiæ, vt non procedat tanquam verbum personæ, nisi concomitanter; quia scilicet coniuncta est essentiæ necessariò: & *in 2. dist. 1. q. 1. a. 2. & quolib. 14. §. Hic intelligendum est,* ait verbum procedere ex sola cognitione obiecti primarij. Et cum *in 1. distin. 27. q. 3.* dicat personas non pertinere ad primarium obiectum diuinæ visionis, sequitur de mente Scoti verbum non procedere ex cognitione diuinarum personarum formaliter. Eandem sententiam Scoti

quo ad cognitionem creaturarum paulò subtilius explicat Vasquez *disp. 143. cap. 2.*

Valentia duo dicit. *Primum.* Verbum procedit ex cognitione omnium. *Secundum.* Verbum procedit ex cognitione creaturarum quo ad existentias. Quam sententiam vt probabilem sequitur quidam modernus Thomista *in defensionibus suis Theologicis super hoc art.*

Vasquez dicit quinque. *Primum.* Essentia & attributa comparantur cum verbo Dei, sicut principium illius non producens, sed intelligibile per modum obiecti: hoc est, per quorum cognitionem nostro modo intelligendi per se procedit. *Secundum.* Negari non potest verbum procedere per intuitiuã cognitionem & scientiam, quæ circa duas personas, patris nimirum & ipsius verbi, tanquam circa obiectum per se necessarium versatur. *Tertium.* Spiritus S. nõ potest comparari vt obiectum per se requisitum ad productionem verbi. *Quartum.* Spiritus S. procedit etiam amore sui, sicut verbum sui cognitione. *Quintum.* Verbum non procedit per cognitionem creaturarum formaliter, nec ad illius productionem vllo modo creaturæ se habent vt principium intelligibile, sed ex sola cognitione essentiæ & personarum iam dicta producitur.

Suarez *lib. 9. de Tri. ca. 4. & seq.* suam sententiam explicat nouem propositionibus. *Prima.* Verbum pocedit ex cognitione omnium absolutorum & attributorum quæ in Deo sunt formaliter. *Secunda.* Verbum diuinum per se procedit ex cognitione totius Trinitatis, omniumque relatiuorum simul cum absolutis. *Tertia.* Verbũ procedit ex cognitione personarum primariò ex parte actus, secundariò autem ex parte obiecti. *Quarta.* Nullo modo admittendum est verbum esse principium suæ processionis, aut Spiritum S. esse principium productionis verbi. *Quinta.* Paternitas in Patre non concurrit nostro modo intelligendi per modum obiecti motiui, seu speciei intelligibilis ad eam cognitionem, qua producitur verbum. *Sexta.* Verbum procedit ex cognitione intuitiua omnium personarum. *Septima.* Verbum procedit ex scientia simplicis intelligẽtiæ creaturarum possibilium. *Octaua.* Verbum diuinum non procedit ex scientia creaturarum existentium vt sic, seu ex scientia visionis, aut libera vel contingẽte, vt talis est. *Nona.* Verbum diuinum non procedit ex scientia media.

Pesantius duo dicit. *Primũ:* Verbũ diuinũ procedit non tantum ex cognitione essentiæ diuinæ, sed etiam ex cognitione diuinarum personarũ *Secundum.* Verbum diuinum non procedit ex cognitione naturali, aut libera creaturarum.

Ferrariensis *in 4. cont. gent. cap. 13.* affirmat verbum Dei procedere de scientia diuinæ essentiæ, personarum & creaturarum: ità tamen vt prius secundum nostrum modum intelligendi actus diuini intellectus terminetur ad verbum tanquam eius productio, quàm terminetur ad diuinam essentiam & ad creaturas, tanquam ad res intellectas.

Molina priorem partem admittit, posteriorem negat cum Valentia: & addit notitiam illam quam Pater habet in illo priori de Filio & Spiritu S. non esse abstractiuam & simplicis intelligentiæ sed visionis.

Zum. *hic disp. 1.* quatuor dicit. *Primũ* Verbũ ex vi suæ productionis procedit ex cognitione essentiæ & personarũ & creaturarum omniũ, quæ eminenter continentur in Deo. *Secundum.* Verbũ diuinum procedit ex intuitiua cognitione essentiæ diuinæ & personarum. *Tertium.* Quando dicitur, quòd verbum diuinum procedit ex cognitione omnium creaturarum, intelligendũ est non de scientia simplicis intelligentiæ. *Quartum.* Nullo modo dicendum est, quod verbum procedat à creaturis vt cognitis, quod idem affirmat Bannes, etiam loquendo, de personis.

D. Thom. *hic*, & expressius *a. 1. huius q. ad 3.* docet verbum Dei natum esse ex omnium cognitione, quæ sunt in scientia Patris, scilicet essentiæ, personarum & omnis alterius simplici intelligentia, non autem visionis, vt exponit Caiet. addens Deum Patrem prius intelligere quicquid naturaliter relucet in diuina essentia, quàm producat verbum: ita tamen vt verbum principaliter exprimat essentiam & secundariò creaturas: sicut Deus intelligit principaliter suã essentiam & secundariò creaturas, prout dictiones illæ *principaliter & secundariò* idẽ significant, quod in se & in alio. Nam creaturas intuetur Deus nõ in seipsis primò sed in essentia sua; seipsum autẽ siue suam essentiam intuetur in seipso. Sententiam hanc D. Tho. sequuntur Capr. *in 1. dist. 27.* & alij Thomistæ communiter.

Sex sunt huius controuersiæ partes præcipuæ. *Prima* de cognitione obiectiua personarum in Deo procedentium, scilicet filij & Spiritus S. *Secunda* de modo cognitionis passiuæ siue obiectiuæ duarum personarum scilicet filij & Spiritus S. an scilicet ea cognitio sit visionis aut simplicis intelligentiæ. *Tertia* de cognitione creaturarum. *Quarta* de eodem modo cognitionis quo ad creaturas. *Quinta* de ordine cognitionis & productionis verbi. *Postrema* de modo loquendi, an scilicet dici possit verbum procedere ex se ipso & Spiritu S. vel creaturis vt cognitis vel vt obiectis primarijs aut secundarijs, aut etiam vt principijs productionis. De quibus omnibus ita distinctè & ordinatè disserendum est, vt ex singulorum veluti membrorum congrua dispositione, perfectum eius, quam instituimus, controuersiæ corpus exurgat. *Partitio controuersiæ.*

Cvm Dvo sint in Deo formaliter existentia, nimirum absoluta & relatiua realia, siue sint personarum constitutiua siue distinctiua tantũ, siue etiam ipsæ personæ diuinæ constitutæ; absoluta verò sint essentia & attributa; summa est Scholasticorum consensio verbum ex omnium absolutorum cognitione procedere; quamuis in modo loquendi videatur Scotus & eius discipuli à nobis dissentire. Cuius veritatis est præcipua ratio; quia primarium obiectum intellectionis diuinæ, qua verbum procedit, est ipsa diuinitas formaliter continens essentiam & attributa. Igitur necesse est productionem verbi diuini esse primariò ex cognitione essentiæ & attributorum. De paternitatis etiam siue Patris notitia nulla, nisi apud Scotum, potest esse dubitatio, quin ex ea sicut ex absolutorum intelligentia procedat verbum; quod etiam in textu perspicuè docet S. D. De relationibus autem filiationis & processionis, aut etiam de personis per eas constitutis, an scilicet ex earum cognitione procedat verbum, nonnulla dissensio est. Scotus enim vniuersaliter negat: Vasquez cum communi consentit, præterquam in relatione siue persona Spiritus S. de cuius notitia negat produci verbum. *Resolutio. Verbum procedere ex cognitione essentiæ, & omnium personarũ, non solum prout est simplex intelligentia, sed etiam prout est visio.*

Vtriusque tamen sententiæ falsitatẽ euidenter ostẽdit superius adducta ratio, qua probatur secũda cõclusio; cuius efficacitatem indicat Caiità discurrens: Verbum per se & necessariò procedit non ex qualicunque cognitione deitatis

siue

siue essentiæ diuinæ, sed ex comprehensione A eiusdem; at comprehensio deitatis notitiam includit essentiæ, personarum & omnis intelligibilis, ergo &c. Maiorem relinquit vt notam: Minorem verò probat; quia essentia diuina formaliter & obiectiuè comprehendit omne intelligibile. Deinde probatur ex supradictis *q. 28. ar 2. contr. 1.* vbi definiuimus cum D. Thom. & Caietan. diuinam essentiam & relationes illi comparatas secundum se vnam esse rem & rationem formalem simplicissimam, altiorem re absoluta & relatiua, & vtramque realiter & formaliter continentē. Sic igitur argumentor: Cognitio rei comprehensiua rem ipsam cognitam totaliter attingit, secūdum omnem eius realita- B tem, modum & rationem formalem intrinsecam & quidditatiuam: at relationes & personæ per eas constitutæ secundum se pertinent ad vnam & simplicissimam realitatem & rationem formalē simplicissimam deitatis; igitur cognitio comprehensiua deitatis notitiam includit essentiæ & relationum subsistentium siue personarum. Maior huius argumenti patet ex definitione comprehensionis superius explicata *q. 12. a. 7.* Minor probata est *in dicta controuersia*. Maior autem principalis argumenti probatur primò ex D. Th. & Aug. *hic ad 4. & 5.* Verbum Dei vnum tantum est; nec aliquid minus est in verbo Dei, C igitur verbum Dei per se & necessariò procedit ex cognitione comprehensiua deitatis; alioquin aliquid minus esset in verbo Dei, quàm in scientia Dei; nec verbum esset adæquatū diuinæ cognitioni; nec esset vnum tantum sed plura. Secundò. Verbum Dei procedit ex cognitione perfectissima Patris; hæc verò necessariò est comprehensiua; ergo &c. Tertiò. Verbum ex vi paternæ cognitionis procedit simpliciter infinitum; ergo per se & necessariò procedit ex cognitione comprehēsiua. Præterea sic impugnātur opiniones prædictæ: Pater se ipsum cognoscit vt genitorem & spiratorem, & ex hac cognitione producit verbum: at seipsum non potest vt D genitorem & spiratorem cognoscere, nisi simul cognoscat filium & Spiritum sanctum. ergo &c. Et specialiter contra Vasq. argumentor.

Contra Vasquezium. Pater in eo signo quo verbum producit, cognoscit verbum non tantum vt verbum, sed etiam vt spiratorem: ergo cognoscit etiam illius terminum, qui est Spiritus S. Antecedens probatur; quia verbum non solum procedit vt verbum, sed etiam vt spirator; at Pater in eo signo verbum comprehendit; ergo cognoscit ipsum vt spiratorem. Consequentia patet; quia spirator relatiuè dicitur ad spiratum: relatiuaverò simul sunt natura & cognitione. *Sed nititur Vasq.* hæc E

Vasquezii responsio. argumenta diluere, dicens cognitionem patris non secundum omnem perfectionem realem comparari cum filio, vt productionem illius, sed secundum illam, quæ respicit obiectum & principium per se filij vt filius est: talem autem non esse cognitionem patris, quatenus ad spiritum sanctum refertur, vel etiam ad spiratorem; quātuis filius vt spirator est, procedat per cognitionem patris, prout terminatur ad notionem spiratoris & ad personam Spiritus Sancti. *Sed hæc*

Confutatio. *solutio* deficit multipliciter. Primò; quia eadem ratione dici posset intellectionem patris esse filij productionem, quatenus est formaliter essentiæ & attributorum cognitio; non autem vt respicit patrem aut verbum. Quod verò sit eadem ratio, probatur; quia eadem est omnino trium personarum connexio cum essentia, tam in ratione entis quam in ratione obiecti cognitij; igitur Patris intellectio est verbi productio, prout respicit omnes aut nullam earum, sed solam essentiam & attributa. Secundo: quia ordo originis inter personas diuinas non attenditur nisi penes hoc, quod vna est ab alia: non quia prius natura sit vna aut intelligi debeat quàm alia vt etiam fatetur Vasq. ergo sicut Pater ex sui & verbi cognitione generat verbum, ita etiam ex cognitione spiratoris & Spiritus S. Tertiò; quia obiectum paterni intellectus est diuinitas prout in se est; iam autem diximus, diuinitatem prout in se est, vnius esse rationis formalis indiuisibilis intrinsecè & quidditatiuè continentis absoluta & relatiua: igitur ex horum omnium cognitione per se & necessariò procedit verbum: Vt enim inferius ostendemus, cognitio Patris qua verbum producit intuitiua est, ac proinde obiecti rei cognitæ prout in se est, & prout existenter & nō tantum obiectiuè præsens est. Et quamuis Pater, secundum partialem aliquem conceptum siue concipiendi modum, prout scilicet intelligitur paternitate constitutus & nondum exercitè relatus, intelligatur prior generatione filij, & consequenter ipsomet filio, & eadem ratione Pater & Filius intelligantur priores esse Spiritu S. vt ait S. Tho. *infra q. 40. a. vlt.* & explicat Cai. *42. ar. 3. in respons. ad 2* nullus tamē est secundum se siue realiter prioritatis ordo inter personas illas diuinas, aut earum processiones, & consequenter nec obijciuntur paternæ cognitioni; igitur ex omnium simul cognitione procedit verbum à Patre. Suarez *loco allegato* pluribus opinionem hanc impugnat. & eius argumenta dissoluit. Zumel. *in dicta disp. 1.* multa producit argumenta *pro nostra* sententiæ confirmatione.

2. Pars controuersiæ. Secunda *controuersiæ pars* modum obiectiuæ cognitionis personarum inquirit, an scilicet ea cognitio sit intuitiua an abstractiua, siuè an sit visionis aut simplicis intelligentiæ. Cuius dubitationis solutio perspicuè patet ex dictis. Nam si verbum procedit ex ea patris notitia qua deitatem intelligit prout in se est eadem realiter & formaliter cū relationibus & personis, quę est intuitiua cognitio; necesse est verbum procedere ex intuitiua cognitione essentię & personarum. Et quamuis nostro modo intelligendi sit prius secundum rationem persona patris, quàm generatio filij; & verbi productio, quàm spiritus sancti processio; nihilominus à parte rei nulla diuinarum personarū est altera prior natura aut cognitione; sed ordo tantum inter eas est originis, scilicet à quo alius & qui ab alio. Simul igitur in eodē instāti naturę intuetur Pater essentiā, seipsum, verbum & Spiritum S. vt existentes, vna & eadē indiuisibili existētia, & eadē cognitione producit verbū; & per actū voluntatis spirat amorem, solo existente inter eos ordine originis. Quod autem Patrem vt personam prius existentem, & verbum quasi futurum intelligamus à patre cognosci, nostri causa intellectus infirmitas & imperfectus modus intelligendi diuina; quælibet enim persona secundum se necessariò est & essentialiter existens & idē realiter & formaliter cum essentia diuina, quæ idem est realiter & formaliter quod existentia trium personarum; ac proinde non potest secundum se siuè perfectè & quidditatiuè absque existentia sui & trium personarum cognosci; igitur necessariò cognoscitur Patre intuitiuè, prout scilicet ordine iam dicto est in tribus existens; quamuis ea cognitio non intelligatur à nobis in illo priori, vt actu terminata ad filium aut Spiritum S. ante completam generationem, & processionē:

sed cõcipiatur vt notitia visionis in fieri, & quasi tendens ad terminum siue terminos: sed hæc est (vt dixit) nostræ mentis infirmitas.

3. Pars controuersiæ. Verbũ procedere ex cognitione creaturarũ possibilium, hoc ipso quod procedit ex comprehensione diuinæ essentiæ.

TERTIA *& quidem præcipua controuersiæ pars* est: an verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilum. Ad cuius euidentiam recolẽda sunt ea, quæ latè supra diximus *qu. 14. art. 5. controuersia 1.* de viso in se ipso & de viso in alio; & de modo quo diuina essentia se ipsam & creaturas repræsentat. Ad rem verò præsentẽ illud præcipuè pertinet, nimirũ, creaturas à Deo non in se ipsis obiectiuè, sed in ipsa diuina essentia videri, vt in obiecto formali & adæquato, per eãdẽ essentiã per se primò repræsentato. Cognoscit itaque Deus se ipsum siuè suã essentiã primò creaturas autem secundariò. Qua loquendi forma, vt ibidem aduertimus, nullus etiam secundum nostrum modum intelligendi significatur ordo, quasi pluriũ actuum in diuina cgnitione, quorum vno prius attingatur diuina essentia, & altero posterius creaturæ: sed vnus & idem actus significatur, quo simul Deus videt essentiam & creaturas: illam in seipsa, has autem in essentia; dicimusque diuinam cognitionẽ prius ad essentiam, posterius autem ad creaturas terminari, ità vt dictiones illæ, *prius & posterius* ordinem denotent rerum cognitarum, non autem actuum cognoscendi. Non enim potest Deus seipsum perfectè siuè comprehensiuè cognoscere nisi videat etiam creaturas eminenter in ipso comprehensas; alioquin non esset Deus ipsum esse per essentiam omnes essendi modos possibiles eminentissimè continens, igitur vna & eadem re & ratione perfecta cognitio Deum simul & creaturas attingit. Sed quia Deus in seipso videtur vt primarium obiectum: creaturæ verò in Deo repręsentantur & cognoscuntur vt obiectũ secundariũ in primario: ideò cõuniter dicitur diuinæ cognitionis actũ prius ad essentiam, & posterius ad creaturas terminari; nõ solum quo ad illud esse diuinum, quo creaturæ dicuntur in Deo creatrices essentiæ: verùm etiam quatenus effectus quidam sunt à Deo producibiles. Non potest enim haberi potentiæ perfecta cognitio siuè cõprehensio, nisi simul eodem actu tota latitudo intelligatur obiecti. Igitur non posset Deus suam omnipotentiam perfectè cognoscere, nisi simul intelligeret possibiles creaturas in eius omnipotentia clausas.

Cognitio creaturarũ in Deo ad cõprehensionẽ est necessaria.

Responsio Vasquezij.

Sed resp. Vasq. *c. 6.* Patris notitiam non ideo esse comprehensiuam, quia simul cognoscit creaturas: sed ex eo potius, quòd comprehensiua est essentiæ, hoc habet (inquit) vt omnes creaturas possibiles cognoscere possit: non eodem gradu necessitatis & prioritatis cum ipsa essentia, sed cõsequenter & secundariò, sicut cũ ipsa essentia cõparantur; sicut etiam ad rationem comprehensionis pertinet, vt Deus cognoscere possit decretum voluntatis suæ, & quæ in tẽpore facere decreuit; nec tamen horum cognitio actualis requiritur, vt actu præcedat verbum; quia hæc multò posterius se habent quam verbi productio. Deinde ait omnipotentiam vt à nobis concipitur, intelligi non posse sine creaturis possibilibus; quia relatiuè concipitur: sed quatenus (inquit) est in Deo est absoluta & comprehensiuè cognoscitur sine tali ordine & absque eo, quod actu cum ea intelligantur creaturæ; sic enim nihil aliud est quam ipse Deus in se absolutè perfectus. *Sed hæc*

Confutatio. *friuola sunt.* Nam Patris notitia ideò comprehensiua est formaliter, quia simul primarium obiectum in seipso, quod est essentia, & creaturas in ea vt secundarium obiectum contemplatur: quamuis causaliter, vt quasi formali ratione siuè principio comprehensiua dicatur diuina cognitio, eo quod diuinam comprehendat essentiam, vt potè quę primarium illius est obiectum, in quo videntur possibiles creaturæ. Et si namq; ratio tota diuinæ cognitionis sit essentia, quæ illam etiã adæquat, vt immediatus & per se primò terminus: hoc ipso tamen, quod sic essentia cognitionem adæquat, creaturas comprehendit in ipsa repręsentatas; alioquin illius adæquatum aut per se primò non esset obiectum, sed latius extenderetur diuina cognitio, & creaturas æquè immediatè respiceret vt obiecta: & esset pluralitas & ordo actuum saltem secundum rationem intellectu diuino. Neque eadem aut similis est ratio de diuinæ voluntatis decreto, vel creaturis in tempore producendis, quæ est de possibilibus: nam decretum diuinæ voluntatis & creaturæ per ipsum futuræ præintelliguntur à Deo cognita sub ratione possibilis per scientiam simplicis intelligentię: adeò vt sancito per voluntatẽ decreto creaturis in vniuerso productis, nulla diuinæ cognitioni fiat perfectionis accessio, sed quidam rationis tantum in ea concipiatur respectus ad eadem vt existentia, quæ prius obijciebantur vt possibilia. At in opinione Vasquezij, in hac parte Scotistæ; nulla prorsus supponitur in Deo creaturarum notitia: ac proinde concipitur tunc diuina cognitio vt nondum absolutè perfecta; cum verò deinceps fuerit ad creaturas extensa, debitum intelligitur accipere complementum: Et quamuis vt in Deo est omnipotentia cognosci aliqua ratione posset absq; respectu ad creaturas possibiles, quod nec affirmo nec abnuo: qua ratione tamen in ea res vt fieri possibiles supereminenter continentur, absque earum cognitione comprehendi est impossibile; atque ideò vnico actu paternę mentis completo cognoscuntur essentia & creaturæ eoque procedit Verbum vniuersa cognita repræsentans.

Alia plura minoris ponderis argumenta in huius veritatis confirmationem recentiores accumulant & præsertim Zumel. *disp. 1. concl. 3.* Suarez *in allegato 6. cap.*

4. pars controuersiæ. Verbum nõ ex scientia visionis creaturarũ sed ex notitia tamẽ simplicis intelligentiæ procedere, quæ sola præcedit verbum i. Ratio.

QVARTA *pars controuersiæ* dubitationem affert de modo cognitionis creaturarum, ex qua diximus verbum procedere: *an scilicet ea scientia sit visionis siuè intuitiua & libera: an simplicis intelligẽtiæ siuè abstractiua & naturalis?* Nam quidam modernus Thomista *in defensionibus suis Teologicis ad summam* D. *Tho.* vtramque partem sustinet vt probabilem. Communis tamen est antiquorum & recentiorum Thomistarum sententia verbum in Deo procedere ex sola simplicis intelligentię notitia creaturarum. Probatur hæc veritas. *Primò*: Verbum diuinum procedit tantum ex ea cognitione, quæ necessariò est in Deo: sed talis cognitio est simplicis intelligentiæ, non autem visionis; ergo, &c. Maior probatur; quia processio verbi est naturalissima & summè necessaria, pertinens ad infinitam & naturalem perfectionem deitatis, vt superius ostendimus. Minor verò probatur; quia scientia visionis præsupponit liberum diuinæ voluntatis decretum, de productione creaturarum in esse reali. *Nec obstat*

Responsio

responsio prædicti moderni dicentis visionem creaturarum quo ad entitatem esse necessariam, quo ad obiectum verò liberam: & quod obiectũ illud, prout est in Deo vt quasi in specie intelligibili, præcedit seipsum in se, & verbũ in se; *loquimur* enim de scientia libera formaliter vt libera est, non autem materialiter aut secundum entitatem tantum: obiectum autem scientiæ

Confut.

libe-

tiæ liberæ, vt libera est, non prius intelligitur esse in Deo vt in specie intelligibili, quàm in seipso aut quàm sit verbum in se: quia obiectum visionis non est, nisi prout secundùm actualem suã existentiam, ex libero diuinæ voluntatis decreto dependentem, in rerum natura terminat actũ diuinæ cognitionis: quamuis priusquam existat in rerum natura, speciem habeat in Deo materialiter ipsum repræsentantem, qua cognoscitur vt obiectum simplicis intelligentiæ per diuinam omnipotentiam producibile.

2. Ratio. *Ad huius euidentiam* considerandum est, verbũ diuinum ex vi suæ processionis habere, vt repræsentet non solum creaturas possibiles, sed etiam futuras in quauis differentia temporis: non eadẽ tamen ratione siue modo verbum diuinum vi suæ processionis accipit à patre repræsentationẽ rerum dumtaxat possibilium, & earum quæ futuræ sunt. Nam illarum repræsentationem formaliter accipit, harum verò scilicet futurarum, quamuis formaliter habeat, non accipit tamen vi suæ generationis, nisi fundamentaliter siue radicaliter: atque ideo non ex cognitione libera formaliter, sed materialiter tantum procedit in Deo verbum; sicut enim accipit verbum à patre virtutem spirandi formaliter, relationem autem spirationis actiuæ radicaliter: ita scientiam siue repræsentationem naturalem formaliter, liberam verò radicaliter vi suæ processionis accipit à patre: quamuis habeat vtramque formaliter. Nam decreto diuinæ voluntatis emisso nulla in diuina cognitione aut verbi repræsentatione facta mutatione aut addita perfectione, ex hoc ipso quod diuersum essendi modum recipiunt creaturæ scientia & repræsentatio, quæ naturalis erat simpliciter, nouo rationis respectu fit libera, vt hic aduertit Zum. quem sequitur Suarez. Et eodem modo accipienda sunt, quæ pro hac eadem parte scribit Molina *disp. vnica in probatione 2. partis suæ conclusionis* dicens Patrem non solùm ea communicare filio, quæ generationem antecedunt, sed etiam ea, quæ in filio generationem consequuntur: vt spirare Spiritum S. creare & gubernare; Hæc enim omnia non formaliter sed radicaliter tantum accipit à patre verbum vi suæ generationis: sicut etiam scientiam liberam creaturarum, vt ante diximus. *Denique* probatur eadem veritas; quia naturalia & necessaria liberis in Deo sunt ratione priora & subsistendi consequentia; processiones verò personarum in Deo maximè naturales ac summè necessariæ sunt: decretum autem diuinæ voluntatis de rerum productione, quod est diuinæ scientiæ liberæ fundamentum, est omnino liberum; igitur prior est secundum modum intelligentiæ nostræ diuini verbi processio, quàm liberum diuinæ voluntatis decretum: quod non communicatur à Patre formaliter verbo sub ratione decreti formaliter sed radicaliter siue materialiter tantum: sub ratione verò volitionis formaliter. Et ex his patet eorũ omnium confutatio, quæ modernus prædictus affert pro suæ sententiæ defensione.

3. Ratio.

5. pars cont. Ordo cognitionis ad verbum. QVINTA *pars controuersiæ* est de ordine paternæ cognitionis ad verbi cognitionem: an. I. in patre sit prior verbi productio rerum cognitione, vel è contra. Cuius quæsiti solutio perspicuè patet ex dictis; nam si de rerum possibilium, essentiæ diuinæ, ac personarum notitia sermonem habeamus, præcedere cognitionem in patre necesse est, ex qua procedat verbum, vt ostendimus. Si verò de creaturarum cognitione loquamur, quatenus videntur vt existentes: præcedit necessariò verbi productio modo nostro intelligendi in re fundato. Non enim producitur à patre verbum, vt in eo veluti in obiecto expressè repræsentante cognoscantur omnia, vt Ferrar. existimat: sed ex infinitate procedit diuinæ fœcunditatis, vt latè probauimus in præcedẽtibus.

Ferr opinio reiicitur.

Iam verò superest POSTREMA *controuersiæ* pars de modo loquendi: an scilicet affirmari congruè possit verbum procedere ex seipso & Spiritu sancto, & creaturis, vt obiectis primarijs, aut secundarijs, vel etiam vt principijs productionis, sicut asseruit Vasq.

Non propriè dici verbũ diuinum procedere ex seipso & Spiritu S. & creaturis vt obiectis, aut principijs productionis: vnde aũt per se primò obiectum cũ fluui ex essẽtia, & personis.

Soluitur hæc dubitatio duplici præmissa distinctione. *Prima* est: Duplex potest à nobis intelligi paternæ cognitionis obiectum: Vnum vt cognitum præcisè: Alterum vt cognitum simul & ratio cognoscendi. Ad primum pertinent diuinæ relationes, personæ & creaturæ in Deo visæ. Secundum autem est diuina essentia, quę nedum est obiectum à patre cognitum, sed est etiam ratio cognoscendi relationes ad intra personas & creaturas ob supradictam causam; quia scilicet essentia diuina est per se primò diuinæ mentis obiectum, in quo necesse est vniuersa cognosci. Et cùm ratio cognoscendi causalitatem virtualem in Deo significet iuxta modum intelligentię nostræ, quæ causalitas diuinis relationibus & personis vt sic, & creaturis vt cognitis respectu diuinæ mentis & cognitionis minimè congruit: consequens est relationes, personas & creaturas vt cognitas, non esse principium quo illius cognitionis, qua verbum producitur; & eadem ratione, neque ipsius verbi; igitur tale principium sola est essentia, quæ simul est obiectum paterni intellectus motiuum & terminatiuum.

Duplex paternæ cognitionis obiectum.

Secunda distinctio, qua magis explicatur præcedens, est. Duplex in Deo cognitionis & verbi potest considerari principium: Alterum quod, & alterum quo. Non omne obiectum cognitum est principium quod, siquidem essentia diuina obiectum est à Deo præcognitum, quæ tamen non est principium quod cognitionis & verbi; sicut etiam in visione beatorum obiectum cognitum est essentia Dei, quæ tamen non est principium quod visionis eorum, sed est tantum principium quo. Non est igitur de ratione obiecti cogniti, quatenus obiectum cognitum est, vt rationẽ habeat principij quod respectu cognitionis; sicut non est de eius ratione, vt sit ipsum cognoscens in esse naturali. Illud igitur solum obiectũ cognitum erit principium quod cognitionis & verbi, quod elicitiuum est cognitionis, & quod realiter à verbo producto distinguitur: quod soli Patri conuenit; non tamen sub ea ratione formali qua cognitus est, sed vt talis persona est, cui primò, id est, à se conuenit intellectio. Principium verò quo intellectionis & verbi sola est essentia diuina vt obiectum à Deo primò cognitum, vt ante diximus: sola enim ipsa est obiectum motiuum diuini intellectus, & eius species intelligibilis seipsam primò repræsentans, deinde relationes, ac personas & creaturas: Nam neque Pater aut Filius aut Spiritus sanctus vel relationes earum constitutiuæ, aut pluribus communes rationem habent obiecti motiui aut speciei intelligibilis respectu paternæ mentis & cognitionis: sed essentia sola, quæ species & ratio vnica est non tantum Patri, sed etiam Filio & Spiritui S. totius comprehensiuæ cognitionis, qua seipsos, relationes, essentiam & creaturas intelligunt; hęc enim sola formaliter loquẽdo, Dei perfectio est, tam naturalis quàm intelligibilis: nec vlla, nisi ratione Deitatis, perfectio conuenit relationibus aut personis. Constat autem ad perfectionem Dei

Duplex in Deo cognitionis, & verbi principium.

for-

formaliter pertinere hoc, quod est habere rationem speciei & obiecti motiui in intelligendo.

Ad quæsitum igitur DICO. PRIMO: *Verbum non procedere ex seipso, aut Spiritu S. vt cognitis.* Probatur: quia neque verbum, neque Spiritus S. habent rationem speciei, aut principij motiui, & multò minus principij quod respectu paternæ cognitionis, aut verbi.

DICO SECVNDO, *Verbum non procedere à Patre, vt obiecto cognito, eadem ratione: quamuis ab eo procedat vt dicente.*

DICO TERTIO, *Verbum non procedere à creaturis vt notis; quia nec creaturæ secundùm se sunt obiectum motiuum, aut species,* vel causa speciei diuini intellectus: nec cognitio Dei quouis modo dependet à creaturis; & eadé ratione nullum prædictorum principium est productionis diuini verbi.

POSTREMO DICO, *in bono sensu, quamuis minus aptè, dici posse verbum procedere à prædictis omnibus vt notis formaliter, id est, qua ratione nota sunt, id est, quoad id, quod est eis ratio cognoscendi: hoc verò est essentia; vel vt notis formaliter, id est, ex eorum cognitione.* Et quoniam, vt *in prædicta controuersia q. 12.* notaui, in quolibet obiecto non distinguuntur id quod habet rationem quod, & id quod habet rationem quo, quasi duo obiecta, quorum alterum sit primarium, & alterum secundarium, sed ad vnius obiecti perfectionem vtrumque pertinet, vt videre est in singulis potentiarum & actuum obiectis; idcircò essentia diuina, quam rationem esse dicimus cognoscendi personas & relationes in Deo, non ponit cum illis in numerum, vt essentia sit obiectum primarium, personæ verò & relationes secundarium: sed vtrumque pertinet ad obiectum diuini & paterni intellectus primarium; ac proinde verbum per se & primariò producitur ex cognitione relationum & personarum: non ea ratione tantum, quia ille actus intelligendi, quo producitur verbum, habet essentialiter & per se primò quod sit cognitio non tantum essentiæ, sed etiam personarum, quod est produci per se primò per dictorum cognitionem ex parte actus, vt ait Suarez; verùm etiam ex parte obiecti; quia scilicet æquè primò paterna cognitio terminatur ad essentiam, relationes & personas, vt ad rem maximè vnam secundùm se realiter & formaliter, salua distinctione reali relatiua; Nam etsi diuina essentia modo nostro intelligendi sit ratio cognoscendi personas, atque ideo concipiatur vt obiectum per se primò intelligibile respectu personarum & relationum: vnum tamē & integrum obiectum vt quod constituitur ex essentia, personis & relationibus: ex cuius perfecta cognitione procedit verbum: Et ideo simpliciter enunciādum est verbum procedere ex cognitione diuinarum personarum tanquam ex obiecto primario simul cum essentia; Et consequenter etiam notionalem intellectionem Patris, qua generat verbum, sub se complecti personam Spiritus S. vt cognitam: non solum in primo modo dicendi per se, sed etiam in quarto iuxta declarationem superius factam; quia scilicet paterna cognitio, prout refertur ad personam Spiritus S. vt cognitam, est verbi diuini productio: adeò vt remota cognitione Spiritus S. tollatur processio verbi: eo quod illa cognitio non sit Dei prout in se est comprehensio: sicut etiam ablata per impossibile persona Spiri. S. remanet imperfecta diuinitas; est enim Deus absolutissima necessitate Pater & Filius & Spiritus S. nec alio modo quàm in dictis tribus possibile est Deum subsistere & esse Deum: quamuis imperfecta nostrę mentis intelligentia plures habeat intelligendi modos, tantæ rei secundùm se minimè congruentes. Materiam hanc latius explicant Suar. *in d. lib. 9. c. 5.*

Relationes, & personæ pertinent ad obiectum primarium

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Verbum diuinum procedit ex notitia essentiæ, personarum & omnium relationum ad intra.*

SECVNDA CONCL. *Verbum procedit ex intuitiua cognitione prædictorum omnium .s. essentiæ, personarum & relationum.*

TERTIA CONCL. *Verbum diuinum procedit ex cognitione naturali, quæ est creaturarum possibilium.*

QVARTA CONCLVS. *Verbum diuinum non procedit ex scientia visionis, siue libera creaturarum.*

QVINTA CONCLVS. *Verbi productio præcedit scientiam visionis creaturarum; subsequitur autem scientiam earumdem naturalem.*

SEXTA CONCL. *Verbum diuinum non procedit ex seipso, aut Spiritu S. vt cognitis, ac principijs processionis ipsius verbi propriè, & absolutè loquendo: & eadem ratione neque à Patre vt obiecto cognito, sed tantùm vt dicente.*

SEPTIMA CONCLVS. *Verbum non procedit à creaturis vt cognitis.*

OCTAVA CONCL. *In bono sensu formaliter loquendo dici potest verbum procedere à personis, & creaturis vt cognitis.* Hanc conclusionem significat hic Caiet. cùm ait de mente D. Tho. verbum Dei natum esse ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris. .s. essentia, personis & omni alio intelligibili simplici.

NONA CONCL. *Verbum diuinum per se primò producitur ex cognitione essentiæ, personarum & relationum, non tantùm prout dictio illa* per se primò *se tenet ex parte actus intelligendi, sed etiam prout se tenet ex parte obiecti.*

VLTIMA CONCL. *Notionalis intellectio Patris, qua generat verbum, sub se complectitur personam Spiritus sancti vt cognitam, non solum in primo modo dicendi per se, sed etiam in quarto sano modo intelligendo.*

argumēta, & solutiones.

CONTRA *1. & 2. concl.* sunt argumenta Radæ, quibus *in dicta 11. controu.* probare nititur secundùm mentem Scoti & simpliciter, verbum diuinum procedere non ex cognitione, sed ex memoria fœcunda, per actum dicendi. Sed eius rationes & fundamenta superius *q. 22. a. 1.* copiosè confutauimus. Cùm autem memoriæ fœcundæ nomine fateatur se intelligere paternum intellectum, essentia ipsa diuina vt specie intelligibili actuatum, nihil in hac parte diuersum affirmat à sententia nostra.

Contra easdem concl. argum. Vasquez probans Spiritum S. non posse comparari vt obiectum per se requisitum ad productionem verbi. *Primò.* Quia alioquin sequeretur verbum esse imaginem Spiritus S. Probat sequelam; quia nunc verbū est similitudo illius ipsum repręsentans, cū sit verbum illius, & tunc insuper ab illo saltem vt obiecto procederet: At hoc satis est ad rationem imaginis; ergo &c. Probat minorem; quia licet imago debeat procedere ab eo, cuius est similitudo, tamen sufficit si procedat modo intelligibili vt ab obiecto; ergo. &c. Probatur hoc antecedens; quia si imagines arte depictæ imagines sunt hominum, quas repræsentant, & tamen ab eis, vt ab obiectis modo intelligibili solum procedunt. *Ob. 1. cōt. 1. & 2. concl.*

Respon. nullam esse consequentiam. Ad eius probationem dico falsam esse minorem propo- *Solut.*

sitio-

sitionem. Ad cuius probationem negatur antecedens. Ad eius probationem negatur consequentia: quia filius Dei, quod est verbum diuinum est naturalis & substantialis imago Patris, ad quam per se, & necessariò requiritur similitudo in eadē natura specifica secundum esse naturale: & naturalis processio ab eo cuius est imago, vt ab actiuo principio producente; sola verò similitudo in esse intelligibili aut repræsentatiuo non sufficit ad absolutam & verè propriam rationem imaginis, qualem enunciamus de verbo Dei, cum illum appellamus imaginem. Sed de hoc differemus vberius *in quæst. sequenti.* Secundò dico falsam esse maiorem propositionem quo ad secundam partem, vt patet *ex 6. conclu.*

Obj. 2. *Secundò.* Illud dicitur principium per se alicuius operationis aut cognitionis, quo posito ponitur & quo ablato aufertur in nostra intellectione; at ablato Spiritu S. & illius processione, hoc est non considerato à nobis, intelligimus nihilominus integrè productum verbum à Patre virtute sui intellectus, perfectum Deum, omnipotentem, & cum alijs perfectionibus, quæ diuinæ naturæ tribuuntur; ergo Spiritus S. & processio illius intellecta non comparatur vt principium etiam secundum esse intelligibile, cum productione verbi. Minor probatur; quia generatio vt generatio intelligitur à nobis per se solum in quarto modo dicendi per se ad filiationem, & relationem verbi in diuina essentia terminari: rationem verò spiratoris consequenter in illo intelligimus. Vnde Græci negant filium esse spiratorem, & concedunt ipsum esse verbum Patris

Solut. cum sua integra natura deitatis. *Resp.* primò hoc argumento probari sextam nostram conclusionem; sed quatenus militat contra duas vltimas conclusiones, respondetur secūdò negando minorem. Ad probationem negatur assumptum:

5 Nam generatio verbi diuini, vt generatio perfectissima, non solum terminatur ad filium, sed etiam ad spiratorem; est enim filius spirator ex vi generationis perfectissimę, qua deitatis perfecta natura communicatur, quæ per se, ac necessariò ratio spirandi est Spiritum S. per actum voluntatis, in quauis persona diuina repugnantem conditionem aut oppositam relationem non habente; consequitur igitur spirandi proprietas essentiam non absolutè, sed cum modo & conditione prædicta. Per quod diluitur replica quædam eiusdem expositoris.

Obj. 3. *Tertiò.* Prius intelligitur verbum produci, quàm ex eo procedat Spiritus S. ergo non concurrit Spiritus S. vt obiectum cognitionis intuitiuæ, qua producitur verbum.

Sol. *Resp.* vt ante diximus, à parte rei nullum esse prioritatis ordinē inter diuinas personas, aut processiones earū, sed ordinem tantum originis scilicet à quo alius, & qui ab alio, qui non tollit simultatem secundum se naturæ, & cognitionis; quamuis ex imperfecto modo nostro intelligendi concipiatur verbi generatio vt prior processione Spiritus S. *Reliqua* argumenta, quæ produci possent contra duas illas conclusiones, facilem habent solutionem ex dictis.

Ob. 1 cōt. 3. concl. CONTRA *3.* concl. multa producunt, & soluunt argumenta Capr. Cai. Ban. & Zumel. Cōtra eandem concl. argum. Rada argumento Scoti. *Primò*: Sicut verbum procedit per actum intellectus, ita Spiritus S. per actum voluntatis; ergo si verbum procedit vt verbum omnis intelligibilis intellecti, similiter Spiritus S. vt amor omnis amabilis amati: sed hoc consequēs est falsum; ergo &c. Falsitatem consequentis probat primò; quia ex eo sequitur Spiritum S. ex vi suæ processionis esse amorem creaturę sicut essentię. Secundò; quia sequitur, vel Deum necessariò amare creaturas, vel Spiritum S. non necessariò spirari: quorum vtrumque est falsum. *Resp.* nullam esse consq. quia Deus necessariò cognoscit creaturas, & earum cognitio Deo est connaturalis; at non amat eas necessariò, sed liberè: Ita respondent Cai. Ban. & Zumel. qui latè & eruditè explicat vim responsionis impugnata priori responsione Caietani vt minus apta; cuius nos probabilem sensum aperiemus inferius. Videndus est Ferrar. *in dicto c. 13.* vbi tertiam addit responsionem minimè tamen aptam.

Sed hanc responsionem sic arguit Rada. Quāuis Deus amore efficaci nō diligat creaturas possibiles, sed merè liberè, diligit tamen eas necessariò amore complacentiæ, quo ad esse intelligibile, & possibile earum; gaudet namque necessariò, quòd tale esse in sua essentia habeant; Ergò Spiritus S. ex creaturarum amore necessariò procedet, cuius oppositum affirmat responsio. *Secundò.* Sicut amor essentiæ sine amore creaturarum est perfectissimus: ita cognitio essentiæ sine cognitione creaturarum est perfectissima. Ergò &c. Antecedens probatur quia sicut creaturæ nihil bonitatis intensiuè addunt diuinæ bonitati: ita nec aliquid entitatis & intelligibilitatis addunt intensiuè diuinæ entitati & essentiæ; Ergò. &c. Probatur hoc antecedens; quia diuina essentia est obiectum infinitum intensiuè, etiamsi creatura aliqua non esset possibilis; Ergò cognitio ei adæquata intensiuè, infinita erit intensiuè; quia cognitio & obiectum commēsurari debent. *Resp.* ad primum admittendo totum argumentum. Vt enim supra docuimus *qu. 20. a. 2.* contra Suar. quamuis Deus absolutè loquendo non diligat creaturas possibiles, diligit tamen eas secundum quid, quatenus earum vult bonitatem in esse possibili. Nec in responsione negatur ex tali amore necessario procedere Spiritum S. sed ex amore simpliciter; in quo sensu possunt accipi verba Caiet. dicentis parem esse rationem de re intellecta in Deo, & de re amata in Deo: quatenus scilicet est præcisè possibilis in actiua Dei potentia. *Ad secundum* negatur antecedens loquendo de amore simpliciter: non enim est eadem ratio. Ad probationem negatur consequentia; quia licet creaturæ nihil essentiæ Dei perfectionis adiungant: diuinæ tamen cognitionis perfectio, qua suam comprehendit essentiam secundum omnem eius gradum, & virtutem, possibilium creaturarum necessariò cognitionē includit, vt perspicuè declarauimus, & efficaciter ostendimus *in tertia parte huius cōtrouersiæ.* Præterea falsum est diuinam essentiam fore infinitam intensiuè, si nulla esset creatura possibilis; nam propriè loquendo possibiles verè, & realiter sunt creaturæ per actiuam Dei potētiam, qua à Deo remota tollitur eius infinitas intensiua.

Sol. 2.

Sol. prim. qu. 20. a. 2.

Sol. posterioris.

Contra responsionem hanc argumentatur Rada. *Primò.* Si diuina cognitio ad esse diuinæ essentiæ solum terminata, & non ad creaturas, non erit perfectissima; Ergò Deus quo ad intellectum non perfectè beatificatur in cognitione suæ essentiæ absque creaturarum cognitione: at hoc est falsum, & contra Augusti. *5. confessionum dicentē: Beatus est, qui te, & illa nouit* (.s. creaturas) *sed non beatior propter illa*; Ergò diuinæ essentiæ cognitio ad ipsam præcisè terminata est perfectissima: adeò vt perfe-

Replica.

Augustin.

ctior

ctior intensiuè excogitari non possit, licet maior extensiuè detur, vt puta eadem cognitio essentiæ, vt ad creaturas terminata. *Secundò* Infinitum intelligibile intensiuè cum intellectu infinito potest, omnibus alijs obiectis per possibile, vel impossibile seclusis, infinitam parere notitiam; sed diuina essentia, etiamsi creatura esset impossibilis in quocunque esse, esset huiusmodi. Ergo. &c. *Tertiò.* Isti videntur defectum in diuina essentia constituere: siquidem eam absque creatura vt cognita, ad verbi gignitionem impotentem prædicant. Ergò &c. *Quartò*. Ex minus impossibili non sequitur impossibilius; Sed minus impossibile est, non esse creaturam etiam in esse intelligibili; quàm non esse verbum; Ergò sublata omni creatura in quocunq; esse per possibile, vel impossibile, adhuc posset esse verbum diuinum in sua essentia; Ergò etiam sublata cognitione creaturæ; quia sublata creatura in esse intelligibili tollitur & eius cognitio; Ergò cognitio solius essentiæ in se esset sufficies ad verbi generationem. *Solut.* *Resp. ad 1.* negatur falsitas consequentis. Ad verba Augustini, dico Aug loqui de creaturis cognitis, non autem de cognitione creaturarum; à creaturis enim cognitis nullius pendet videntis beatitudo, sed ab ipso solo Deo & eius essentia, quæ ratio est omnia cognoscendi; A cognitione verò creaturarum in Deo ea ratione pendet non solum Angeli & hominis, sed etiam Dei beatitudo, quòd in perfectione visionis clauditur necessariò cognitio creaturæ, & multò magis in eius cognitione comprehensiua soli Deo propria, vt patet ex supradictis *ex a. 8. q. 12.* Secundò dico in cognitione essentiæ perfecta includi notitiam creaturarum, quæ virtualiter in ea continentur. Tertiò dico Diuum Augustinum loqui de ratione beandi, quæ est sola essentia visa. *Ad secundum* nego minorem. Seclusis enim à diuina potentia creaturis vt possibilibus, non esset Deus infinitum intelligibile intensiuè; nam intelligibilitas Dei ab eius entitate pendet: ideò verò Deus est ens infinitum per essentiam, quia rerum omnium essendi modos cõtinet eminenter & virtualiter, vt æquiuoca causa, quæ sua nobilitate quemuis in ea contentum longè superexcedit effectum. *Ad tertium* negatur assumptum. Ad probationem negatur antecedens; non enim dicimus Dei potentiam pendere à creatura vt cognita: sed docemus Dei essentiam, & eius potentiam non esse perfectam, nisi contineat eminenter creaturas, & consequenter non esse perfectam Dei cognitionem, nisi diuinam essentiam videat, prout ita continet creaturas; nec Deum esse sui visione beatum, nisi fuerit ad creaturas extensa: Quam visionis extensionem benè dixit Cai. *in prædicto articulo octauo* ad eiusdem intensionem pertinere. *Ad vltimum* negatur minor loquendo de esse intelligibili creaturarum ad intra, & prout in diuina potentia continẽtur vt possibiles; quamuis enim creaturarum essentiæ secundum se non sint æquales necessitatis cum ipso verbo; quatenus tamen in essentia diuina supereminenter continẽtur vt ab ea producibiles, idem habent esse cum essentia Dei, & eandem in esse, & in cognosci necessitatem. Res enim sub tali esse scilicet diuino sola rei essentia non est, sed est esse rei in esse tali scilicet diuino maximè necessario.

Obi. 2. *Secundò* principaliter sic argumentatur. Actus intellectus diuini prius terminatur ad verbum, quàm creaturæ cognoscantur; Ergò non producitur ex cognitione creaturarum. Consequentia tenet. Antecedens probatur; quia nostra cognitio prius terminatur ad verbum, quàm ad res cognitas; ad hoc enim formatur verbum, vt in ipso res cognitas contemplemur; Ergò ita est in Deo. *Resp.* primò falsum esse antecedens, vt patet ex dictis contra Ferrariensem. *Solut.* Ad probationem negatur consequentia; quoniam verbum nostrum causalitatem habet respectu nostræ cognitionis, nõ ita verbum diuinum; alioquin Pater intelligeret verbo genito, & esset sapiens sapientia genita. Secũdò dico ordinem illum prioritatis nullum esse à parte rei, vt ante diximus, sed ad modum nostræ cognitionis imperfectum pertinere. Et quamuis inter Patrem dicentem, & verbum dictione productum sit ordo à quo alius & qui ab alio, non est tamen verbum dicẽte posterius instanti naturæ, aut cognitionis, vt supra diximus. Et per hæc soluuntur alia quædã eiusdem authoris obiecta.

Tertiò sic arguit. Si verbum procederet de congnitione creaturarũ, sequeretur, quòd creaturæ prius essent, saltem in esse cognito, quàm verbum in esse reali; sed consequens est omninò absurdum; Ergo. &c. Consequentia probatur; quia tunc cognitio creaturarum præsupponeretur verbo; Ergò & creatura in esse cognito. *Obi. 3.* *Resp.* *Sol.* nullam esse consq. Ad probationem iam dictum est, nullum esse à parte rei ordinem naturæ aut cognitionis inter creaturarum cognitionem & verbi diuini processionem; immò cum verbum pertineat ad obiectum primarium, magis habet vnde prius esse dicatur & intelligi, quam creaturæ. Secundò nego absurditatem consequentis: necesse est enim præintelligi notitiam termino per eam producto, quod est verbum.

Contra eandem concluſ. argument. Vasquez primo à priori sic. Si creaturæ possibiles præcederent modo nostro intelligendi secundum esse intelligibile productionem verbi, eo esset, quòd essentia diuina secundum suam rationem haberet realem ordinem & connexionem cum illis: esset què in ea intrinseca quædam perfectio repræsentare creaturas, repræsentare (inquam) secundum formalem rationem relatiuam, quam nomine repræsentationis significamus; Sed hæc nulla est in Deo perfectio, præter illam, quam in se habet Deus, quatenus ad se est absolutè; Ergò repræsentatio illa creaturarum non potest ad productionem verbi per se pertinere, sed sola essentia diuina, quatenus ad se absoluta est. Minor probatur primò; quia nulla est in Deo relatio realis, hoc est intrinseca, & ex natura rei ad creaturas; igitur essentia diuina ad se absoluta sine representatione creaturarum, infinita & perfecta intelligitur. Secundò: quia diuina essentia in se & ad se absolutè considerata talis est perfectionis, vt etiamsi nihil esset futurum, vel possibile extra illam, eadem esset omninò; posito autem possibili aut futuro, sine vlla mutatione aut perfectione relatiua, quæ adueniat per solã relationem rationis comparatur vt repræsentans & intelligens, Ergo &c. *Obiectio. 4.* *Et confirmatur.* Quia Deo ablato per impossibile sequitur per locũ intrinsecum, nihil extra ipsum esse possibile; contra verò, quocunque alio supposito impossibili, per locum intrinsecum non sequitur ipsum non esse possibilem, vt patet. Est igitur Deus absolutus in se ab omni alio. *Confir.* *Resp.* sequelam maioris quo ad priorem partem nullam esse. *Solut.* Non enim ideò cõcipimus verbum ex creaturarum cognitione procedere; quia essentia realem habeat ordinem & connexionem cum creaturis: Sed quia creaturarum cognitio ad perfectionem pertinet paternæ cognitionis, qua diuinam essentiam cõprehen-

prehendit, vt ante diximus. Nec tamen repræsentatio creaturarum sumpta secundùm rationem formalem relatiuam, est in Deo perfectio pertinens per se ad verbi productionem: vt enim ostẽ dimus *supra q.12.a.8.contr.1.* non est necesse obiectum cognitum, in quo alia cognoscuntur, esse formaliter relatiuum, aut relatiuè concipi in ordine ad rem in eo cognitam: sed potest tam obiectum, quàm res in eo cognita sub absoluta ratione cognosci. Igitur repræsentatio creaturarum in Deo formaliter & actualiter prior est omni respectu ad creaturas, vt fundamentum relationis. Ad secundam autem probationem minoris quatenus impugnat hanc responsionem, iam supra diximus, quòd si nihil esset possibile per actiuam Dei potentiam, non esset essentia Dei & eius potentia perfectionis infinitæ simpliciter. Vnde falsum est, quod assumitur in secunda parte confirmationis eius argumenti siue probationis. Per quod etiam soluitur sequens argumentum eiusdem expositoris.

Ad Conf.

Obi.5. *Secũdò* sic à posteriori. Etsi per impossibile vna aut altera vel etiam omnes creaturæ essent impossibiles: non sequeretur per locum intrinsecũ, aut verbum diuinum non producendum aut alterius proprietatis & naturæ futurum; Ergò nullo modo per se pertinent creaturæ ad productionem verbi. Probatur sequela: Nam si necessariò pertinerent, sequeretur per locum intrinsecum non futurum verbum eodem modo; ablato enim eo, quod per se spectat ad productionem alicuius vt tale sit: aut eius productio de medio tollitur, aut alterius omnino rationis res illa producitur. *Resp.* falsum esse id quod assumitur in argumento, quo ad omnes possibiles creaturas, prout actiua Dei potentia sunt & dicuntur possibiles, ob sæpè dictam causam; quia scilicet non potest esse aut concipi Dei virtus infinita, nisi prout infinita continet factibilia: immo & ipsa actiua continentia est virtus ipsa Dei infinita. Ad cuius euidentiam aduerte creaturas possibiles tripliciter posse considerari. *Primò* secundum suas essentias absolutè sumptas: & sic abstrahunt ab omni essendi modo, creato & increato, & quidditatiuè distinguuntur à Deo & eius potentia. *Secundò* possunt considerari secundum illud esse præcisè, quo continentur in Deo, aut eius virtute vel intellectu formaliter: & sic non distinguuntur ab esse Dei & idem sunt omnino quod Deus ipse. Et in hoc sensu verum est dictum illud Augustini: *Creatura in Deo est creatrix essentia.* *Tertiò* possunt considerari creaturæ possibiles secundum suas essentias, vt existẽtes in Deo & eius virtute veluti in causa: aut etiam vt existentes in essentia diuina tanquam actu repræsentante, & in eius intellectu & intelligere vt actu intellectæ: & hoc modo licet quo ad quidditates præcisè sumptas distinguantur à Deo, absolutè tamen prædicto modo sumptæ, nimirum vt existentes in Deo & per esse diuinum, sunt idem cum Deo, & ad infinitam illius perfectionem pertinent. Vt enim *in q.4.* latè diximus, ens tantum simpliciter dicitur id quod est existens: & consequenter id quod existit esse diuino & increato formaliter Deus est realiter formaliter & absolutè. Et in hoc etiam sensu verum est & magis propriè dictum, creaturam in Deo esse creatricem essentiam: & eius cognitionem ad comprehensionem essentiæ pertinere, vt sæpè diximus. Nam esse increatum præcisè, quo creaturæ existunt in Deo, non potest vllo modo dici creatura: at res in Deo existens per esse diuinum creatura dici potest vt possibilis fieri sub esse creato. Et contra responsionem hanc sic explicatam, non militant argumenta Vasq. quibus quasdam aliorum responsiones impugnat. Nam facta illa suppositione impossibili, sequitur manifestè per locum intrinsecum vtraque pars contradictionis; nam, vt diximus, creaturæ prædicto modo sumptæ, clauduntur intimè in infinita perfectione diuini esse: & consequenter earum cognitio ad comprehensionem pertinet essentiæ diuinæ.

Solut.

Contra eandem conclus. argum. Pesantius. *Primò.* Productio verbi est formaliter communicatio essentiæ: Sed essentia Dei non est intellectio creaturarum; Ergò verbum Dei non procedit ex intellectione creaturarum. *Resp.* falsam esse minorem loquendo de essentia Dei perfectè sumpta, prout includit attributa & perfectiones omnes formaliter in Deo existentes.

Obi. 6. *Solut.*

Secundò. In priori quodam intelligitur deitas, cui aduenit intellectio creaturarum tanquã perfectio secunda; Ergò per solam deitatis intellectionem verbum diuinum procedit vt Deus similis Patri in natura; intellectio verò creaturarum solum ad illum se habet vt perfectio, quemadmodum se habet ad Patrem. *Resp.* falsum esse antecedens, loquendo de deitate secundum perfectam & integram eius rationem.

Obi. 7. *Solut.*

CONTRA *quartam conclu.* argum. Val. S. Tho. *in hoc art. & infra q. 37. a. 2. ad 3.* fatetur verbum procedere ex qualibet cognitione creaturarum, vbi sic ait: *Sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo quod genuit, inquantum verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, inquantum Spiritus sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam.*

Cont 4 cõc. *Obiect.1.*

Respondetur, D. Tho. vtrobique loqui de scientia naturali, quæ est creaturarum, quatenus tãtum possibiles sunt: hic enim ait verbum esse creaturarum expressiuum & factiuum: dicitur autem factiuum ad factibile: faciens verò ad id quod fit. In q. autem 37. dein profert iudicium de processione verbi, & de processione Spiritus S. quem in eiusdem loci expositione ostendemus non procedere ex amore libero creaturarum. Secundo dico, verbo & Spiritui sancto communicari non tantum ea quæ præcedunt: sed etiam ea quæ sequuntur processiones eorum; vt supra declarauimus.

Solut.

Contra eandem conclusionem sic arguunt quidam. Sine scientia libera non comprehenditur essentia & intellectus; Ergo. &c. Antec. probatur; quia licet per scientiam naturalem cognoscantur futura possibiliter vel sub conditione vel quasi in actu signato: non tamen omnibus modis; Ergo. &c. *Resp.* falsum esse antecedẽs. Ad probationem negatur consequentia; quia cognosci omnibus modis cõtingit dupliciter. Vno modo ex parte cognoscentis vt cognoscens est, & cogniti vt cognitum est formaliter & per se. Alio modo ex parte cogniti materialiter & per accidens. Dico igitur quòd res possibiles ante actualem existentiam, & ante omne decretum diuinæ voluntatis sunt à Deo cognitæ omnibus modis se tenentibus ex parte cognoscentis Dei vt cognoscens est & ipsarum rerum possibilium, vt cognitæ sunt formaliter & per se, id est quod omnẽ modum & perfectionem diuinæ cognitionis, & quo ad omnem quidditatem & modum naturalem rebus ipsis conuenientem, qualis est etiam aptitudo ad existentiam: cuius aptitudinis notitia cognitionem exigit existentiæ in actu signato, & exercitij etiam existentiæ in actu signato: Quòd

Obi. 2.

autem actu res existant, rebus quidem ipsis essendi nouitatem adiungit: at diuinæ cognitioni nulla fit perfectionis accessio, quæ res omnes secundùm omnem earum conditionem & modum illis per se, vt cognoscibiles sunt, conuenientem attingit. Non enim maior aut diuersa per se & formaliter est rei existentis in actu exercito cognoscibilitas aut actualitas, quàm sit eiusdem actualitas & cognoscibilitas vt existentis in actu signato, sed eadem omnino. Nam additum exercitium etiam ipsum in actu signato supponitur cognitum secundum omnem rationem & modum suæ actualitatis. Igitur actu existere merè per accidens se habet ad perfectè cognosci, præsertim ab eo intellectu, cuius cognitio non pendet à rebus: sed è contra res per eius cognitionem producuntur.

Cont. 5. cõcl. obi. CONTRA *quintam* concluſ. argum. Ferrar. Apud S. Th. verbum ponitur in intellectu ad hoc vt intellectus in rem intellectam feratur; ergò non est prius ipsum intelligere, vt ad rem intellectam terminatur, quàm sit verbi productio. Probatur antecedens; quia per verbum fit res intellecta in actu completo, quantum ad esse intelgibile & obiectiuum. Conseq. verò probatur; quia alioquin nulla esset necessitas ponendi verbum propter intellectionẽ, sed è contrariò prius oportet intelligere actum intelligendi producere verbum, quàm terminari ad rem intellectam vt in se est, tanquam vltimate terminans intellectionem. *Resp.* anteced. verum esse de verbo creato, non autem de verbo increato personaliter dicto, quod à Patre producitur: non propter intelligendi necessitatem, sed propter infinitam naturæ diuinæ fœcunditatem. Videnda sunt quæ supra diximus *q. 27. a. 1.* de ordine verbi & intelligere.

CONTRA *reliquas* concl. militant diuersa argumenta respectiuè ex supradictis, nec alia vidi à quoquam fortiora produci.

SECVNDA CONTROVERSIA.

An nomine verbi diuini importetur respectus ad creaturam ratione proprietatis personalis vel ratione naturæ?

Sententiæ Doctorum. REFERT Capr. *in 1. dist. 21. q. 2. a. 2. contra 3. concl.* opinionem Aur. dicentis verbum importare respectum ad creaturas ratione suæ proprietatis personalis.

Scotus *in 1. dist. 27. q. 3. & quol. q. 8. a. 3.* cuius sententiam refert & sequitur Rada *controu. 12. a. 3.* tria dicit. *Primum:* Nullus respectus ad creaturas potest per se includi in proprietate constitutiua verbi. *Secundum:* Si nomine verbi importaretur primò respectus realis ad Patrem dicentem & respectus ad creaturam dictam, non significaret aliquid per se vnum. *Tertium:* Nomen verbum primò & per se ac formaliter importat respectum ad Patrem dicentem: connotat tamen respectum ad creaturam declarantis ad declaratum.

Vasq. *hic disp. 144. c. 2.* ait relationem ad creaturas verbo conuenire, non ratione solius essentiæ, neque ratione solius proprietatis, sed ratione vtriusque simul.

D. Tho. *in 1. dist. 27. q. 2. a. 3.* videtur affirmare verbum non semper dicere respectum ad creaturas. Hic verò ad primum docet in nomine verbi importari respectum ad creaturas, non quoad relationem personalem sed quo ad essentiam in eius significatione clausam. Quam sententiam sequuntur communiter expositores Thomistæ *super hoc a.*

Resolutio Verbum diuinum secundùm propriã sui rationẽ cõpletè sumptum, nõ tamen ex proprietate personali dicere respectũ ad creaturas,

AD CVIVS *euidentiam sciendum est primò* ex D. Tho. *in 1. dist. 27. q. 2. a. 3.* diuinam essentiam & Deum ipsum esse in se rem quandam, & esse similitudinem siue speciem rerum omnium repræsentatiuam, ac proinde diuinum intellectum posse dupliciter diuinam essentiam contemplari: Vno modo absolutè quatenus res quædam est: Alio modo quatenus similitudo est rerum omnium siue species vniuersa repræsentans. Et quãuis hic vnus interueniat diuinæ mentis actus simplicissimus: in duplicem tamen prædictum modum siue rationem nostra conceptione distinguitur. Cùm itaque diuinum verbum ex intellectu Patris media intellectione procedat, cõcipitur & ipsum à nobis dupliciter, vt ait S. D. Vno modo prout consequitur actum intellectus diuini quatenus absolutè seipsum intuetur: & sic verbum absolutè dicitur in diuinis sine respectu ad creaturam, siue essentialiter siue personaliter dicatur: Alio modo concipitur a nobis verbum Dei prout consequitur intuitum diuini intellectus, quatenus conuertitur supra se, prout est similitudo omnium rerum & exemplar: & hoc modo intelligitur in verbo respectus ad creaturas duplex, scilicet expressiui & operatiui, vt explicatur in textu præsentis art.

Conciliatur dicta D. Th. Vt autem dictorum hic & *in 1.* appareat consonantia, distinguendum est cum Sylu. *super hoc a.* & Ferrar. *in 4. cont. gent. c. 13.* posse nos de nomine verbi diuini loqui dupliciter. Vno modo quoad integrum siue perfectum & totale eius significatum; & hoc modo vtramque prædictam considerationem complectitur, & consequenter importat respectum ad creaturas, vt hic affirmat S. D. Alio modo quoad partialem rationem siue acceptionem significati ipsius verbi, quatenus .s. per actum intellectus diuini procedit secundùm eam rationem, qua suam essentiam præcisè contemplatur & seipsum dicit: & hoc modo nullum respectum dicit ad creaturas, vt *in 1. sent.* dicitur, sicut etiam nomen diuinæ scientiæ secundum suum totale significatum respectum connotat ad creaturas; quia Deus sua scientia seipsum cognoscit & creaturas. At secundum partialem eius rationem, quatenus scilicet seipsum sua scientia Deus præcise cognoscit, nullum dicit aut connotat respectum ad creaturas. Posset secundò dici in nomine verbi diuini nullum importari primò & per se respectum ad creaturas, sed secundariò tantùm siue consequenter & quasi per accidens, vt affirmat S. Tho. *de verit. q. 4. a. 5.* vt inferius ostendemus.

Secundò obseruandum est cùm Cai. aliud esse dicere verbum secundum propriam rationem refertur ad creaturas: & verbum ex proprietate personali refertur ad creaturas. Nam prima propositio vera est; quia verbum in propria sua ratione claudit non solum relationem personalem, qua refertur ad Patrem dicentem, sed etiam essentialem cognitionem, ex qua habet vt referatur ad omnia, quæ verbo sunt dicta & expressa, & per verbum sunt facienda. Procedit enim in Deo verbum vt expressa similitudo & exemplar eorum omnium, quæ per suam scientiam Deus intelligit: & consequenter necesse est, vt relatione rationis intelligatur à nobis referri ad creaturas, vt verbo dictas & exemplatas; hoc autem verbo conuenit ex vi suæ processionis: Atque ideò quamuis scientia & cognitio & relatio consequens sint omnibus diuinis personis communia: habere tamen in se notitiam per modum ex-

Cur eadem relatio ad creaturas non conueniat Patri, & Spiritui s.

pres-

pressionis & exemplaris rerum creandarum soli verbo conuenit ex vi suæ processionis, & consequenter etiam respectus ad creaturas sic cognitas & exemplatas. Nam Spiritus S. cum procedat vt amor, nullam in sui ratione claudit (explicitè saltem) notitiam aut relationem ad creaturas vt notas, ex vi suæ processionis. Neque Pater à nobis concipitur vt habens ordinem ad creaturas, vt cognitas repræsentatas & exemplatas: quamuis Pater & Spiritus S. secundum rem intrinsecè claudant essentiam absolutè perfectam: & consequenter ad creaturas relatam, prout est earum species, notitia & exemplar. Refertur igitur verbum secundum propriam rationem ad creaturas: quamuis, vt ostendemus, ratio referendi non sit proprietas personalis, sed inclusa notitia modo iam dicto.

Vasq. dictũ ad bonũ sensum reducitur, & corrigitur.

Quod etiam, vt arbitror, voluit affirmare Vasquez dicens relationem verbi ad creaturas, neque ratione solius essentiæ, neque ratione solius proprietatis, sed ratione vtriusq; simul ipsi verbo conuenire; quia verbum præter relationem, quæ est proprietas, includit essentiam & essentialem notitiam, quæ continet rationem manifestantis: & vt determinata est proprietate producti, est fundamentum dictæ relationis: quamuis ea loquendi forma minus congrua videatur: Nam etsi relatio siuè proprietas verbi constitutiua cum tali modo procedendi necessaria sit tanquam conditio, vt verbum singulariter dicatur referri ad creaturas: rectè tamen illius relationis ratio dici non potest proprietas relatiua; quia ratio relationis ad creaturas idẽ omninò est, quod eius fundamentum. Esse verò fundamentum talis relationis nullo modo congruit relatiuæ proprietati aut cuicunque relationi; hæc enim relatio verbi ad creaturas pertinet ad tertium modum ex tribus distinctis ab Aristotele in *5. metaphy. in cap. de ad aliquid*; cuius fundamentum in eo, quòd ratione refertur, est ipsius relati perfectio, quæ formaliter loquendo non potest esse relatio; & in re proposita relatio verbi ad creaturas est manifestantis ad expressa siuè manifestata & exemplaris ad exemplata. Igitur proprium huius relationis fundamentum est ratio manifestatiui & exemplaris: quæ non ratione proprietatis relatiuæ, sed essentiæ verbo conueniunt. Non enim continet verbum eminenter creaturas ratione suæ proprietatis personalis, vt propter eam sit earum repræsentatiuum & exemplar, aut etiam earum habeat cognitionem: sed ratione essentiæ, cui ex infinita perfectione conuenit eminenter continere vniuersa: ac proinde repræsentare, intelligere & operari. Et ex his patet perspicuè falsitas opinionis Aureoli superius relatæ.

Respectũ ad creaturas verbo conuenire secũdario & quasi per accidẽs.

Quomodo verò talis respectus verbo conueniat: an scilicet per se an potius per accidens, dicens: *Refertur tamen verbum ad creaturam ex consequenti, & quasi per accidens: nam verbum ad id, quod per verbum dicitur, potest dici dupliciter: Primò secundum conuertentiam nominis, & sic dicitur ad dictum. Secundò ad rem cui conuenit ratio dicti. Et quia Pater principaliter dicit se generando verbum suum, & ex consequenti creaturas: ideò principaliter, & quasi per se verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti, & quasi per accidens refertur ad creaturam: accidit enim verbo, vt per ipsum creatura dicatur.* Hæc ibi. Quorum verborum sensus est: verbum ad duo posse comparari. Primum est id quod per se primò verbo dicitur: & hoc est essentia Patris, prout seipsam & omnia repræsentat: & ad hoc per se primò repræsentatum habet verbum relationem per se, quod est per se referri ad essentiam, vt per se dictum & primò repræsentatum, & prout est ratio cætera dicendi & repræsentandi. Secundum est res, cui applicatur ratio dicti quasi extrinsecè: hæc autem est creatura quæ non in seipsa cognoscitur & dicitur immediatè, sed mediante per seprimo cognito & dicto, quod est essentia Dei.

Obiectio.

Sed ex dictis A. D. verbis magnum exurgit argumentum aduersus ea, quæ diximus *in præcedente controuersia*. Nam si verbo accidit, vt per ipsum dicantur creaturæ, & quasi per accidens refertur ad creaturas. Igitur non per se conuenit verbo, vt procedat ex obiectiua cognitione creaturarum: igitur ablata siue præcisa cognitione creaturarum à Deo, non sequitur per locum intrinsecum non esse verbum. Cuius oppositum contra Scotum & alios supra definiuimus. *Facilis tamen* est argumenti solutio ex distinctione superius explicata. Nam verbo secundùm partialem eius rationem, prout scilicet ex ea præcisè Patris notitia procedit, qua seipsum & suam essentiam, vt res quædam est, intuetur, accidit respectus ad creaturas: & eadem ratione per accidens est, quòd à notitia creaturarum procedat. At eidem verbo secundùm rationem eius integram considerato per se conuenit respectus ad creaturas, & multò magis earum repræsentatio, & vt ex earum cognitione procedat; adeò vt ea præcisa per locum intrinsecum tollatur verbum, quod de sui ratione procedit ex comprehensiua, & infinita Dei cognitione: quam *in præcedente controuersia* probauimus esse non posse sine notitia creaturarum à Deo producibilium.

Solut.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Verbum secundum propriam rationem dicit respectum ad creaturas.*

SECVNDA CONCL. *Verbum ex sola essentia, aut ex sola proprietate personali non dicit respectum ad creaturas.*

TERTIA CONCL. *Verbo non conuenit relatio ad creaturas ratione essentiæ simul & proprietatis suæ relatiuæ.*

VLTIMA CONCL. *Verbo conuenit singulariter relatio ad creaturas ex notitia essentiali, vt ratione referendi: & ex proprietate relatiua, & modo suæ processionis, tanquam ex conditione necessaria, sine qua verbo vt personæ ab alijs distinctæ talis relatio non posset attribui.*

Argumenta, & Solutiones.

Obi 1. cont. 2. concl.

CONTRA secundam concl. quo ad priorem partem argumentantur Scotistæ. Respectus verbi diuini ad creaturas, est respectus manifestantis ad res manifestatas: Sed manifestare creaturas conuenit cuilibet personę ratione essentiæ; Ergo etiam verbo conuenit ratione essentiæ. *Resp.* hoc argumento probari rationem relationis esse essentiam. Sed vt talis manifestatio verbo singulariter attribuatur, id est prout distinguitur ab alijs personis, necessaria est eius relatio, & modus emanationis, vt conditio. Secundò dico, alijs personis non conuenire manifestare creaturas, prout proprijs nominibus significantur, puta Patris vel Spiritus S.

Solut.

Contra secundam partem sunt argumenta Aureoli apud Capr. quæ vnico verbo soluit Cai. ex præmissa distinctione duarum propositionum. Vel dic cum Capreolo quòd verbum in sui ratione importat cognitionem, quam non impor-

Obi. 2.

Solut.

tat Pater, nec Spiritus S. est enim verbum sapientia genita.

CONTRA *tertiam* est argumentum Vasq. quo probantur prima & vltima nostra conclusio.

TERTIA CONTROVERSIA.

An verbum in diuinis significet primò & formaliter relationem ad dicentem, an aliquid absolutum?

Sententiæ Expositorũ.

VARIA dicta D. Tho. occasionem præbuere Thomistis, ipsum in oppositas sententias ex eius verbis contraria sonantibus collectas distrahendi. Nam Caiet. hic affirmat D. Tho. *in respons. ad 4.* per ea verba: *Nomen verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem,* retractare quod dixerat *in quæstionibus de veritate, quæst. 4. artic. 5.* nimirum, quòd verbi nomen principaliter significat absolutum. Eandem sententiam sequuntur Vasquez & Ripa.

Zumellus *disputatione secunda* duo dicit. *Primum.* Verbum in creaturis, & verbum vt sic, non significat primò & formaliter relationem, sed quid absolutum. *Secundum* verbum vt sic, licet ex modo significandi non dicat relationem, tamen materialiter & in re significata dicit relationem, vt etiam supra diximus de persona.

Capreol. *in 1. dist. 27. q. 2.* & Ferrar. *in 4. contra gentes, c. 13.* existimant de mente D. Tho. verbum dicere primò & formaliter absolutum, & connotare relationem: & hoc satis esse vt sit verè nomen personale.

Suarez *lib. 9. de mysterio Trinitatis, cap. 3.* ait *primò,* parum referre sentire, quòd respectus ad producentem pertineat ad formale significatum vel ad connotatum; nam quodlibet (inquit) horum sufficit, vt verbum tantum personaliter dicatur. *Secundò.* Considerato vsu vocis videri saltem includere in suo formali significato habitudinem seu denominationem originis, sicut genitum vel prolatum: quo dicto satis apertè sententiam approbat Cai. cùm idem sit relatio realis ad dicentem, quod habitudo originis prolati ad proferentem.

Resolutio Ex propria ratione verbi ostenditur nomen verbi in diuinis significare primò & formaliter absolutum, secundariò verò & materialiter relationem ad dicentem.

CERTVM *est in primis,* verbum prout in Deo dicitur, includere relationem realem ad dicentem; alioquin non esset nomen personale & filio proprium: vt *in duobus articulis præcedentibus* definiuit S. D. Sed controuersia est de modo, quo nomine verbi significatur, aut importatur relatio: an scilicet primò formaliter aut materialiter, vel secundariò & connotatiuè tantum.

Videtur autem inter hæc opinantium dissidia veritas indaganda ex propria ratione verbi, quam Thomistæ communiter cum A. D. confitentur. Est igitur verbum formaliter & in communi loquendo, species expressa, conceptio intellectus, intellectum ad intra, intentio intellecta, ac per se primò intellectum, vt terminus intellectionis intrinsecus, & ratio intelligendi rem per ipsum expressam & intelligẽti manifestatã. Igitur ratio verbi propriè dicti, vt *in a. præc.* notauimus ex D. Th. quatuor exigit: primum, vt sit aliquid expressum à notitia mentis: secundum, vt dicat relationem originis ad dicentem: tertium est, vt sit manifestatiuum rei intellectæ: quartum, vt sit obiectum siue intellectum ad intra. Quod autem horum primò & formaliter significetur nomine verbi non planè constat. Ratio verbi

A tio tñ verbi per hoc formaliter & primò videtur exprimi, quòd nuncupatur intentio intellecta, conceptio & per se primò intellectum, quo res manifestata cognoscitur; qua loquendi forma nulla significatur ad dicentem relatio. Nam quamuis eam in sui propria ratione verbum diuinum, vt sui constitutiuum claudat intrinsecè: verbum tamen creatum quod primò nobis innotescit, etsi necessariò procedat à dicente, eo tamen originis respectu non constituitur in esse verbi, sed per differentiam quandam absolutam, qua constituitur in hoc quod est esse per se primò intellectum: cuius ratio cõcipitur vt duarum aut etiam vt trium relationum fundamentum: Nam intelligitur primò vt intellectionis
B terminus & complementum: ac proinde vt habens respectum, & ad intellectionem vt terminus ad viam, & ad intelligentem vt productum ad producentem. Deinde quia per se primò intellectum est, quo res manifestata cognoscitur, consequitur in verbo creato realis respectus ad rem in verbo cognitam; ad eam enim manifestandam est instituta per se primò creati verbi natura. Et quemadmodum licet imago sit ab artifice producta: ratio tamen eius nominis propria ac per se primò significata non est relatio passiuæ productionis ad artificem, sed figura fundans & connotans relationem ad exemplar; ita ratio nomine verbi significata nõ est relatio originis ad dicentem, quamuis ab eo procedat. Quod idem apparet de verbo vocali, quod
C non significat principaliter relationem ad dicentem, sed vocem ipsam quatenus manifestat interiorem mentis intelligentiam. Quamobrem accipiendum est hoc nomen verbum, non vt nomen concretum, sed vt abstractum significans formam ad intellectionis perfectionem maximè pertinentem: quæ forma in intellectu creato absoluta est, fundans & connotans relationes iã ante dictas. Cùm itaque nomen verbi ex intellectus nostri conceptione prius nota translatum fuerit ad verbum personaliter in Deo significandum: idem vtrobique formaliter debuit significatum habere; quamuis necesse
D sit, ob infinitam rationis vtriusque distantiam, quoad materialem significationem intercedere differentiam. Verbum igitur tam in Deo quam in nobis conceptionem significat intellectus. Sed quia conceptio diuina relatione constituitur, & eadem à concipiente distingui- *Verbum in Deo quid significet.*
tur; idcircò nomen verbi de Deo dictum relationem significat materialiter: in nobis autem qualitatem formaliter & materialiter significat absolutam prout est relationis connotatæ fundamentum. Nam vt hic aduertit Zumellus, verbum diuinum ex vi suæ significationis nihil aliud significat quàm conceptionem subsistentem per intellectum productam: in qua significatione nulla explicatur relatio diuini verbi cõ-
E stitutiua. Quapropter si verbum in Deo per differentiam aut modum absolutum in suo esse personali constitueretur, nomen adhuc verbi nostro & Angelico verbo commune retineret; nomen autem filij relationem formaliter exprimit. Conueniunt igitur hæc duo nomina *verbum, & filius* in eo, quod eandem personam significant: differunt autem, quòd nomen filij relationem exprimit, sed nomen verbi, quamuis relationem implicet materialiter, modum tamen significationis habet absolutum saltem negatiuè; quia scilicet non affert explicitè relationem. *Nec obstat* dictum illud Augustini vulgatum: *Eo verbum, quo filius:* hac enim loquendi *Tacitæ obi. Solut.*

for-

forma, propter eandem vtroque nomine relationem significatam vtitur Aug. vt ait S.D. *in a. præc. in resp. ad 3.*

Secundò sciendum est, quòd quamuis nomen *personæ diuinæ* significet primò relationem vt subsistentem, vt diximus cum D. Tho. *in præc. q. a. 4.* non est tamen necesse, vt omne nomen personale relationem primò significet, sed satis est vt eam importet secundariò tanquam proprietatem personalem suppositi, vt aduertit Ferrar. & apparet in hoc nomine Deus genitus, quod nomen est personale: Nec tamen primò significat relationẽ sed essentiam in concreto, & secundariò relationẽ per quam vt proprietatem personalem contrahitur nomen illud *Deus*, quod indeterminatè respicit tria suppositа, ad personam hanc scilicet filij determinatè. Vnde etiam S. Thom. *in 1. dist. 15. qu. 1. ar. 2.* ait nomine missionis importari ex consequenti relationem originis, secundùm quam est notionale: sed principaliter eodem nomine ordinem ad effectum missionis, secundùm quem missio nomen est essentiale. Et quamuis ad absolutum, quod primò nomine verbi diuini significatur, consequatur respectus ad creaturas: non tamen sequitur respectum hunc prius nomine *verbi* significari, quàm relationem ad dicentem; tum quia non omne essentiale præcedit in diuinis notionale; nam quæ dicunt relationem ad creaturas consequentem actionem transeuntem, vt esse dominum, creatorem, gubernatorem, non præintelliguntur relationibus personalibus; tum quia ordo nominis in significando non est alligatus ordini rerum in essendo; potest enim nomen imponi ad primò significandum id quod est posterius natura, vel ordine rerum, & secundariò, quòd prius est à parte rei: sicut patet de hoc nomine album, & quouis alio nomine accidentis concreto, quod primò significat accidens, secundariò verò substantiam importat vt eius subiectum; cùm tamen sit in re posterius accidens ipsa substantia. Poterit igitur hoc nomen *verbum* quod est personale, principaliter essentiam in Deo significare cum habitudine personali: secundariò verò respectum ad creaturas. Quod exprimere voluit hic S.D. *ad 4.* dicens: *Nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas.* Quibus verbis satis apertè constat fieri comparationem, non relationis personalis nomine verbi significatæ ad absolutum eodem nomine significatum: sed ad relationem qua ad creaturas verbo repræsentatas idem nomen importat. Igitur nomen *verbi* primò significat absolutum, secundo relationem ad dicentem, tertiò relationem ad creaturas verbo dictas & exemplatas.

Ordo nominum non est alligatus ordini rerum.

Ex quo deducit S. D. differentiam inter hoc nomen *verbum*: & hoc nomen *idæa*: quòd hoc nomen *idæa* cum eo absoluto quod importat est impositum principaliter ad significandum respectu ad creaturam, non autem respectum ad producentem: & ideo pluraliter dicitur in diuinis. Nomen autem *verbi*, cum absoluto quod primò significat, prius importat respectum ad dicentem quàm relationem ad creaturas: & ideò non dicuntur in diuinis plura verba, sed vnum tantum, quod est personale.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVS. *Nomen verbi communiter sumptum est absolutum.*

SECVNDA CONCL. *Nomen verbi in diuinis significat principaliter absolutum, & secundariò relationem ad dicentem.*

TERTIA CONCLVS. *Nomen verbi de Deo dictum est absolutum formaliter, & relatiuum materialiter.*

CONTRA *secundam & tertiam* concl. argum. Cai. & post eum Vasq. *Obi. 1. cõt. duas vltim. concl.*

Primò S. Thom. *hic ad 4.* ait nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem; ergo &c. *Resp.* dictionem illam *principaliter* significare comparationem & ordinem relationis verbi personalis: nõ ad essentiam siue absolutum eodem nomine significatum, sed ad habitudinem ad creaturas nomine verbi connotatam, vt supra diximus. *Solut.*

Secundò sic arguunt. S. Tho. *in a. 1. huius q.* ita loquitur: *Verbum, secundùm quòd propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis; eo quòd personæ distinguuntur secundùm origines. Vnde oportet quòd nomen verbi, secundùm quod propriè in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantùm.* Ergo &c. *Resp.* nullam esse conseq. Nam, sicut ante diximus, vt aliquid sit nomen personale, satis est vt secundariò & materialiter significet relationem. *Obi. 2.* *Solut.*

Tertiò. In a. præced. docet S.D. verbum esse prium nomen personæ filij, eo quòd significat emanationem intellectus: & addit Vasq. quòd loquitur de emanatione non formaliter sub ratione emanationis & viæ, sed sub ratione relationis in facto esse: cum hoc eodem sensu dixerit personas distingui per origines: cùm secundùm eius sententiam distinguantur per relationes. *Obi. 3.*

Resp. cum Ferrar. verbum dici emanationem terminatiuè, non autem formaliter; vt sit sensus: verbum est aliquid emanans per intellectum, *vt ibidem* explicat Ferrar. *Solut.*

Quartò arguit Vasq. Non minus nomine verbi exprimitur relatio dicti, quàm nomine filij relatio geniti: at nomen filius significat relationem producti per generationem; ergo nomen verbum significat relationem producti per dictionem. *Resp.* falsum esse antecedens; nam verbi nomine relatio non exprimitur nisi secundariò, aut materialiter; nomine verò filij primò & formaliter. Nec S. Thom. negat relationem ad dicentem connotatiuè tantum significari, quicquid dicat Cai. *Obiectio 4.* *Solut.*

QVAESTIO XXXV.

De imagine in duos articulos diuisa.

DEinde quæritur de imagine.
Et circa hoc quæruntur duo.

Primò, Vtrum imago in diuinis dicatur personaliter.

Secundò, Vtrum sit proprium filij.

Ratio ordinis.

DE ORDINE huius quæstionis ad præcedentem diximus *in principio dictæ quæstionis præteritæ.* Duos habet articulos hæc quæstio. *In primo*, supposito ex sacris litteris nomine imaginis in diuinis, quærit illius quidditatem & explicat luculenter. *In secundo*, rationem vocabulo imaginis significatam ad modum proprietatis considerans, quærit, *an nomen imaginis sit proprium filio?*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum imago in diuinis dicatur personaliter.

192 Inf. q. 93. a. 5. ad 4. Et 1. d. 18 q. 2. a. 2. * Cap. 1. à med. to. 3. † Non multum remotè à princ. libr. Est pag. 6. à princ.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd imago non dicatur personaliter in diuinis. Dicit enim August. in* lib. de fide ad Pe. vna est sanctæ trinitatis diuinitas, & imago, ad quam factus est homo. Igitur imago dicitur essentialiter, & non personaliter.

2 Præterea. Hilar. dicit in† lib. de Syno. quòd imago est eius rei, ad quam imaginatur, species indifferens. Sed species, siue forma, in diuinis dicitur essentialiter: ergo & imago.

3 Præterea. Imago ab imitando dicitur in quo importatur prius, & posterius. Sed in diuinis personis nihil est prius, & posterius. Ergo imago non potest esse nomen personale in diuinis.

Lib. 7. de Trin. c. 1. à m. d. tom. 3.

Sed contra est, quod dicit Aug. * Quid est absurdius quàm imaginem ad se dici? Ergo imago in diuinis relatiuè dicitur, & sic est nomen personale.

Respondeo, Dicendum, quòd de ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcunq; similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo quæ est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maximè videtur esse figura. videmus enim quòd diuersorum animalium secundùm speciem sunt diuersæ figuræ, non autem diuersi colores. Vnde si depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figuræ, sed requiritur ad rationem imaginis origo. quia vt Aug. dicit in* lib. 83. quæstionum, vnum ouum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. c Ad hoc ergo quod verè aliquid sit imago, requiritur quòd ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei. Ea verò quæ processionem siue originem important in diuinis, sunt personalia. Vnde hoc nomen, imago, est nomen personale.

q. 93. & 74. tom. 4.

463

Ad Primum ergo dicendum, quod imago propriè dicitur quod procedit ad similitudinem alterius. Illud autem, ad cuius similitudinem aliquid procedit, propriè dicitur exemplar, impropriè verò imago. Sic tamen * August. vtitur nomine imaginis, cùm dicit, diuinitatem sanctæ Trinitatis esse imaginem, ad quam factus est homo.

Loco in arg. cit.

Ad Secundum dicendum, quòd species (prout ponitur ab Hilar. * in diffinitione imaginis) importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo, imago dicitur esse species alicuius, sicuti id quod assimilatur alicui, dicitur forma eius, inquantum habet formam illi similem.

Loco similiter in arg. cit.

Ad Tertium dicendum, quòd imitatio in diuinis personis non significat posteritatem, sed solam assimilationem.

Forma Textus.

„ CONC. est: *Hoc nomẽ Imago est nomẽ personale.* Probatur. Ad hoc vt verè aliquid sit imago, requiritur vt ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei; at ea quæ processionẽ siue originem important in diuinis, sunt personalia; igitur hoc nomen imago est nomen personale. Maior probatur explicando tres conditiones imaginis in ea positas; ex quibus secunda relinquitur vt nota, tertia declarãtur in animalibus & figuris. Prima denique probatur authoritate Augustini, sulta exemplo vnius oui quod alterius non dicitur imago: quia non est de illo expressum.

Expositio Textus.

Proponitur, & explicatur diligentior imaginis diffinitio.

EX TRIBVS conditionibus in textu positis colligitur hæc imaginis diffinitio: Imago est res similitudinem habens in specie, vel saltem in signo speciei, ex alio expressa. Prima particula, quæ locum habet generis, est *res similitudinem habens*. Vox illa similitudo duplicem habet significationem; nam propriè & formaliter loquendo significat relationem in vnitate qualitatis formæ siue naturæ fundatam; quandoque verò vt in proposito sumitur pro vnitate siue conuenientia formali: cuius multi sunt gradus & differentiæ; de quibus S. Thom. *supra quæst. 4. a. 3.*

1. Particula.

B Secunda particula est *in specie vel saltem in signo speciei*: qua duæ significantur imaginis differentiæ siue gradus in plures, & ipsi distinguibiles: ex quibus imperfectior est hic posterior, qui, vt ait hic S. D. maximè secundùm figuram attenditur: dicitur enim Cæsaris imago lapis arte sculptoris incisus solam Cæsaris figuram referens: colore verò & cæteris accidentibus differens; quòd si coloris & magnitudinis habuerit vnitatem, multò perfectior erit similitudo & imago: si denique non in sola figura vel externis etiam accidentibus rerum similitudo conuenerit, sed vna alterius quidditatem perfectè repræsentauerit, perfectior adhuc erit earum similitudo: qualis est inter intelligibile verbum mentis, C & lapidem, aut hominem eo repræsentatum; Vnius enim sunt quidditatis verbum & res verbo repræsentata: & solo differunt essendi modo, vt abundè superius ostendimus *quæst. 12. a. 2.* cum Caietano. Iam verò longè præstantior est ea similitudo, quæ conuenientia est in eadem specie naturæ, eundem essendi modum habentis: qualem habent in humana natura pater & filius. Ea tamen omnium est absolutissima similitudo, quæ secundùm eandem inuenitur numero naturam pluribus hypostasibus communem: quòd soli conuenit supersubstantiali personarum Trinitati in vna deitatis natura subsistenti. Vnde supra dicebamus *q. 27.* eo perfectiorem esse verbi processionem & D generationem, quo maior fuerit vnitas in essentia cum reali distinctione suppositorum. Ex quo sequitur similitudinem ad rationem imaginis requisitam non exigere necessariò distinctionem in earum rerum forma, quæ nuncupantur similes: & relationem in eiusdem formæ conuenientia fundatam non oportere esse realem; nam si nulla fuerit realis in fundamento distinctio, non poterunt extrema relationis, id est respectus realiter esse distincta. Quò fit vt relationes similitudinis & æqualitatis in diuinis non sint reales, sed rationis tantum, vt affirmant & probant E S. Doct. & Caiet. infra q. 42. Ex quo patet error Durandi negatis in Deo rationem propriæ similitudinis & imaginis: eo quòd in Deo non sit distinctio formæ. Iam enim constat perfectissimam rationem similitudinis & imaginis in perfectissima quæ sola numerica est, vnitate formæ consistere: si tamen suppositæ, quæ dicuntur similia, realiter sint ab inuicem distincta.

2. Particula. Gradus imaginis.

Similitudo & imago perfecta non exigit distinctionem in forma.

Postrema diffinitionis particula & imaginis conditio est, *vt sit ab alio expressa*; quæ particula, vt ait Caiet. quem reliqui sequuntur expositores, intelligenda est per se: ita vt similitudo illa, quæ dicitur imago, sit expressionis siue originis terminus, in quantum est similitudo formaliter siue quod idem est res illa, quæ dicitur similis, per se & formaliter producatur vt similis, non autem

3. Particula Cai.

autem materialiter tantum & per accidens; alioquin Spiritus S. esset æquè perfecta patris & filij spiratoris imago: cum nulla desit illi conditio materialiter & per accidens, sed formaliter & per se tantum intellecta, vt perspicuè patet ex dictis supra *q. 27. ar. 4.* & latius explicabitur artic. sequenti. Circa eandem particulam scito imaginis expressionem, siue originem intelligendam esse non à quocunque, sed ab eo cuius est imago; id verò dupliciter esse potest. Vno modo tanquã ab agente siuè principio actiuo immediatè producente: & hoc modo procedit imago naturalis ab eo, cuius est imago, vt filius à Patre per generationem, vt ab agente immediato producitur. Alio modo originem habet imago ab eo, cuius est imago, tanquam ab exemplari præconcepto: & hoc modo res quælibet artificiata nuncupatur imago: non practicæ conceptionis à qua immediatè producitur, sed prototypi per intellectum apprehensi, quod media conceptione & artificis voluntate, ad rei similis productionem operatur. Et quoniam res omnis arte producta eadem ratione similis est ideæ, quæ in intellectu est & exemplari exterius existenti per ideam siue conceptionem repræsentato: idcirco res arte producta nonnunquam dicitur imago ideæ mentalis; quo sensu D. Boetius *in lib. de Consolat.* de Deo dixit: *mundum mente gerens similique imagine formans*. Vbi mundum imaginem dicit habere ideæ existentis in mente diuina, vt etiam aduertit S. Thom. *infra q. 93 artic. 2. ad 4.* Et quoniam summus rerum omnium artifex Deus hominem per intellectum voluntatis decreto determinatum produxit similem formaliter, non tantum ideæ in eius mente existenti, sed ipsimet Deo, prout in suo esse naturali subsistit: ideo naturalis illa, quam habet homo diuinitatis imago, non ad ideam tantum sed etiam ad Deum ipsum secundum eius modum essendi naturalem est referenda: propter quam causam inter ea, quæ corpore constant, solus homo dicitur simpliciter tactus ad imaginem Dei: cum tamen omnia diuinis illis idæis & exemplaribus sint simillima: Verbũ autem quod in nobis aut angelis ex re aut quidditate cognita producitur, imago nuncupatur obiecti vt supra sæpe diximus, *quæst. 27.* & ad imaginem pertinet naturalem: est enim naturalis verbi productio & repræsentatio suppositæ formæ, qua fit intellectus in actu primo potens actum intellectionis elicere.

Origo imaginis à quo fit.

Cur ex corporeis solus homo dicatur ad imaginem Dei.

Triplex modus imaginis. Suarez.

Ex dictis sequitur primò triplicem esse speciem siue modum imaginis scilicet naturalem, artificialem & intellectualem, vt etiam aduertit Suarez *lib. 9. de Trin. c. 8.*

Hilarius.

Sequitur secundò facilis intelligẽtia diffinitionis imaginis, quam assignat Hilarius *in libro de Synodis* dicens; *imago est eius rei, ad quam imaginatur species indifferens*; quam examinat & explicat S. Thomas. D. *in 1. dist. 28 q. 2. a. 1.* & breuiter tangit *hic in 2. & eius responsione.*

S. Thomas.

Sequitur tertiò ex dictis solutio multarum difficultatum, quæ in hac materia moueri solent.

Ex diffinitione imaginis declarata solũtur quatuor difficultates.

Prima difficultas est: *An verbum Dei sit vera, propria, ac naturalis imago Patris?* quod pluries affirmant sacræ litteræ. *Sap. 7. Splendor est lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius:* quæ verba D. Amb. *lib. 1. de fide cap. 4.* Augustꝰ. *lib. 7. de Trin. cap. 2.* & Hilarius *lib. 7.* exponunt de sapientia genita, quam imaginem dicunt nũcupari, ob virtutis plenitudinem illi à patre communicatam. Et *ad Coloss. 1.* dicitur. *Qui est imago Dei inuisibilis*; & *Heb. 1. Figura substantiæ eius.* Et *Rom. 8. Conformes fieri imaginis filij sui.* Diximus autem supra *quæst. 27. art. 3. & 4.* Verbum ex vi & modo suæ processionis à patre procedere perfectè simile, non secundum esse tantum intelligibile, sed etiam secundum esse naturale; quod idem numero est cum esse patris. Est igitur eius propria & naturalis imago.

Quã ratione filius sit imago patris.

Secunda Difficvltas est: *An verbum diuinum sit imago Patris per se primò & formaliter propter similitudinem repræsentationis in esse intelligibili: an propter vnitatem siue conuenientiam in eadem essentia?* Cuius solutio plane constat ex antedictis. Nam perfectissima similitudo & æqualitas addita origine siue expressione passiua, perfectissimam constituit rationem imaginis, vt patet ex D. Tho. *in 1. dist. 28. supernis allegata.* Iam autem diximus in diuinis perfectissimam filij ad Patrem similitudinem attendi ex vnitate siue conuenientia in vna numero natura deitatis, vt eodem loco affirmat S. Tho. igitur Dei filius est imago Patris per se primò & formaliter propter vnitatem essentiæ numericam: secundariò verò & quasi per accidens propter similitudinem in esse intelligibili. Et confirmatur; quia perfectissimus gradus imaginis in communi loquendo est secundum similitudinem in esse naturæ: verbum autem quatenus similitudo est in esse intelligibili repræsentans, nullam habet similitudinẽ in esse naturæ, sed ea tantum ratione qua intelligere Dei est esse Dei naturale, quod idem est cum essentia Dei, vt cumulatè diximus supra *qu. 27. art. 4.* Eandem veritatem apertè docent SS. Patres exponentes verba illa Apostoli *Heb. 1. Figura substantiæ eius*: & Augustꝰ. *lib. 83. quæst. 74. & lib. 7. de Trinit. cap. 2. & lib. imperfecto super Genes. ad lit. cap. vlt.* & alij quos refert Suarez *lib. 9. c. 8.*

An filius sit etiã imago Spiritus S. & essentiæ, & creaturarum.

Tertia Difficvltas est: *An filius dicipossit imago Spiritus sancti & sui & essentiæ & creaturarum?* quæ facilè soluitur. Nam cum de ratione imaginis sit non tantum similitudo quantumuis perfecta, sed etiam origo & realis distinctio ab eo, cuius est imago, impossibile est filiũ, aut sui ipsius, aut alicuius prædictorum imaginem esse. Non enim à se procedit, neque a se ipso distinguitur: ac proinde nec sibi similis propriè dici potest. Et quamuis perfectam filius habeat similitudinem cum Spiritu S. & ex eius vt obiecti cognitione procedat: non ideo tamẽ est eius imago; quia Spiritus S. neque est obiectum motiuum, nec aliquo modo principium illius cognitionis, qua filius à Patre procedit, vt latè probauimus *in vlt. a. q. præced.* Porrò non esse filium imaginem deitatis, vel huius Dei præcisis personis, perspicuè patet ex dictis: desunt enim hic duæ præcipuæ & essentiales conditiones ad rationem imaginis necessariæ; cum nec procedat filius à deitate, vel Deo sic sumpto; nec sit realiter ab eo distinctus, vt veram & propriè dictam similitudinis & imaginis rationem ad eum habere possit. Loca verò sacræ Scripturæ *ad Coloss. 1. qui est imago Dei inuisibilis. Et Hebr. 1. Figura substantiæ eius* scilicet Dei, manifestè loquuntur de Deo, prout supponit pro persona patris, vt indicant præcedentia & subsequentia; & nomen substantiæ idem ibi significat quod hypostasis, vt habetur in Græco. Quod si filius non est imago Dei, prout abstractus concipitur à personis: multò minus erit imago rerum creatarum; cum nec ab illis procedat, nec perfectam cum eis habeat in esse naturæ similitudinem; quin potius à verbo creaturæ procedunt; non secundum communem tantum personarum

Coloss. 1. Hebr. 1.

rum in vna deitate potentiam, sed secundum specialem appropriationem; quoniam verbum ex vi suæ processionis idæas & exemplaria continet omnium rerum ad earũ imitationem productarum; ac proinde non sunt idææ creaturarũ imagines, sed exemplaria: & eadem ratione neq; verbum propriè loquendo.

An filius sit imago patris vt pater est, an vt Deus est.

POSTREMA DIFFICVLTAS est. *Quomodo possit appellari filius imago patris?* Ratio dubitandi est; quia vel filius est imago Patris, vt Pater est Deus, aut quatenus Pater est. Non primum, quia filius esset per se primò imago Dei, vt Deus est, & eadem ratione erit imago Spiritus S. sicut & Patris. Non secundum; quoniam similitudo & consequenter imago non attenditur secundum relationes, sicut neque æqualitas aut inæqualitas, vt ait S. D. cum Aug. *in 4. seq. Soluitur autem* distinguendo tria ex parte filij. Primum est res, quæ dicitur imago; & hæc est ipsa persona filij. Secundum est ratio, secundum quam dicitur imago, quod alij appellant fundamentum formale relationis perfectæ similitudinis, quàm importat imago; & hoc est essentia. Tertium est conditio necessaria ad hoc vt filius verè sit imago Patris; & hæc est originis relatio, per quam distinguitur à Patre, vt ab eo genitus. Quæ tria pariter sunt in persona patris consideranda. Primum est res quæ terminus est relationis, quam importat siue connotat nomen imaginis, quæ idem est quod perfecta similitudo: & hæc res est ipsa persona patris. Secundum est ratio siue fundamentum formale dictæ similitudinis: & hæc est essentia siue natura, quæ vna est patris & filij. Tertium est conditio necessaria, vt persona patris sit terminus relationis imaginis respectu filij: & hæc est relatio principij, siuè originis actiuæ, quam nomen patris vel genitoris importat.

Solutio.

Ad rationem igitur dubitandi dico primò, filium esse patris imaginem, quatenus Deus est, prout ea reduplicatione quatenus Deus denotatur ratio siue fundamentum relationis imaginis, quod est deitas vna patris & filij. Dico secundò, filiũ esse patris imaginem vt Deus est, non absolutè sed cum relatione principij, quæ nomine Patris siue genitoris formaliter significatur. Dico tertiò, filium esse imaginem Patris vt Pater est, quatenus dictio *pater*, significat suppositum relatione & essentia constitutum terminans relationem imaginis. Dico quartò, filium non esse patris imaginem quatenus pater est, si dictio *pater*, significat rationem siue fundamentum relationis imaginis formale, sed tantum prout denotat conditionem in termino talis relationis necessariam.

Suarezij. expositio.

In responsione ad primum aduerte Suar. *in d. lib. 9. cap. 9. num. 11.* alio modo interpretari verba Augustini, vt non significent diuinitatem esse hominis imaginem; sed ipsum hominem esse ad imaginem deitatis; adeo vt particula illa, *ad quã* scilicet imaginem, non significet exemplar ex parte Dei, ad cuius imitationem factus est homo, vt exponit S. Thom. sed potius significet eam imaginem, quæ est in homine; quæ non dicitur simpliciter imago, sed quasi imago seu ad imaginem; quia imperfecta est; quam imperfectam imaginem docet Aug. vnam esse totius sanctæ Trinitatis, sicut vna est essentia trium personarum. *Sed exorta videtur* hæc expositio; quoniam absolutè dicit Augustinus. vnam esse sanctæ Trinitatis imaginem; constat autem solum hominem non esse SS. Trinitatis imaginem, sed etiam Angelum. Sequenda est igitur plana S. D. expositio. Verùm, quia sensum hunc suspicando pro-

Confutatio.

A ducit vt probabilem, non excludendo interpretationem D. Thomæ: sua permittimus illũ probabili suspicione gaudere.

Diffinitionem Hilarij positam *in secundo argumento* explicat S. D. *in 1. loco superius allegato.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum nomen imaginis sit proprium Filio.

AD Secundum sic proceditur. *Videtur, quòd nomen imaginis non sit proprium filio. Quia, vt* B *dicit* * *Damascenus. Spiritussanct. est imago filij. Nõ est ergo proprium filij.* 193. 1. dist. 18. 4. 3. art. 3. Et dist. 31. q. 3. a. 1. cor. Et Heb. 1. l. 2. fin. * Li. 1. orth. fid. c. 18.

2 Præterea. De ratione imaginis est similitudo cũ expressione (vt Aug. dicit in † *lib. 83. quæstionum) Sed hoc conuenit spiritui sancto. procedit enim ab alio secundum modum similitudinis. Ergo Spiritussanctus est imago, & ita nõ est propriũ filij, quòd sit imago.* † Li 83 q. 73 in fi. & 74. in pri. tom. 4.

3 Præterea. Homo etiam dicitur imago Dei, secundum illud primæ ad Corint. 2. Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est. Ergo non est proprium filio.

Sed contra est, quod Aug. dicit * *7. de Trin. quòd solus filius est imago patris.* Lib 6. & 7. de trin. c. 4. tomo 3.

Respond. Dicendum, quòd Doctores Græcorum communiter dicunt Spiritumsanctum esse imaginem patris, & filij. Sed Doctores Latini soli filio attribuunt nomen imaginis. Non enim inuenitur in canonica scriptura, nisi de filio. Dicitur enim Coloss. C *1. Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus creaturæ, & ad Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Huius autem rationem assignant quidam ex hoc, quòd filius conuenit cum patre, non solum in natura, sed etiam in notione principij: spiritus d autem sanctus non conuenit cum filio, nec cum patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere; quia sicut secundum relationes non attenditur in diuinis, neque æqualitas, neque inæqualitas (vt Augusti.* * *dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis. Vnde alij dicunt quòd spiritus sanctus non potest dici imago filij, quia imaginis non est imago; neque etiam imago patris: quia etiam ima-* D *go refertur immediate ad id, cuius est imago: Spiritussanctus autem refertur ad patrem per filium. Neq; etiam est imago patris, & filij, quia sic esset vna imago duorum, quod videtur impossibile. Vnde relinquitur, quòd Spiritussanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est, quia pater & filius sunt vnum principium* d *Spiritussanctus vt infra* * *dicetur. Vnde nihil prohibet sic patris, & filij (inquantum sunt vnum) esse vnam imaginẽ, cum etiã homo totius Trinitatis sit vna imago.* 931. Li. 6. de trin. c. 4. in fine. Et lib 5. ca. 6. à medio. tomo 3. D. 1134. Q. 36. ar. 4.

Et ideò aliter dicendum est, quòd sicut Spiritussanctus quàmuis sua processione accipiat naturam patris, sicut & filius, non tamen dicitur natus: ita licet accipiat speciem similem patris, non dicitur imago: quia filius procedit vt verbum, de cuius ratione est similitudo E *speciei ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris: quamuis hoc conueniat amori: qui est Spiritus sanctus inquantum est amor diuinus.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd Damascen. & alij Doctores Græcorum communiter vtuntur nomine imaginis, pro perfecta similitudine.

Ad Secundum dicendum, quòd licet Spiritussanctus sit similis patri, & filio, non tamen sequitur, quòd sit imago ratione * *iam dicta.* In cor. art.

Ad Tertium dicendum, quòd imago alicuius dupliciter in aliquo inuenitur. Vno modo, in re eiusdem naturæ secundum speciem, vt imago Regis inuenitur in filio suo. Alio modo, in re alterius naturæ, sicut imago Regis inuenitur in denario. Primò autem

modo

modo filius est imago patris: secundo autem modo dicitur homo imago Dei, & ideo ad designandum in homine imperfectionem imaginis; homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed de filio Dei non potest dici quòd sit ad imaginem, quia est perfecta patris imago.

Sensus quæsiti.

PROPONITVR hoc quæsitum aduersus Græcos nomen *imaginis* attribuentes etiam Spiritui S. vt patet. Et quæstio est non tantum de nomine & ratione imaginis, an sit propria filio; sed etiam de causa, vt patet in textu.

Forma Textus.

PRIMO refertur opinio & vsus Doctorum Græcorum dicentium Spiritum sanctum esse imaginem Patris & Filij. Secundò proponitur CONCL. ex sententia Latinorum Doctorum. „ *Soli filio nomen imaginis est attribuendum*; Afferturque simul eius fundamentum ex sacris litteris *Coloss. 1. & Hebr. 1.* quo validè confutatur opinio Græcorũ. Tertiò referuntur & reijciuntur duę opiniones circa causam conclusionis siue sententiæ & vsus Latinorum. *Prima est eorum*, qui dicebant ideo soli filio tribui nomen imaginis; quia filius conuenit cum patre, non solum in natura sed etiam in notione principij; at verò Spiritus sanctus non conuenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione. Quam sententiam S. D. reijcit hoc argumento. Ad rationem imaginis requiritur similitudo; at hæc non attenditur secundũ relationes in diuinis; ergo nec imago. Minor probatur; quia secundum relationes non attenditur in diuinis æqualitas neq; inæqualitas, vt ait Augustinus; ergo nec similitudo. *Secunda opinio* est dicentium Spiritum sanctum non posse dici imaginem filij; quia imaginis non est imago; neque etiam dici posse imaginem patris; quia imago refertur immediatè ad id, cuius est imago; Spiritus sanctus autem refertur ad Patrem per filium. Denique nõ posse esse imaginem Patris simul & filij; quia sic esset vna imago duorum; quod videtur impossibile; igitur Spiritus sanctus nullo modo est imago. Confutatio huius opinionis est. Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti; igitur eorum quatenus sic vnum sunt, nihil prohibet esse vnam imaginem. Probatur sequela; quia homo est vna totius Trinitatis imago.

Postremo sic probatur conclusio. Filius procedit vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei, ad id à quo procedit; Spiritus verò sãctus procedit vt amor, de cuius ratione non est talis similitudo; ergo soli filio attribuendum est nomen imaginis. Antecedens probatum est *supra quæst. 27. art. 3. & 4.* Consequentia patet ex præcipua conditione imaginis supra declarata. Confirmatur vis argumenti ex alia simili differentia inter Filium & Spiritum sanctum orta ex simili causa; quia Spiritus sanctus, quamuis sua processione naturam patris accipiat sicut & filius, non tamen dicitur natus, propter differentem modũ procedendi; ergo licet accipiat speciem similem patri, non dicitur imago propter eandem differentiam modi procedendi.

Denique satisfit obiectioni tacitæ quærentis, qua ratione conueniat Spiritui sancto specifica similitudo ad Patrem & filium, dicens hanc illi competere, quatenus est amor diuinus; non autem ex modo & vi suæ processionis formaliter.

Expositio Textus.

CONCL. huius articuli muniunt ex recentioribus Zumel. Vasq. cap. 2. & Suarez *lib. 11. de Trinitate c. 6.* authoritatibus Concilij Ephes. August. Athan. Hilarij, Nazian. Cyrilli & aliorum, quorum dicta lege apud prædictos expositores, si placet.

Aduerte præterea, propositionem illam negatiuam; *Spiritus sanct. nõ est imago* nõ posse directè ac positiuè probari per verba sacrarum litterarum; sicut probata est hæc, *Filius est imago*; sed hoc ipsum, quod scripturæ diuinæ filium appellant imaginem, non autem Spiritum S. non leue est argumentum aduersus opinionem Græcorum pro conclusione præsentis articuli, quæ est sententia Latinorum: quorum interpretatio ea firma ratione fulta, quam affert S. D. in textu, irrefragabile construit argumentum. Adde Dionys. *in principio de diuinis nominibus* ita dicentem; *Vniuersaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa.*

Tertiò scitò Græcorum & Latinorum dissidiũ de nomine imaginis, quo ad personam Spiritus S. non esse de re, sed de vocabulo tantum: quamuis fortassis ex vtraque parte multi crediderint se non voce tantum, sed re ipsa ab opposita sententia dissentire. Affirmabãt enim Græci Patres Spiritum S. imaginem esse patris & filij, ea tantum ratione; quia scilicet procedit in vnitate perfecta naturæ: quamuis vnitatem hanc naturę non habeat ex modo & vi suæ processionis formaliter. Minus itaque propriè loquuti sunt. Et in eodem sensu cum Græcis consentit Caiet. exponens illa verba *Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*: vbi tribuit Spiritui sancto nomen imaginis. Atque ita Græcorum & aliorum quorundam dicta esse interpretanda rectè docent recentiores *super hoc articulo*, & præsertim Zumel. Vasq. *c. 2.* & Suar. *in d. c. 6.* quod antea significauerat Iauellus.

Latini, & Græci sola voce dissident.

Caiet. cum Græcis. Heb. 1.

Quartò obserua primam & secundam rationem, quo ad postremam eius partem, quibus assignatur causa conclusionis, & sententiæ Latinorum, esse D. Bonau. *in 1. dist. 31. in 2. parte distinctionis, a. 1. q. 2.* qui primam rationem accepit à Richardo de S. Victore *lib. 6. de Trin. c. 19. 20. & 21.*

Postremò nota D. Thom. non refutare duas illas rationes tactas in secunda opinione. Prior verò est illa; quia imaginis non est imago. Posterior verò est illa; quia imago refertur immediatè ad id, cuius est imago: Spiritus S. autem refertur ad patrem per filium. Nam etsi minus videantur efficaces, aliquo tamen modo probant intentum: licet enim dici possit imaginem naturalem per se subsistentem admittere imaginem etiam naturalem: verum tamen est imaginis, quę per se primò imago est, quale est verbum Dei, non esse aliam per se primò imaginem; quamuis possit aliud esse suppositum simile, & idem in natura. Et quamuis dici posset Spiritum sanctũ non mediatè solum ad Patrem referri scilicet mediante filio, sed immediatè, quatenus pater per se ipsum etiam immediatè spirat, vt ait S. D. *in seq. q. 4 a 3. ad 1.* id tamen quod est imago per se primò, nõ nisi immediatè refertur ad id, cui est imago. At verò q̃ est alterius imago naturalis,

necessariò ac per se primò illius est imago; hæc A est enim eius natura, vt sit imago; igitur si Spiritus S. per se primò non est imago patris aut filij vel vtriusq;, neutrius erit imago naturalis, quod si imago naturalis non est: consequens est vt nulla ratione sit imago.

Controversia Vnica.

De efficacitate rationis Diui Thomæ.

Sententiæ Doctorum.

VARIAE à Doctoribus afferũtur rationes ad probandam huius articuli conclusionẽ, scilicet nomen & rationem imaginis soli filio conuenire; quas referunt & confutant Vasq. *cap. 4.* & Suarez *in dicto cap. 6.* Igitur Vasquez *cap. 5.* reiecta ratione D. Thom. sentit hac vna ratione conclusionem efficaciter posse probari. Imago est similitudo expressa ad repræsentandum id cuius est imago: at Spiritus S. nullum repræsentat eorum, à quibus procedit; ergo &c. Maiorem, quam accepit ex Canariensi, probat quibusdam argumentis supra solutis *q. 27. art. 4. controu. 1.* Minorem autem sic deducit: Si Spiritus sanctus aliquem repræsentaret, deberet eum repræsentare alicui intelligenti; nulli autem repræsentat; quia nec patri, nec filio; cum neuter seipsum intelligat Spiritu S. neque tanquam termino, neque tanquam forma suæ intellectionis; nec repræsentat sibi ipsi, nisi quatenus essentiali intellectione, quæ est sui ipsius essentia, cognoscit se, & alias personas in se ipso; nec repræsentat alicui intellectui creato; non viatori, vt perspicuum est: non videnti Deum sicuti est. nam qui tres personas clarè intuetur, non videt vnam, quia in alia repræsentetur, sed omnes equè primò intuetur; ergo nulli intellectui Spiritus sanctus repræsentat, nec representare potest: igitur nec alicuius imago est.

Aureolus rationem hanc ex littera D. Th. sic impugnat. Spiritus S. procedit vt amor diuinus; ergo vt similis; ergo ratio adducta nihil valet. Prima consequentia probatur ex textu dicente conuenire amori, qui est Spiritus S. vt sit similis D in specie, in quantum est amor diuinus. Secunda verò consequentia & antecedens sunt euidẽtia.

Alij expositores communiter approbant & tuentur rationem D. Th. vt omnium optimam quam etiam complectitur in substantia Suarez *lib. 9. de Trinitate cap. vlt. in fine* quamuis illa quã affert, prima facie diuersa videatur.

Resolutio. Distinguũtur, & explicantur amoris differentiæ per se, & per accidens; & aperitur sẽsum duarum propositionũ; & fit sutus quæstio.

PRAECIPVA, immò verò omnia veritatis in proposita difficultate fundamenta sunt ea, quæ supra iecimus, *quæst. 27. art. 4. in 1. controu.* Hic tantum explicanda est paulò diligentius doctrina Cai. cuius minimè facilis est intelligentia.

Quæ sint differentiæ per se.

Sciendum est itaque primò, communem aliquã rationem, siuè formam generico aut proportionali, siue analogico conceptu apprehensam pos- E se diuidi & contrahi per duo differentiarum siue modorum genera; ac proinde posse dupliciter à contrahente denominari; potest enim quælibet ratio siue natura generica primò diuidi per differentias per se, quæ scilicet naturam illam variant & distinguunt infra latitudinem propriæ rationis formalis, & ad eandem naturam pertinent, vt eius formales intrinsecæ & essentiales denominationes. Dico *essentiales* non naturæ genericæ præcisè & abstractè sumpræ, sed prout est siuè participatur in hac & illa specie directè sub tali genere sumpta: sicut album & nigrum differẽtiæ sunt per se distinctiuæ coloris; quia nimirũ coloris naturam distinguunt infra latitudinem rationis formalis coloris, & intrinsecæ denominationes sunt naturæ coloris ad eius essentiam pertinentes, prout est siuè participatur in hac & illa specie. Nam ratio albi siue disgregatiui ratio quædam formaliter est coloris & visibilis, vt sic à qualibet ratione formali cuiusuis alterius generis omninò distincta & ab ea prorsus extranea. Quo fit vt singula genera proprias habeant differentias ad ambitum rationis eius formalis ita pertinentes, & cum eius natura speciem constituentes, vt cum alterius generis natura nulla ratione veleant conuenire ad vnam aliquam speciem vel vnum aliquid per se quouis modo constituendum, ob dictam causam: quia scilicet ab B eius ratione formali sunt extraneæ. Vnde album & nigrum, quæ respectu coloris sunt differentiæ per se, si comparentur ad animal, sunt differentiæ per accidens; & cum animalitate nullam speciem aut vnum aliquod ens per se cõstituunt, sed vnum tantum per accidens. Ratio prædictorum omnium est: quia differentia sumitur à forma rei constitutiua, vt in rebus compositis; vel ab ipsa rei natura seu quidditate quo ad rationem siue gradum actualitatis in ea conceptum, vt in simplicibus, prout latè superius explicauimus *q. 3. a. 5. in 1. controu.* Necesse est itaque differentias per se ad rationem formalem naturæ genericæ pertinere, non vt abstractè cõcipitur, sed prout ad totam speciem participantium latitudinem consideratur extensa, & esse determinationes eius intrinsecas, & in eius essentia, vt in singulis est participantibus includi. Vnde Aristot. *in 7. metaph. tex. 43.* scissionẽ pedis, quam vt differentiam pedis per se diuisiuam constituit, quandam dixit esse pedalitatem; & ostendens quomodo ex genere & differentia fiat vnum per se, ait genus non esse præter eas quæ sunt generis species; & in vltima differentia tam genus, quàm superiores per se differentias includi, vt *ibidem* exponit S. Thom. quod differentijs per accidens minimè congruit; nulla enim earum alteram aut genus includit, vt *ibidem* ait Philosophus. Potest igitur secundò di- *Differentia per accidẽs.* uidi natura generica per differentias per accidẽs; vt si diuidatur color in naturalem & artificialẽ, sunt enim natura & ars extra genus coloris; cum nec in eo aut aliqua eius per se differentia claudantur; aut ipsum vel eius aliquam differentiam includant explicitè aut implicitè, vt de se patet. Et hæc doctrina proportionaliter applicanda est ad modos communis analogi diuisiuos. Quæ plura videre desiderat de modo & arte diuidendi per differentias per se, legat Arist. *in primo de partibus animalium c. 2. & 3.*

Secundò iuxta prædicta notandum est, amorem dupliciter posse distingui. Vno modo per differentias per se amoris, quatenus amor. Et quoniã *Amoris per se differentiæ.* amor impulsio quædam est: necesse est omnes differẽtias amoris per se diuisiuas esse impulsionis per se diuersificatiuas; & hoc modo diuiditur amor in amorem amicitiæ, & in amorem cõcupiscentiæ: quæ duæ differentiæ amicitia scilicet & concupiscentia impulsiones quædam sunt inter se diuersæ, vt patet *ex 1. 2. q. 28.* & ex supradictis *q. 27. a. 3. controu. 1. & a. 4. controu. etiam 1.* Secundò diuidi potest amor per differentias per accidens siuè extraneas amori vt amor est; & sic multipliciter diuidi potest, & in *Amoris differentiæ per accidẽs.* re proposita distinguitur per subiecta, siuè per naturas amantium scilicet humanam, angelicam & diuinã: & dicitur triplex amor scilicet humanus, Angelicus & diuinus.

Tertiò considerandum est amorem siue impul-

sum,

sum, & differentias per se impulsionis & amoris A
vt sic nihil habere commune formaliter cum ratione similis in quantum simile; sed ab eo & eius per se differentijs longè distare; diuersorum enim generum & non subalternatim positorum, qualia sunt amor & simile, diuersæ sunt species & differentiæ. Quod igitur procedit vt amor formaliter, quantæcunque sit perfectionis etiam infinitæ, nunquam procedet vt simile formaliter, quatenus amor est. Nam quod procedit vt amor, procedit vt impulsus; cuius nulla per se differentia rationem habet formaliter similis; & consequenter neque etiam imaginis, quæ similitudo quædam est. Differentiæ verò amoris diuisiuæ per accidens, similis quandoque ratione B
habere permittuntur: quales sunt iam dictæ, quæ per amantium naturas amorem distinguunt. Dixi *permittuntur* quia non oēs, sed vna tantū earū similitudinis siue similis rationem habet: hæc verò est diuinitas, quæ amori procedenti in identitate coniuncta similem illum facit principio à quo procedit: est enim amor diuinus, siuè Deus amor ab amante diuino, siue ab amante Deo. Verum hæc similitudo, cum non insit amori, vt amor est, ex propria .s. & per se differentia, sed ex tali subiecto siue natura, quæ est amoris extranea differentia, non conuenit amori per se, & formaliter vt amor est, sed per accidens tantum C
& materialiter ac identicè; quia scilicet idem est cum natura diuina, quæ vna est amoris spirati & spiratoris.

Amor vt sic non procedit vi similis.

Prima propos. sensus. Hæc itaque propositio: *amor diuinus procedit vt similis*, dupliciter potest intelligi. Vno modo sumendo amorem vt amor est formaliter, quo ad eius per se differentiam: ita vt dictio illa, *diuinus*, sumatur formaliter & denotet solum amātem & obiectum amoris: & sic falsa est dicta propositio ob supradictam causam; quia scilicet amor, ex proprijs & per se differentijs nullam habet rationem similis. Alio modo potest intelligi sumendo amorem pro vt diuinus est, non tantum formaliter, sed etiam identicè, quatenus scilicet dictio illa *diuinus*, denominatio est amoris D
sumpta ab extranea vel quasi extranea differentia scilicet natura diuina cui identificatur: & in hoc sensu vera est propositio, vt affirmat S. D. in textu. Et quamuis propositio sit aliquo modo formalis quo ad significatum illa dictione *diuinus*: non est tamen simpliciter & absolutè formalis sed identica propriè & materialis: quia cū de amore diuino, angelico vel humano formaliter loquimur, & de eo aliquid prædicamus, sermo semper est de amore, vt amor est quo ad aliquam eius per se differentiam nisi aliud exprimatur. Iam autem diximus nullam amoris per se differen tiam habere rationem similis formaliter, sed materialiter tantum, quatenus .s. idem est cum tali natura puta diuina. E

Secūda propos. sensus. Postremò *in illa* propositione, *Spiritus sanctus procedit vt amor diuinus*, aduerte duo. *Primum* est, dictionem illam *vt* denotare siue specificare modum processionis Spiritus S. potest verò modus processionis Spiritus S. per dictam particulam dupliciter denotari: Vno modo quo ad propria tantum & formalia illius modi procedendi, quæ scilicet pertinent ad amorem & impulsionem vt sic. Alio modo quo ad communia id est essentialia & concomitantia modum procedendi siuè terminum processionis: hæc verò sunt, quòd processio illa sit esse & essentia Dei; quòd amor ille sit subsistens, sit idem quod Deus, sit similis & æqualis producenti; & consequenter omnem aliam habens perfectionem Deo congruentem & tribus communem. *Secundum* est dictionem illam *diuinus* dupliciter sumi posse. Vno modo identicè id est prout significat idētitatem amoris cum Deo, ac si dictum esset, amor qui Deus est. Alio modo formaliter, vt scilicet denotet tantum principium & obiectum amoris, quod Deus est. Cum itaque dicitur Spiritus S. procedit vt amor diuinus: si dictio illa *vt* denotet modum processionis quo ad propria tantum & formalia modi processionis Spiritus S. & dictio illa *diuinus* sumatur identicè, fit sensus; Spiritus S. procedit vt amor diuinus, id est Spiritus S. ex vi & modo proprio suæ processionis, B
prout scilicet est processio amoris vt sic, habet quòd procedat vt Deus; quæ propositio falsa est, vt patet ex dictis *in hac, & in prædicta 1. controu. a. 4. q. 22.* Nam, vt hic ait Caiet. non habet Spiritus S. vt sit Deus ex proprijs processionis amoris etiam diuini, stando infra latitudinem solius voluntatis & modi processionis illius; sed hoc tantum habet, vt sit amor Dei tanquam amantis, & amati; & consequenter est vera propositio sumendo amorem diuinum formaliter. Si verò dictio illa *vt* denotet etiam communia tribus personis & concomitantia modum procedēdi, vel terminum processionis, quocūque modo sumatur dictio illa *diuinus* vera est propositio, vt perspicuè patet ex dictis: & cōsequenter Spiritus S. in eo sensu procedit vt similis; & eodem modo distinguendum & iudicandum est de similibus alijs propositionibus. Et quoniam dicta propositio à Theologis accipitur, vt exprimit propria & formalia modi procedendi; & sumitur amor diuinus formaliter; idcircò absolutè vera est. Nec tamen sequitur: ergo Spiritus S. procedit vt similis, vt etiam ostendimus.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Nomen imaginis esse proprium filij nulla melius ratione probatur, quàm argumento S. D. in textu.* ,,

SECVNDA CONCL. *Probatio Vasquesij inutilis est & vana* Hæc conclusio probata fuit supra *in allegata Controuersia*: & probat eam Suarez *in supra dicto libro 9. capit. vltimo, numero decimo, & sequentibus.* ,, ,, ,, ,, ,, *Suarez.*

TERTIA CONCL. *Hæc propositio*, Spiritus S. vel amor diuinus procedit vt similis, *propriè & formaliter accepta falsa est, materialiter autem & identicè vera.* ,, ,, ,, ,, ,,

QVARTA CONCL. *Hæc propositio*, Spiritus S. procedit vt amor diuinus, *propriè & formaliter intellecta vera est, impropriè autem falsa.* ,, ,, ,, ,, ,,

CONTRA *primam* concl. est argum. Aur supra notatum. *Resp.* cum Caiet. falsam esse primā consequentiam. Ad probationem dico D. Th. loqui de amore diuino identicè, & non tantum effectiuè & obiectiuè siue formaliter, quomodo procederet probatio consequentiæ.

Obi. cōt. 1. concl. Solut.

CONTRA *eandem* concl. producunt Vasq. & Suar. nonnulla argumenta, quæ soluta sunt *in dicta 1. controu. q. 21. a. 1.*

CONTRA *secundam* concl. est argum. Vasq. supra cum eius opinione relatum. Cui *respondemus* primò falsam esse maiorem quo ad particulam illam ad repræsentandum, vt probatum est *in dicta controu.*. Secundò dici potest idem esse procedere ad repræsentandum, & procedere vt simile; & in hoc sensu vera esset maior. Ad minorem autē dicimus eā non rectè probari. Nam Spiritus S. vt eandem habēs cū spiratore naturā, in qua relucēt vniuersa vt in obiecto adæquato di-

Obi. cont. 2. conc. Solut.

to diuini intellectus, se ipsum & omnia sibi & a- A lijs personis obiectiuè repræsentat. Nec tamen sequitur patrem & filium intelligere Spiritu sancto tanquam forma aut termino intellectionis: sed intelligere seipsum in Spiritu sancto vt re producta, in qua sunt pater & filius per vnitatem essentiæ, & per originem ac relationem: Reliqua ad huius argumenti cõfutationem necessaria videat lector *in dicta nostra controuersia*, & apud Suar. *in allegato vltimo cap. lib. 9.*

QVAESTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

B

POst *consideration*em *prædictam, consideran*dum *est de his, quæ pertinent ad personam Spiritus sancti: qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor & donum Dei.*

Circa Spiritum sanct. ergo quæruntur quatuor.

Primò. Vtrum hoc nomen Spiritus sanct. sit propriũ alicuius diuinæ personæ.

Secundò. Vtrum illa persona diuina, quæ Spiritus sanct. dicitur, procedat à patre, & filio.

Tertiò. Vtrum procedat à patre per filium.

Quartò. Vtrum pater & filius sint vnũ principium Spiritus sancti. C

Ratio ordinis huius quæstionis, & articulorum eius inter se.

HAEC est tertia pars tractatus de personis in particulari, in qua disserit S. D. de tertia in Trinitate persona, quæ est Spiritus S. cui tria conueniunt nomina. Primum est, Spiritus S. secundum est amor: tertium est donum; de quibus agit S. Th. eo ordine, quo proposita sunt. Nam Spiritus S. nomen est in sacris litteris vulgatissimum, & cæteris omnibus prima sui significatione communius, non solum quia tribus cõuenit, vt ex Augustin. dicit auctor in textu: sed etiam quia nomen spiritus ex propria significatione impulsionem, & rem nihil aut parum habentem de materia significat; quæ longè cõmunior est, quàm amor & donum. Ratio autem amoris naturaliter prior est ratione doni; quia donum respectum connotat ad creaturam, cui donatur; qui sequitur rationem amoris in Deo, qui est prima ratio donationis. D

Quatuor habet articulos hæc quæstio. *in Primo* tractatur quid nomnis Spiritus S. *In secundo* examinatur quid rei, quo ad radicem propriam personalis eius distinctionis à filio, quæ est processio. *In tertiò* agitur de modo processionis eiusdem Spiritus S. in ordine ad Patrem & Filium: non tantum simpliciter, sed præcipuè vt exprimitur per propositiones. *In vltimo articulo* ver- E sat difficultatem cõsequentem determinationes secundi & tertij articuli, in quibus concluditur Spiritum S. procedere à Patre & filio, & à Patre per filium: ex quibus emergit dubitatio, an pater & filius verè sint & dici debeant vnum principium Spiritus S. an magis duo?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Spiritussanctus sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

194. 22. q. 15. a. AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd hoc nomen Spiritussanctus, non sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ. Nullum enim nomen commune tribus personis est proprium alicuius personæ: sed hoc nomen Spiritussanct. est commune tribus personis. Ostendit enim Hilar.* * *8. de Trinit. in spiritu Dei, aliquando significari patrem, vt cum dicitur, spiritus Domini super me. Aliquando significari filium, vt cũ dicit filius: In spiritu Dei eijcio dæmonia, naturæ suæ potestate eijcere se dæmonia demonstrans. Aliquando de Spiritussanct. vt ibi, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ergo hoc nomen Spiritussanct. non est proprium alicuius diuinæ personæ.* 1. cor. & 1. dis. 10. a. 4. & 4 contr. gent. ca. 9. fin. Et mat. q. 3. art. 14. cor. & op. 3. cap. 46. & 47. * Lib. 3. de trin. circa med. lib.

2 Præterea. Nomina diuinarum personarum ad aliquid dicuntur, vt Boetius dicit in lib. * *de Trin. Sed hoc nomen Spiritussanctus non dicitur ad aliquid. Ergo hoc nomen non est proprium diuinæ personæ.* Declinando ad finem ii.

3 Præt. Quia filius est nomen alicuius diuinæ personæ, non potest dici filius huius, vel illius. Dicitur autem spiritus huius, vel illius hominis. vt enim habetur Num. 11. dixit Dominus ad Moys. De spiritu tuo accipiam, tradamq; eis. & 4. Reg. 2. Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum. ergo Spiritussanctus non videtur esse proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

Sed contra est, quod dicitur 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & Spiritussanct. Vt autem August. dicit * *7. de Trin. cum quæritur quid tres? dicimus, tres personæ. Ergo Spiritussanctus est nomen diuinæ personæ.* Ca. 4. & sequentibus a tom. 5.

Respond. Dicendum, quod cùm sint duæ processiones in diuinis, altera earum, quæ est per modum amoris, non habet proprium nomen, vt supra dictum est. * *Vnde & relationes, quæ secundum huiusmodi processionem accipiuntur, innominatæ sunt, vt etiam supra dictum est.* * *Propter quod nomen personæ hoc modo procedentis, eadem ratione non habet proprium nomẽ: sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex vsu loquentium ad significandum prædictas relationes, cùm nominamus eas nomine processionis, & spirationis, quæ secundum proprietatem significationis, magis videntur significare actus notionales quam relationes: ita ad significandum diuinam personam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum est ex vsu scripturæ hoc nomen Spiritussanctus. Et huius quidem conuenientiæ ratio sumi potest ex duobus. Primò quidem ex ipsa cõmunitate eius, quòd dicitur Spiritus sanct. Vt enim Aug dicit* * *15. de Trin. Quia Spiritussanctus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Nam & pater est spiritus, filius est spiritus, & pater est sanctus, & filius est sanctus. Secundò verò ex propria significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis quadam impulsionem & motionem significare videtur. Nam flatum, & ventum, spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. c Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.* Q. 27. a. 4. ad 3. Q. 28. a. 4. Li. 5. de ciu. c. 11. a. med. & 1215 c. 9. circa fin. 10. 11. 3. 163.

Ad Primum ergo dicendum, quod hoc, quod dico, Spiritussanctus prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati, quia nomine spiritus significatur immaterialitas diuinæ substantiæ. Spiritus enim corporeus inuisibilis est, & parum habẽt de materia. Vnde omnibus substantys immaterialibus, & inuisibilibus hoc nomen attribuimus. Per hoc verò, quòd dicitur sanctus, significatur puritas diuinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc quod dico Spiritussanctus, in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam vnam trium personarum, scilicet quæ procedit per modum amoris ratione iam dicta. * In cor. art.

Ad Secundum dicendum, quòd licet hoc quod dico, Spiri-

Spiritus sanctus relatiuè non dicatur, tamen pro relatiuo ponitur, inquantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab alijs distinctam. Potest tamen intelligi in nomine aliqua relatio, si Spiritus Sanctus intelligatur quasi spiratus.

Ad Tertium dicendum, quòd in nomine filij intelligatur sola relatio eius, qui est à principio ad principiũ: sed in nomine patris intelligitur relatio principij. Et similiter in nomine spiritus prout importat quandã vim motiuam. Nulli autem creaturæ competit esse principium respectu alicuius diuinæ personæ, sed è conuerso. Et ideo potest dici pater noster, & spiritus noster: non tamen potest dici filius noster.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. *ex responsione ad primum argumentũ* dicens hic sumi nomen Spiritus S. in vi vnius dictionis.

Forma Textus.

» CONCL. est. *Hoc nomen Spiritus sanctus est proprium nomen diuinæ personæ procedentis per modum amoris, ex accommodatione diuinæ scripturæ.* Probatur hæc conclusio dupliciter. Primò ostendendo causam siuè necessitatem accommodationis. Secundò afferendo rationem conuenientiæ. Manifestatur necessitas ex differentia inter processionẽ, quæ est per modum amoris; &eã quę est per modũ cognitionis implicitè significata; quoniam illa non habet proprium nomen, sed voce tantum communi nuncupatur processio; hæc verò dicitur generatio. Ex qua sequitur alia differentia inter relationes, quæ secundum dictas processiones accipiuntur; quòd scilicet quæ pertinent ad processionem intellectus habeant propria nomina; quæ verò accipiuntur secundum processionem amoris, non habeant nomina propria, sed ex vsu loquentium sint eis aliqua nomina accommodata, vt nomen processionis & spirationis; quæ magis videntur significare actus notionales, quàm relationes. Et ex hac tandem differentia sequitur alia, nimirum quòd persona procedens per actum intellectus proprijs gaudeat nominibus; ea verò quæ procedit per actum voluntatis & per modum amoris, non habeat proprium nomen, sed ex vsu scripturæ sit ei nomen hoc Spiritus S. accommodatum. Secundò probatur conclusio afferendo causam conuenientiæ. Et quoniam nominis accommodatio duo præexigit in nomine acommodato, scilicet communitatem propriæ suæ significationis, & affinitatem siue conuenientiam quandam cum re, siue persona cui accommodatur vt proprium; ideò ex vtroque capite probat S. D congruentiam accommodationis huius nominis Spiritus S. respectu personę procedentis per modum amoris; Et primò ex communitate per dictum Augustini *15. de Trinitate capit. vndecimo*; Secũdò ex affinitate significationis cum proprijs Spiritus sancti tali argumento. Nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem & motum significat, & proprium est amoris vt impellat & moueat voluntatem amantis in amatum: & sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur; at persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur; ergo cõuenienter Spiritus sanctus nominatur. Prima propositio quo ad primam partem probatur; quia flatum & vẽtum, quæ impulsio quædam est, spiritum vocamus; cętera relinquuntur vt nota.

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

Expositio Textus.

CIRCA primam probationem conclusionis, quo ad necessitatem accommodationis huius nominis *Spritus S.* legenda sunt ea quæ supra notauimus *q. 27. a. 3. & contra. 1.* ex D. Th. *infra q. 37. a. 1.*

Pro secunda verò probatione legendus est D. Thom. *in 1. dist. 10. q. 1. a. 4.* vbi significationem huius nominis *spiritus* explicat diligenter & *in respnos. ad 4.* rationem affert, cur spiritui sanctitas sit adiuncta. De qua voce latius differit S. Tho. *in compendio Theologiæ capit. 45. & sequentibus,* vbi sic ait; *Est enim sciendum, quòd cum bonum amatum habeat rationem finis: ex fine autem motus voluntatis bonus vel malus reddatur: necesse est, quòd amor quo ipsum summum bonum amatur, quod Deus est, eminẽtem quandam obtineat bonitatem, quæ nomine sanctitatis exprimitur: siue dicatur sanctum quasi purum secundum Græcos; quia in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis; siue dicatur sanctum, id est firmum secundum Latinos; quia in Deo est immutabilis bonitas; propter quod omnia, quæ ad Deum ordinantur, sancta dicuntur. Sicut templum, & vasa templi, & omnia diuino cultui mancipata.* Hæc ibi D. Thom.

Legendus est præterea D. Aug. *lib. 15. de Trin. cap. sextodecimo,* vbi latè & subtiliter de hac materia disserit. Suarez *lib. vndecimo de Trinit. capit. 1.* quædam notat de hoc nomine Spiritus S. quæ desumpsit ex D. Tho. locis sup. citatis.

Quærit hoc in loco Iauellus: an nomen hoc *Spiritus S.* in aliquo sensu sit nomẽ proprium alicui personæ, ex suo proprio significato, & nõ solum ex accommodatione? & respondet D. Tho. *hic ad 2.* affirmare nomen esse proprium diuinæ personæ ex proprio significato, si Spiritus S. intelligatur quasi spiratus; & quando Diuus Thomas id videtur negare, sumit nomen Spiritus, prout dicitur à spiritualitate vel immaterialitate. *Dubium Iauelli, & eius solut.*

Sed falsa est (vt arbitror) hæc expositio, & contra mentem D Thom. Nam primò conclusio D. Thom. planissimis verbis hanc interpretationem excludit: deinde contra eam clamat totus articuli discursus; & singulariter secunda conclusionis probatio, quæ de nomine Spiritus loquitur, prout impulsio quædam voluntatis est. Denique secum pugnat hæc expositio; nam cum nomen Spiritus, non nisi à spiritualitate & immaterialitate dicatur, vt patet *ex respõsione ad primum, & ex primo sententiarum,* si secundũ hanc rationem non est proprium nisi ex accommodatione, nullo vnquam alio modo poterit esse proprium. Verba autem illa D. Thom. *ad secundum: Potest autem intelligi in nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus,* intelligenda sunt suppositа nominis accommodatione. Nam ea suppositа, si Spiritus S. intelligatur, quasi spiratus non solum significabitur persona, quasi per modum absoluti: sed etiam significabitur formaliter vt relatio subsistens; sicut hoc nomine *pater* significatur formaliter relatio subsistens, *Confut.*

Denique nota correlarium Magistri Porr. cum eiusdem explicatione responsionis ad tertium argumentum D. Thomæ.

Articvlvs Secvndvs

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Filio.

195. 1. dist. 11. ar. 1. Et po. q. 10. ar. 4. & opu. 1. c. 49. 50. & 51. & op. 3. c. 49. & 4. con. c. 24. & 25. * Cap. 1. de di. no. parū à princ.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd Spiritussanctus non procedat à filio. Quia secundum Dion. * non est audendum dicere aliquid de substantiali diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa. Sed in scriptura sacra non exprimitur, quòd Spiritussanctus a filio procedat, sed solum quod procedat a patre, vt patet Ioan. 15. Spiritū veritatis, qui à patre procedit. Ergo Spiritus sanctus non procedit à filio.

† In 1. Constantinopolitana synodi canone. 7. to. 1. Concil.

2 Præter. In symbolo † Constantinopolitanæ synodi sic legitur: Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, ex patre procedentem cum patre, & filio adorandum, & glorificandum. Nullo igitur modo debuit addi in symbolo nostro, quòd Spiritussanctus procedat à filio: sed videntur esse anathematis rei, qui hoc addiderunt.

Li. 1. orth. fid. c. 11. nō procul à fine.

3 Præterea. Damasc. * dicit, Spiritumsanctum ex patre dicimus: & spiritum patris nominamus: ex filio autem Spiritumsanct. non dicimus: spiritum verò filij nominamus. Ergo Spiritussanctus non procedit à filio.

4 Præt. Nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed Spiritussanct. quiescit in filio. Dicitur enim in legenda beati And. Pax vobis, & vniuersis qui credunt in vnū Deum patrem, & vnum filium eius vnicum dominum nostrum Iesum Christum, & in vnum Spiritum sanct. procedentem ex patre in filio permanentem. Ergo Spiritussanctus non procedit à filio.

5 Præter. Filius procedit vt verbum: sed spiritus noster in nobis, non videtur procedere a verbo nostro. Ergo Spiritussanct. non procedit à filio.

6 Præter. Spiritussanctus perfectè procedit à patre. Ergo superfluum est dicere, quòd procedit à filio.

Li 3. Phys tex. 32. & 33. † Non procul, à principio. & per totum lib.

7 Præt. In perpetuis non differunt esse & posse (vt dicitur in * 3. Phys.) & multo minus in diuinis. Sed Spiritussanct. potest distingui à filio, etiam si ab eo non procedat. Dicit enim Ansel. † in lib. de processione Spiritussancti. Habent vtrique à patre esse filius & Spiritus sanct. sed diuerso modo: quia alter nascendo, & alter procedendo, vt alij sint per hoc ab inuicem. Et postea subdit. * Nam si per aliud non essent plures filius & Spiritussanct. per hoc solum essent diuersi. Ergo Spiritussanct. distinguitur à filio ab eo non existens,

* Eodem loco nunc dicto. In symbol. suo fidei.

Sed contra est, quòd dicit Athanasius: * Spiritussanctus à patre, & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Respond. Dicendum, quòd necesse est dicere Spiritumsanctum à filio esse. Si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Quod ex supra q. 27. a. 2. & q. 30 a. 2. * dictis patet. Non enim est possibile dicere, quòd secūdum aliquid absolutum, diuinæ personæ abinuicem distinguantur; quia sequeretur, quod non esset trium vna essentia. Quicquid enim in diuinis absolutè dicitur, ad vnitatem essentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quòd solum relationibus, diuinæ personæ abinuicem distinguantur. Relationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundum quòd sunt oppositæ. Quod ex hoc patet, quia pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad filium, & alia ad Spiritum sanctum; quæ tamen, quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, sed ad vnam personam patris tantum pertinent. Si ergo in filio, & in Spiritusancto non esset inuenire nisi duas relationes, quibus vterque refertur ad patrem, illæ relationes non essent adinuicem oppositæ, sicut neque duæ relationes, quibus pater refertur ad illos. Vnde, sicut persona patris est vna, ita sequeretur, quòd persona filij, & Spiritussancti esset vna, habens duas relationes oppositas duabus relationibus patris. Hoc autem est hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo, quòd filius, & Spiritussanctus, ad inuicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in diuinis aliæ relationes oppositæ, nisi relationes originis, vt supra probatum est. * Oppositæ autem relationes originis, accipiuntur secundum principium, & secundum quòd est à principio. Relinquitur ergo, quod necesse est dicere, vel filium esse à Spiritussancto (quod nullus dicit) vel Spiritumsanctum esse à filio, quod nos confitemur: & huic quidem consonat ratio processionis vtriusque. Dictum enim est supra, * quòd filius procedit per modum intellectus vt verbum, Spiritus sanctus autem per modum voluntatis vt amor. Necesse est autem, quod amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus: e Vnde & secundum hoc manifestum est, quod Spiritussanctus procedit a filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nusquā enim hoc inuenimus, quod ab vno procedant plura absque ordine nisi in illis solum, quæ materialiter differūt. Sicut vnus faber producit multos cultellos materialiter abinuicem distinctos, nullum ordinem habentes adinuicem. Sed in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Vnde etiam in ordine creaturarum productarum, decor diuinæ sapientiæ manifestatur. Si ergo ab vna persona patris procedunt duæ personæ scilicet Filius, & Spiritussanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad inuicem. Nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturæ, quo alius est ex alio. Non est igitur possibile dicere, quòd Filius, & Spiritussanctus sic procedant à Patre, quod neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis materialem distinctionem, quod est impossibile. Vnde etiam ipsi Græci processionem Spiritussancti aliquem ordinem habere ad filium intelligunt. Concedunt enim Spiritumsanctum esse spiritum filij, & esse à patre per filium. Et quidam eorum dicuntur concedere, quòd sit à filio, vel profluat ab eo, non tamen quòd procedat: quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex proteruia esse. Quia si quis rectè consideret, inueniet processionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcunque pertinent, communissimum esse: Vtimur enim eo ad designandū qualemcunque originem. Sicut quòd linea procedit à puncto, radius à sole, riuus à fonte. Et similiter in quibuscunque alijs. Vnde ex quocunque alio ad originem pertinente potest concludi, quòd Spiritussanctus procedit à filio.

q. 27. ar. 4.

q. 27. ar. 2. & 4. q. 28. ar. 4.

182. c

180. b

Ad Primum ergo dicendum, quod de Deo dicere nō debemus; quod in sacra scriptura non inuenitur, vel per verba, vel per sensum. Licet autem per verba non inueniatur in sacra scriptura, quòd Spiritussanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantum ad sensum, & præcipuè, vbi dicit filius, Ioan. 16. de Spiritusancto loquens; Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Regulariter etiam in sacra scriptura tenendum est, quòd id, quod de Patre dicitur, oportet de filio intelligi: etiam si dictio exclusiua addatur, nisi solum in illis, in quibus pater & filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. 11. dicit: Nemo nouit filium, nisi pater, non excluditur, quin filius seipsum cognoscat. Sic igitur, cùm dicitur, quòd Spiritussanctus à Patre procedit, etiam si adderetur, quòd à solo patre procedit, non excluderetur inde filius: quia quantum ad hoc, quòd est esse principium Spiritussancti, non opponuntur Pater, & filius, sed solum quantum ad hoc, quòd hic est Pater, & ille Filius.

Ad Secundum dicendum, quòd in quolibet concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in concilio damnabatur. Vnde sequens concilium non faciebat aliud symbolum, quàm primum, sed id, quod implicitè continebatur in primo symbolo.

per

*per aliqua addita explanabatur contra hæreses insurgentes. Vnde in determinatione * Calcedonen. synodi dicitur, quòd illi, qui fuerunt congregati in concilio Constantinopolitano, doctrinam de Spiritusancto tradiderunt, non quòd minus esset in præcedentibus, qui apud Niceam congregati sunt, inferentes: sed intellectũ eorum aduersus hæreticos declarantes. Quia igitur in tempore antiquorum conciliorum, nondum exortus fuerat error dicentium Spiritumsanctum non procedere à Filio, non fuit necessarium, quòd hoc explicitè poneretur. Sed postea insurgente errore quorundam, in quodam concilio in Occidentalibus partibus congregato, expressum fuit authoritate Romani Pontificis, cuius authoritate etiam antiqua consilia congregabantur. Continebatur tamen implicitè in hoc ipso, quòd dicebatur Spiritussanctus à Patre procedere.*

Dũ ponitur symbolũ illius, circa med. habetur, tomo 1. Concil. quæ sunt Coloniæ impressa, anno Domini 1550.

*Ad tertium dicendum, quòd Spiritumsanctum non procedere à Filio, primò fuit à Nestorianis introductũ, vt patet in quodam symbolo Nestorianorum, damnato in Ephesina synodo. Et hunc errorem sequutus fuit Theodoricus Nestorianus, & plures post ipsum. Inter quos fuit etiam Damasc. Vnde in hoc eius sententia non est standum. Quamuis à quibusdam dicatur, quòd Damascen. * sicut non confitetur Spiritumsanctum esse à Filio, ita etiam nõ negat ex vi illorum verborum.*

Damasc. in hist. duorũ milit.

Ad Quartum dicendum, quòd per hoc, quòd Spiritus sanctus dicitur quiescere, vel manere in Filio, non excluditur quin ab eo procedat, quia & Filius in Patre manere dicitur: cum tamen à Patre procedat. Dicitur etiam Spiritussanctus in Filio quiescere, vel sicut amor amantis quiescit in amato, vel quantum ad humanam naturam Christi, propter id quod scriptum est Io. 1. Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat.

Ad Quintum dicendum, quòd verbum, in diuinis, non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis, à quo non procedit spiritus, quia sic tantum metaphoricè diceretur, sed secundum similitudinem verbi mentalis à quo amor procedit.

Ad Sextum dicendum, quòd per hoc, quòd Spiritussanctus perfectè procedit à Patre, non solum non superfluum est dicere, quòd Spritussanctus procedit à Filio: sed omninò necessarium, quia vna virtus est Patris, & Filij. Et quicquid est à Patre, necesse est esse à Filio, nisi proprietati filiationis repugnet. Non enim filius est à seipso, licet sit à Patre.

*Ad Septimum dicendum, quòd Spiritussanctus distinguitur personaliter à filio in hoc, quòd origo vnius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentia originis est per hoc, quod filius est solum à Patre, Spiritussanctus verò à patre, & filio. Non enim aliter processiones distinguuntur, sicut supra * ostensum est.*

In cor. art. & q. 27.

Sensus quæsiti.

Dubit.

DVBITATIONEM hic excitat Caiet. de duabus quæstionibus sub vno quæsito comprehensis, & vnius articuli discursu resolutis: cui duabus solutionibus satisfacit, quas approbat Iauellus, sed magis secundam.

Solutio.

Sylueſter arguit.

Sylueſt. autem carpit rationem dubitandi. Nam quæstiones (inquit) Caiet. sunt æquales numero ijs, quæ verè scimus: hæc autem quæstio est vna, & scita sunt duo. *Sed arguit Sylueſt. Primò.* Si duæ sunt quæstiones in hoc articulo, vt ait Caiet. vanè assumitur, quòd quæstio sit vna, & scita duo. *Secundò.* Illa propositio: *Quæstiones æquales sunt &c.* non sic intelligitur, quasi in vno articulo non sciamus nisi vnam conclusionem: sed sic, quòd nihil nouiter scimus, quod prius non fuerit nobis ignotum, & consequenter quæsibile & dubitabile: licet non semper de eo quæstio moueatur.

Verùm hæc nimis leuia sunt. Ad hoc enim tendit dubitatio Caietani vt ostendat duo illa quæsita in hoc vno implicitè clausa, in duo formaliter & explicitè debuisse distingui ab articulariter scribente. Quamuis igitur duo sint implicitè & virtualiter: vnum tamen solum est formaliter & implicitè quæsitum: quod prima facie videtur absurdum in articulariter scribente: cum ipsemet S. Doct. *de pot. quæst 10. a. 4. & 5.* de hac vna materia duo quæsita proposuerit. Et iuxta hunc sensum intelligitur dictum illud Aristot. *Quæstiones sunt æquales numero ijs, quæ verè scimus:* quia scilicet numero scitorum secundum artem tot numero quæsita respondent distincta formaliter & explicitè. Et quamuis vno discursu sub vnius forma quæsiti plures quandoque contingat sciri conclusiones; vni tamen omnes simul æquiualent, quæ ex eiusdem rei, de qua quæritur, veritatis cognitione depẽdent.

Solut.

Forma Textus.

RESPONDET primò S. Doct. quæsito vnica conclusione; deinde arguit Græcos.

CONCLVSIO *est. Necesse est dicere Spiritum sanctum à Filio esse.* Probatur tribus rationibus. *Prima* est. Si Spiritus sanctus non procederet à filio non posset ab eo personaliter distingui; sed hoc est hæreticum; ergo & antecedens. Probatur sequela Personæ diuinæ non distinguũtur ab inuicem per aliquod absolutum sed solum relationibus oppositis originis secundum esse principiũ & à principio; ergo si Spiritus sanctus non habet huiusmodi relationem originis à filio, non distingueretur ab eo personaliter. Assumptum quo ad omnes sui partes singilatim probatur. Vide litteram & Cai. *Secundò* sic probatur conclusio. Filius procedit per modum intellectus vt verbum; Spiritus sanctus autem per modum voluntatis vt amor: at necesse est vt amor à verbo procedat; ergo necesse est quòd Spiritussanctus procedat à filio. Maior probata est supra *quæstione vigesima septima.* Minor autem probatur; quoniam nihil amamus nisi quod cõceptione mentis apprehendimus. *Tertiò* probatur eadem conclusio. Si ab vna persona patris procedunt duæ personæ scilicet Filius & Spiritus sanctus; oportet esse aliquem ordinem earum ad inuicem; at non potest alius ordo assignari, nisi ordo naturæ, quo alius est ex alio; ergo non est possibile quòd filius & Spiritus S. sic procedant à Patre, quòd neuter eorum procedat ab alio. Prima propositio probatur dupliciter. Primò; quia nusquam hoc inuenimus, quod ab vno procedant plura absque ordine; nisi in illis solũ quæ materialiter differũt. Sicut vnus faber producit multos cultellos materialiter differentes, nullum ordinem habentes ad inuicem; sed in rebus in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Secundò probatur eadem propositio à simili in creaturis; quoniam etiam in ordine creaturarum productarum decor diuinæ sapientiæ manifestatur.

Deinde S. Thom. arguit Græcos ex ipsis eorum dictis, quæ sunt quatuor. *Primum* est, processio Spiritus sancti aliquem ordinem habet ad

filium. *Secundum* est: Spiritus sanctus est spiritus filij. *Tertium* est; Spiritus sanctus est à patre per filium. *Quartum* est; quidam eorum dicuntur concedere, quòd Spiritus sanctus sit à filio, vel profluat ab eo; non tamen quòd procedat. Ex quibus dictis arguit eos ignorantiæ vel proteruiæ; quoniam secunda pars vltimi dicti repugnat priori parti eiusdem dicti & omnibus alijs; quod sic probat. Procedere est communissimum inter omnia spectantia ad originem; ergo ex quocunque concesso pertinēte ad originem, puta ordine seu esse ab alio seu profluere ab alio, sequitur affirmatio processus; igitur priores affirmationes repugnant negationi processionis. Antecedens probatur; quoniam vtimur nomine processionis ad designandum qualemcunque originem; sicut quòd linea procedit à puncto, radius à sole, riuus à fonte; & similiter in quibuscunque alijs.

Expositio Textus.

ADVERSVS errorem Græcorum negantiū Spiritum sanctum à filio procedere disputat accuratissimè S.D. *de potentia q. 10. art. 4. & 5. & in 4. contra gentiles cap. 24. & 25. & alibi sæpe*; cuius diligentiam imitati sunt recentiores eius interpretes Torres, Ban. Zumellus, Mol. Val. Vasq. *disp. 146.* & Suarez *lib. 10. de Trin. cap. 1.* qui sacrarum litterarum oracula, SS. Patrum tam Latinorum quàm Græcorum dicta, Conciliorū generalium decreta ad fidej, veritatem confirmandam & schismaticorum errores confutandos summa diligentia collegerunt, & subtiliter ac prudenter examinarunt: adeo vt actum agere videatur quisquis ad huius argumenti materiam amplius illustrandam, noua conferre tentauerit. Videat igitur quicunque voluerit, apud prædictos interpretes amplissimam locorum siluam catholicam veritatem absolutissimè comprobātem. Quem sensum habuerint Græci catholici dicentes Spiritum S. à patre procedere, non autem à filio: explicat S. Th. *in 1. dist. 12. q. vnica a. 2* quia scilicet dictio illa, *à*, denotat relationem ad primam originem &c.

PRIMA CONTROVERSIA.

An si Spiritus sanctus non procederet à filio distingueretur realiter ab eo?

An hæc quæstio sit admittenda.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

QVIDAM Gotifredus *quol. 2. q. 4.* à Scoto relatus, & Greg. *in 1. distin. 11. q. 2.* & Gabriel. *ibidem*, quibus etiā fauet Torres, existimant quæstionem hanc, vt proposita est, nulla ratione esse admittendam: eo quòd nulla positio includens incompossibilia sit admittenda; quia statim respondens redarguitur, & nihil vtilitatis ex tali quæstione percipitur: hæc autem quæstio claudit incompossibilia; ergo non est admittenda. Probat minorem; quia summè necessarium est Spiritum S. procedere à filio; ergo summè impossibile est ipsum à filio non procedere, ergo ponere quòd non procedat, est ponere incompossibilia.

Suarez *lib. 10. de Trinitate cap. 2. num. 10. & sequentibus* ait; si Spiritus S. non procederet à filio, per locum intrinsecum sequi personam Spiritus S. non fuisse futuram hanc numero, quæ nunc est: ac proinde neque filium eundem numero futurum. Rationem affert præcipuam ex Arimenensi; quia hæc numero processio per se est à patre & filio: ita vt vtraque relatio sit necessaria conditio ex parte principij huius personæ scilicet Spiritus S. at si Spiritus S. non procederet à filio, iam filiatio non esset conditio necessaria; ergo nec processio terminaretur ad eandem numero personam, ad quam nunc terminatur; ergo nec esset eadem numero processio: & eadem ratione hæc filiatio, quæ nunc constituit hanc numero secundam personam; & est sufficiens ratio terminandi habitudinem processionis ad ipsam, posita illa hypothesi non esset talis, & consequēter nec eadem numero. Et ex his deducit propositam quæstionem hypotheticam, si Spiritus S. non procederet à filio, an distingueretur ab illo, non posse strictè & limitatè intelligi de his personis numero, quæ nunc sunt. Sic enim (inquit) hypothesis manifestam inuoluit contradictionem; ex qua vtrumque inferri potest, nimirum tales personas esse distinctas, quia supponuntur esse eædem numero quæ nunc sunt, & non esse distinctas, quia supponuntur non habere originem inter se, quam nunc habent. Concludit igitur sensum quæstionis esse debere: an loquēdo præcisè & abstractè modo nostro concipiendi de processione verbi & amoris, siue in his personis, siue in quacunque, quæ à nobis concipi aut fingi possit, tunc distingueretur amor procedens à verbo, si ab illo non procederet, sed à patre tantum. Nam prior (inquit) sensus supponit realem processionem vnius personæ ab alia; & inde infert reliqua; nos autem volumus ex distinctione inferre processionem.

Confutatur sententia Gotifredi, & probatur quæstionem esse admittendam.

Sed in primis vanam esse Gotifredi sententiam facilè conuinci potest ex authoritate Sanctorum & Doctorum, qui hanc difficultatem aut similes pertractarunt. Nam S. Aug. *in 5. de Trinitate ca. 5.* similem positionem admittit dicens: *Si pater filium non genuisset, nihil prohiberet ipsum dicere ingenitum:* & tamen omnino impossibile est patrem non generare filium. Et Ricardus *in 3. de Trinit. cap. 16.* ait; *Si in diuinis vna sola persona esset, nihil prohiberet eam habere plenitudinem sapientiæ & intellectus:* cum tamen sit omninò impossibile non esse trinitatem personarum in diuinis. S. Tho. *de potentia Dei q. 10. a. 5.* ex professò tractat hanc difficultatem, & cum eo passim omnes Doctores scholastici. Et præterea vtilissima est hæc controuersia, vt dicemus in expositione tituli, ad cognoscendum an filius distinguatur filiatione an spiratione à Spiritu S. & similiter de Patre, an scilicet paternitate, vel spiratione distinguatur à Spiritu S.

Consequentia duplex.

Igitur ad rationem Gotifredi respondēdum est præmissa duplici distinctione. *Prima* est. Duplex est consequentia; Vna in qua subiectum cōsequentis prædicatur in primo modo de subiecto antecedentis: vt cum dico, homo est, ergo animal est: nam animal, quod est subiectum cōsequentis, prædicatur in primo modo de homine, quod est subiectum antecedentis. Hanc consequentiam appellat Scotus consequentiam essentialem & intrinsecam; quia consequens est de essentia & de intrinseca ratione antecedentis. Alia est consequentia in qua subiectum consequentis non prædicatur in primo modo de subiecto antecedentis, sed in secundo: vt hæc, homo est, ergo risibile est, ergo admiratiuum est. Hanc consequentiā appellat Scotus accidentalē & extrinsecam; quoniā consequēs non est de intrinseca ratione antecedentis. *Secūda distinctio est.*

Positio duplex.

Positiones sunt in duplici differentia: Quædam ex qui-

ex quibus nulla sequitur contradictio, vt si ponamus coruum vel æthiopem album,& cignum nigrum. Aliæ sunt ex quibus contradictio necessariò sequitur: quæ duplices sunt; Nam quædam sunt quæ statim in suo intellectu contradictoria claudunt: quales sunt hæc color albus nõ est disgregatiuus: risibile non habet potentiam ad ridendum: homo non est rationalis; quoniã ex ratione intrinseca terminorum sequũtur per consequentiam essentialem contradictoriæ harum propositionum. Nam album est quod ex sua essentiali & intrinseca ratione est disgregatiuum: & similiter risibile ex sua intrinseca ratione dicit potentiam ad ridendum: & homo dicit rationale. Aliæ verò sunt ex quibus sequitur cõtradictio, sed per consequentiam extrinsecam & accidentalem: & talis est hæc suppositio: homo non est risibilis; ex qua per locum, extrinsecum, siuè per consequentiam extrinsecam sequitur hominem esse risibilem, quod est contradictorium suppositionis. Nam si homo est, ergo est etiam risibile, quod est propria hominis passio.

Soluitur ratio Gotifredi.

Ex his duabus distinctionibus facilè soluitur argumentum Gotifredi. Nam positiones quæ statim in suo intellectu contradictionem inuoluunt, non sunt admittendæ; quoniam eis admissis cogitur statim respondens oppositum concedere positionis admissæ. Nam qui concesserit risibile non habere potentiam ad ridendum, statim ex ipsa ratione terminorum de oppositi veritate contradictorij cõuincitur; clauditur enim in risibili facultas ad ridendum intrinsecè. At verò positiones ex quibus sequitur alterum contradictorium, sed per extrinsecam consequentiam, siuè per locum extrinsecum, admitti communiter ab Arist. & excellentibus viris consueuerunt: vt patet *in 7. & 8. Physicorum*: cum nihilominus eis admissis integra maneant iura disputantium; nam admisso eo, quod ex positione sequitur per essentialem consequentiam, neganda erit illatio repugnantis, siuè cõtradictorij, quod per consequentiam extrinsecam expositione deducitur. Si enim aduersario tecum disputanti suppositionem hanc, hominem non esse risibilẽ admiseris: teneris illud omne concedere quod per locum intrinsecum ex ea positione deducitur: vt hominem carere potentia ridendi; sed si deduxerit disputator oppositum, nimirum hominem esse risibilem, arguendo à positione subiecti ad positionem proprię passionis verè negabis consequentiam vt accidentalem, & per locũ intrinsecum minimè deductam. Igitur in proposito nostro, positio nostræ controuersiæ expressa in illo antecedente: *Si Spiritus sanctus à filio non procederet*: pertinet ad positiones secundi generis, ad eas scilicet ex quibus per consequentiã extrinsecam sequitur contradictorium. Nam secundum modum nostrum intelligendi spiratio actiua non est de intrinseca ratione filij, nec vt filius est, neque vt persona est: sed se habet instar passionis communis Patri & Filio; & ideò remota per intellectum à filio spiratione, non statuuntur duo contradictoria ex ipsa ratione terminorum, sed alterum tantum scilicet filium esse, aut non spirare: alterum verò contradictorium scilicet filium non esse, aut filium spirare sola deducitur accidentali consequentia. Ablata siquidem propria passione, aut eo quod modũ induit passionis, desinit esse subiectum: & posito subiecto, passio pullulat necessariò. Neque etiam præcisa per intellectum Spiritus S. processione à filio tollitur euidẽter formalis & propria ratio Spiritus S. ita vt suppositio in tali præcisione fundata repugnet ex terminis cum proprio & formali constitutiuo Spiritus S. de cuius ratione tantum est spirari per actum voluntatis; quòd verò spiretur etiam à filio, ad intrinsecam rationem constitutiui Spiritus S. minimè pertinet, aut saltem non est euidens pertinere; cum spiratus dicat habitudinem ad spirantem vt sic, quisquis ille sit, siuè Pater solus, siuè pater & filius: Igitur talis positio de omni iure est admittenda: ac proinde quæstio præsens, *an si Spiritus S. non procederet à filio, distingueretur realiter ab eo?* Si verò in præsenti supponeretur spiratorem nõ spirare, statim pugnantia clauderentur expresse in ipsa ratione terminorum: contradictio enim est, eum qui spirat non spirare; quoniam spirator intrinsecè claudit actum spirandi. Igitur per locum intrinsecum & essentialem consequentiã ex spiratore deducitur actus spirãdi siuè spirare. Est itaque manifesta contradictio spiratorem non spirare: nec ab vllo sani capitis hæc esset admittenda suppositio. De hac autem, filius non spirat, alia est ratio, vt ante diximus.

Suarezij sententia confutatur.

Sentẽtia verò modus dicendi Suar. plura continet, quæ mihi minimè probantur. *Primum* est, quia supponit vt certum id quod parem habet cum ipsa principali controuersia difficultatem; nam Henricus & Scotus, qui partem sustinent affirmantem quæstionis propositæ, existimant etiam futuras easdem numero in Trinitate personas admissa illa hypothesi, quòd SS. à filio nõ procederet. Ad rationem autem Arimin. nis respondent falsam esse maiorem propositionem intellectam formaliter & per se in primo modo. *Secundum* est; quia sensus ab hoc authore propositus est contra intentionem disputantium, qui de personis nunc existentibus quæstionem proponunt & examinant. *Tertium*, quia æquè implicat contradictionem esse alias personas in diuinis ab his, quæ nunc sunt: & alium esse filium numero distinctum ab eo qui nunc est: & similiter alium Spiritum sanctum, vt patet infra *q. 41. a. 6.* Sicut secundum Suar. repugnat Spiritum S. qui nunc est à filio non procedere. *Denique* falsum est priorem sensum supponere realem processionem vnius personæ ab alia, sed oppositum supponit, vt patet ex verbis quæsiti, videlicet si Spiritus S. non procederet à filio. Quod autem addit Suarez se velle in hac quæstione ex distinctione inferre processionem; manifestè pugnat cum terminis in ipsa quæstione propositis: in qua ex affirmatione aut negatione processionis Spiritus S. à filio, quæritur distinctio realis inter Spiritum S. & Filium.

Sensus quæsiti.

QVAERIMVS igitur; *an si Spiritus S. non procederet à filio, distingueretur realiter ab eo?* Cuius quæsiti sensus explicabitur optimè, si disputantium aperietur intentio. Ea verò est, vt intelligant per quid filius à Spiritu S. distinguitur. Nã cum in filio sint duæ relationes scilicet filiatio & spiratio actiua: dubium est, an prædicta distinctio filij à Spiritu sancto fiat per solam spirationem actiuam, an etiam per filiationem. Nam si filiatio secundum se est sufficiens ratio præfatæ distinctionis, sequitur vt præcisa spiratione actiua à Filio, adhuc à Spiritu sancto remaneat filiatione distinctus: at verò si admissa dicta suppositione distinguitur filius à Spiritu S. sequitur euidenter, vt modo per eandem filiationem re ipsa distinguatur à Spiritu S. Si quidem eadem filiatio modo est in filio, quæ esset in eo, si non spiraret Spiritum S. Quod verò id rectè sequatur, patet à simili: Nam si secluſa risibilitate ab

homine, sola rationalitate in ipso manente distingueretur homo ab equo: rectè sequitur re ipsa distingui hominẽ ab ipso equo per rationalitatem: eadem enim omnino manente causa, sequi necesse est eundem effectum.

Sententia Doctorum.

Graeci negantes Spiritum S. à Filio procedere, distinctionem tamen eius realem à filio catholicè confitentur. Dicunt enim Spiritum S. realiter à verbo distingui; quamuis ab eo non procedat.

Ex Latinis autem præsertim scholasticis affirmantibus Spiritum S. à verbo procedere quatuor fuere sententiæ. *Prima* est Gregorij Ariminensis à recentioribus relata, qui *in 1. dist. 12. q. 2. a. 2.* ait facta illa hypothesi, Spiritum S. non esse, & ideo non distingui à filio. Ait enim Spiritum S. ex sua ratione sibi vendicare, vt sit Spiritus Patris & Filij, & nexus amborum: & similiter Filium esse per se principium Spiritus S. Itaque si filius non spiraret Spiritum S. non posset esse Spiritus S. quoniam remoto influxu principij per se, cessat necessariò terminus eius.

Gabriel verò *in eadem dist. & q.* ait, quòd, si filius non spiraret Spiritum S. ipse filius non esset; quia de eius ratione est nedum filiatio, sed etiam spiratio. Ait præterea Gregorius: Facta suppositione, quòd remanerent in suo esse filius & Spiritus S. & filius non spiraret, sequi vtrumque contradictionis membrum: eo quòd antecedens contradictionem inuoluat. Ait igitur fore tunc filium & Spiritum S. personas realiter proprijs entitatibus ab inuicem distinctas: & ex eodem supposito sequi minimè distingui dictas personas ob dictam causam: quia videlicet, si Spiritus S. non procederet à filio, iam non esset Spiritus S. Qua loquendi forma significat positionem illam non esse admittendam: cuius oppositum iam supra satis ostendimus.

Secunda sententia est Scoti *in 1. dist. 11. q. 2.* qui ait: Admissa illa hypothesi, videlicet Spiritum S. à filio non procedere, fore nihilominus ab eo realiter distinctum: esset enim secundum Scotum filiatio sufficiens causa, & ratio realis distinctionis filij à Spiritu S. quia secundum eum filius ex duplici capite distinguitur realiter à Spiritu S. primò ratione spirationis actiuæ; secundò ratione filiationis. Hæc sententia fuit Henrici *quol. 5.* quam sequitur Cartusianus *in 1. dist. 11. q. vnica* & omnes Scoti discipuli.

Tertia sententia est S. Thom. qui *in hoc a.* & vbicunque versat hanc quæstionem ait: Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab eo. Quam etiã sequitur Aegidius & Dur. & Herueus *in 1. dist. 11.*

Valentia statuens se quasi medium & conciliatorem D. Th. & Scoti distinguit dicẽs quæstionem hanc dupliciter posse tractari. Vno modo merè metaphysicè, videlicet per rationes petitas ex solo lumine naturali, suppositis tamen reuelatione fidei de vnitate essentiæ & trinitate distinctarum personarum. Altero modo Theologicè, videlicet per rationes, quæ non solum procedant ex principijs notis lumine naturali, sed etiam sumantur ex aliqua propositione reuelata. Si primò (inquit) modo quæstio tractetur, sensus illius erit. Vtrum ex his tantummodo, quæ de Deo naturaliter nota sunt, probari possit non posse aliter distingui diuinas personas, quàm per relationes originis: & in hoc sensu vera est sententia Scoti: quoniam (inquit) nihil obstat, quo minus ex vi luminis naturalis facta tali suppositione posset intelligi distingui personas aliter, quàm per origines vel per oppositas relationes. Si autem tractetur hæc quæstio Theologicè, vtendo scilicet rationibus, quæ procedant ex principijs reuelatis: sic procul dubio (inquit) sententia S. Thom. est verissima. Et quoniam Scotus & qui eum sequuntur, videntur voluisse hanc quæstionem Theologicè disputare: ideo (inquit) eorum sententia simpliciter est reijcienda.

Vasquez & Suarez, quamuis nobiscum in conclusione conueniant, rationes tamen impugnant quibus eam probant D. Thom. & Caiet.

Resolutio. Ex natura relationis ostenditur nullam esse posserealem distinctionẽ in diuinis, nisi per oppositionem relationem formaliter.

Sciendvm *est primò* ex D. Thom. *de pot. q. 10. a. 5.* oppositionem affirmationis & negationis non esse sufficientem distinctionis causam inter entia: quia talis oppositio sequitur distinctionem, eo quòd omne ens ab altero distinguitur per aliquid sibi inhærens substantialiter, vel accidentaliter: Ex distinctione verò sequitur hoc non esse hoc, siuè vnum non esse aliud: quãobrem etiã veritas cuiuslibet negatiuæ veritatẽ præsupponit affirmatiuæ, & in ea fundatur: huius enim negatiuæ veritas Ethiops non est albus, fundatur super veritate huius affirmatiuæ Ethiops est niger. Omnis igitur differentia, quæ est per oppositionem affirmationis & negationis, reducitur in differentiam alicuius affirmatiuæ oppositionis. Ex quo deducit S. D. primam rationem distinctionis inter filium & Spiritum S. esse non posse ex hoc, quòd filius est genitus nõ spiratus: ille verò spiratus & non genitus; sed necesse esse præintelligi distinctionem inter generationem & spirationem, & inter filium & Spiritum S. per aliquam oppositionem duarum affirmationum. Quam doctrinam explicat Ferrar. *in 4. contra gent. cap. 24. §. Circa illam, & §. Pro declaratione.* Ex qua patet intellectus resolutionis factæ ab eodem S. D. *in quol. 4. q. 4. a. 7.* vbi ait filium distingui filiatione à Spiritu S. per hoc, quod Spiritus S. non habet filiationem, quam filius habet. Plura de hac materia diximus in præcedentibus ex D. Thom. & Caiet. *in post prædicamentis cap. de oppositis.*

Secundò considerandum est ex Cai. & Ferrar. *in dicto cap.* & alijs recentioribus hanc esse differentiam inter quidditatem siuè naturam aut formam absolutam & quidditatem siuè formam relatiuam; quòd forma absoluta rem constituit absolutam, quæ est & dicitur ad se siuè in se aut secundum se & non in ordine ad alterum: forma verò relatiua rem constituit relatiuam, quæ hoc ipsum quod est ad alterũ est & dicitur. Et quoniam vnitas est adæquata passio entis, necesse est vt vnumquodque eo modo quo est ens, sit etiam vnum: & vt constitutiuum entis sit etiam eodem modo constitutiuum vnius. Ratio verò formalis vnius in hoc posita est, vt res quæ dicitur vna, sit in seipsa indistincta, & à qualibet alia distincta. Quod igitur constituit ens absolutum, quod est ens ad se siuè secundum se, distinguit etiam illud absolutè siuè secundum se: ac proinde distinctũ ab vniuersis alijs. Quod verò constituit ens relatiuum, quod est ens ad alterum, id est ad terminum siue correlatiuum, distinguit illud à termino tantum: alioquin latior esset distinctio, quàm entitas in relatiuo.

Vbi aduerte nos cum Cai. & alijs formaliter loqui de distinctione absoluta & relatiua vt sic; nam si de tali absoluta sermo sit, puta rei existẽtis in genere determinato, docet S. Th. *quol. 4. q. 4. a. 7.* distinctionem absolutam & positiuã eorũ, quæ sub vno genere continentur, quia est per for-

formas oppositas ad illud genus pertinentes, non esse nisi à speciebus sub eodem genere contentis. Sicut Saphyrus distinguitur sua forma ab omnibus alijs speciebus lapidum: quamuis distinctione negatiua distinguatur ab omnibus alijs entibus non habentibus illam formam. Distinctio vero relatiua formaliter per formam siue quidditatem relatiuam à solo fit correlatiuo. Nam exempli gratia duplum vt duplum ad dimidium tantum dicitur; & dupleitate ab eo solo relatiuè distinguitur; sed eadem dupleitate distinguitur etiam à triplo & quadruplo, ab albedine, nigredine, lapide, cœlo &c. non relatiue sed disparatè, quatenus est hoc ens. Et quoniam diuinæ personæ formaliter relationes sunt in vno numero essentia copulatæ, non potest inter eas esse distinctio, nisi relatiua; ideò falsa est formaliter & simpliciter hæc propositio: Filius distinguitur realiter filiatione à Spiritu sancto; quoniam hæc alia est falsa: Filius distinguitur filiatione relatiuè à Spiritu S. quamuis hæc alia sit vera: Filius distinguitur filiatione à Spiritu S. Sed hæc distinctio disparata est, & non realis formaliter loquendo, sed formalis siue secundum rationem tantum. Nam distinctio tota realis filij & filiationis à Spiritu S. & processione quę relatio est constitutiua Spiritus S. à spiratione dependet; qua præcisa, sola formalis siue rationis distinctio remaneret. Sed hanc doctrinam reijciunt non solum Scotistæ, sed etiam recentiores quidam interpretes S. Th. s. Valq. *hic c. 5. & 7.* & Suar. *in 7. c. 4.* quorum argumenta suo loco adducemus & soluemus.

Radæ resp. Rada *in sua contro. 15.* respondet dicens rem relatiuam constitui per relationem in esse relatiuo, non solum in ordine ad correlatiuum, sed etiam in ordine ad quodcunque aliud: licèt ad ipsum relatiuè non referatur: ac proinde distingui relatione à quocunque alio: sicut etiam (inquit) res non solum est relatiua comparata ad correlatiuum, sed etiam ad quodcunque aliud; quoniam comparatio rei ad aliud non destruit illud sed supponit. *Sed hæc responsio* destruit naturam & diffinitionem relatiuorum assignatam ab Arist. *in prædic.* hæc verò est: *Ad aliquid sunt, quæ hoc ipsum quod sunt, ad aliud dicuntur*: & subdit exempla Arist. *vt manus id quod est alterius dicitur: aliquo enim manus dicitur*: & *duplum alterius dicitur, hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur*: & *in 5. Metaph. cap. de ad aliquid* expressius declarans quomodo relatiua dicantur ad aliud, exprimit terminos singulorum modorum relationis, dicens: *vt duplum ad dimidium, vt calefactiuum ad calefactibile, vt mensurabile ad mensuram.* Ex quibus sic argumentor: Natura cuiuscunque rei inest ei ex proprio constitutiuo: sed natura relatiuorum est vt hoc ipsum quod sunt ad vnum tantum terminum dicantur. s. correlatiuum; ergo hoc habet ex proprio constitutiuo; ergo constitutiuum relatiui scilicet relatio constituit relatiuum tantùmodo in ordine ad aliud scilicet correlatiuum. Maior euidens est, nec indiget probatione, nisi quis neget propriam rationem constitutiui. Minor est Aristotelis *in locis allegatis*: igitur præfati Doctoris responsio falsa est. Ratio verò eius satis puerilis est: Nam cõparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo ex natura rei; & hoc est ex natura rei habere ordinem ad illud: & hoc modo comparatur relatiuum soli correlatiuo. Alio modo per opus intellectus: & sic potest cuilibet comparari. Rursum relatiuum vt relatiuum comparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo vt relatiuum in actu exercito, id est secundum rationem formalem relatiuam relatiuè exercitam, aut possibilem exerceri: & sic comparatur tantum ad correlatiuum, in ordine ad quod exercet actum referendi. Alio modo vt relatiuum, id est, secundùm rationem formalem relatiuam formaliter, sed non relatiuè exercitam aut possibilem exerceri in ordine ad id, cui comparatur: & sic comparatur vt quædam res & quidditas cuicunque alteri ab eo quocunque modo distincto: tametsi in ordine ad illud non exerceat actum relationis. Sicut in humanis paternitas vt paternitas, vt relatio formaliter comparatur lapidi: non tamen vt ad lapidem relata, sed vt diuersa realiter & formaliter à lapide. Vnde relatio non distinguit relatiuè, nisi à correlatiuo in ordine ad quod solum exercet proprium actum referendi; ab alijs autem disparatè vel quacunque alia distinctione, quæ non est relatiua formaliter. Iam autem ostendimus in diuinis nullam aliam esse posse realem distinctionem, nisi per oppositionem relatiuam formaliter.

Explicantur constitutiua & distincti- ua diuinarũ personarũ, per comparationem ad creata.

Tertiò notandum est, inter personam creatam & personam increatam siue diuinam hanc esse differentiam: quod persona creata est absoluta & per aliquid absolutum in suo esse personali constituitur, & à qualibet alia distinguitur; persona verò diuina relatiua est, & relatione formaliter constituitur, & eadem relatione vt relatio est, ab alia persona diuina distinguitur. Dixi autem *vt relatio est*; quoniam vt hic aduertit Caietanus relationi potest dupliciter aliquid conuenire. Vno modo secundum propriam rationem relationis; & hoc, quod ita conuenit relationi, attribuitur ei quatenus relatio est, prout distinguitur ab absolutis: propria verò ratio relationis, qua distinguitur ab absolutis, est respectus ad terminum, in quo consistit oppositio relatiua. Alio modo conuenit aliquid relationi secundùm rationem eidem & absolutis communem, puta secundum rationem entis, boni, formę, proprietatis &c. & hoc quod ita conuenit non oportet relationi conuenire vt relatio est: sicut quod conuenit homini vt substantia, non conuenit homini, vt homo est formaliter. Diuinarum igitur personarum constitutio & distinctio, quæ diuinis attribuitur relationibus, de relationibus, quatenus relationes sunt, intelligenda est: cum illis attribuatur per se, & prout ab essentia & à cæteris absolutis ratione distinguuntur. Certum est autem relatiuam distinctionem esse non posse, aut etiam intelligi absque oppositione relatiua, quæ est respectu correlatiui tantum. Sequitur itaque solam oppositionem relatiuam distinguere realiter diuinas personas ab inuicem. Quapropter Ecclesiæ doctrina de vnitate substantiæ, & distinctione relatiua personarum in Deo, quę habetur *in cap. firmiter, de summa Trinit. & fide Catholica* formaliter intelligenda est de distinctione propria relatiuis, vt relatiua sunt: quæ distinctio absque relatiua oppositione nec esse, nec intelligi potest; omnis etenim alia distinctio cõmunis est relatiuis & absolutis. Vnde meritò Cai. ex iam dicta Ecclesiæ doctrina firmum trahit argumentum ad probandum solam oppositionem relatiuam distinguere personas realiter in diuinis.

Quartò obseruandum est cum Caiet. distinguere personaliter idem esse quod facere personam distinctam. Et quemadmodum dupliciter contingit facere personã distinctam; Vno modo faciendo simul vtrumq; s. personam & distinctionem;

nem; Alio modo faciendo alterum tantum, scili- A cet distinctionem in persona iam præexistente: ita dupliciter cõtingit distinguere personaliter; Vno modo constituendo personam, & formaliter illam ab alia distinguendo; Alio modo præsuppositа iam persona constituta, solam eius distinctionem ab altera formaliter faciendo. Sicut etiam dupliciter effici potest domus alba; Vno modo simul faciendo domum & albedinem; Alio modo factę iam domui calorem albedinis inducendo. Quod igitur distinguit personaliter priori modo, oportet esse de ratione personali: tale verò distinctiuum non est spiratio respectu Patris & Filij, quos personaliter à Spiritu S. distinguit. Quod verò personaliter distinguit posteriori modo, non est necesse, vt sit de ratione B puum illud est quod hic affertur à Cai.
personali; sed satis est, vt notio sit personæ relatiua: quę licèt non vnam hypostasim, vnum tamen constituit spiratorem, qui est pater & filius. Itaque spiratio non est personæ constitutiua, cũ tamen personaliter distinguit Patrem & Filium à Spiritu S. Cùm igitur ait S.D. quia paternitas & spiratio non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, verbum illud *constituunt*, determinat dictionem illam, *duas*, non autem nomen illud, *personas*: nisi quatenus duæ sunt secundum rem; & est sensus: paternitas & spiratio, quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, id est non faciunt distinctionem realem personarum; formaliter enim loquędo, constituere duo C vt sic, idem est, quòd ea ita distinguere, vt duo simpliciter & verè sint & dici possint.

Sensus illius propositionis: sola oppositio relatiua distinguit in diuinis.

Quintò aduertendum est, propositionem illam D. Thom. sæpè repetitam: *Sola oppositio relatiua facit realem distinctionem inter relationes, & inter personas diuinas*: non ita intelligendam esse, vt oporteat omnes relationes diuinas realiter distinctas ex suis rationibus formalibus opponi relatiuè. i. ad se mutuo referri: id enim falsum est; quoniam filiatio & similiter paternitas à processione realiter distinguuntur, & tamen ad illam ex proprijs rationibus formalibus realem oppositionem non habent: sed multipliciter exponi potest: Primò, si dicamus rationem distinguendi inter ea quæ realiter in diuinis distincta sunt D esse oppositionem relatiuam, non tamen rem omnem realiter ab alia distinctam esse illi secundum se, siue ex propria ratione oppositam relatiuè. Secundò dici potest cum Ferrar. *in 4. contra gentes, ca. 24.* satis esse ad distinctionem, si alteri distinctorum tanquam supposito subsistenti insit oppositа relatio, sicut in re proposita, filiationi, quæ est relatio subsistens, ineſt spiratio processioni opposita, per quã filiatio realiter à processione distinguitur. Quamobrem, vt ait Ferrar. dici potest filiationem opponi processioni relatiuè subiectiuè: etsi non opponatur relatiuè formaliter. Et hoc est, quod ait S.D. *de potent. q. 10. a. 5. ad 13.* vbi sic loquitur: *Licet filiatio non opponatur relatiuè processioni, tamen procedens opponitur relatiuè filio: & per hoc processio à filiatione distinguitur*: Hanc doctrinam latè explicat Molina *disp. 3. §. Altero ergo duorum modorum &c.* Eandem doctrinam sequitur Bannes *dubit. 3. super hoc art. in fine* dicens distinctionem filiationis à processione esse realem per accidens, scil. ratione spirationis, quę opponitur processioni, & eadem est realiter filiationi. Tertiò dici potest cum Cai. *supra q. 30. a. 2. ad 2. dubitationem*, distinctionem omnem fieri in diuinis per oppositionem relatiuam, vel per oppositionem originis. Priorem oppositionem habet filius ad patrem: Posteriorem autem habet ad Spiritum sanctum. Et idem dicendum est de relationibus filiationis, paternitatis & processionis. Vide Cai. *in d. loco*, quem hic sequitur Bann. & explicat Molina.

Postremò recolenda sunt diligenter quæ supra diximus *qu. 27. ar. 3. dubit. 2.* de ordine originis inter emanationes, siue processiones diuinas, & *art. 4. controuers. 2.* de eisdem processionibus actiuè & passiuè, completè & incompletè sumptis: quam doctrinam ex parte proponit hic in substantia Caiet. & explicat Bannes *ad 4. suum argum.*

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Constitutiuum in esse relatiuo non distinguit constitutum distinctione relatiua nisi à correlatiuo.* Hæc conclusio probata fuit in secundo fundamento: & argumentum pro ea præci-

SECVNDA CONCL. *In rebus creatis constitutiuum in esse relatiuo distinguit constitutum realiter ab alijs speciebus eiusdem generis distinctione disparata, siue magis distinctione, quæ est per oppositionem contrariam: qualis est inter diuersas species eiusdem generis, quod in eas distinguitur per contrarias differentias; à cæteris autem generibus absolutis distinguit distinctione negatiua, quæ est per habere & non habere.* Prior pars probatur; quia quodlibet genus in suas species diuiditur per contrarias differentias; igitur etiam relatio. Et manifestatur exemplo: Nam relatio in vnitate fundata diuiditur in relationem identitatis specificæ vel genericæ, in æqualitatem & similitudinem: quæ diuisio eodem modo fit per differentias, sicut aliorum generum diuisiones; ergo differentiæ eodẽ modo contrariæ sunt. f. secundum communem radicem contrarietatis, quæ est priuatio & habitus, siue excellentia & defectus, quæ saltem ratione fundamentorum necesse est relationibus conuenire. Posterior verò pars habetur ex doctrina D. Th. *quol. sup. allg.*

TERTIA CONCL. *Solæ oppositio relatiua originis distinguit realiter personas & relationes in diuinis.* Probatur *primò* ex discursu Cai. Quæcunque attribuuntur singulariter diuinis relationibus, necesse est conuenire eis in quantum relationes sunt: sed diuinis relationibus singulariter attribuitur personarum distinctio; ergo eis attribuitur in quantum relationes sunt; Tunc vltra: distinctio relatiua vt sic non est sine oppositione relatiua & respectu correlatiui tantum; ergo sola oppositio relatiua distinguit personas in diuinis. Maior patet ex dictis; quoniam alia, quę non conueniunt relationibus vt sunt relationes, sunt communia relationibus & absolutis: & ideo non attribuerentur singulariter diuinis relationibus. Minor autem probatur primò authoritate Eccle siæ, quæ tradit vnitatem substantiæ & Trinitatem rerum relatarum: & cùm formaliter loquatur, formaliter etiam debet intelligi de rebus relatis vt sic: & consequenter ex hoc ipso, quòd nõ E tradit nisi distinctionem relatiuorum, intelligi debet hęc distinctio de relatiuis, quatenus relatiua sunt: quod saluari non potest (vt notat Cai.) à Scotistis dicentibus res quidem distinctas esse relatiuas, & tamen distingui absque oppositione relatiua; quia sunt disparatæ & incompossibiles. Hæc enim communia sunt & non propria relatiuis vt sic. *Secundò* probatur ex sacris litteris, quæ vbiq; tradunt diuinarum personarum in omnibus vnitatem, præterquam in ijs proprietatibus siue rationibus, quæ per singularũ personarum nomina significantur, videlicet Patris & filij & Spiritus S. Hæc autem certum est esse nomina relatiua. i. rationes siue proprietates relatiuas formaliter vt p se subsistẽtes significãtia. Lo-

cus

cus est insignis 1. Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* & Ioann. 17. vbi Dominus ad Patrem loquens ait: *Mea omnia tua sunt:* quibus verbis id omne tribus personis significatur esse commune, quod absolutum est: id verò solum esse cuique proprium, quod proprijs cuiusque significatur nominibus scilicet Patris & Filij & Spiritus S. quibus formaliter relationes significantur originis. *Tertiò* probatur eadem conclusio authoritatibus Sanctorum Aug. *li. 7. de Trin. c. vlt. & lib. 15. c. 14* Athan. *contra Anomæos*, Nazianz. *orat. 5. de Theologia*, Basil. *libr. 2. contra Eunomium*, Anselm. *lib. 2. de processione Spiritus S. cap. 1. & 2.* qui etiam *in ep. contra Græcos cap. 3.* communi illo vtitur Theologorum proloquio: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*; Igitur sola relatiua oppositio distinguit realiter diuinas personas.

Rada resp. *Sed respondet Rada. Primò* Anselmum nomine oppositionis relatiuæ intelligere repugnantiam relationis cum relatione: siue illa sit repugnantia relatiua, qualis est inter paternitatem & filiationem: siue sit disparata, vt inter filiationem & processionem. Probat ex Anselmo; quia proposito dicto axiomate affirmat filium opponi Spiritui sancto; quia ipse est de Patre nascendo, spiritus verò de patre procedendo. *Secundò* ait: Verum est dictum Anselmi de facto. *Tertiò*, licèt filiatio & paternitas non opponantur per se primò processioni Spiritus sancti: opponi tamen per se secundò ratione spirationis actiuæ. Primam responsionem latius explicat & corroborat Vasq. *cap. 4.* ex dictis Anselmi & approbat Suar. *libr. 10. c. 2.*

Confutatur resp. Rad. & Vasq. *Sed expositio* S. D. quam *hic ad 7. & de pot. q. 10. a. 5. ad 2.* adhibet verbis Anselmi confutat sufficienter Radæ & Vasquezij solutionem & obiecta ex eiusdem Doctoris verbis accepta. Sic enim ait *artic. illo 5. de potentia ad 2. Id quod dicit Anselmus, quòd filius, & Spiritus sanctus per hoc solum ad inuicem distinguuntur, quod diuerso modo procedunt, est omnino verum; sed sicut ostensum est diuerso modo procedere non possent, nisi Spiritus sanctus à filio esset.* Et post pauca: *Est autem intensio Anselmi prius ponere ea, in quibus nos conuenimus cum negantibus Spiritum sanctum à filio esse; qui tamen Spiritum à filio dicunt distingui. Vnde verba prædicta Anselmi inducta sunt magis, vt disputatiua suppositio, quàm veritatis definitio.* Hæc D. Thom. Quibus verbis aperitur perspicuè mens Anselmi, & vani redduntur conatus Vasquezij eisdem perspicuè verbis, quæ S. D. glossauerat innixi. Significat ergò S. Thom. Anselmum loqui de processionibus completè sumptis, id est cum ordine originis inter se; addit præterea secundam responsionem, dicens illam esse suppositionem disputatiuam &c. *Quòd verò secundò ait* Rada verum esse dictum Anselmi loquendo de facto: pugnat manifestè cum dictis eiusdem Radæ & Scoti dicentis filiũ non spiratione tm̃, sed etiam filiatione à Spiritu sancto distingui. Præterea superius satis ostendimus nulla alia ratione posse diuinas personas realiter ab inuicem distingui, quàm relatiua originis oppositione: si salua debet vnitas diuinæ naturæ consistere. Quod etiam probabitur euidentius argumentis pro penultima conclusione producendis. *Tertia denique responsio* seipsam interimit & nostra confirmat. Nam si filiatio non opponitur relatiuè processioni nisi ratione spirationis cui coniungitur in eadem persona: igitur non distinguitur à processione realiter nisi ratione spirationis; ergo separata à filio spiratione, non esset filiatio realiter à processione distincta.

Quartò probatur tertia nostra conclusio ratione D. Th. *in dicto a. 5. de potentia.* Distinctio aliquorum habentium vnam naturam saltem generis, per diuisionem formalem esse non potest, nisi ratione alicuius oppositionis: sed inter diuinas personas alia oppositio esse nõ potest nisi relatiua; ergo &c. Probationem maioris & minoris vide si placet ibidem.

Radæ resp. *Respondet Rada*, præter oppositionem relatiuã, esse etiam oppositionem affirmationis & negationis, quæ esset inter filium & Spiritum S. si non procederet à filio: nec huiusmodi oppositio (inquit) est solum inter ens & non ens, sed etiam inter entia positiua, quorum vnum non est aliud, vt inter hominem & lapidem. *Sed huius respons. confut.* falsitatem iam S. D. ibidem excluserat per ea, quæ supra notauimus in primo fundamento, vbi probauimus cum D. Tho. primam rationem distinctionis inter filium & Spiritum sanctum esse non posse ex hoc, quòd filius est genitus non spiratus, ille verò spiratus & non genitus: sed necesse esse præintelligi distinctionem inter generationẽ & spirationem, & inter filium & Spiritum sanctum per aliquam oppositionem duarum affirmationum.

Alia duo argumenta efficacissima vide apud S. D. *in d. a. 5.* quibus ostendit diuinarum personarũ distinctionem esse non posse, nisi per relationes originis inuentas in diuinis per hæc duo, à quo alius & qui ab alio.

QVARTA CONCL. *Per se & formaliter loquẽdo filius filiatione distinguitur à Spiritu S. formaliter, non autem realiter aut personaliter.* Hæc est contra Scotistas & Zum. *disp. 2.* Sensus huius conclusionis est, filiationem non esse rationem distinguẽdi filium à Spiritu S. realiter, sed tantum formaliter: licet filiatio sit res distincta à Spiritu sancto & processione. Probatur prima pars conclusionis, quia secundùm D. Tho. proprietates personales specie & formaliter distinguuntur ad inuicem, vt *in prima quæstione huius tractatus* ostendimus. Secunda pars constat ex dictis; quoniam filius per filiationem nullam habet oppositionem relatiuam ad Spiritum S. ergo data hypothesi, quòd Spiritus S. à filio non procederet, sicut esset vna persona filij & Spiritus S. realiter: ita vna res relatiua realiter essent filiatio & processio sola ratione distinctæ: & similiter duæ processiones essent vna processio realiter, cum sola distinctione formali; ergo per se & formaliter loquendo filius non distinguitur filiatione à Spiritu sancto realiter & personaliter.

QVINTA CONCL. *Si Spiritus sanctus à filio non procederet, non distingueretur realiter ab illo.* Hãc conclusionem probant ea omnia argumẽta, quibus probata fuit tertia conclusio. Afferunt recentiores, & præsertim Vasq. & Suar. quasdam alias probationes vt magis concludentes, quarum efficaciam lectoris iudicio relinquimus æstimandam.

SEXTA CONCL. *siue Theologicè siue Metaphysicè loquamur, vera est conclusio præcedens.* Probatur; quoniam rationes superius adductæ pro tertia conclusione probant impossibilem esse aliam distinctionem realem in Deo, quàm relatiuam formaliter. Nam vel distinguerentur in Deo personæ per absoluta: & sic quot essent absolutorum differentiæ, tot essent Deorum species, quorum quilibet alterius cuiuslibet perfectione careret; & sic nullus eorum esset absolutè perfectus,

nec

nec verus Deus ; aut per communia relatiuis & A absolutis, ſicut eſt diſparatio rationũ formaliũ; & ita non eſſent tres perſonæ in diuinis ſed plures: cùm etiam paternitas & ſpiratio ſint diſparatæ.

Reſponſio Scotiſtar. *Sed dicunt* Scotus & eius Schola, non eſſe eandem rationem de dictis duabus relationibus, & de filiatione & proceſſione, eo quòd ab vno principio multa poſſunt emanare: & ideo duæ illæ relationes in principio exiſtentes non efficiunt diſtinctionem, cùm tamen relationes illis correſpondentes, & inter ſe non oppoſitæ ſcil. filiatio & proceſſio diſtinctionem efficiant in ijs, quæ ſunt a principio ſcilicet in filio & Spiritu ſancto.

Confut. *Sed hæc reſponſio* non effugit vim argumenti. Nam paternitas & ſpiratio non conſtituunt prin- B cipium vnius & eiuſdem rationis; cùm alia ſit ratio patris & alia ſpiratoris: & illa ſit incommunicabilis, hæc verò communicabilis: atque ideo niſi diuinæ ſimplicitatis & perfectionis obſtaret infinitas, realiter diſtincta principia conſtituerent; igitur cùm filiatio & proceſſio, & ſimiliter filius & Spiritus S. realiter ab inuicem diſtinguãtur non obſtante diuinæ naturæ ſimplicitate & infinita perfectione, meritò quæritur, cur paternitas & ſpiratio non ſint duę relationes in eſſe rei diſtinctæ: & quare pater & ſpirator non ſint duo principia diſtincta realiter: duæ verò illæ relationes ſcilicet filiatio & proceſſio, & conſtituta per eas ſcilicet filius & Spiritus ſanctus realiter ab inuicem diſtinguantur. Nec vlla ratio videtur C afferri poſſe congruentior, & Sanctorum & vniuerſalis Eccleſiæ doctrinæ conſonantior, quàm dicendo filium & Spiritum S. oppoſitionem habere relatiuam originis ad inuicem, quæ non eſt inter patrem & ſpiratorem. Præterea ſupponit manifeſtè falſum illa reſponſio, nimirum paternitatem & ſpirationem eſſe principia productiua filij & Spiritus S. cum tamen ſint relationes, quæ ſunt ipſæmet productiones, non vt actiones ſed vt relationes ſignificatæ, vt dicemus inferius cum D. Thom. *q 41. a.1.* Quamuis autem in ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, ab vno principio multæ poſſint eſſe paſſiuæ productiones, vt patet in generationibus animalium: ſingulis tamen paſſiuis productionibus neceſſe eſt ſingulas produ- D ctiones actiuas reſpondere. Igitur filiationi quæ generatio paſſiua eſt, & proceſſioni quæ eſt ſpiratio paſſiua, deberent etiam in Patre duæ productiones actiuæ eodem modo diſtinctæ reſpondere, ſcilicet paternitas quæ eſt actiua generatio, & ſpiratio quæ eſt actiua productio Spiritus S. quæ tamen non realiter ſed ratione tantum ab inuicem diſtinguuntur. Huius verò differentiæ .ſ. quòd illæ realiter ab inuicem diſtinguantur, hæ verò minimè, nulla poteſt omnino reddi ratio niſi quòd inter eas eſt oppoſitio re- E latiua originis, inter has verò nulla eſt oppoſitio.

„ VLTIMA CONCL. *Si Spiritus S. procederet à*
„ *filio, & non à Patre, adhuc realiter diſtingueretur à Patre.* Probatur; quia tunc Spiritus S. haberet ordinem originis ad Patrem mediante filio à Patre procedente. Verùm, vt hic aduertit Caietanus, facta hac hypotheſi non eſſent diuinæ perſonæ conſubſtantiales ad inuicem ; cùm enim filius quatenus ſpirator non opponatur Patri relatiuè: Si pater non ſpiraret, diſtinctionem haberent virtutis & abſolutæ perfectionis Pater & Filius; & conſequenter etiam Spiritus S. qui ſuam eſſentiam non haberet immediatè à Patre, ſicut Filius; quòd minoris videretur eſſe dignitatis. Ex quo ſequitur etiam non fore tunc eaſdem in Trinitate perſonas, quæ nunc ſunt.

CONTRA *primam* concl. argum. Rada ex Sco *ob. 1. cõt. 1.* to. Omne ens per propriam & formalem entita- *concl.* tem diſtinguitur à quolibet alio conſimilem entitatem non habente; ergo pater per paternitatem non ſolum à filio, ſed etiam ab omni non patre diſtinguitur: licèt non diſtinctione relatiua id eſt tãquam à correlatiuo (hac enim ſolum à filio diſtinguitur) ſed diſtinctione alia, quæ omni enti per propriam entitatem competit. Antecedens probatur; quia omne ens eſt vnum: at verò vnum dicitur quod in ſe eſt indiſtinctum & diſtinctum à quolibet alio conſimilem entitatem & vnitatem non habente: vt homo per rationalitatem non ſolum diſtinguitur à bruto, ſed etiam à lapide & omni non ratio- B nali. Conſequentia probatur; quia ad propriam entitatem ſequitur propria vnitas & propria diſtinctio à quocunque alio ſimilem entitatem non habente ſiue formalis ſiue realis. *Confirmatur* : Quia relatiuum & abſolutum *Confir.* ſunt maximè diſtincta: cùm inter ſe diſtinguantur prędicamento; ergò principia per quę diſtinguuntur ſunt maximè diſtincta: ſed hæc ſunt entitas abſoluta & relatio; nam illa conſtituit abſolutum hæc relatiuum; ergo entitas abſoluta & relatio inter ſe diſtinguuntur; ergo relatio non ſolum eſt ratio diſtinguendi relatiuum à correlatiuo, ſed etiam ab abſoluto. *Reſpondet Vaſquez in dicto cap. 7.* dicens antecedens verum eſſe de omni *Reſponſio Vaſq.* conſtituente aliquid re ipſa: ſicut homo ſua for- C ma diſtinguitur realiter ab equo & alijs, qui ea non conſtituuntur: ſed eo (inquit) principio quo res conſtituitur ſecundum rationem tantum, non oportet eam diſtingui realiter à quocunque alio, quod eo non conſtituitur ſecundum rationem: ſicut actio & paſſio, quæ genere differunt, conſtituuntur ſecundum rationem principijs genere diuerſis: cùm tamen idem realiter ſint in vno motu. Cùm itaque conſtitutio filij Dei per filiationem, & aliarum perſonarum per ſuas proprietates non ſit conſtitutio realis, ſed per rationem ſolum: non oportet (inquit) vt ea proprietate, qua formaliter conſtituitur, realiter diſtinguatur à quocunque alio, quod per illam non conſtituitur. *Sed hæc re-* D *ſponſio* non euadit vim argumenti; nam ſpecies *Confut.* per ſuam differentiam ſola ratione conſtituitur, cum tamen ea diſtinguatur realiter à qualibet alia ſpecie ſub eodem genere comprehenſa. *Et confirmatur*; quoniam à tali conſtitutiuo res ſuam habet entitatem & vnitatem. Præterea tale conſtitutiuum vim habet æqualem reali conſtitutiuo; igitur ſicut conſtituit in eſſe reali ſecluſa imperfectione compoſitionis: ita diſtinguet realiter abſque vlla imperfectione rei diſtinctæ, ſi nihil aliud obſtet.

Alio modo reſpondet Suarez *in dicto quarto ca-* *Suar. reſp.* *pite* dicens relationem vt ſic ſolum diſtinguere realiter à ſuo oppoſito: ſed nomine oppoſiti intelligendum eſſe non tantum oppoſitum vt correlatiuum, ſed etiam oppoſitum vt terminum; vt patet (inquit) in relatione creata, quæ non tendit per ſe ad correlatiuum vt terminum ſed ad abſolutum. Nam exempli gratia relatio creaturæ ad creatorem ex intrinſeca ratione & conſtitutione ſua poſtulat diſtinctionem realem à creatore; quia illi in re ipſa opponitur, non tanquam correlatiuo quia in creatore non reſpondet relatio realis oppoſita; ergo tanquam termino qui in ſe quid abſolutum eſt. Sic igitur (inquit) filiatio paternitati opponitur correlatiuè: proceſſioni autem opponitur tanquam terminus formalis ad quem Spiritus S. refer-

refertur; procedit enim (inquit) Spiritus sanctus A à Patre & Filio immediatè & vt constitutis paternitate & filiatione: & ideò immediatè ad illos refertur tanquam ad principium suum; ergo ex vi illius oppositionis habent sufficientem rationem distinctionis, ita vt licèt per impossibile intelligeremus non resultare relationem realem spirationis actiuæ ad Spiritum S. sed esse inter illos relationem non mutuam: nihilominus esset inter eos realis distinctio ex vi suarum proprietatum, quatenus filiatio est quasi ratio terminandi habitudinem processionis ad Filium. *Confut.* *Sed hæc plura* continent falsa. Primum est, relationem creatam non tendere per se ad correlatiuum vt ad terminum sed ad absolutum. De quo latè disputauimus *supra qu. 13. ar. 7.* Secundum est, filiationem terminum esse formalem processionis. Tertium est, non idem esse terminum relatiui & correlatiuum. Quartum est, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere vt constitutis paternitate & filiatione formaliter, & ad illos vt sic constitutos referri tanquam ad principium; procedit enim ab eis vt constitutis spiratione formaliter in ratione vnius principij, qui est spirator: quamuis materialiter & præsuppositiuè loquendo, procedat ab eis vt constitutis paternitate & filiatione.

Vera solut. *His itaque responsionibus omissis*, quas etiam impugnat Rada, *dico primò* antecedens in materia relatiuorum falsum esse de distinctione relatiua: verum autem de distinctione separata etiam reali in relatiuis creatis; sed cùm in diuinis nulla possit esse realis distinctio, nisi per relationes originis oppositas relatiuè, distinctio illa disparata, quæ est inter relationes diuinas non oppositas, non est realis sed rationis tantum, vt patet de relationibus paternitatis & spirationis in patre. Et eodem modo respondetur *ad confirmationem. Secundò respondetur* ex D. Thom. *in dicto 4. quodlibeto* assumptum illud verum esse de distinctione secundum affirmationem & negationem, quæ est per habere & non habere eandem formam: quæ realis distinctionis fundamentum non habet in diuinis secluſa oppositione, sed in creatis tantum: in quibus tamen supponit realem distinctionem per formas positiuas. Vnde ad probationem antecedentis dico omne ens esse vnum, id est in se indistinctum & ab omni alio distinctum realiter aut formaliter iuxta modum suæ naturæ; entis autem relatiui natura est ad aliud esse: & ideo per constitutiuum in esse relatiuo, non nisi à correlatiuo realiter distinguitur per se & formaliter loquendo: quòd si à non correlatiuis etiam realiter distinguit, hoc accidit constitutiuo relatiui vt sic; quia id non efficit secundùm rationem relatiuam formaliter, sed secùndum communia sibi & absolutis. Quare cum in diuinis nulla possit esse realis distinctio nisi relatiua formaliter: consequens est, omnem aliam distinctionem inter diuinas relationes & personas solius rationis in re fundamentum habentis opus esse. Et per hæc soluuntur ea, quæ nobis obijciunt Vasq. *c. 5. & 7.* & Suarez *in dicto cap. 4.*

Ad confir. Alia solut. ex D. Tho.

Impugn. Val. *Sed hanc nostri* Cai. respons. sic impugnat Val. Vel Caiet. vult negare omnem omnino distinctionem realem inter filium vt filius est, & Spiritum sanctum atque adeò etiam distinctionem realem ratione originis; vel solum vult negare distinctionem realem relatiuam. Si primum, est contra fidem, ex qua constat filium & Spiritum S. vt personæ sunt realiter distingui. Hinc enim sequitur filium realiter distingui per filiationem, qua dumtaxat constituitur in esse personæ distinctæ à Spiritu S. Si secundum, non satisfacit argumento Scoti, cui satis fuit assumere, quòd filius per filiationem distinguatur realiter quomodocunque à Spiritu S. *Secundo:* Quando Cai. concludit filium per filiationem non distingui à Spiritu S. quia vt sic non opponitur illi relatiuè: vel loquitur de oppositione relatiua ratione relationis tantum: quo pacto opponuntur & distinguuntur duo correlatiua; & isto modo verum est filium per filiationem non opponi Spiritui S. sed tamen hinc non sequitur, quòd filius per filiationem non distinguatur à Spiritu S. quia restat alius distinctionis modus, quo per filiationem filius possit opponi relatiuè Spiritui S. & ab eo distingui, videlicet ratione originis: quæ quidem origo relatio quædam est; quem modum distinctionis docuit Cai. *supra q. 30. a. 2.* cuius doctrinæ non videtur fuisse memor in hoc articulo. Si verò nomine oppositionis relatiuæ intelligit omnem oppositionem relatiuam, etiam ratione originis, falsum est quod assumit, filium per filiationem non opponi relatiue Spiritui S. & pugnat cum eo quod ipsemet docuit in dicto loco. B

Respondetur ad primum, neutrum intendi à Caietano præcisè, sed tertium, nimirum nullam filiatione formaliter & præcisè fieri distinctionem realem inter filium vt filius est, & Spiritum S. Nam distinctio realis ac proinde oppositio relatiua originis quam habet filiatio siue filius ad Spiritum S. ex actiua spiratione est filiationi coniuncta in persona filij: qua spiratione per intellectum præcisa nulla remanet oppositio, & consequenter neque distinctio. Nec verum est filium filiatione constitui in esse personę distinctæ à Spiritu S. Nam filiatione quidem in esse personæ constituitur: spiratione verò constituitur in esse distincto à Spiritu S. vt ante diximus. Et per hæc *soluitur* etiam *secundum* eiusdem expositoris argumentum. Nam filiationi non conuenit ordo originis ad processionem, nisi ratione coniũctę spirationis. Et hoc est quod docuit Cai. *in q. 30. a. 2.* Ex quo patet solutionem Val. ad argumentum Scoti nihil afferre de proprio, nisi hanc propositionem dupliciter falsam, videlicet filius distinguitur realiter à Spiritu S. per filiationem formaliter, quatenus per illam est ea persona, à qua Spiritus S. procedit. Nam primò falsum est filium realiter distingui à Spiritu S. filiatione formaliter. Secundò falsum est filium filiatione esse eam personam, à qua Spiritus S. procedit formaliter loquendo. Si quidem spiratione filius constituitur, non quidem in esse personæ simpliciter, sed cum addito scilicet à qua Spiritus sanctus procedit. Nam spiratione in hoc constituitur filius vt sit persona spirans siue spirator. C D

Solut.

Contra respons. autem D. Th. ex quarto quolibeto argumentatur Rada. Si homo non distinguitur à lapide per rationalitatẽ, sequitur quod homo vt constitutus in sua specie specialissima per rationalitatem non sit alterius speciei specialissimę à lapide & plantis in suis naturis specificis consideratis. Consequens est omnino falsum, vt de se patet; ergo &c. Probatur sequela maioris; quia per te nõ distinguitur homo à lapide per rationalitatem; ergo per eam non est ab eo specie distinctus: aut si est distinctus specie; ergo per rationalitatem distinguitur homo nõ solum à speciebus animalium, cum quibus maximè conuenit: sed etiam à lapide & plantis, cum quibus E

Replica Radæ.

bus minus conuenit: quod tamen prius negabas. *Solut.* *Respon.* differentias essentiales non aliter diuersas
A ficatiua *in quantum* potest specificare vel rem distinctam, vel rationem distinguendi: Si rem distinctam specificet, vera est minor, sed falsa est maior. Si rationem distinguendi, adhuc dupliciter intelligi potest. *Vno modo*, vt ratio distinguendi sit ipsa personalitas, puta filiatio secundum propriam rationem formalem: & sic falsa est minor. *Alio modo*, vt ratio distinguendi sit quid clausum in ratione personæ secundùm integrum eius conceptum complectentem omnes eius proprietates & notiones, & sic vera est minor sed falsa est maior. Nam in ratione personæ filij sic perfectè concepti clauditur spiratio, vt eius proprietas siue notio, quæ non est filij constitutiua vt
B filius est, sed vt spirator est, eadem tamen per se & substantialiter cum persona filij. Ex hac responsione magis elucet veritas responsionis Cai. ad simile argumentum dicentis duplex esse personæ distinctiuum: vnum faciens formaliter personam & eius distinctionem: aliud quod solam efficit distinctionem &c. prout supra declarauimus. Quam doctrinam sequitur & explicat Ferrar. *in 4. cont. gent c. 24. ad 4. Scoti.* Nec est inconueniens in materia SS. Trinitatis siue diuinarum personarum duplex in aliqua vel aliquibus
C personis esse personaliter distinguens, immò necessarium: quia prima distinctio diuinarum personarum attenditur secundùm hæc duo, à quo alius & qui ab alio: quorum alterum scil. qui ab alio subdistinguendum est per differentias per se, qui scilicet sint eiusdem rationis, vt scilicet eorum, qui sunt ab alio, vnus eorum ab eorum altero sit, vt ait S. D. *de potent. q. 10. a. 5.* Sicut igitur nomine paternitatis & generationis significatur ordo naturæ, quo pater est principium filij: & nomine filij ac generationis passiuæ denotatur ordo naturæ, quo filius est à patre: ita nomine spirationis actiuæ significatur ordo naturæ, quo Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus S. nomine verò spirationis passiuæ aut processionis importatur ordo naturæ, quo Spiritus S. est à
D Patre & Filio. Quo fit vt omnino necesse sit duplex in patre distinctiuum constituere: vnum quo Pater distinguatur à Filio: & aliud quo distinguatur à Spiritu S. cùm non sit idem ordo naturæ siue originis inter patrem & filium, & inter patrem & Spiritum. Et eadem ratione duo distinctiua necesse est in filio collocare ob duplicé ordinem naturæ vel originis, ad patrem scilicet à quo per generationem procedit; & ad Spiritum S. per spirationem ab eo procedentem. Et per hæc patet solutio ad alia quædam eiusdem authoris argumenta contra Banneſij responsionem dicentis filium distingui à Spiritu S. per suarum proprietatum collectionem, ex quibus vna est spiratio: sicut collectio proprietatum, quę est in hoc indiuiduo, distinguit indiuiduum hoc ab alio.

CONTRA *tertiam* concl. militat 4. argumẽtum apud Molinam cum sua confirmatione. Vide solutiones apud eundem.

Obi. cont. 4. concl. CONTRA *quartam & quintam* concl. argum. Rada. Primò. Quocunque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur distinctione conueniente illi esse, à quocunque simi-
E lem entitatem non habente: sed filius constituitur in esse personali filiatione; ergo filiatione distinguitur personaliter ab omni alia persona ab ipso; ergò per filiationem distinguitur personaliter à Spiritu sancto, qui est alia persona ab ipso; ergo per impossibile circũscripto à filio quocunque alio, & maximè si est posterius filiatione, remanebit filius filiatione distinctus personaliter à quacunque alia persona; ergo secluſa spiratione à filio, quæ est posterior filiatione, remanebit filius personaliter distinctus à Spiritu S. & per consequens realiter. Omnes consequentiæ sunt euidentes. Probo maiorem: quia eodem est ens & vnum, vnitate conueniente tali vnitati: si aũt est vnum est in se indistinctum & ab omnibus alijs distinctum. Minor patet; quia proprietas personalis filij, non est spiratio sed filiatio.

Sol. *Resp.* maiorem in absolutis esse veram modo superius explicato; falsam autem in relatiuis formaliter & per se loquendo, vt ante diximus: sicut etiam falsum est, omne distinguens personaliter constituere personam.

Replica Rad. *Sed hoc probat Rada:* quia quod distinguitur ab alio in quantũ tale, distinguitur per aliquid, q̃ est de ratione eius in quantũ tale, cõstituens illud in

Responsio. esse tali. *Resp.* minorẽ subsumendã, quam subticet Rada, videlicet, *sed filius in quantum est talis persona, vel in quantum est filius distinguitur à Spiritu S.* duplicem sensum habere. Nam dictio illa speci-

Ob 1 cont. 5. concl. CONTRA *quintam* conclusionem argumen. Rada cum Scoto. *Primò.* Generatio & spiratio in diuinis sunt productiones inter se distinctæ secundum proprias rationes formales, etiam secluso quòd spiratio sit à filio; ergo circumscripto quòd spiratio sit à filio, stabit distinctio personalis filij & Spiritus S. qui sunt termini istarum productionum. Antecedens probatur: quia à quibus dimanant vtpotè intellectus & voluntas, sunt distincta inter se: tum etiam quia ratio formalis vnius est non eadem formaliter alteri; tandem quia spiratio actiua non mutat suam rationẽ formalẽ per hoc, quòd sit ab vno vel à duobus suppositis; quia cùm actio non specificetur à supposito sed à termino, non distinguitur speci e

pe-

penes aliud & aliud suppositum. Probatur consequentia: quia aliter eadem persona esset terminus vtriusque productionis, quod impossibile esse sic ostendo. Eadem persona non potest accipere esse duabus productionibus totalibus; ergo eadem persona non potest esse terminus generationis diuinæ & spirationis. Patet conseq. quia vtraque est totalis productio. Antec. probatur; quia idem bis non potest simpliciter produci: nam tunc per neutrum reciperet esse necessario: quia qualibet secluſa, haberet per alteram esse; ergo per nullam necessariò. *Solut.* *Resp.* antecedens verum esse de distinctione formali, non autem de distinctione reali: atque ita consequentia currit de distinctione filij, & Spiritus S. formali non autem reali. Ad probationes antecedentis dico eas probare distinctionem tantum formalē processionum, nō autem realē, quæ est per solum ordinem originis. Ad probationē cōsequentiæ: quia eadem persona non potest accipere esse duabus productionibus totalibus &c. dico falsum supponi, videlicet fore tunc duas processiones non tantum fomaliter, sed etiam realiter. Nam si de sola formali dualitate sit sermo, negatur assumptum. Ad cuius probationem, quòd scilicet idem non potest bis simpliciter produci, dico falsum supponi, videlicet data illa hypothesi, idem bis produci. Nam tunc solum propriè & simpliciter diceretur idem bis produci, quando duabus productionibus realiter distinctis produceretur; non autem si vna tantum secundum rem productione duas habente rationes formales, puta generationis & spirationis producatur: sed tamen modo nostro intelligendi, quo personam prius conciperemus esse terminum generationis, deinde etiam spirationis, intelligeretur eadem persona quodammodo bis produci, primò simpliciter per generationem: deinde secundum quid per spirationem, vt hic admittit Cai. Sed hæc dualitas & ordo productionum non esset in re, sed in ratione tantum.

Obi. 2. *Secundò.* Data illa hypothesi: Pater per voluntatem producit aliquid, & non absolutum, quia in diuinis absolutum est improducibile: non relationem; quia relatio nō producitur, sed persona: ergò producit personam Spiritus S. & non filij: quia præsupponitur genita. *Solut.* *Resp.* facta illa suppositione, non fortè distinctionem nisi formalem inter duas productiones, siuè processiones: & consequenter etiam inter producta siuè procedentia. *Replica Radæ.* *Sed hanc respons. sic arguit* Rada. *Primò.* Inintelligibile omnino videtur, quòd produceret relatio per se subsistens, & quòd non esset persona distincta à verbo: cum per nouam productionem tanquam eius terminus intrinsecus procederet; etsi est noua relatio subsistens; ergò noua persona; quia relatio subsistens in diuinis est persona. *Secundò.* Ad productionē amoris per se subsistētis sufficit principium quo perfectum in supposito conueniente actioni: sed hæc omnia essent in patre data hypothesi; ergo pater produceret amorem infinitum per se subsistentem in natura diuina, qui verè esset persona Spiritus S. sicut & modo. *Et confirmatur*; quia cum de ratione intrinseca personæ Spiritus S. nō sit procedere à verbo, sequitur quòd si ab eo non procederet, ad huc esset persona ab eo distincta. *Solut.* *Resp. ad primum*, tunc non fore nouam id est realiter distinctam productionem, nec nouam relationem subsistentem, vt supponit argumentum: sed eadem esset realiter productio & persona cum generatione & persona filij. *Ad secundum* dico Patrem tunc producturum amorem infinitum per se subsistentem, qui esset persona Spiritus S. qui tamen realiter non distingueretur à filio. *Ad cōfirmationem* dico de ratione amoris esse in primo modo dicendi per se, vt procedat à verbo.

Contra eandem concl. sunt multa argumenta, quæ proponunt & soluunt Capr. *in 1. dist. 11.* Ferarr. *in dicto cap. 24.* Cai. Iauel. & alij expositores *super hoc articulo*, ad quos lectorem remittimus; sed post ea, quæ diximus, nulla superest difficultas.

CONTRA *sextam* concl. argu. Val. Quia nihil obstat, quo minus quantum est ex vi luminis naturalis, æquè tunc potuisse intelligi aliter personas distingui. *Obi. cont. 6. concl.* *Resp.* obstare ea maxima absurda, quæ deduximus in probatione conclusionis. *Solut.*

CONTRA *vltimam* concl. argu. Val. Impossibile est vt aliquid in diuinis distinguatur ab alio, nisi immediatè etiam opponatur illi vel ratione originis, vel ratione relationis: sed si Spiritus sanctus procederet à solo filio, pater nullo modo istorum opponeretur Spiritui S. ergò non esset possibile vt distingueretur ab illo. Maior probatur ex eo, quòd iam non est alius distinctionis modus, & quòd ad intra non est in diuinis, non potest esse. *Obi. contra vlt. concl.* *Resp.* falsam esse minorem. *Solut.* Nam opponeretur tunc pater ratione originis mediate Spiritui S. sed tamen, vt diximus non essent diuinę personæ consubstantiales.

Sed contra hanc respons. insurgit Rada. *Primò.* In casu posito pater primò & per se esset personaliter distinctus à Spiritu S. per solam paternitatem omni alio secluso: quia per illam solum constitueretur in esse personali: ergò secluſa etiam huiusmodi oppositione esset à Spiritu S. distinctus personaliter. *Secundò.* Illa mediata oppositio de per accidens se habet ad distinguendum Patrem à Spiritu S. ergo aliquid aliud esset assignandum tāquam huiusmodi distinctionis per se causam. Conseq. tenet: quia omne per accidens debet reduci ad id quod est per se. Antec. probatur: quia tunc pater respectu productionis Spiritus S. de per accidens se haberet, sicut in humanis auus respectu nepotis: si quidem ipso auo nō existēte, nihilominus produceretur. *Deniq;* Distinctio personalis debet tribui cōstitutiuo personali; ergò soli paternitati & non illi mediatæ oppositioni tribuenda esset distinctio realis patris à Spiritu S. *Replica* *Resp. ad primum* falsum esse antec. *Sol.* Ad probationem, quia per illam solam constitueretur in esse personali, negatur consequētia ob supra dictam causam, cum ageretur de distinctiuo filij à spiritu sancto. *Ad secundum* negatur antec. Ad eius probationem negatur assumptum: nam esset tunc essentialis quædam connexio, tàm in essendo quàm in operādo inter patrem & filium: præsertim si ponerentur tres personæ consubstantiales, vt modo sunt; quamuis ea facta suppositione, non essent verè consubstantiales. *Ad 3.* negatur antec. ob rationem sæpius assignatam.

SECVNDA CONTROVERSIA.

De efficacia secundæ rationis D. Thomæ.

IOANNES Rada *contr. 15. a. 1.* satis audacter affirmat rationem hanc secundam D. Th. non concludere propositum Cai. Sylu. Ripa *super hoc art.* & Ferrar. *4. cont. gent. cap. 24.* existimant eam esse probabilem. Iauellus opinatur eam esse ne- *Sententiæ Expositorū.*

cessariâ, suppositio in Deo verbo notionaliter dicto. In quam sententiam videtur inclinare Molina *disp. 1.* Torres ait rationem hanc esse per pulchram & maximè annotandam.

Resultio. Verbo diuino ex propria ratione formali conuenire per se in primo modo esse principium amoris vt quod per actum voluntatis.

AD MEMORIAM *reducenda sunt primò* quæ supra diximus *quæst. 27. art. 3.* de necessitate & perfeitate originis amoris à verbo, quatenus verbum est res concepta. Vbi etiam deduximus cum Caietano ordinem originis esse ordinem secundum modum efficientiæ: & rem conceptam & verbum esse causam amoris in genere causæ siue principij efficientis: est enim res cognita secundum esse reale in rerum natura finalis causa, aut ratio finalizandi: secundum esse verò conceptum ratio formalis ipsi voluntati amoris eliciendi: quod est esse rationem agendi, quod ad genus causæ pertinet efficientis vt quo; & consequenter etiam verbum ipsum, quod est res ipsa concepta in esse intelligibili ad intra, erit ratio formalis & causa siue principium amoris vt quo in communi loquendo. Et quia causalitas siue operatio vnicuique conuenit efficienti iuxta modum suum: idcirco si verbum fuerit subsistens vt in Deo, principium erit amoris non formale tantum siue vt quo, verum etiam tanquam efficiens siue principium vt quod. Id verò quòd ita principium est amori, vt quod, amorem efficit siue producit non vt obiectum præcisè sed etiam vt intelligens & volens, non per accidens vt affirmat Rada, sed per se, non ex communi ratione verbi; alioquin omne verbum esset producens amorem vt intelligens & volens, sed ex propria & tali sibi connaturali ratione, vt tale verbum est cui per se conuenit subsistentia. Probantur hæc in verbo diuino, de quo sermo est, & cui soli congruunt. Nam primò verbum diuinum natura ipsa siue bonitas diuina est tam in esse intelligibili, quàm in esse naturali: quod illi non per accidens, sed per se conuenit, ex hoc quod à dicente procedit vt perfectissima similitudo: ac proinde perfectissimè simile dicenti in eadem scilicet natura numero secundùm eius esse naturale; atque ideo genitum est & filius, vt latè supra deduximus *q. 27. a. 4.* Ex quo sequitur tale verbum sibi necessariò, & per se in primo modo vendicare subsistentiam, non ex accidentali aut extranea aliqua ratione sibi connexa, sed ex formali & per se differentia, siue modo verbi vt verbum est distinctiuo: ex ratione scilicet perfectæ similitudinis, quæ similitudinis perfectio modus quidam est per se diuisiuus similitudinis expressè, quæ est intrinseca & formalis ratio verbi: igitur verbum Dei ex propria ratione formali, in primo modo dicendi per se vendicat sibi subsistentiam & consequenter etiam esse principium vt quod amoris; nõ vt obiectum tantum in esse naturali & intelligibili, sed etiam vt principium productiuum per actum suę voluntatis: Subsistenti namque in genere immaterialium per se conuenit esse tali modo principium agendi. Si itaque subsistentia per se & formaliter conuenit verbo Dei, vt tale verbum est, quatenus dictio illa *tale* denotat modum per se diuisiuum verbi vt verbum est: consequens etiam est, vt cuiusuis ab eo procedentis operationis principium sit vt quod per intellectum & voluntatem; alioquin non ageret in ratione verbi perfectissimi subsistentis in natura diuina, sed ad modum inhærentis formæ vt verbum nostrum. Vnde quemadmodum homini vt homo est per se conuenit rationale, quod tamen accidit animali vt animal est, & consequenter homini vt animal est: ita verbo diuino vt tale verbum per se & intrinsecè conuenit esse principium amoris vt quod per suæ voluntatis actum; quamuis id accidat verbo vt verbum est, & etiam ipsi diuino verbo vt verbum est .i. secùdùm communem & præcisam rationem verbi. Cuius distinctionis neglectus Radam prædictum in errorem induxit. *Scopum* igitur veritatis, videtur, à longè saltem aspexisse Iauell. dicens, supposita fide verbi notionalis in Deo, necessarium esse amorem à verbo procedere. Prædicta confirmat discursus Cai. quem alij sequuntur interpretes, quo secundùm illam D. Th. rationem probabilem esse demonstrat.

Secundò obseruandum est, propositionem illam D. Thom. *Necesse est autem, quòd amor à verbo procedat*, intelligendam esse vniuersaliter de verbo & amore: siue sint accidentia siue subsistant, siue sint essentialia siue notionalia siue personalia.

Tertiò considerandum est, propositionem illam S. D. *Non enim aliquid amamus, nisi secundùm quod conceptione mentis apprehendimus*, secundum Caietanum intelligendam esse de apprehensione naturali. At Sylvest. eam extendit etiam ad intellectionem supernaturalem diuinæ visionis, in qua tenet formari verbum. Sed melius loquitur Iauel. dicens, quòd licèt in intellectione supernaturali visionis beatificæ non producatur verbum, illam tamen (ratione scilicet essentiæ diuinæ per se obiectiuè præsentis) æquipollere verbo: & ideò amorem beati ex tali æquipollenti verbo procedere

Deniq; aduertendum est, hic S. D. supponere cõmunia alibi stabilita, videlicet bonum cognitum esse motiuum voluntatis, & esse principium productiuum amoris ex *3. de anim. & 12. met. ap.* vt hic notat Caiet. & Iauel. & Ferrar. *in d. c. 24.* Ex dictis sequuntur duæ conclusiones.

PRIMA CONCLVS. *Discursus D. Tho. legitimus est.*

SECVNDA CONCL. *Suppositâ fide verbi personalis in Deo ratio D. Th. necessariò concludit.*

CONTRA *primam* concl. sunt arg. quæ producunt & soluunt Caiet. Ferrar. & Iauel. ad quos lectorem remittimus. *ob. 1. cõt. 1. concl.*

Contra eandem conclusionem argumentatur Rada. *Primò.* Notitia rei amatæ necessariò præsupponitur amori, hoc ideò præcisè: quia per huiusmodi notitiam fit presens obiectum voluntati: sed diuina essentia de cuius amore procedit Spiritus S. non fit præsens voluntati per verbum, sed per cognitionem essentialem; ergò per hoc, quòd notitia rei amatæ, vel amandę præsupponitur amori eius, non rectè conuincitur, quòd Spiritus S. procedat à verbo. Probatur minor. Primò quia aliter Pater intelligeret per verbum. Secundò; quia, si per impossibile Deus intelligeret, & non produceret verbum, adhuc per illam intellectionem cognosceret essentiam suam, quæ in ratione obiecti cogniti amabilis fieret per eandem cognitionem sufficiẽter præsens voluntati; ergo verbum non requiritur ad hoc per se.

Respondetur propositionem illam: *Necesse est, vt amor procedat à verbo:* non probari per hoc præcisè, quòd notitia rei amatæ præsupponitur voluntati, vt per eam fiat præsens obiectũ; sed per hoc, quod nihil amamus, nisi quòd conceptione mentis apprehendimus. *Quòd si dicat* Rada se loqui etiam de notitia prout est rei conceptio, dico falsam esse maiorem argumenti Radæ; quia conceptio siue verbum principium est amoris, non ea sola ratione præcisè, quòd per illud fiat *Solut.*

ob-

obiectum præsens, sed etiam, quia verbum in cõ- A muni loquendo, ex propria ratione forma quædam est, vt terminus intellectionis intrinsecus, & propria ac consummata intellectus in actu perfectio, quatenus motiuus est voluntatis. Omne enim agens agit per propriam formam, quatenus est eius actus & perfectio; igitur verbum non eo tantum, quòd per ipsum fiat obiectum præsens voluntati, sed propter causam etiam omnibus agentibus communem est necessarium, propter actualitatem scilicet & perfectionem ad operandum necessariam. Et quamuis in diuinis verbum non sit actus aut perfectio intellectus: ad perfectionem tamen pertinet intellectionis & intellectus; sicut quælibet diuina persona in perfectione clauditur diuini esse. Nã B sicut persona vt sic id perfectissimum significat, quod est in natura: ita verbum diuinum subsistẽs id perfectissimum significat, quod est in intellectu. Et quemadmodum nulla est operatio diuinę naturæ, quam non producant diuinæ personæ: ita nulla est operatio siue motio intellectus respectu voluntatis, quam non efficiat verbum. Ratio verò est; quoniam agens & eius potentia tota sua perfectione producit in quolibet actionis genere proportionaliter. Verbum itaq; principium est amoris; vel quia facit obiectum præsens & forma quædã est intellectus in actu, vt in nobis: vel quoniam intrinsecè clauditur in ipsa perfectione intellectus in actu vt persona subsistens & continens totam rationem diuinæ bo- C nitatis, quæ est obiectum voluntatis. Et ad hæc reducenda sunt, quæ supra diximus *q. 27. a. 3. dub. 1.* vbi magis sententiam Caiet. quàm nostram expressimus.

Obi. 2. *Secundò.* Admisso (inquit Rada) quòd verbum per se requiratur ad præsentiam obiecti: non inde infertur, quòd Spiritus S. procedat à verbo sicut ab habente voluntatẽ; ergo non rectè procedit ratio D. Th. Antecedens probatur; quia voluntas in verbo ad id munus impertinenter se habet; quia amor vt sic, dato quod per se requirat verbum, solum præsupponit illud vt verbum, de cuius ratione non est voluntas: vt patet in verbo creato, in quo non est voluntas, cui tamen ratio verbi omnino competit; ergo ex eo, quòd amor D per se præsupponat verbum, à quo vt verbum procedat, non conuincitur quod procedat à verbo per voluntatem, vt modo volumus & vt *Sol.* Concilia definiunt. *Resp.* primò, nos ex eo principio non deducere processionem Spiritus S. à verbo. Secundò ad probationem antecedentis negatur assumptum. Ad cuius probationem iam dictum est voluntatem vt amoris principium esse de ratione verbi perfectissimi & subsistentis; quamuis accidat verbo, vt verbum est id est verbo secundum communem rationem verbi.

Obi. cõt. 2. nouc. CONTRA *secundam* conclus. argumen. Caiet. E Dicere quispiam posset Patrem producere amorem sui notionalem, cognoscendo se essentialiter; ergo ratio D. Th. non est accipienda vt necessaria, sed vt probabilis. *Resp.* falsum esse antecedens ob rationem superius assignatam *in resp. ad 1. arg. Rad.* *Solut.*

DVBITATIO *de tertia ratione D. Thom.* Caiet. proponit quorundam argumenta contra tertiam rationem D. Thom. & primò contra illam propositionem. Ab vno nunquam procedunt plura absque ordine inter se, nisi in materialiter tantum differentibus. Secundò aduersus duo dicta, quæ videntur ad inuicem contradicentia; quibus optimè respondet Cai. Sed primum argumentum melius soluitur à Iauello & Ferrar. *in d. d. 24.* ex doctrina D. Thom. *de potentia, quæst. 10. a. 3.*

Annotationes circa responsiones ad argumenta D. Thomæ.

IN *responsione ad primum* argumentum aduerte Canonem illum D. Thomæ regulariter in sacra Scriptura tenendum est, quòd id, quod de Patre dicitur, oportet de filio intelligi, etiamsi dictio exclusiua addatur: nisi solum in illis, in quibus Pater & filius secundum oppositas relationes distinguuntur: intelligendum esse secundùm sensum minus proprium loquutionis, quatenus scilicet dictio exclusiua excludit aliud neutraliter, & non alium masculinè, vt declarat S. D. supra *q. 31. a. 4.* sic enim piè exponuntur dicta scripturarum, vt ibidem docuit diuinæ voluntatis interpres.

Circa resp. ad 2. vbi S. D. agit de definitione seu expressione processionis Spiritus S. à Filio facta authoritate Romani Pontificis, lege si placet ea, quæ scribunt Mol. *disp. 1.* Valen. *puncto 2.* Vasquez *disput. 146. cap. 3. & 4.* & Suarez *lib. 10. de Trinitate, c. 1.*

De sententia Damasceni, quam examinat D. Th. *in resp. ad 3.* aduerte secundam responsionem ex aliorum sententia non reijci, sed vt probabilem admitti: quæ etiam apertius exprimitur *in 1. dist. 11. a. 1.* quam declarationem sequuntur & explicant Molina *disp. 2.* Vasquez *in d. disput. c. 7.* & Suarez *in allegato cap. 1.* quamuis (nescio quo spiritu) profiteatur Vasquez se exponere verba Damasceni contra mentem D. Th.

Postremò circa resp. ad 7. argumentum duo sunt annnotanda. Primum est sensus illius propositionis Aristot. *In perpetuis non differt esse & posse:* quem exprimit Sylu. Secundum est interpretatio verborum & mentis Anselmi, cuius alia plura dicta producit Rada pro suæ sententię confirmatione: quibus tamen facilè potest accommodari duplex A. nostri D. interpretatio, ea scilicet quam adhibet hic ad 7. & illa quam *ex quæst. de potentia* supra retulimus: cui maximè fauet Vasquez *in 7. c. dist. 148.* immemor eorum, quæ dixerat *in 4. cap.* Sententias reliquorum Patrum tam Latinorum quàm Græcorum referunt cumulatè recentiores super hoc articulo, & Suarez vbi supra.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

AD *Tertium sic proceditur. Videtur, quòd Spiritus sanctus non procedat a Patre per filium. Quod enim procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediatè. Si igitur Spiritus S. procedit à patre per filium, non procedit à patre immediatè. Quod videtur inconueniens.* 196 1. dist. 12. a. 3. Et op. 2. ca. 4. Et op. 3. c. 27.

2 *Præterea. Si Spiritus S. procedat à Patre per filium, non procedit à filio, nisi propter patrem. Sed propter quod vnumquodque & illud magis. Ergo magis procedit à Patre quàm à filio.*

3 *Præterea. Filius habet esse per generationem, si igitur Spiritus sanctus est à patre per filium, sequitur quòd prius generetur filius, & postea procedat Spiritus S. & sic processio Spiritus S. non est æterna. quod est hæreticum.*

4 *Præterea. Cùm aliquis dicitur per aliquem operari, potest è conuerso dici. Sicut enim dicimus, quòd*

Rex operatur per Balliuum, ita potest dici quod Balliuus operatur per Regem. Sed nullo modo dicimus quòd filius spiret Spiritum S. per patrem. ergo nullo modo potest dici, quòd pater spiret Spiritum sanctum per filium.

Libr. 12. de Trin in fi libri.

Sed contra est, quod Hilar. dicit in lib. de Trinit. Conserua hanc oro fidei meæ religionem, vt semper obtineam patrem scilicet te, & filium tuum vna tecum adorem, & Spiritum sanctum tuum, qui est per vnigenitum tuum, promerear.*

Respon. Dicendum, quòd in omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio, per, designat in causali aliquam causam, seu principium illius actus. Sed cum actio sit media inter faciens & factum, quandoque illud causale cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod exit ab agente; & tunc est causa agenti, quòd agat, siue sit causa finalis, siue formalis, siue effectiua, siue motiua. Finalis quidem, vt si dicamus, artifex operatur per cupiditatem lucri. Formalis verò, vt si dicamus, quòd operatur per artem suam. Motiua verò, si dicamus, quòd operatur per imperium alterius. Quandoque verò dictio causalis, cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod determinatur ad factum: vt cùm dicimus, artifex operatur per martellum. non enim significatur, quòd martellus sit causa artifici, quòd agat, sed quòd sit causa artificiato, vt ab artifice procedat, & hoc ipsum habeat ab artifice. Et hoc est, quod quidam dicunt, quòd hæc præpositio, per, quandoque notat authoritatem in recto; vt cùm dicitur, Rex operatur per Balliuum. Quandoque autem in obliquo: vt cùm dicitur, Balliuus operatur per Regem. Quia igitur filius habet à patre, quòd abeo procedat Spiritus sanctus, potest dici, quòd pater per filium spirat Spiritum sanctum, vel quòd Spiritus sanctus procedat à patre per filium, quod idem est.

Ad Primum ergo dicendum, quòd in qualibet actione est duo considerare, scilicet suppositum agens, & virtutem qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in patre, & filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia virtus est vna, & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes, sic, cùm Spiritus sanctus communiter procedat à patre, & filio, inuenitur spiritus sanctus immediatè à patre procedere, inquantum est ab eo: & mediate, inquantum est à filio. Et sic dicitur procedere à patre per filium. Sicut etiam Abel processit immediatè ab Adam, inquantum Adam fuit pater eius: & mediate, inquantum Eua fuit mater eius, quæ processit ab Adam, licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem diuinarum personarum.

Ad Secundum dicendum, quòd si filius acciperet à patre aliam virtutem numero ad spirandum Spiritum sanctum, sequeretur quod esset sicut causa secunda, & instrumentalis: & sic magis procederet à patre, quam à filio. Sed vna, & eadem numero virtus spiratiua est in patre, & filio, & ideo æqualiter procedit ab vtroque. Licet aliquando dicatur principaliter vel proprie procedere de patre propter hoc, quòd filius habet hanc virtutem à patre.

Ad Tertium dicendum, quòd sicut generatio filij est coæterna generanti (vnde non prius fuit pater, quàm gigneret filium) ita processio Spiritus sancti est coæterna suo principio. Vnde non fuit prius filius genitus, quàm Spiritus sanctus procederet: sed vtrumque æternum est.

Ad Quartum dicendum, quòd cum aliquis dicitur per aliquid operari, non semper recipitur conuersio. Nõ enim dicimus, quod martellus operetur per fabrum: dicimus autem, quòd Balliuus operatur per Regem. Quia Balliui est agere, cùm sit dominus sui actus: martelli autem non est agere, sed solum agi: vnde non designatur nisi vt instrumentum. Dicitur autem Balliuus operari per Regem: quamuis hæc præpositio, per, denotet medium, quia quantò suppositum est prius in agendo, tantò virtus eius est immediatior effectui, quia virtus causæ primæ coniungit causam secundam suo effectui. Vnde, & prima principia dicuntur immediata in demonstratiuis scientijs. Sic igitur, inquantum Balliuus est medius secundum ordinem suppositorum agentium, dicitur Rex operari per Balliuum: secundum ordinem verò virtutum, dicitur Balliuus operari per Regem, quia virtus Regis facit, quòd actio Balliui consequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter patrem, & filium, quantum ad virtutem, sed solum quantum ad suppositа: & ideo dicitur, quòd pater spirat per filium, & non econuerso.

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic magis de propositionis congruentia, quàm de rei veritate, de qua satis constat ex art. præcedẽte. Et aduerte hic absolutè id est indistinctè quęri, an Spiritus S. procedat à patre per filiũ. Ratio dubitandi est multiplex sensus dictę propositionis explicatus in corpore, & in responsione ad primum. Nam in aliquo sensu vera est, in aliquo falsa.

Forma Textus.

CONCL. *est. Potest dici, quòd pater per filium spirat Spiritum sanctum, vel quòd Spiritus sanctus procedat à patre per filium quod idem est.* Probatur. In omnibus loquutionibus in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio *per*, designat in causali aliquam causam, seu principium illius actus, vel secundum quòd exit ab agente, adeo vt sit causa agenti, quòd agat, siuè finalis, siuè formalis, siuè effectiua, siue motiua; vel designat causam illius actus secundum quòd determinatur ad factum, ita vt sit causa facti, vt ab agente procedat; sed filius habet à patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus; ergo potest dici quòd pater spirat filium &c. Maior propositio primò manifestatur exemplis, quò ad singulas partes, vt perspicuè patet in textu. Deinde quo ad vtramque partem simul, in alia quorundam diuersa forma loquẽdi idem omninò significante: dicebant enim hanc præpositionem *per*, quandoque denotare authoritatem in recto, vt cum dicitur; Rex operatur per Balliuum; quandoque autem in obliquo; vt cum dicitur, Balliuus operatur per Regem.

Expositio Textus.

PATRES Latinos & Græcos, qui dixerunt Spiritum S. à Patre per filium procedere, refert Vasquez *disp. 136. cap. 6.* Quo verò sensu accipienda sit conclusio D. Tho. satis apertè significatur in ipsa probatione conclusionis; & præsertim in minore, quam ponit Caietan. vt antecedẽs: ex quò deducit immediatè cõclusionẽ sic arguendo. Filius habet à Patre quòd ab eo procedat Spiritus S. ergo potest dici quòd Spiritus S. procedat à patre per filium. Qua forma discursus declarat S. D. veram esse dictã conclusionẽ, quatenus dictio *per* designat in illo casuali, filium esse causam, siue principium actus significati hoc verbo, *procedit*: non vt exit ab agente. s. patre, sed vt determinatur ad productũ. s. Spiritum S. siuè vt alij dicunt, quatenus dictio illa *per* notat authoritatẽ in recto: adeò, vt sensus sit: Pater per Filiũ spirat Spiritũ S. siue Spiritus S. procedit à patre per filiũ id est Spiritus sanctus habet à filio quòd à spira-

à spiratore procedat: & hoc ipsum, quod est dare Spiritui S. vt à spiratore procedat, habet filius à patre. Et hoc est, quod etiam intendit Cai. in explicatione dictæ consequentiæ: addens hic considerari Spiritum S. vt est à patre mediatè. Nihil verò aliud significatur ex ea verborũ forma, nisi patrem à se virtutẽ habere spirandi Spiritum sanctum; sed filium eandem habere virtutem à Patre, à qua habet, vt ab eo procedat Spiritus S. Quam expositionem sequuntur Molina & alij quidam ex recentioribus.

Prim. arg. D. Th. DVBITATIO *duplex circa responsionem ad primum* argumentum D. Thom. *Primum argumentum* D. Th. est, quod procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediatè; Spiritus S. procedit à patre per filium, vt ait conclusio; *Solutio.* ergo non procedit à patre immediatè, quod videtur inconueniens. *Responsio* est. In qualibet actione est duo considerare scilicet supppositum agens & virtutem qua agit: si in patre & filio cõsideretur virtus, qua spirant Spiritum S. non cadit ibi aliquod medium; quia hæc virtus est vna & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes; procedit Spiritus S. à Patre immediatè in quantum est ab eo, & mediatè in quantum est à filio; & sic dicitur procedere à patre per filium, sicut etiam Abel &c. Circa quam responsionem duplex est *dubitatio*. *Prior* est; an eadem notione siue proprietate & virtute pater & filius sint principium Spiritus S. quam proponit & determinat S. D. *in 1. dist. 29. a. 3.* & Suarez *lib. 10. cap. 5. Posterior dubitatio* est: an & quomodo pater & filius immediatè producant Spiritum sanctum; quam tractat & resoluit *S. D. in 1. sent. dist. 12. art. 3.* & explicat Suarez *lib. 10. de Trin. cap. 3.*

Dub. 1.

Prima dub. circa resp. ad 2. PRIMA DVBITATIO circa responsionem ad secundum. Quærunt hic expositores, *num rectè dici posset Spiritum S. esse principaliter, aut propriè à Patre: vel principalius, siue magis à Patre, quam à Filio?* Cui quæsito respondet hic breuiter S. D. sed latius *in primo dist. 12. a. 2.* Ex quibus locis colligo sex dicta. *Primum* est. Spiritus S. nec prius nec plenius nec magis procedit à patre quàm à filio. Probatur; quia pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. & vbi est vnitas, non potest esse distinctio plenitudinis. *Secundum* est. Quamuis Pater dicatur principium, non tamen potest dici primum; quia ibi nõ est aliquid prius & posterius. *Tertium* est. Pater nõ dicitur causa aut principium primarium Spiritus S. Probatur, quia sunt vnum principium; & ideo nullus gradus inuenitur inter eos in spirando Spiritum S. *Quartum* est. Pater & filius per virtutem spiratiuam æqualiter spirant Spiritum sanctũ. Probatur; quia licet filius habeat à patre hoc, quod spirat Spiritum S. nihilominus tamen non est hoc diuersum in Patre & filio; quia eandem virtutem spiratiuam, quam habet Pater, communicat filio. *Quintũ* est. Spiritus S. dicitur esse principaliter & propriè à patre; quia in patre est authoritas spirationis, à quo etiam filius habet virtutem spiratiuam: maximè cum præpositio, à, apud Græcos denotet relationem ad primã originẽ. Vnde apud eos non dicitur, quòd lacus sit à riuo, sed à fonte. Et inde est quòd nõ concedũt, quòd Spiritus S. sit à filio sed à Patre. *Vltimum* est. Non est dicendum quin etiam à filio propriè procedat Spiritus S. qui cum patre est vnũ principium, non autem sicut riuus & fons sunt principium lacus. Vbi aduerte quintum dictum quo ad dictionem illam *principaliter*, cum sua declaratione esse D. Aug. *in 15. de Trin. cap. 17.* Quo ad illam autem dictionem *propriè*, est D. Hieron. *in expositione symboli ad Cyrillum, & est epistola 18. in tomo 9.* in qua tamẽ epistola dicitur etiam Spiritũ S. propriè & verè de patre filioq; procedere.

Ex prædicta D. Tho. doctrina sequitur eos Scholasticos à propria & pia sermonis rectitudine deuiasse, qui Spiritum S. affirmant principalius à patre procedere, quàm à filio. Hi verò sunt S. Bonau. Scotus, Dur. Gabriel & Marsilius. Sed aliquid peius affirmat Iauellus ita dicens. *Eodem sensu potest dici spiritus sanctus spirari magis à patre, quam à filio: sicut concedimus patrem esse maiorem filio: concedimus quidem, quia pater quidquid habet, habet à se, non tamen filius minus habet: quia totum, quod est patris communicatur idem numero ipsi filio; sic pater magis spirat; quia spirat à se, non tamen filius minus spirat: quia eadem virtute spirat.* Sed hic discursus solido caret fundamento. Nam etsi dictum sit ab Hylario: *Authoritate donantis pater maior est, sed non est minor filius, cui vnum esse donatur*: loquutiones tamen minus propriæ non sunt extendendæ, & multò minus ad earum imitationem aliæ similes efformandæ; cum præsertim ex sacris litteris aut Patribus nullum habeant tutelæ præsidium, sed plurima ex aduerso pugnantia verba veritatis.

Prædictam D. Thom. doctrinam sequuntur & explicant Torres, Zumel. Mol. Vasq. & Suarez *lib. 10. de Trin. cap. 3.*

In eadem responsione notanda est glossa illius propositionis Arist. *Propter quod vnumquodque, & illud magis*: est enim vera, quando illud quod cõuenit alicui propter aliquid aliud est diuersum in vtroque; & præcipuè (inquit S. D. *in 1.*) quãdo vnum est caussa alterius essentiali ordine causæ; tunc enim causalitas sua est respectu totius speciei, & non vnius indiuidui tantum. Sicut calor est magis in igne, quam in corpore mixto; quia propter ignem est in corpore mixto. Quamuis autem filius habeat à patre, quod spiret spiritum sanctum: eandem tamen virtutem spiratiuam, quam habet pater, communicat filio: & ideò per illã æqualiter pater & filius spirant spiritum sanctum. Et si non esset vna numero, sed specie tantum: ratio tamen non valeret: sicut patet in omnibus vniuocis generationibus; non enim pater Sortis plus influit in filium Sortis, quã Sortes. Hæc ferè ad verbum D. Thom.

Responsio ad tertium negat ordinem prioris & posterioris inter generationem & spirationem, siuè etiam processionem; de quo latius agitur infra *q. 42. art. 3.* Refert hic Iauel. quædam argumenta Ariminensis contra Scotum statuentem ordinem prioris, & posterioris inter processiones, & personas diuinas. Hanc quæstionẽ tractat S. Thom *in 1. distinct. 12. quæst. 1. artic. 1.*

Dub. 2. Sententia Vasquezij, Scoti, & Rada. SECVNDA DVBITATIO. *An sit ordo originis inter Patrem & Filium in actu spirandi?* Negat Vasquez vllum esse ordinem originis inter patrem & filium in actu spirandi; quamuis sit inter eos ordo originis in habendo virtutem spiratiuam quoniã (inquit) in eo, in quo est ordo originis inter aliqua, debet esse prioritas; hæc autẽ nõ est in actu spirandi, sed in habendo virtutẽ spiratiuam; quæ licet sit eadem in vtroque, prius tamen origine est in vno quàm in alio; habita verò ea virtute simul vterque spirat. Hæc fuit sententia Scoti *in 1. dist. 12. q. 2.* quam sequitur & tuetur Rada *controu. 16. art. 3.* quam sic explicat. Actus spirandi potest quatuor modis considerari: *Primo*, secundum se: *secundò*, quatenus tendit in terminum spiratum: *tertiò*, in ordine ad supposita agentia: *quartò*, in ordine ad virtutem spiratiuam. Hoc posito statuit duas conclusiones.

Prima est. Si consideretur actus spirandi secundum se, vel in ordine ad terminum, vel ad virtutem spiratiuam, vniformiter omninò spirant pater & filius. Probatur; quia actus spirandi est in se vnus omnino in vtroque, & ad eundem terminum scilicet spiritum sanctũ, & ab vnica virtute in vtroque existente dimanat. *Secunda* conclusio. Si actus spirandi consideretur in ordine ad suppositа spirantia, non vniformiter spirant pater & filius. Probatur; quia sicut pater habet à se vim spiratiuam, filius verò à patre: ita quòd filius spiret, habet à patre, pater verò à se; Nec tamen sequitur (inquit) patrem prius origine spirare, quàm filius: sicut pater prius origine generat quàm spiret, propter ordinem principiorum in producendo; quia tunc Spiritus S. non spiraretur à filio; vel spiraretur quando iam est spiratus à Patre; & sic filius actum ageret. Est autẽ hic ordo (inquit Rada cum Scoto) Primò in patre est vtraq; fęcunditas à se, intellectus scilicet & voluntatis: secundò est in patre actus primæ fœcũditatis scilicet intellectus; & tunc est in filio secunda fecunditas scilicet voluntatis; quia pater illam ei per generationẽ cõmunicauit: tertiò est actus fecundæ fecunditatis simul à patre & filio habentibus simul illam fecunditatem. Non est igitur (inquit) ordo originis inter spirationẽ patris & filij, quasi spiret pater in aliquo signo originis, in quo non spiret filius; est tamen ordo ibi in spirando; quia pater cum habeat vim spirãdi à se, spirat à se; filius verò non spirat à se, quia vim spiratiuam nõ habet à se, sed ab alio. Ad cuius euidentiam obseruat, quòd pater prius origine est pater, quã filius sit filius; & pater prius origine est Deus quàm filius: primò, quia deitas cũ intellectu est principiũ, quo pater filio cõmunicat diuinam naturam; secundò, quia deitas est aliquid essentiale absque respectu ad creaturas, ac per consequens præcedit quodcunque notionale: spiratio verò actiua, cum nec sit quid essentiale, nec ratio formalis, nec conditio principij quo pater producit filium in esse spiratoris per generationem, cuius principij ratio formalis & sufficiens est deitas cum intellectu, & conditio, paternitas non est aliqua ratio, ob quam prius origine sit in patre, quàm in filio, sed in eodem signo, quo est in patre, est in filio.

Confutatur sententia Vasquezii, Scoti, & Radæ, & veritas definitur.

Sed Haec ferè omnia sunt falsa. Nam primò falsum est inter ea debere esse prioritatem, inter quæ est ordo originis, vt ait S. D. infra *q. 42. a. 3.* secundò commentitium est illud discrimen, quod statuunt inter habere virtutem spiratiuam & actum spirãdi quo ad ordinem originis. Nã ordo originis attenditur penes hæc duo scilicet à quo alius, & qui ab alio. Sicut autem filius non habet à se, sed à patre virtutem spiratiuam; ita nec actum spirandi habet à se, sed à patre vt etiam affirmat Scotus. Igitur sicut est ordo originis inter patrem & filium in habendo virtutem spiratiuam, est etiam inter eos ordo originis in actu spirandi.

Vasquezij responsio.

Sed ait Vasq spirare à se, aut spirare ab alio solũ significat ordinẽ originis in habendo virtutem, non in spirando; si quidem ipsa spiratio, quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem & spiratum; cum tamen simul sit ab vtroque eadem virtute fœcundo.

Coniut.

Sed hæc responsio non diluit argumentum. Ad cuius euidentiam considerandum est ordinem originis in diuinis per se primò conuenire personis secundum se sumptis; propriè enim & per se primò persona est à persona, quod est personam habere ordinem originis ad personam. Et quia persona est à persona secundum omnia, quæ in ea sunt, idcirco non solum persona secundum se, puta filius est à persona puta patre, sed etiam hoc quod est filium esse Deum, sapientem, volentem, & secundum hoc, quod est sapere, & amare in filio, est à patre acceptum; & eadem ratione etiam spiratorem & actu spirantem in filio est à patre. Sicut igitur non est ordo inter sapientiam aut sapere patris, & sapientiam & sapere filij secundum se; cum sit vna vtriusque sapientia & vnum sapere, & tamen est ordo inter patrem & filium in habere sapientiam & eius actum; quia sapientiam & sapere pater habet à se, & filius à patre: ita non est ordo inter virtutem spiratiuam, aut actum spirandi patris & filij; cum vna sit vtriusque virtus & spiratio: sed tamen est ordo originis inter patrem & filium quo ad hoc, quod est habere virtutem spiratiuam & actum spirandi; quia pater vtrumque habet à se & filius vtrumque habet à patre. Cùm igitur ait Vasquez non esse ordinem originis inter patrem & filium in spirando, quia spiratio quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem & spiratum, dico verum esse loquendo de ordine originis, prout attenditur inter personas secundum se, quibus per se primò conuenit. Sic enim spiratio constituit ordinem originis inter spiratorem, qui sunt pater & filius; & spiratum qui est spiritus sanctus. At loquendo de ordine originis, qui attenditur non inter personas secundum se, sed vt habentes aut non habentes aliquam virtutem vel actum, est ordo originis inter patrem & filium quo ad actum spirandi non constitutus per ipsum actum, sed per hoc, quod est habere à se actum illum vel ab alio. Immò, si verum est, quod ait Caietanus infra *q. 4. a. 5.* diuinam naturam non solum vt pater, sed etiam vt in patre propriam esse patris; quoniam vt in patre seu vt patris, potentia est generandi, quæ paternitatem includit in obliquo: affirmari eadem ferè ratione posset esse ordinem originis inter virtutem spiratiuam prout est patris siue in patre, & eandem prout est filij siue in filio; quoniam vt patris est siue in patre formaliter, quodammodo propria est patris ob relationem paternitatis in obliquo significatam; & eadem ratione spiratio vt est filij, siue vt est in filio, propria est filij; quamuis eadẽ secundum se siue absolutè vna & eadem sit in patre & filio; sicut essentia secundum se vna & eadem est in tribus. Sed quia noua est hæc loquendi forma & apud Patres & Scholasticos inconsueta non facilè est admittenda.

Caiet. dist. singulare.

Nec Scoto concedimus ordinem illum originis tam multiplicem secundum prius & posterius; sed ordinem omnem originis in diuinis didicimus ex Augustino cum D. Thom. esse secundum hæc duo scilicet à quo alius & qui ab alio. Neque verum est, quod ait Rada spirationem actiuam prout est proprietas non esse necessariam ad constituendum patrem & filium in esse spiratoris, sed in patre sufficere deitatem cum intellectu, vt rationem formalem principij; paternitatem autem, vt conditionem; oppositum enim verum est, vt ostendimus *in a. seq.* Vnde idem ordo originis, qui est inter patrem & filiũ quo ad esse Deum, est etiam quo ad esse spiratorem, & quo ad actum spirandi, considerata ratione formali spiratoris & actus; quidquid sit de conditione, quæ est pluralitas suppositorum.

August. D. Thom.

In responsione ad 4. arg. nota duplicem conditionem requisitam vt fiat conuersio, cum dicitur

tur aliquis per aliquem operari. Prima est liber- A
tas in vtroq; operãte, vt scilicet vtrumq; domi-
nium habeat suæ operationis. Secundò requiri-
tur ordo & distinctio, non tantum suppositorũ,
sed etiam virtutum; vt perspicuè demonstratur
in littera. Cum igitur inter patrem & filium nó
sit ordo & distinctio quantum ad virtutem, sed
solum quantum ad suppositа, non potest dici,
filius spirat per patrem, sicut dicitur pater spirat
per filium. Ex quo patet Turrianum & Molinã
sequentes Dur. perperam admittere conuersio-
nem in dicta propositione, vt hic etiam aduertit
Ripa.

Reijcitur dictũ Turriani, & Molinæ.

B

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

197. 1. dist. 11. a. 2. & 4. Et 4. contra c. 25. fi. & op. 1. c. 11. fi. Et op. 9. c. 25. & 10, 8. lec. 3. & 15. lec. 3.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd Pater, & Filius non sint vnum principium Spiritus sancti. Quia Spiritus sanctus non videtur à patre, & filio procedere inquantum sunt vnum: neque in natura, quia Spiritus sanctus sic etiam procederet à seipso, qui est vnum cum eis in natura. Neque etiam inquantum sunt vnum in aliqua proprietate, quia vna proprietas non potest esse duorum suppositorum, vt videtur. Ergo Spiritus sanctus procedit à patre, & filio, vt sunt plures. Non ergo pater, & filius sunt vnũ principium Spiritus sancti.

2 Præterea. Cum dicitur, pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, non potest ibi designari vnitas personalis, quia sic pater, & filius essent vna persona. Neque etiam vnitas proprietatis. Quia si propter vnam proprietatem pater, & filius sunt vnum principium Spritus sancti, pari ratione propter duas proprietates pater videtur esse duo principia filij, & Spiritus sancti: quod est inconueniens. Non ergo pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

3 Præterea. Filius non magis conuenit cum patre, quàm spiritus sanctus: sed spiritus sanctus, & pater non sunt vnum principium respectu alicuius diuinæ personæ. Ergo neque pater, & filius.

4 Præterea. Si pater, & filius sunt vnum principium spiritus sancti, aut vnum, quod est pater, aut vnũ, quod non est pater: sed neutrum est dare. Quia si vnũ, quod est pater, sequitur, quòd filius sit pater. Si vnum, quod non est pater, sequitur, quòd pater non est pater. Non ergo dicendum est, quòd pater, & filius sint vnum principium Spiritus sancti.

5 Præterea. Si pater, & filius sunt vnum principium spiritus sancti, videtur è conuerso dicendum, quòd vnum principium Spiritus sancti sit pater, & filius. Sed hæc videtur esse falsa. Quia hoc, quod dico principium, oportet, quòd supponat vel pro persona patris, vel pro persona filij, & vtroque modo est falsa. Ergo etiam E
hæc est falsa, pater, & filius sunt vnum principium spiritus sancti.

6 Præterea. Vnum in substantia facit idem. Si igitur pater, & filius sunt vnum principium spiritus sancti, sequitur, quòd sint idem principium: sed hoc à multis negatur. Ergo non est concedendum, quòd pater, & filius sint vnum principium spiritus sancti.

7 Præterea. Pater, & filius, & spiritus sanct. quia sunt vnum principiũ creaturæ, dicuntur esse vnus creator: sed pater & filius non sunt vnus spirator: sed duo spiratores vt à multis dicitur. Quod etiam consonat dictis Hilar. qui dicit in secundo * de Trin. quod Spi- *Li. 1. de tri. non remote à fine libri.*
ritus sanctus à patre, & filio authoribus confitendus est. Ergo pater, & filius non sunt vnum principium spiritus sancti.

*Sed contra est, quòd Aug. dicit in * 7. de Trin. quòd pater, & filius non sunt duo principia, sed vnum principium spiritus sancti.* *Li. 5. de tri. c. 14. in fi. tom. 3.*

Respond. Dicendum, quòd pater, & filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Vnde cum in hoc, quod est esse principium spiritus sancti non opponantur relatiue, sequitur, quod pater & filius sunt vnum principium spiritus sancti. Quidam tamen dicunt hanc esse impropriam, pater & filius sunt vnum principiũ spiritus sancti. Quia cùm hoc nomen principium singulariter acceptum, nõ significet personam, sed proprietatem, non potest conuenienter dici, quòd pater & filius sint vnum principium spiritus sanct. nisi vnum intelligatur quasi aduerbialiter positum, vt sit sensus, sunt vnum principium, id est, vno modo. Sed simili ratione posset dici pater duo principia, filij, & spiritus sanct. id est duobus modis. Dicendum est ergo, quòd licet hoc nomen principium, significet d proprietatem, tamen significat eam per modum substantiui: sicut hoc nomen pater, & filius etiam in rebus creatis. Vnde numerum accipit à forma significata, sicut & alia substantiua. Sicut d igitur pater & filius sunt vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, e ita sunt vnum d principium spiritus sancti propter vnitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium. D. 493. D. 496. 204. D. 1130.

Ad Primum ergo dicendum, quòd si attendatur virtus spiratiua Spiritus sancti procedit à patre, & filio, inquantum sunt vnum in virtute d spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, vt infra dicetur. Neque est inconueniens, vnam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est vna natura. si verò considerentur suppositа spirationis, sic Spiritus S. procedit à patre, & filio, vt sunt plures. Procedit enim ab eis, vt amor vnitiuus duorum.* C D. 1062. *In solus ad 7. arg. huius art.

Ad Secundum dicendum, quòd cùm dicitur, pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. designatur vna proprietas, quæ est forma significata per nomen. Non tamen sequitur, quòd propter plures proprietates posit dici pater plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.

Ad Tertium dicendum, quòd secundum relatiuas proprietates non attenditur in diuinis similitudo, vel dissimilitudo, sed secundum essentiam. e Vnde sicut pater non est similior sibi, quàm filio, ita nec filius similior patri, quàm spiritus sanctus. D 398. 223. b

Ad Quartum dicendum, quòd hæc duo scilicet pater d & filius sunt vnum principium, quod est pater, aut vnum principium, quod non est pater: non sunt contradictoriè opposita. Vnde non est necesse alterum eorum dare. Cum enim dicimus: pater & filius sunt vnum principium, hoc quod dico, principium, non habet determinatam suppositionem: immo confusam pro duabus personis simul: vnde in processu est fallacia figuræ dictionis à confusa suppositione ad determinatam. D. 1134.

Ad Quintum dicendum, quòd hæc etiam est vera, vnum principium spiritus sanct. est pater, & filius, quia hoc, quod dico principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistincte pro duabus, vt dictum * *est.* E *In solutione præced. arg.

Ad Sextum dicendum, quòd conuenienter potest dici, quòd pater, & filius sunt idem principium, secundum quod ly principium, supponit confusè, & indistinctè pro duabus personis simul.

Ad Septimum dicendum, quod quidam dicunt, quòd pater, & filius, licet sint vnum principium spiritus sanct. sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum, sicut etiam duo spirantes, quia actus referuntur ad suppositа. Nec est eadem ratio de hoc nomine, creator, quia spiritus. procedit à patre,

In solu. ad 1. arg. huius art.

& filio vt sunt duæ personæ distinctæ (vt dictum est) non autem creatura procedit à tribus personis vt sunt personæ distinctæ: sed vt sunt vnum in essentia. Sed videtur melius dicendum, quòd quia spirans adiectiuum est, spirator verò substantiuum, possumus dicere, quòd pater, & filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundum suppositа: substantiua d verò à seipsis, secundum formam significatam. Quod verò d Hylarius dicit, quòd spiritussanctus est à patre, & filio authoribus, exponendum est, quòd ponitur substantiuum pro adiectiuo.*

D. 411. 1133. D. 927. & 18. D. 40.

A

Prima Controversia.

B

De sensu quæsiti: id est, quo sensu quæratur: vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritussancti.

Sententiæ Expositorũ.

VASQ. *disp. 148. cap. 1.* sequens Scotum *in 1. dist. 12. q. 1.* & Durand. *dist. 24. q. 2. & 3.* & Gabr. *dist. 12. q. 1.* affirmat quæst. hanc apud Catholicos esse de solo nomine & modo loquẽdi, an scilicet dici possint pater & filius duo an potius vnum tantum principium Spiritus sancti: Quam quæstionem ait in re tam ardua referre plurimũ ne verbis inordinatis errorẽ astruamus.

Sed Cai. duplicem hic ait esse quæstionem: vnam de re, an scilicet verè & realiter pater & filius sint vnum numero principium Spiritus S. alterã C de propositione iam dicta, an scilicet propriè sumpta sit vera. Sententiam Cai. sequuntur Canarienſis *in 2. parte comm.* Zumel. *disp. 1.* Ban. & Val. *super hoc a.* qui etiam oppositam sententiam temerariam esse pronunciant. In eandem sentẽtiam inclinat Pesantius.

Resolutio. Probatur ex D. Th. & aliis quæstionem hic esse de re duplicẽ & non de solo modo loquẽdi.

SCIENDVM *est*, propositam quæstionẽ quo ad rem ipsam duplicem proferre sensum. Vnus est: an pater & filius sint vnum principium Spiritus S. quo ad virtutem spirandi; quod est quærere de vnitate principij quo, vt patet *ex 1. dist. 11. a. 2. & 3.* vbi quæritur an Spiritus S. procedat à patre & filio in quantum sunt vnum in natura. Alter est, an pater & filius sint vnum principium D quod Spiritus S. ita vt sint vnum spirãs vel vnus spirator. In quo implicatur quæstio de proprietate constitutiua talis principij & de modo vnitatis, vt patet *ex 1. dist. 29. a. 3.* vbi quæritur, vtrum eadem notione pater & filius sint principiũ Spiritus S. Certum est autem D. Th. hic prima sua conclusione respondere de re significata per hoc nomen, *principium*, indifferenter ad vtrumque sensum prædictum; siquidem probatio procedit tam de virtute spiratiua, quam de proprietate constitutiua spiratoris, vt patet; Nam quo ad neutrum opponuntur pater & filius. Et quamuis secunda conclusio sit principaliter de propositione siue de modo loquendi: includit tamen, E vt congruæ loquutionis fundamentum rem significatam scilicet proprietatem relatiuam communem patri & filio: cuius vnitatem expresè & formaliter assumit probatio conclusionis: & ex ea tanquam ex re significata deducit prædictæ propositionis proprietatem & congruentiam. Primum autem argumentum cum sua responsione manifestè procedit de re & vtrumque complectitur scilicet virtutem & proprietatem. Ex quibus omnibus apparet primò quæstionem hic esse de re, & non de solo nomine aut modo loquendi. *Secundò* quæstionem de re duplicem esse, vt ante diximus. Quamobrem plures hic monẽt quæstiones expositores ad rem significatam pertinentes, qualis ea est quam tractat hic Cai. *circa resp. ad primum argum.* Et quamuis proposita quæstio in priori sensu, scilicet de virtute spiratiua, paruam ac nullam ferè videatur habere difficultatem, supposita duorum præcedentium articulorum doctrina, cum ijs, quæ supra *q. 28.* determinata sunt de numero relationum, & *q. 32. a. 3.* de numero notionum: si tamen S. D. institutum ordinatè & scientificè scribentis attendamus, necesse fuit, vt in hoc articulo veluti in propria sede quæstionem illam ex proprijs & (vt aiunt) ex professo determinaret. Difficultas etiã emergens ex parte principij quod non paucas & sinuosas speculantibus offert angustias, tàm ex virtute & proprietate spiratiua, quàm ex pluralitate suppositorum spirantium, quàm etiam ex numero diuinarum personarum, ne quarta constituatur in Deo persona, quæ sit & dicatur spirator, vt magis patebit ex dicendis in singulis ad hunc articulum controuersijs. Cum igitur prædictæ quæstioni annexæ sint intimè prædictæ difficultates: necesse est eam cõmuniter apud Theologos esse de re, non autem de solo nomine aut de solo modo loquendi.

Quapropter Vasq. qui de solo nomine quæstionem proponit *disp. 148.* aliam *in sequenti disputatione* de re quæstionem instituit: vbi quærit, an S. S. procedat à patre & filio, vt à duobus spiratoribus vi suæ processionis; quæ tamẽ ad exactam prioris determinationem est apprimè C necessaria. Denique Concilium Flor. *sess. vltima*, & Lugd. non de solo modo loquendi, sed de re ipsa quæstionem definiũt, vt etiam fatetur Vasq. Et licet quæstiones de modo loquendi non sint infructuosæ, sed ad rectam fidei confessionem & ad euitandos errores maximè necessariæ; hæc tamen non est inter huius generis quæstiones præcisè numeranda, ob rationes superius assignatas: & alias quas hic afferunt Ban. & Zum.

Forma Textus.

RESPONDET S. D. quæsito primò quo ad rem; deinde relata & reiecta quorundam opinione respõdet quo ad loquutionis proprietatem.

PRIMA CONCL. est. *Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.* Probatur. Pater & filius » in omnibus sunt vnum, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Sed in hoc quod est esse principium Spiritus S. non opponuntur relatiuè; ergo.

SECVNDA CONCL. *Hæc propositio est propria:* » *Pater & Filius sunt vnum principium Spiritussancti.* » Probatur primò ratione. Omnia substantiua numerũ accipiunt à forma significata; sed hoc nomen principium est substantiuum & eius forma significata est vna; ergo propriè dicitur pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. Maior patet. Minor probatur primò quo ad priorem partem; quia licet hoc nomen principium significet proprietatem, tamẽ significat eam per modum substantiui. Quod probatur in similibus; quia hoc nomen Pater & Filius, etiam in rebus creatis est substantiuũ; & tamẽ significat proprietatẽ. Quo ad secundã verò partẽ probatur; quia proprietas (nimirũ spiratio) hoc nomine principiũ significata vna est Patris & Filij. Secundò probatur conclusio à simili; quia Pater & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus; ergò similiter sunt vnũ principiũ Spiritus S. propter vnitatem proprietatis significatæ hoc nomine principium.

CON-

Controversia Secvnda.

Quid significet & pro quo supponat nomen principium in hac propositione; Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

Sententiæ Doctorum.

Refervnt hic recentiores sententiam Ochami & Gab. eius discipuli *ex primo sent. dist. 12.* qui dicunt quinque. *Primum* est. Sicut ex spiratione passiua & diuina essentia constituitur Spiritus S. ita ex actiua spiratione & diuina essentia constituitur spirator, siue principium spirandi Spiritum S. quod est quartum constitutum commune patri & filio, distinctum ab vtroque non re sed ratione tantum; à Spiritu S. vero propter relatiuam oppositionē distinctum realiter. *Secundum* est. Hoc constitutum non est quarta persona in diuinis; quia commune est patri & filio. *Tertium* est. Hoc, quod dico principium Spiritus S. non supponit immediatè pro patre & filio, sed pro dicto quarto constituto. *Quartum* est. Spirare conuenit formaliter & immediatè illi quarto constituto, ratione cuius dicuntur propriè pater & filius vnum principium Spiritus S. *Quintum* est. Quatenus hoc nomen spirator, siue principium Spiritus S. supponit mediatè pro patre & filio, pater & filius dici possunt plura principia Spiritus S. & plures spiratores. Sed ne simplicibus erroris præbeatur occasio, non est hic modus loquendi in vsum deducendus.

Mol. *disputatione secunda* sequitur eādem sententiam quo ad duo priora dicta, & addit alia duo. *Primum* est. Ratio spiratoris non ita est de intrinseca ratione patris & filij vt est essentia diuina. Sed quia spiratio actiua nihil cum patre & filio pugnat, quin potius eam sibi efflagitant: ratio spiratoris communis est per identitatem realem & formalem patri & filio, qui suapte natura eam sibi vendicant: estque vnum per se tàm cum patre, quàm cum filio. *Secundum* est *in disputatione 3.* Hæc vocabula, principium Spiritus S. spirator & spirans substantiuè sumpta supponunt indistinctè & vnica suppositione pro constituto ex essentia diuina & spiratione actiua, quod indiuiduum est subsistens patri & filio commune, & pro patre & filio siuè sigillatim siuè simul spectentur.

Val. tria dicit. *Primum* est. Principium Spiritus S. est vnum quiddam simplicissimum, quod constat ex persona patris & filij, & essentia diuina ac relatione spiratoris identificans sibi patrē & filium. *Secundum* est. Spiritus S. procedit quoque à patre & filio vt plures ac distinctæ personę subsistentes sunt. *Tertium.* Hoc nomen *principiū* vt nomen est singulare supponit determinatè pro vno illo simplicissimo, & hæc est maximè propria suppositio ei⁹: quia magis propriè est nomē singulare quàm commune. Vt autē id nomē habet conditionem nominis communis, sic supponit pro vtraque persona confusè & pro neutra determinatè. Et ex his latè ab eo declaratis profitetur se ad bonum sensum reducere omnes Theologorum sententias, etiam eas quæ cōmuniter reputantur absurdæ.

Tur. siue Canariensis dicit tria. *Primum* est. Non est asserendum quartum constitutum in diuinis, ne videamur etiam verbis insinuare quaternitatem personarum. *Secundum* est, Spirator nihil aliud est quàm spiratio seu virtus spirandi per se subsistens in concreto significata hoc nomine *spirator*, seu hoc nomine *principium Spiritus S. Tertium* est. In hac propositione, Pater & Filius sunt vnum principium Spirituſſancti illud nomen *principium* accipitur determinatè pro relatiuo communi Patri & Filio, & etiam confusè pro patre & filio simul.

Vasq. duo dicit. *Primum.* Cum dicitur, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus S. nomen principij non supponit indeterminatè, sicut terminus homo in hac propositione, homo currit: sed singulariter, sicut terminus Deus in hac, Pater & Filius sunt vnus Deus. Cum enim dicimus, Pater & filius sunt vnum principium spirandi; perinde est ac si dicamus, sunt hoc principium spirandi; quia principium spirandi vnum tantum est. *Secundum* est. Spirator non constituitur ex essentia & spiratione actiua veluti ex proprietate contrahente, vt voluit Gabriel: sed spirator est natura cum proprietate communi spirandi, connotando suppositа in obliquo, non hoc aut illud particulare.

Caiet. hic *circa resp. ad 4. & quintum* ait regulam illam; sub prædicato confuso licet descendere ad eius singularia per propositionē de disiuncto extremo; non habere locum vbi sub prędicato non sunt plura singularia, sicut in re proposita; nam singulare principij non est pater aut filius, sed hoc principium quod vnum numero est. Quibus verbis videtur significare nomen hoc principium dictum de patre & filio supponere pro illo communi singulari, qui est spirator. Quam sententiam sequitur Iauel. dicens, hic non esse suppositionem communem mobilem sed immobilem: cum hic non sint plura singularia principij, ad quæ possit fieri descensus.

Capr. *in 1. distinct. 12. quæst. 1.* ait *primò* nomen illud principium supponere confusè & immobiliter, cum habeat copulatum subiectum; sicut etiam ista, Parisijs & Romæ venditur iste piper; & ideo (inquit) non licet descendere disiunctiuè, quia esset fallacia figuræ dictionis à suppositione confusa ad determinatam; & ideò non valet, sunt principium, ergò sunt hoc vel hoc principium. *Secundò* ait licere descendere disiunctim sic, ergò Pater & filius sunt hoc vel hoc principium, demonstrando per primum hoc vnam personam, & per secundum hoc aliam. Ex quo apparet Capr. sensisse nomen hoc principium supponere primò & immediatè pro personis patris & filij vt sunt spirantes, non autem pro singulari vtrique communi, qui est spirator; quamuis affirmet idem nomen significare formam, quæ non plurificatur scilicet spirationem.

Bannes tria dicit. *Primum* est. Spirator non est quartum constitutum ex essentia & spiratore. *Secundum* est. Sicut cum dicimus, pater & filius & spiritus sanctus sunt vnus Deus, idem Deus & hic Deus prædicatum Deus accipitur, & supponit pro vno singulari illius termini concreti, qui est hic Deus: ita cum dicimus, pater & filius sunt vnum principium spirituſſancti, verificatur propositio de hoc principio singulari relatiuo quidem ad spiritum sanctum, sed communi patri & filio; quemadmodum hic Deus singulariſſimus communis est tribus personis. *Tertium* est. Prædicatum illud *principium* habet suppositionem confusam in hoc sensu, quod accipitur pro aliquo multis communicabili indistinctè. Vnde cum dico, pater & filius

filius sunt vnum principium, quod est pater, re- A latiuum illud *quod* dupliciter potest accipi. Vno modo copulatiuè, vt sit sensus, pater & filius sunt vnum principium, & illud est pater: & sic est vera propositio. Alio modo dictio illa, *quod*, accipitur restrictiuè respectu prædicati, vt scilicet totum hoc sit vna propositio cathegorica, pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. quod est pater, cuius prædicatum sit vnum principium, quod est pater: & in hoc sensu falsa est propositio & negatur à D. Thom. *in respons. ad 4.*

Zum. dicit sex. *Primum.* Nullo modo debemus affirmare quartum constitutum distinctum B à patre & filio & Spiritu sancto. *Secundum.* Spiratio constituit relatiuum tantum, & ideò habet officium puræ relationis iam aduenientis personæ constitutæ; & idcirco nullo modo præintelligitur origini ipsius Spiritus S. *Tertium.* Spirator prout est formaliter quid relatiuum, non potest immediatè supponere nisi pro patre & filio, diuerso tamen modo, quàm principium Spiritus sancti vt sic: Nam principium Spiritus S. dicit patrem & filium, vt habent eandem voluntatem, & conueniunt in hoc modo habendi illam scilicet absque processione voluntatis; hoc namque est habere vnam virtutem spirandi. At verò spirator relatiuè supponit pro patre & filio vt sunt vnum in relatione spirationis; quia de formali C significat relationem, connotat verò quasi subiectum ipsius relationis immediatum patrem & filium; non enim intelligitur (inquit) hæc relatio immediatè coniuncta essentiæ; sed vt immediatè in patre & filio. *Quartum* est. Principiũ Spiritus sancti supponit pro patre & filio simul, & pro vnoquoque eorum seorsum; ita vt neque habeat tantum suppositionem confusam vel collectiuam, neque tantum determinatam; sed vtrãque simul. *Quintum* est. Rationabiliter conceditur quod in sæpe dicta propositione nomen illud, *principium*, accipitur determinatè pro spiratore; nam sicut Deus est communis patri & filio, ita & spirator: & sicut non sunt plures Dij, ita D nec plures spiratores nec plura principia. *Sextum* est. In his propositionibus pater & filius sunt vnum principium Spiritus *S.* seu idẽ principium, aut hoc principium, prædicatum habet suppositionem confusam; quia accipitur pro aliquo multis communicabili indistinctè. Et sicut in his propositionibus, pater & filius & *Spiritus S.* sunt vnus Deus, hic Deus, & idem Deus prædicatum accipitur, & supponit pro vno singulari illius termini concreti, nempè hic Deus; ita cum dicimus, quòd pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, supponit dictio illa, principium, pro hoc principio singulari relatiuo quidem ad Spiritum *S.* sed communi Patri & Filio.

Suar. lib. 10. de Trin. dicit quatuor. *Primum cap.* 4. Sententia Ocham. & Gab. de quarto consti- E tuto quòd sit immediatum principium Spiritus sancti, falsa est. *Secundum in 7. cap.* Prædicatum illud spirator aut principium nõ habet vim termini collectiui, vt ideo supponat pro patre & filio simul, vt videtur hic docere D. Thom. & Caiet. & Capr. *in 1. dist. 7. & 12. quæst. 1.* dicentes prædicatum illud supponere confuse & immobiliter ratione illius particulæ, &, positæ ex parte subiecti. *Tertium* spirator immediatè ac determinatè supponit pro subsistente in hac virtute spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat singularitatem: ex parte verò subsistentiæ communiter & confusè dicat subsistens in illa virtute cum conditione sufficienti ad spirandum: & ideo potest de patre & filio, tam simul quàm sigillatim prædicari: quamuis de patre & filio simul nulla persona determinatè vt talis est, possit prædicari. *Quartũ. Si* sumatur spirator pro illo principio, quod includit nõ solum totam virtutem, sed etiam omnem conditionem adequatè necessariam in principio *Spiritus S.* supponit pro patre & filio simul, vt ait D. Th.

Ripa sententiam sic approbat Cap. & Cai. vt opinionem simul amplectatur Mol. de constitutione spiratoris tanquam à D. Th. doctrina minimè dissonantem.

Sensus quæstionis.

QVAESTIO hæc non est de principio, quo spiratur *Spiritus S.* de hoc enim nulla est inter orthodoxos controuersia; consentiunt enim omnes *Spiritum S.* procedere à Patre & filio, in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, vt hic ait *San. Doct. ad primum.* De quo vide si placet *Suar. lib 10. cap. 5.* latè differentem. Sed quæstio est de principio, quod spirat *Spiritum S.* an scilicet sit vnum aliquod subsistens constitutum ex spiratione & essentia, aut quouis alio modo; an autem sit pater & filius vt habentes spirandi potentiam, & pro quo supponat nomen hoc principium.

Resolutio. Principium quod Spiritus sancti, siue spirans constituit vnum subsistens ex essentia, & communi proprietate scilicet spiratione.

IN HAC verò difficultate attigisse me veritatis punctum existimauero, si definitionem eius ex Angel. nostri D. mente protulero. Sunt autem plura eiusdem *S.* D. asserta mentem eius nõ obscurè significantia. Primum est *in primo sentent. dist. 29. art. 4.* vbi sic ait. *Vna ergo numero notio est patris & filij, secundum quam principium Spiritus sancti dicuntur*: & quibusdam interpositis: *Cũ igitur communis spiratio nominet specialem rationem principij, secundum specialem modum originis, impossibile est, quòd sit nisi vna numero in patre & filio.* Hæc ibi. Ex quibus verbis satis apertè colligitur spirationem actiuam, prout est notio & relatio, esse rationem specialem principij, id est specialiter constitutiuam principij, & secundum eam patrem & filium dici principium *Spiritus S.* sicut dicimus paternitatem esse specialem rationem principij, quod est pater, id est specialiter constitutiuam, & secundum eam patrem dici principium. Quod patet etiam ex quæsito in illo articulo; quærit enim, *vtrum eadem notione pater & filius sint principium*: quod est quærere: vtrũ eadem notione, quæ est relatio, constituantur in esse principium *Spiritus S.* igitur responsio intelligenda est etiam de ratione cõstitutiua principij. In distinctione autem vndecima, *articulo 2. & 3.* ita loquitur *S. D. Pater & filius spirant spiritum sanctum in quantum sunt vnum in potentia spiratiua, quæ dicit aliquid quasi medium inter essentiam, & proprietatem: eò quòd dicit essentiam sub ratione proprietatis: sic enim actus notionalis ab essentia egreditur; generatio enim ab essentia non egreditur in quantum est essentia, sed in quantum est paternitas. Et si ista scilicet essentia, & paternitas differrent in diuinis, egrediretur generatio ab vtroque; sed à paternitate immediatè, & ab essentia sicut à primo principio. Similiter dico, quòd spiratio egreditur ab essentia, non sicut à spirante, sed sicut à principio spirationis, in quantum habet rationem alicuius notionis, quæ est communis patri, & filio, quæ dicitur communis spiratio. Et ita spiratiua potentia dicit essentiam sub ratione talis proprietatis. Et ideo dico, quòd procedit spiritus sanctus à patre, & filio, in quantum sunt vnum in essentia, & in aliqua notione, scilicet cõmuni spiratione.* Hæc ibi S. Tho-

mas

mas. Vbi perspicuè docet primò ante actum spi-
rationis in essentia, & consequenter etiam in pa-
tre & filio modo nostro concipiendi intelligi
notionem communem Patri & filio, quæ dicitur
communis spiratio: Sicut in persona patris ante
actum generationis concipitur notio siue rela-
tio paternitatis, qua pater constituitur in esse pa-
tris, vt sit principium generationis; alioquin
vana & inutilis esset comparatio inter paternita-
tem & spirationem: nec verè ac propriè dicere-
tur spiratio egredi ab essentia, sicut à principio
spirationis, in quantum habet rationem alicu-
ius notionis, &c. sed potius ideo habere rationẽ
alicuius notionis, quia ab ea egreditur actus, si
notio non præcedit sed consequitur actum. Et
præterea certum est spiratiuam potentiam in pa-
tre & filio præcedere actum spirandi; igitur et-
iam relatio spirationis, sine qua non habet essen-
tia rationem potentiæ spiratiuæ. Sicut ergo in
spiratiua potentia, quæ est principium quo, præ-
intelligitur spiratio vt notio & relatio, ante spi-
rationem vt actio est: ita in spirantibus siue spi-
ratore, scilicet patre & filio, quibus conuenit
prædicta potentia & per eam actus spirandi, pri-
us intelligitur spiratio vt notio & vt relatio spi-
ratoris constitutiua, quàm eadem vt actio ex
spiratiua potentia prouenies. Sicut enim potẽ-
tia præcedit actũ, ita & multò magis id est prin-
cipalius ipsum agens. Idem confirmant ea ver-
ba præsentis articuli, *ly principium significat pro-
prietatem per modum substantiæ; sicut ly pater, &
filius in rebus creatis. Vnde numerum accipit à forma
significata, sicut alia substantiua, &c.* Et in primo
sententiarum idem expressius affirmat; igitur
forma constitutiua principij in esse principij est
relatio spirationis; ergò præintelligitur actui spi-
rationis. Probatur illatio; quia principium om-
ne cum sua propria forma præcedit actum suum,
si non tempore vel natura saltem cogitatione; a-
lioquin nec esset nec intelligi verè posset esse
principium: cum de ratione principij sit ordo
ad id, quod ex eo procedit. Docet præterea S.
D. in dictis verbis in ratione spiratiuæ potentię
claudi essentiam & relationem ad Spiritum S. i-
gitur multò magis in ratione spiratoris, cuius
est spiratiua potentia, vtrumque clauditur: at in
spiratore secundum propriam & formalem ra-
tionem spiratoris (quidquid sit de conditione)
nihil aliud intelligitur, quã essentia diuina sub-
sistens & relatio spirationis; ergò spirator con-
stituitur ex essentia & relatione spirationis. Ad
cuius euidentiam.

Secundò considerandum est ex D. Th. *in primo
sent. dist. 11.* Spiritum S. procedere à patre & filio
in quantum sunt vnum, & in quantum sunt plu-
res. Si quidem omnis actio ad duo refertur ori-
ginaliter, nimirum ad agens, quod est ipsum sup-
positum, & ad principium actionis, quod est a-
liqua forma in ipso substantialis vel accidenta-
lis. Dictio igitur illa *in quantum* potest dicere si-
ue specificare conditionem agentis, vel princi-
pium actionis. Si dicat conditionem agentis: sic
procedit Spiritus S. à patre & filio, in quantum
sunt plures & vt distinctæ personæ. Si autem di-
cat conditionem principij actionis; sic procedit
ab eis, in quantum sunt vnum; quia cum vna o-
peratio non sit nisi ab vno principio, oportet a-
liquid esse vnum in patre & filio, quod est prin-
cipium huius actus, quod est spirare, qui est v-
nus & simplex, quo vna & simplex persona spi-
ritus sancti procedit. Hæc fere ad verbũ D. Th.
Ex quibus apparet in principio quod spiratiuo duo considerari. *Vnum* est ratio formalis
ipsius principij constitutiua, quam S. D. ait esse
formam substantialem vel accidentalem: hæc
autem in re proposita est essentia cum notione
spirationis. *Alterum* est conditio agentis scilicet
spirantis vel spiratoris: hæc verò est pluralitas
personarum; eo quòd Spiritus sanctus procedat
vt amor mutuus & nexus duorum. Itaque si so-
lam rationem formalem principij spiratiui siuè
spiratoris attendamus; dicendum est spiratorem
ex essentia vt subsistente, & relatione spiratio-
nis constitui. Nam quemadmodum Spiritus S.
ex relatione spirationis & essentia vt subsistente
constituitur in suo esse personali relatiuo ad spi-
ratorem; ita spirator eius correlatiuum oportet
vt constituatur in esse spiratoris ex essentia vt
subsistente, & relatione quæ est actiua spiratio.
Et confirmatur; quia sicut processio quæ rela-
tio est constitutiua Spritus sancti, in sua intrin-
seca ratione & completo conceptu includit es-
sentiam vt subsistentem & relationem: ita & spi-
ratio & quælibet alia relatio diuina; igitur sicut
paternitas & pater subsistens est, ita spiratio &
spirator. Quòd autem spirator non sit persona
cui conuenit incommunicabilis subsistentia,
hoc ideò est; quia nullam habet oppositionem
relatiuam ad patrem & filium, & propterea idem
est realiter cum vtroque. Sed hoc non tollit
prædictam spiratoris rationem formalem con-
stitutiuam, nec eius subsistentiam: Sicut identi-
tas Dei cum tribus non tollit à Deo proprium
& formale Dei constitutiuum, nec eius subsi-
stentiam, sed eam dumtaxat statuit esse pluri-
bus personis communem: aliud est enim esse
subsistens, & aliud esse incommunicabile. Et
quemadmodum Deus vnum est indiuiduum &
singulare subsistens pluribus commune, non
ponens in numerum cum tribus personis: ita
spirator singulare quoddam est & indiuiduum
subsistens duabus personis commune, scilicet
patri & filio, cum eis non ponens in numerum.
Sicut enim in Deo ratio deitatis non diuiditur
vt sit multiplex; ita nec ratio spirationis in spi-
ratore diuiditur: & ideò rectè dicitur indiui-
duum.

Tertiò considerandum est, quamlibet ex quatu-
or relationibus diuinis immediatum habere re-
spectum vnitatis per se, & identitatis cum es-
sentia; adeò vt quamuis modo nostro concipi-
endi prius intelligantur paternitas & filiatio in
essentia Dei, quam spiratio passiua; non tamen
intelligitur aduenire passiua spiratio deitati me-
diante paternitate & filiatione, sed immediatè,
vt per se vnum & idem cum natura diuina. Non
enim existimandum est illum esse ordinem inter
diuinas relationes & essentiam in Deo, quem ha-
bent gradus metaphysicales ad inuicem & ad ip-
sum ens: ita videlicet vt quemadmodum sensi-
tiuum aduenit enti medio viuente, & rationa-
le medio sensitiuo; ita spiratio actiua vel pas-
siua intelligatur aduenire deitati media paterni-
tate & filiatione. Falsa est enim hæc imaginatio;
nam vt ante diximus, quælibet diuina relatio in-
timè claudit essentiam: & cum ea immediatè ac
per se vnitatem habet & identitatem realem &
formalem à parte rei. Et quoniam spirator vt
sic nullam habet relatiuam oppositionem ad pa-
trem aut filium: idcircò spirator vnum est reali-
ter & formaliter à patre rei cum patre & filio:
qui ex proprijs suis rationibus vnitatẽ per se sibi
vendicant cũ spiratore; tũ propter secundã vtri-
usq; .s. patris & filij volũtatem; tùm propter eã
communem rationem, quòd amor procedit à
voluntate intelligentis media conceptione. Nõ

tamen

tamen intrinsecè clauditur ratio spiratoris in rationibus patris & filij; cum ante relationem spirationis in Deo cogitatam completè constitutas intelligamus personas patris & filij ex communi diuinitatis essentia & proprietatibus relatiuis, scilicet paternitate & filiatione. A

Hæc verò, quæ hucusque diximus, procedùt de spiratore considerato secundum eius rationē formalem constitutiuam. Si verò conditionem eiusdem spiratoris attendamus, pluralitatem scilicet personarum, quasi ad eius integrum conceptum & complementum pertinentem.

Quartò dicendum est spiratorem quodammodo constitui ex essentia, spiratione & duabus personis, scilicet patris & filij, vt bene probat hic Val. & patet ex dictis; quoniam Spiritus sanctus necessariò procedit à patre & filio, vt vnum sunt in virtute spiratiua; igitur Spiritus sanctus procedit à patre & filio, vt sunt vnus & idem spirator; ergò in ratione spiratoris clauduntur necessariò pater & filius vt personæ spirantes: quarū pluralitas rationem habet conditionis per se requisitæ in spiratore. Et quemadmodum Petrus est immediatè intelligens vt quod: & eius etiam anima, quia subsistens est, immediatè intelligit vt quod: ita spirant immediatè pater & filius, & nihilominus etiam spirator est immediatè spirans, loquendo etiam de spiratore in priori sensu; atque ita dicentes Spiritum S. à patre filioque procedere, non negamus sed hoc ipso affirmamus illum à spiratore procedere, cum à patre & filio non procedat Spiritus S. nisi quatenus vnum sunt in virtute spiratiua: ac proinde vt vnus & idem spirator sunt. B C

Explicatur duplex suppositio huius nominis principium siue spirator, & conciliantur sententiæ.

Quintò obseruandum est, nomen hoc principiū dictum de patre & filio rationem habere nominis singularis, & simul etiā nominis cōmunis: sicut hoc nomen Deus, vt inquit S. D. *infra q. 39. a. 4. ad 1.* Nam cum terminis singularibus in hoc conuenit, quòd forma significata non multiplicatur; cum terminis verò communibus conuenit in hoc, quòd forma significata inuenitur in pluribus suppositis, magis tamē habet de ratione termini singularis, quàm communis. Nam vt terminus sit singularis, sufficit vt eius significatum non multiplicetur, sed sit vnum numero; vt autem sit communis, propriè loquendo, requiritur pluralitas formæ significatæ, siuè proprij significati; nec sufficit quæuis pluralitas rerum, quibus forma vel res significata sit communis. Cum itaque nomen hoc, *principium*, dictum de patre & filio, vnam habeat formam significatam scilicet spirationem, vt affirmatur in textu; quāuis hæc pluribus sit personis communis; non erit nomen principij vel spiratoris magis cōmune, quàm singulare, sed è contra. Quatenus igitur nomen principij siue spiratoris est singulare, determinatè significat spiratorem & pro eo supponit; vt verò communis termini rationem habet, supponit confusè, vt ait S. D. *hic ad 4.* pro duabus personis simul; quia scilicet sub hoc communi, quod est principium, non semper licet ad patrem aut filium determinatè descendere, sed potest vel vterque vel alter eorum supponi, prout exigit propositionis natura vel eius subiectum, in qua prædicabitur hoc nomen principium. In hac enim propositione, Pater est principium, sola determinatur persona patris, de qua prædicatur esse principium. In hac verò, Pater & Filius sunt principium Spiritussanctus quia de vtraque prædicatur nomen principij, vtraq; simul determinatur. Itaque nomen illud, *principium*, suppositionem habet secundum se pro vtraque persona confusam: non in eo sensu, vt tam pater quàm filius seorsum sit illud omne, quod significat hoc nomen principium Spiritus sancti; alioquin pater esset filius & è cōtra; sed id de quo prædicatur principium vel vtraque vel altera potest esse persona, prout enunciationis subiectum vel ratio postulauerit, vt ante diximus. D

Nec quærendū est signum siue particula confusiua illius termini, principiū cùm sit naturalis cuilibet cōmuni termino confusa suppositio, vt notat Capr. *in 1. dist. 12. q. 1.* & hic aduertit Cai. & elicitur ex simili doctrina D. Th. *in 3. sent. dist. 1. q. 2. a. 4.* quin potius inquirendum est distinctiuum siue determinatiuum, quando distinctè supponit aut significat aliquod inferiorum; vt si dicam, homo Petri filius ambulat, nomen illud homo, quod ex se confusè supponit, contrahitur per illam particulam, Petri filius, ad standum determinatè pro hoc homine.

Et ex his sequitur malè Suar. *in d. c. 7.* imposuisse D. Thom. quod docuerit in responsionibus ad argumenta nomen illud *principium* vim habere termini collectiui, & ideo supponere pro patre & filio simul; nihil enim vnquam simile dixit, aut ex eius doctrina iam satis explicata deduci potest. *Calumnia Suarez. reijcitur.*

Plura de dicti nominis confusa suppositione tradunt Capr. *vbi sup.* Ban. Zum. & Ripa *super hoc a. c. 1.* & alij, quos lege si placet. E

Postremò aduerte, sententias expositorum supra relatas ex maiori parte verbis esse magis quàm sensu differentes. Nam quoad 4. illud cōstitutum, in quo præcipua videtur esse dissensio, Turrianus qui primus illud impugnauit, affirmat spiratorem esse spirationem per se subsistentem in concreto significatam determinatè hoc nomine spirator, seu hoc nomine principiū: negat autem quartum constitutum, ne ponatur quaternitas in diuinis. Quod idem significat Ban. *in 1. dicto*, Zum. *in 5. & 6.* Vasq. *in 1.* & Suar. *in 3.* Iam autem ostendimus quartum illud constitutum non esse personam, neque ponere in numerum cum alijs personis, & tamen esse subsistens ac singulare: sicut hic Deus. Non erat igitur quaternitatis in Deo timenda consequentia ex dicto 4. constituto; quod eadem ratione Caiet. noster affirmaret, qua singulare deitatis concretum essentialiter subsistens .s. hunc Deum tribus personis siue personalibus subsistentijs realiter identificatum affirmat: sequelam ex eo negans quaternitatis in diuinis. *Conciliantur sententiæ.*

De suppositione verò eiusdem nominis minor adhuc est inter expositores dissonio, vt videre est ex relatis eorum dictis. Nam qui communem asserunt spiratorem relatione constitutum, consequenter etiam affirmant nomen spiratoris siue principij habere primò suppositionem singularem pro illo singulari communi subsistente: secundò confusam pro suppositis, quibus est communis. Qui verò negant illud commune subsistens, non omnes negant in eo nomine suppositionem singularem & determinatam; nam Torres & alij eam admittunt.

PRIMA CONCL. *Ex diuina essentia & spiratione, prout est relatio concepta ante omnem actum spirandi, constituitur spirator siue principium spirationis vt quod, quantum ad omnem eius rationem formalem.* Hanc superius explicauimus & pluribus argumentis stabiliuimus; & probat ac defendit eam Mol. *in d. disp. 2.* *Conclusiones deductæ & probatæ.*

SECVNDA CONCLVS. *Sumendo spiratorem, non solum quo ad omnem eius rationem formalem, sed*

» *sed etiam quo ad conditionem per se requisitam,* A
» *quæ est pluralitas suppositorum, constat non so-*
» *lum ex essentia & spiratione, sed etiam ex patre &*
» *filio.*

» TERTIA CONCL. *Spirator æquè immediatè*
» *spirat, sicut pater & filius: & è contra.*

» QVARTA CONCL. *Nomen spiratoris aut prin-*
» *cipij, quod est commune patri & filio, significat deter-*
» *minatè singulare subsistens commune patri & filio,*
» *quod ex essentia & relatione spirationis constituitur;*
» *& pro eo supponit determinatè: supponit autem con-*
» *fusè pro patre & filio, modo superius explicato.*

Argumenta, & solutiones. CONTRA *primam* concl. argum. Ban. *Primò;* quia ponit quaternitatem in diuinis. *Secundò;* B
Obi. 1. cont. 1. concl. quia sequitur Spiritum S. non immediatè procedere à patre & filio, sed ab hoc quarto constituto, contra sacram scripturam *Ioannis 15.* dicentem Spiritum S. procedere à Patre & Filio, non autem ab hoc quarto constituto. *Tertiò;* quia sequitur, quòd Spiritus sanctus immediatè à nulla
Solut. persona procedat, sed ab hoc quarto constituto, quod non est persona. *Resp. ad primum* nullam esse consequentiam loquendo de quaternitate rerum realiter distinctarum, quomodo definit Later. Concilium *in capit. Damnamus, de summa Trin. & fide Catholica,* non esse in Deo quaternitatem. Si verò sub distinctione deducat, videlicet realiter, C
aut saltem formaliter distinctorum, certum est esse quaternitatem in diuinis; cum in Deo sint quatuor relationes reales; quamuis vna scilicet Spiratio non sit realiter sed virtualiter tantum à duabus, scilicet paternitate & filiatione distincta; reliquæ verò tres realiter ab inuicem distinguantur. *Ad secundum* iam dictum est æquè immediatè procedere Spiritum S. à patre & filio & à spiratore, qui cum eis non ponit in numerum, sed idem est realiter cum vtroque; nec oppositum habetur ex scriptura. Et per hæc soluitur etiam *tertium argumentum.*

Obi. in oratione 2. *Contra eandem* concl. & simul etiam contra quartam argum. Zumle. & post eum Suar. *Primo.* Pater & filius non spirant nisi vt constituti per paternitatem & filiationem & essentiam communem, ergò principium Spiritus S. dictum de patre & filio, non supponit nisi pro constituto ex paternitate & filiatione, & non pro constituto communi ex aliqua proprietate & essentia diuina. Patet antecedens & cõsequentia: quoniam hæc proprietas non potest esse nisi spiratio actiua; sed hæc non potest constituere principiũ Spiritus S. vt sic; quia hæc nõ supponitur productioni Spiritus S. sed potius ex illa resultat no-
Conf. stro modo intelligendi. *Confirmatur* (inquit Zum.) quia principium vt sic non dicit relationem, sed illud suppositum, à quo alius producitur: at Spiritus S. producitur à Patre & filio, vt vno principio; ergo. *Resp.* falsum esse antec. Et cum
Solut. dicitur spiratione actiuam non posse cõstituere principiũ Spiritus S. quia nõ præsupponitur productioni Spiritus S. respondetur id falsum esse. Nã quemadmodum paternitas, prout est relatio concepta, præcedit generationem & constituit patrem; quamuis vt exercita consequatur actum generationis: ita spiratio vt concepta præcedit productionem Spiritus Sancti, & constituit spiratorem: licet vt exercita spira-
Ad confir. tionis actum consequatur. *Ad confirmationem* negatur antecedens. Principium enim vt quod dicit relationem vt subsistentem: sicut hoc principium filij quod est Pater dicit relationem paternitatis vt subsistentem. Et quamuis principium Spiritus sancti, qui est spirator, includat patrem & filium modo superius explicato: significat tamen indiuiduum siue singulare subsistens vtrique commune.

Replicant Zumel. & Suarez. *Sed hanc responsionem* impugnant Zumellus & Suar. *Primò;* quia paternitas est constitutiua personæ patris; neque ante illum est suppositum, quod possit operari: at verò spiratio supponit personam constitutam, quæ potest operari: vnde non constituit personam, sed relatiuum tantum; ergò nullo modo præintelligitur origini Spiritus Sancti, sicut paternitas generationi, sed longè est diuersa ratio. *Quod probat etiam* authoritate D. Thom. *infra quæst. 40. art. 4.* vbi sic loquitur: *Origo actiuè significata prior est secundum intellectum, quàm relatio personæ originantis, quæ non est personalis; sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam communem patri, & filio. Sed proprietas personalis patris potest considerari dupliciter. Vno modo vt est relatio: & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem. Alio modo secundum quòd est constitutiua personæ, & sic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Hæc D. Thom. Ex quibus apparet relationem spirationis omnibus modis præsupponere spiratorem, non autem eum constituere; alioquin nulla esset illa differentia, quàm ibi statuit S. D. inter prædictas relationes. *Respond.* nullam esse consequentiam. *Solut.* Nam licet spiratio non constituat personam, sed supponat duo suppositа constituta scilicet patrem & filium; constituit tamen spiratorem modo superius explicato. *Ad authoritatem D. Th.* dico in illo articul. quæri principaliter ordinem inter actus notionales & proprietates personales; id enim pertinebat ad vltimam determinationem difficultatis motæ in præcedentibus articulis de cõstitutiuis personarum, ad quã nihil conferebat distinctio spirationis vt relatio & vt constitutiua: & ideò non fuit ibi solicitus de applicatione huius distinctionis ad relationem spirationis, sed ea omissa transijt ad personalem proprietatem patris. Comparando namque spirationem ad suppositа, de quorum constitutiuis ibi loquitur S. D. certum est eam consequi, non præcedere; quamuis spiratoris sit cõstitutiua. Secundò dico relationem spirationis consequi ad originem sumptam ratione suppositi originantis, quod est ipsum suppositum, siue sit vnum siue plura, præcedere spirationem; quod verum est; nam suppositа patris & filij præcedunt communem relationem spirationis.

Obi. 3. *Secundò* sic arguit. In creaturis relatio paternitatis nullo modo præintelligitur generationi; quia non constituit personam quæ generat, sed præsupponit illam iam constitutam. Et pariter, si in æterno patre intelligeremus proprietatem absolutam constitutiuam personæ, paternitas nullo modo præintelligeretur generationi; & tunc principium generationis vt sic non supponeret pro constituto per paternitatem, sed per illam proprietatem absolutam; at ita se habet nunc spiratio respectu pa-
Solut. ternitatis & filiationis; ergo. *Respond.* nullam esse consequentiam & longè disparem esse rationem; nam relatio paternitatis in creaturis non est intrinsecè subsistentia, sicut relatio diuina, qualis est spiratio: & ideo quamuis spiratio præsupponat personas patris & filij, constituit tamen singulare subsistens vtrique personæ commune. Ad illam autem conditiona-

lem; *si in æterno Patre*, &c. dico propositionem illam esse impossibilem, & ad illam duo sequi contradictoria per intrinsecam consequentiam. Nam si persona patris per absolutam proprietatem constitueretur, sequeretur patrem non esse consubstantialem filio, & consequenter patrem non esse patrem. Sequela probatur; quia distinguerentur pater & filius per absoluta; ac proinde per essentiam; igitur filius procederet à patre diuersus in essentia sicut creatura: cui non nisi metaphoricè conuenit filiatio.

Obiectio 4. *Tertiò.* Principium quo istarum processionum est essentia cum relatione constitutiua personæ producentis; ergo cùm iam suppositum est constitutum cum sufficienti principio quo, vt est essentia vel voluntas, intelligitur sufficiens principiũ productionis in tali natura; igitur eo ipso, quòd pater & filius intelliguntur esse constituti vt completa suppositа diuinæ naturæ, intelligũtur vt sufficiens principium cuiusque actionis & productionis possibilis, tam creationis quàm spirationis; ergò principium Spiritus sancti vt sic dicit ipsum patrem & filium immediatè, vt sunt vnum in virtute spirãdi, & non constitutum per relationem spirationis. *Resp.* falsum esse antecedens formaliter & precisè sumptum. Nam vt supra diximus ex D. Th. principium quo processionis Spiritus S. est essentia sub ratione communis notionis, quæ est spiratio. Et quemadmodum generatiua potentia dicit essentiam sub ratione paternitatis: ita spiratiua potentia, quæ est principium quo, dicit essentiam sub ratione spirationis; igitur principium quod erit spirator constitutus ex essentia & spiratione. Quomodo verò in spiratore claudantur Pater & filius, satis explicauimus.

Soluit.

Obi. 5. *Contra eandem* conclus. argum. Suar. Idem est sufficiens & immediatum principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum; ergò sicut pater vt constitutus sua proprietate personali immediatè generat, ita etiam immediatè spirat; & è cõuersò sicut non potest dari constitutum commune immediatè producens per intellectum, ita nec per voluntatem. Conseq. clara est. Antecedens patet; quia amor procedit ex cognitione: vnde idem est amans qui est intelligens; ergò idem etiam immediatè producit amando qui producit intelligendo. Et eadem (inquit) ratio cum proportione est ad filium applicanda; quia licet ille non sit principium productionis per intellectũ, quia per illam accipit esse; tamen supponitur persona intelligens ante productionem per voluntatem; ergo iam constitutus per suam proprietatem sicut immediatè amat cum patre, ita etiam immediatè producit per illum amorẽ quicquid naturaliter produci potest. Patet consequentia; quia iam habet volũtatem & amorem cum prioritate originis ad processionem voluntatis; ergò habet cum tota fœcunditate, & cum omnibus requisitis ad illam productionem. Non igitur constitutum aliquod commune, sed pater & filius immediatè spirant. *Resp.* idem esse sufficiens & immediatũ principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum; sed non secundum eandem potentiam, quæ est essentia cum relatione; nam pater est principium generationis per essentiam, prout est paternitas: productionis autem Spiritus sancti per eandem essentiam, prout est spiratio. Et quia essentia & relatio in Deo est subsistens, ideo pater vt pater est, principium est immediatum productionis filij: vt spirator autem est principium immediatum productionis Spiritus S. Et idem dicendum est de filio, qui per spiratiuam potentiam, quæ est essentia, voluntas & spiratio, producit Spiritum sanctum vt principium eius proximum & immediatum. Ad argumentum ergo admisso antecedente in bono sensu, negatur consequentia; quia licèt sit idem principiũ, alia tñ & alia est potẽtia siue principiũ quo producit: & consequẽter alioconstituitur in esse patris & alio in esse spiratoris: quãuis vtriusque productionis sit immediatum principium, vt ante diximus. Secundò negatur antecedens formaliter sumptum; quia non est idem principium secundùm eandem potentiam, & consequenter non est idem principium quo, ac proinde non est eadem ratio formalis principij, licet sit idem principium materialiter i. idem suppositum producens: quod tamen non est totum id quod est principium; cùm plura includat principium spirationis quàm pater, vt patet ex dictis.

Obi. cõtra 2. conc.

CONTRA *secundam* concl. argum. Mol. Non datur tertia ratio, quæ intrinsecè includat rationem spiratoris & patris & filij, quasi ex illis nostro modo intelligendi coalescens: eo pacto quo ex essentia & paternitate constitui nostroque intelligendi modo quasi coalescere ratio patris intelligitur; ergo &c. *Resp.* dari tertiam rationẽ, quę est ratio spiratoris, in qua clauditur essentia, spiratio, pater & filius modo superius explicato. Sicut etiam in vna ratione Dei clauditur essentia, relationes & personæ.

CONTRA *tertiam* concl. eadem ferè militant argumenta, quæ contra primam.

Obi. contra 4. concl.

CONTRA *quartam* sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Capr. Cai. & alij expositores D. Thom. *super hoc a.* Contra eandem concl. argum. Vasq. In Deo est tantum vnum principium, nec plura sub illo assignari possunt; ergo nomen illud principium non supponit confusè. Anteced. probatur; quia sub eo non possunt assignari pater & filius tanquam singularia illius, tametsi sint illius nominis connotata. *Resp.* nullam esse conseq. eo quòd nomen principij, sicut hoc nomen Deus, vim habet termini singularis: & secundùm hanc rationem plura sub illo singularia non possunt assignari: habet etiã vim termini cõmunis: & secundùm hanc rationem in pluribus inuenitur suppositis, pro quibus confusè supponit, vt ostendemus infra *q. 39 a. 4.* Hanc suppositionem quidam dicunt esse non Logicam, sed Philosophicam. De hac legendi sunt Ban. & Zumel. *super hoc art.*

De sententia Durandi & Arimin. nihil diximus, quia sufficienter fuit à recentioribus confutata.

TERTIA CONTROVERSIA.

An principium quod spiratiuum per se ac necessariò postulet pluralitatem suppositorum?

Sententiæ Doctorum.

PRIMA *sententia* est Scoti *in 1. dist. 12.* quã explicat Rada *contr. 16. a. 1.* tribus conclusionibus. *Prima* est. Non est conditio necessariò requisita ad spirandum, quòd spirator sit vnica tantum persona, nec quòd sint plures personæ. *Secunda* conclusio. Conditio necessariò requisita ad spirandum est, quod virtus spiratiua sit in re priori, & re ipsa distincta à Spiritu S. siue illa res sit vna persona siue plures. *Tertia* conclusio. Spi-

ri-

ritus sanctus ex ordine, qui est inter intellectum & voluntatem diuinam, necessariò est à duabus personis, licèt hæc dualitas per se non requiratur.

D. Thom. *hic in resp. ad 1. & in 1. dist. 11. qu. 1. a. 2.* docet Spiritum sanctum procedere à patre & filio in quantum sunt vnum, & in quantum sunt plures modo superius explicato, & latius inferius explicando. Cuius sententiam sequuntur omnes eius discipuli & expositores dicentes cum Caiet. principium spiratiuum quod exigere necessariò & per se pluralitatem suppositorum & non per accidens aut solum concomitanter. Quamuis Cai. *supra a. 2.* sententiam Scoti non improbabilem reputauerit. Sed Cai. sensum aperiemus inferius.

Resolutio. Aperitur Status controuersiæ, & probatur emanationem Spiritus S. per se postulare pluralitatem suppositorum in Spiratore.

CONSIDERANDVM *est primò* emanationem siue productionem, qua aliquid ab aliquo producitur, mediam esse saltem modo nostro concipiendi inter producentem & productum. Quod igitur alicuius emanatio siue productio sit necessariò, ac per se à pluribus diuinis suppositis dupliciter potest intelligi. Vno modo ex parte producentis; quia scilicet ea est producentis natura, vt in pluribus sit vna specie ac numero indiuisa personis: & emanatio siue productio, ex eiusdem proueniat naturæ potentia, quatenus personis omnibus est communis: & hoc modo creaturæ productio necessariò ac per se ex diuinis omnibus sibi vendicat esse personis; quia nimirum potentia, qua producitur creatura, diuinitati conuenit ea ratione qua reperitur in tribus secundum omnes eius perfectiones absolutas: ex quibus vna præcipua est creatiua potentia. Conuenit igitur creaturę per se ac necessariò à tribus diuinis personis produci ex parte producentis: & ob eandem causam non conuenit per se, sed quasi per accidens ratione ipsius creaturæ productæ à pluribus emanare personis; nam cùm sit eadem singularum potentia & operatio ad extra personarum, æquè perfecta esset quæuis mundi creatura, si ab vna sola produceretur persona, sicut modo est à tribus emanans. Alio modo potest esse siue intelligi productio alicuius à pluribus personis necessariò ac per se ex parte producti: quando scilicet ea est natura siue ratio aut proprietas rei productæ, vt eius emanatio non nisi à pluribus esse possit, si suo debet gaudere constitutiuo: vt exempli gratia: Si mundus aut Angelus sua essentiali perfectione careret, data hypothesi quòd ab vna crearetur persona. De priori sensu nulla potest inter Catholicos esse dissensio. Nam suppositis Trinitate personarum in diuinis pater & filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos oppositio relatiua. Certum est autem non opponi relatiuè patrem & filium secundum virtutem aut actum spirandi; igitur productio Spiritus S. pluralitatem exigit personarum ex parte producentis. Quæstio igitur est de posteriori sensu, quem etiam præfert propositæ controuersiæ titulus, ac dilucidè satis exprimit ea ipsa verborum forma. Quæsitum est enim an principium quod spiratiuum per se ac necessariò pluralitatem postulet personarum, adeò vt principium spiratiuum vt sic, siue spirator vt sic esse non possit absque pluralitate suppositorum scilicet patris & filij: quod est quærere: an processio Spiritus S. ex parte ipsius amoris procedentis: siue, an Spiritus S. procedens ex sua proprietate personali pluralitatem exigat personarú in principio quod spiratiuo siuè in spiratore: an autem illi sit solum per accidens & concomitanter annexa, vt de principio creatiuo dictum est.

Secundò obseruandum est, processionem amoris dupliciter posse considerari. Vno modo absolutè siuè in communi præscindendo à singulis huius processionis modis. Alio modo vt processio talis amoris, qui est Spiritus S. Et rursus processio Spiritus S. dupliciter potest considerari. Vno modo vt est processio Spiritus S. vt sic. Alio modo vt est processio Spiritus S. prout hac personali proprietate constituitur & à quatis alia persona distinguitur. Si sermo sit de processione amoris vt sic siuè præcisè, certum est eam per se ac necessariò non requirere pluralitatem suppositorum in suo principio spiratiuo; quoniam processio amoris vt amor est, hoc solum exigit, vt sit à verbo siuè notitia diligentis, qua repræsentatur obiectum, & à voluntate vt elicitiua potentia, cui non necessariò conuenit, vt vna numero sit in multis suppositis: vt patet in Angelis & hominibus in quibus perfectè procedit amor etiam amicitiæ, qui tamen est ab vno supposito. Nam etsi amicitia semper sit ad alterum, atque adeò inter duos se inuicem amantes, non est tamen in duobus his amor vnus numero, sed à duobus amantibus duplex amicitiæ perfectus spiratur amor. Postulat igitur amor præcisè sumptus, vt sit à verbo tâquam principio formali motiuo voluntatis, & à re verbo repræsentata vt finaliter mouente, à voluntate vt principio quo, & à volente vt supposito seu principio quod. Hæc autem omnia in vnico possunt reperiri supposito; igitur processio amoris vt sic pluralitatè non exigit personarum, ac proinde neque processio Spiritus S. vt amor est præcisè, suppositorum pluralitatem postulat necessariò; alioquin omnis amor talem exigeret pluralitatem. Et quoniam in Deo potest concipi ratio Spiritus S. absque processione eius à filio, vt patet ex supra dictis *art. 2.* idcircò processio spiritus S vt sic nó postulat per se suppositorũ pluralitatẽ in spiratore; Quãuis. n. secluso per intellectũ ordine originis inter filiũ & spiritũ S. nõ esset inter eos realis distinctio, & essent vna persona; vtriusq; tamen hæc vna rationem & proprietatem haberet verbi scilicet & amoris, non minus perfectè quàm nunc habeat cum distinctione reali. Esset itaque tunc Spiritus S. & tamen non à duabus sed ab vna sola persona. Denique si loquamur de processione Spiritus S. prout est hæc indiuidua persona tali proprietate cõstituta: dicendum est illum in sui principio productiuo necessariò postulare suppositorum pluralitatem scilicet patrem simul & filium, vt vnum spiratorem & duos spirantes. Cuius veritatis multa solent à Doctoribus & A. nostri D. expositoribus argumenta produci.

Processio amoris vt sic

Processio Spiritus S. vt sic.

Processio Spiritus S. vt hæc persona.

Primum argumentum illud est, quod sæpè repetit D. Thom. ex August. *in 6. de Trinit. c. 5.* & alijs patribus præsertim *quæst. seq. art. 1. ad 3.* vbi sic loquitur. *Spiritus S. dicitur esse nexus patris, & filij; quia cum pater amet vnica dilectione se, & filium, & è conuerso, importatur in Spiritu sancto, prout est amor, habitudo patris ad filium, & è conuersò, vt amantis ad amatum: sed ex hoc ipso, quòd pater & filius se mutuò amant, oportet, & mutuus amor, qui est Spiritus sanctus, ab vtroque procedat.* Et in 1. sent. distinct. 10. quæst. 1. artic. 3. hæc habet verba: *Quando aliquis placet sibi in aliquo, trahit se in illud, & coniungit se illi, quantum potest, ita vt illud efficiat suum: & inde est, quòd amor habet rationem vnientis amantem, & amatum. Et quia Spiritus sanctus procedit vt amor, ex modo processionis habet, vt sit vnio patris & filij.* Et infra: *Pater, & filius dicuntur vnire*

1. argum.

Spiritu sancto non effectiuè, sed quasi formaliter. Sed est forma duplex: quædam manens & quiescens in his quorum est forma: & sic per modum formæ se habet ad personas diuinas essentia diuina: & sic vniuntur formaliter amore essentiali. Est, & aliquid formaliter vniens non quasi inhærens, sed quasi procedens ab vtroq; vnitorum, ac si diceremus, aliqua duo corpora vniri per aliquem liquorem ab eis procedentem: & ita pater & filius vniuntur Spiritu S. Hæc ibi.

Caietani obiectio. *Sed discursum* hunc Cai ait esse deficientem; quia connectere, vnire & similia, non conueniunt (inquit) Spiritui S. ex proprietate personali, sed ex incluso amore essentiali. *Hanc tamen* ego rationem D. Tho. arbitror esse omnium efficacissimam, eo quòd non solum communia, sed etiam propria complectatur amoris personaliter dicti. Quamuis enim connectere & vnire sic absolutè conueniant amori vt amor est & ad amorem essentialem in Deo pertineant: connectere tamen & vnire per modum vnius impulsus à duobus vnius voluntatis ac volitionis suppositis procedentis soli conuenit amori personali ex eius proprietate constitutiua. Cum enim vt ante diximus, nulla sit oppositio inter patrem & filium in hoc, quod est spirare Spiritum sanctum: necesse est ab vna simplicissimaq; patris & filij voluntate, per vnum ac simplicissimum actum procedere personalem amorem, qui est Spiritus sanctus, qui hoc ipso quòd amor est perfectissimus, ex sui propria & intrinseca ratione sibi vendicat, vt à mutua patris & filij dilectione procedat, alioquin non adæquaretur terminus actui se mutuo diligentium patris & filij: nec dilectionis obiecto complectenti simul essentiam & personas; nec procederet Spiritus S. vt amor perfectus, vt etiam deducit Richardus de S. Victore *lib. 3. de Trinit. c. 3. 7. & 11.* dicens amorem esse non posse perfectum neque iocundum, nisi sit saltem duorum: & amoris plenitudinem ex sui natura plura postulare suppositа. Hoc quod præcipuum esse diximus argumentum, alio modo explicat Vasq. *disputat 150. c. 2.*

Solutio. B

Cauillus Suarezij *Sed ait Suar.* hac ratione conuinci quidem de facto Spiritum S. procedere à duabus personis, quia de facto est nexus duorũ: nõ tñ probari hoc per se conuenire Spiritui S. ex vi suę proprietatis personalis. Nam quando (inquit) August. dicit Spiritum S. esse nexum, non dicit denominationem hanc illi conuenire sub illa formalitate seu perfectate, sed solum de facto ita esse. Neque etiam hoc formaliter pertinet ad rationem vel perfectionem amoris: amor enim patris quatenus diligit seipsum, non minus perfectus est, quàm sit amor patris & filij quatenus se mutuo diligunt; ergo si esse posset pater prima persona seipsam diligens absque filio, non minus esset productiua per amorem, quantum est ex perfectione amoris. *Sed ex his nihil minuitur,* sed magis aperitur prædictæ rationis efficacitas. In hoc enim posita præcipuè videtur esse controuersia: an suppositа personarum in Deo trinitate, Spiritus S. ex propria sua ratione siuè ex personali suo constitutiuo processionem sibi vendicet à duabus personis scilicet patre & filio; vt ait sanctus Thomas; an per accidens tantum & concomitanter concurrat filius ob naturæ cum patre identitatem, & in ijs omnibus conuenientiam in quibus patri non opponitur relatiuè, vt opinantur Scotus & alij. Dicimus nos, cum ait Aug. & alij Patres & Scholastici Spiritum S. esse nexum patris & filij, intelligendum esse per se & ex propria ratione personali, ob rationem superius assignatam: vbi etiam cum Richardo diximus ad perfectionem amoris pertinere, vt sit mutuus & sit nexus amantium. Nec verum est (suppositа in Deo trinitate personarum) æquè perfectum esse amorem patris quo seipsum diligit, sicut amor patris & filij quatenus se mutuo diligunt: Amor enim quo pater intelligitur seipsum præcisè diligere, non fertur vt sic in obiectum adæquatum diuinæ dilectionis, quod est diuinum bonum consurgens ex absolutis omnibus & relatiuis. Quamuis enim *vt art. 3. q. 29.* notauimus cum Caietano, relatio formaliter & incommunicabilitas non dicat perfectionem neque imperfectionem, necessaria tamen est ad complementum infinitæ perfectionis & bonitatis in Deo, cuius vna natura ex sui infinitate tribus subsistit incommunicabilibus subsistentijs. Hoc verò bonum adæquatè respicit vna voluntas patris & filij se mutuo diligentium, & amorem spiratiuum, qui est intrinsecus eiusdem dilectionis terminus: ac proinde simul cum patre & filio infinitè dilectus. Sicut igitur essentiæ diuinæ perfectio pluralitatem exigit personarum & relationum: ita diuini amoris perfectio pluralitatem exigit sese mutuo diligentium, & vnum numero amorem spirantium. Quod autem addit Suar. si esse posset pater prima persona seipsam diligens absque filio &c. ad rem non facit, loquimur enim suppositа personarum in Deo trinitate, quæ tota simul vnum est infinitæ dilectionis obiectum; præciso verò filio, iam nõ esset Deus, vt est, nec Spiritus S. eadem esset numero persona, quæ nunc est, nec eiusdem rationis. Nos verò loquimur de spiritu sancto prout hæc numero persona est tali proprietate constituta. C

Secundum argumentum sumatur ex propria ratione distinctiui personalis in diuinis, quæ est oppositio secũdum relationem originis. Igitur, vt Spiritus S. distinguatur à filio, necesse est vt ab eo procedat sicut à patre. De materia huius argumenti latè differuimus *in art. 2. huius quæstionis.* Hoc vtitur Zumel. *disp. 4. concl. 2.* quem lege, si placet. D *Secundũ argumentum.*

Tertium argumentum deducitur ex personali proprietate constitutiua Spiritus S. Quia Spiritus S. prout nunc procedit, dicit ex vi suæ processionis habitudinem relatiuam ad patrem & filium; ergò per se respicit & requirit vtramque personam ad sui productionem. Antecedens patet ex supradictis de principio spiratiuo siuè spiratore, ad quem diximus cum D. Th. requiri vt conditionem necessariam pluralitatem suppositorum: quod hic etiam affirmat Cai. & explicat Zum. *post 3. concl. suam.* Consequens verò probatur; quia relatio per se & quidditatiuè respicit suum terminũ adæquatũ; terminus aũt adęquatus relationis cõstitutiuæ Spiritus S. est spirator, qui idẽ est realiter quod pater & filius, & vnum ac immediatum cum eius productionis Spiritus S. principium; igitur ad patrem & filium vt ad vnum principium & distinctas personas per se refertur Spiritus S. Hoc ferè discursu latius explicato ad institutum probandum vtitur Suar. *lib. 10. c. 6. n. 6. & 7.* *Tertiũ argumentum.*

Confutatio E

Sed contra probationem antecedentis argumentatur Val. Id quod per se & formaliter concurrit ad productionem alterius & influit in illud, non est productionis conditio, sed principium aut de ratione principij productiui: at duo suppositа diuina, vt duo sunt, per se etiam concurrunt ad productionem Spiritus S. ergò dualitas suppositorum non est conditio, sed pertinet ad rationem principij Spiritus *Val obiectio.*

tus S. *Resp.* primò falsam esse minorem formaliter loquendo de dualitate suppositorum, vt dualitas est. Nam licet suppositа patris & filij, vt suppositа sunt, claudantur in ratione principij spiratiui, & sint ipsum principium quod spiratiuum, dualitas tamen eorum est conditio talis principij. Secundò dico, suppositа illa vt duo concipi vt conditionem comparatione rationis formalis & cõstitutiui principij spiratiui. Tertiò dico, D. Th. & Cai. nunquam asseruisse duo suppositа scil. patrem & filium esse præcisè conditionem principij spiratiui. Quartò dico, sicut existentia suppositi agentis est eius conditio, quatenus agens est, ita vnitas vel pluralitas; quia sicut vnumquodque se habet ad esse existentiæ, ita ad vnitatem vel pluralitatem, quæ consequitur esse, prout est indiuisum aut diuisum. Itaque si esse est suppositi agentis conditio: eadem ratione vnitas vel pluralitas eiusdem erit conditio quatenus agens est.

Solut.

Vasq. solut. *Postremò respondet* Vasq. *c. 3.* dualitatem suppositorum non esse conditionem requisitam, vt essentia siue voluntas cũ relatione spirationis sit potentia spirandi; cum tota potentia æquè sit in patre sicut in filio. Sed dicimus (inquit) duarum personarũ proprietates esse conditiones, non potentiæ spirandi secundum se, sed ipsius spiratoris & principij; quod idem est ac si diceremus, vt per hanc potentiam talis persona producatur cum tali proprietate characteristica, nempè proprietate nexus duorum, tota ipsa potentia debet esse communis duobus suppositis, quæ per illam tanquam per communem formam producant: sic enim fit, vt dilectio qua procedit Spiritus S. sit communis amor & habeat rationem nexus, quam alias non haberet. *Sed hæc ratio* æquè probat duarum personarum proprietates, vt duę sunt, esse necessarias vt conditiones potentiæ, sicut spiratoris, & ipsius spirati quatenus nexus est. Nam, si talis potentia in vna sola persona sine tali conditione satis esset ad producendum, iam superflueret altera, nec dualitas esset in spiratore necessaria. Et confirmatur; quia spirator non exigit talem conditionem, nisi quia potentia talem postulat conditionem, vt sit ei ratio operãdi; potest enim esse perfecta potentia cum negatione necessariæ conditionis ad agendum: cum alia sit ratio potentiæ & alia conditionis, vt sit actu agendi ratio.

Reiicitur sol. Vasq.

4. arg. ex Cai. *Quartum argum.* est quo vtitur Cai. Si processio Spiritus S. necessariò est à patre & filio; igitur est ab eis in quantum tales; ergo in quantum plures. Probatur hæc sequela, quia non sunt intelligibiles vt sic nisi vt plures.

5. arg ex Val. *Quintum argum.* est, quod adhibet Val. Quidquid Spiritui S. iam competit est de eius ratione; sed etiam ei competit vt procedat ab vtroque; ergo idipsum est de eius ratione. Maior probatur; quia est ens simpliciter necessarium, cui nihil accidit. Minor est de fide.

Reiicitur ratio Val. *Sed diceret* Scotus maiorem esse veram de eo, quod competit ei secundum se, non autem in ordine ad alia suppositа. Ad probationem admitteret necessitatem, sed negaret perfectatem.

6. arg ex D. Th. *Sextum argumentum* est D. Tho. *in 1. dist. 29. a. vlt. ad 2. Diuersa est ratio creationis, & spirationis; quia spiratio præexigit distinctionem in suppositis: vnde est aliquo modo à pluribus suppositis, in quantum distincta sunt: cum sit operatio personalis: sed creatio est opus essentiæ diuinæ: vnde est opus suppositi indistincti, prout essentia significatur vt id quod est, vt hoc nomine Deus.* Hæc ibi. Et constat vis rationis in hoc, quod spiratio est operatio personalis, & præexigit duas personas; ergo est ab eis, in quantum distinctæ personæ sunt; alioquin non differret ab opere creationis: nec esset operatio personalis per se & formaliter de persona relatiua loquendo, vt distinguitur contra essentiam, tam in abstracto, quàm in concreto sumptam. Quomodo verò creatio personis in Deo relatiuis conueniat supra diximus in primo notabili cum Cai.

Vltimum argum. est D. Th. *in a. 2. huius quæst.* quo probat amorẽ à verbo necessariò procedere. Cuius efficaciam ostendimus cumulatè *in 2. controu. illius a.* *Vltimũ argumẽtũ ex D. Th.*

PRIMA CONCL. *Processio amoris vt sic non exigit necessariò, & per se pluralitatem in principio spiratiuo.* *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *Processio Spiritus S. vt sic non exigit per se pluralitatem suppositorum in principio spiratiuo.*

TERTIA CONCL. *Processio Spiritus S. vt est hæc personalis tali proprietate constituta, exigit non tantum ex parte producentis, sed etiam ex parte ipsius Spiritus S. procedentis per se, & necessariò pluralitatem suppositorum in principio spirationis, siue (quod idem est) Spiritus S. ex vi, & ratione suæ processionis, & proprietatis personalis exigit necessario, & per se pluralitatem personarum in spiratore: aut (quod idem est) principium quod spiratiuum exigit necessariò, & per se pluralitatem suppositorum.* Hanc conclusionem probant ea septem argumenta, quę produximus ex D. Th. & alijs.

CONTRA *secundam* concl. militat præcipuè primum argumentum, quo probata est tertia concl. *Sed Respondet* Cai. quem sequitur Moli. connectere & vnire & similia conuenire Spiritui S. ex amore essentiali incluso, non autem ex proprietate personali. Quod verum esset data hypothesi, quod Spiritus S. à filio non procederet. *Sed vt diximus,* non esset tunc eadem proprietas, nec ratio Spiritus S. & esset alia numero persona ab ea, quæ nunc est. Quomodo autem amori personali, qui nunc est, conueniat nexus & vnio ex proprietate personali, & non tantum ex essentiali incluso declaratum est supra. *Ob. cõt. 2. concl.* *Responsio Caietan. & Mol. confutatur.*

CONTRA *tertiam* concl. argum. Scotus. *Primò.* Virtus spiratiua tam perfectè est in vna persona, sicut in vtraque; ergo solus pater absque filio posset spirare Spiritum S. ergo ea pluralitas suppositorum non est necessariò & per se requisita, sed tantum per accidens. Probatur antecedens; quia virtus spirandi est voluntas diuina, vt in supposito priori origine processione voluntatis: at voluntas vt in supposito &c. æquè perfecta est in solo patre simul & filio. Eodem ferè argumento vtitur Rada. *Resp.* in virtute siue potentia spirandi duo considerari. *Vnum* est ipsa virtus, quæ constat ex essentia, voluntate, & relatione communi scil. spiratione, quę virtus est principium quo productionis Spiritus S. & hęc tota & perfecta est in solo patre: sicut in patre simul & filio. *Alterum* est conditio necessaria, vt talis virtus sit actu principium quo productionis: & hęc est duplex relatio subsistens. s. paternitas, & filiatio coniunctim, siue pater simul & filius, ob rationes superius assignatas; quia scilicet Spiritus sanctus vt amor etiam personalis procedit vt nexus, &c. Et præterea quia relatio constitutiua Spiritus sancti respicit vt terminum adæquatum spiratorem, qui necessariò est pater & filius &c. *Secundò respondeo,* in virtute siue potentia spiratiua duo claudi. s. essentiam siue etiam voluntatem & relationem communem spirationis; quæ, *Ob. 1. cõt. 3. concl.* *Solut.*

quoniam eadem est realiter paternitati & filiationi, vtramque complectitur: adeò vt nomine potentiæ spiratiuæ comprehendatur essentia & relatio spirationis, cum relationibus paternitatis & filiationis ab ea præsuppositis, & eidem identificatis. Vnde ad argumentum dico, antecedens verum esse de virtutè spiratiua quo ad omne absolutum, quod in recto significat: non verò quoad omne relatiuum quod connotat siue significat in obliquo: sicut ait D. Th. *q. 42. a. 5. ad 3. de potentia generandi* eam scilicet esse communem tribus personis quantum ad essentiam, sed quantum ad notionem, quæ connotatur, propriam esse patris. Et hæc mihi videtur omnium optima resolutio.

Instant 1. *Contra primam respons.* est argum. Valen. supra confutatum. Contra eandem respons. argumen. *Rada. Primò*: Quia distinctio inter personas diuinas, & pluralitas earum nec est ratio formalis principij creatiui, nec conditio; ergo neque est conditio principij spiratiui. *Respond.* nullam esse conseq. ob rationem superius assignatam: & præsertim quia Spiritus S. procedit vt nexus &c. *Sed cõtra* arguit Rada. Spiritus S. dicitur nexus patris & filij, quia nectuntur in Spiritu S. sicut in communi producto: at creatura est commune productum; ergo etiam creatura dicetur nexus trium personarum, quod est absurdum: Primò; quia personæ non necessariò nectuntur in creatura, quia liberè eam producunt: Secundò quia est res inferioris ordinis. *Respon.* Spiritum S. esse nexum, non quomodocunque, sed vt terminum dilectionis intrinsecum ipsa dilectione productum: quod de creatura dici non potest.

Sol.

Inst. 2. *Secundò* principalem responsionem sic arguit. Si pluralitas suppositorum est conditio necessaria ad spirandum, sequitur, quòd pater non producit Spiritum S. Probatur sequela; quia pater non est plures personæ sed vna; ergò &c. *Respon.* nullam esse conseq. Ad probationem negatur sequela. Non enim sequitur patrem non producere, sed patrem solum sine filio non producere: quia pater simul cum filio coniunctus conditionem habet pluralitatis, quam neuter seorsum habet.

Solut.

Alia eiusdem authoris argumenta ex dictis facilem habent solutionem, ex quibus etiam diluuntur, quæ hic producunt expositores & soluunt.

Præmissas esset addenda Quarta Controversia de veritate propositionis: *an scilicet hæc propositio, Pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. propriè & rigorosè sit vera?* Sed quoniam hic eam perspicuè & eruditè versant & definiunt expositores, ac præsertim Zum. *disp. 1.* idcircò laborem nostrum in ea diligentius examinanda superuacaneum existimamus.

Zumel Molina. *Differunt* hic Zum. *disp. 3.* & Molina *disp. 3. & 4.* de regulis obseruandis circa nomina diuina abstracta & concreta, adiectiua & substantiua, absoluta & respectiua. Sed huius quæstionis propria sedes est *in q. 39. art. 4. & 5.*

Vide quæ scribit Cai. circa responsiones ad argumenta D. Tho.

Mol. dictum reij. itur. *Circa* respons. ad 4. argum. vbi S. Tho. negat hanc propositionem, Pater & filius sunt vnum principium, quod est pater; quoniam vt inquit Bannes, sumendo relatiuum illud, *quod*, restrictiue est falsa propositio, quamuis copulatiuè sit vera: *censet Mol.* simpliciter esse concedẽdam; quoniam (inquit) relatiuum quod, cum sit neutrum, refert principium subsistens commune patri & filio, nempè spiratorem; spirator autem A est principium quod est pater & filius: Sicut vnus Deus est pater & filius. *Sed hoc argumento* non probatur nisi veritas sensus copulatiui. Cum itaque propositio sit ambigua, non est simpliciter admittenda.

Qvaestio XXXVII.

De nomine Spiritus S. qui est amor, in duos articulos diuisa.

DEinde quæritur de nomine amoris.
Et circa hoc quæruntur duo.
Primò, Vtrum sit proprium nomen Spiritus sancti. B
Secundò, Vtrum pater, & filius diligant se Spiritu sancto.

Ratio ordinis.

IN Exordio quæstionis præcedentis reddita est ratio ordinis trium quæstionum de Spiritu S. quarum hæc est secunda, quæ duos habet articulos. In quorum primo quæritur quid nominis, & simul etiam quid rei Spiritus S. quatenus vt amor concipitur, & amoris vocabulo significatur. In secundo quæritur denominatio ex eodem Spiritu S. quatenus amor est, ad patrem & ad filium deriuata, & hac propositione C significata; *Pater & filius diligunt se Spiritu sancto.*

Articvlvs Primvs.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd amor non sit proprium nomen Spiritus sancti.* Dicit enim *Augustinus* * *lib. 15. de Trin. Nescio cur sicut sapientia dicitur & pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed vna sapientia, non ita & charitas* D *dicatur pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes vna charitas. Sed nullum nomen, quod de singulis personis prædicatur, & de omnibus in commum singulariter, est nomen proprium alicuius personæ. Ergo hoc nomen, amor, non est proprium Spiritus sancti.* 198 1 d. 10 a. 4. & dist. 27. q. 2 a. 2. q. 2. cor. Et ver. q. 4. a. 2 ad 7. Li. 15. de vri. c. 17 ante med. nom. 3.

2 Præterea, Spiritus sanctus est persona subsistens: sed amor non significatur vt persona subsistens: sed vt actio quædam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3 Præterea. Amor est nexus amantium, quia secundum Dion. * *4. c. de diu. nom. est quædam vis vnitiua: sed nexus est medium inter ea, quæ connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat à patre, & filio (sicut ostensum est†)* E *videtur, quòd non sit amor, aut nexus patris, & filij.* li. 4. p. 2. & p. 1. non remotè à fine. † q. 36. a. 2.

4 Præterea. Cuiuslibet amantis est aliquis amor: sed Spiritus sanctus est amans. Ergo eius est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor, erit amor amoris, & spiritus à spiritu. Quod est inconueniens.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in * *Hom. Pentec. Ipse Spiritus S. est amor.* Hom. 30. in Euang. circa princ. illius.

Respond. Dicendum, quòd nomen amoris in diuinis sumi potest essentialiter, & personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen filij.

filij. *Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd cum*
q.27.a.2.3. 4.& 5. *in diuinis, vt supra ostensum* est, sint duæ processiones, vna per modum intellectus, quæ est processio verbi: alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris, quia prima est nobis magis nota, ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinuenta, non autem in processione voluntatis. Vnde & quibusdam circumlocutionibus vtimur ad significandam personam procedentem, & relationes etiam, quæ accipiuntur secundùm hanc processionem, & processionis, & spirationis nominibus nominantur, vt supra dictum**
q.27.a.4. ad 3. *est, quæ tamen sunt magis nomina originis, quàm relationis secundùm proprietatem vocabuli. Et tamen similiter secundùm vtramque processionem considerari oportet. Sicut enim ex hoc, quòd aliquis rem aliquam*
B *intelligit, prouenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum: ita ex hoc, quòd aliquis rem aliquam amat, pro-*
D.1201. *uenit* d *quædam impressio (vt ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente: ita quòd cùm aliquis seipsum intelligit, & amat, est in seipso, non solum per identitatem rei: sed etiam vt intellectum in intelligente, & amatum in amante. Sed ex parte intellectus sunt vocabula adinuenta ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam, vt patet in hoc, quod dico intelligere. Et sunt etiam alia vocabula adinuenta ad significandum processum intellectualis conceptionis, scilicet ipsum dicere, & verbum. Vnde in diuinis intelligere*
C *solùm essentialiter dicitur, quia non importat habitudinem ad verbum procedens: sed verbum personaliter dicitur, quia significat id, quod procedit. Ipsum verò dicere, dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij verbi ad verbum ipsum. Ex parte autem voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc, quod amat, ad suum principium, aut è conuerso. Et ideò, propter vocabulorum inopiam, huiusmodi habitudines significamus vocabulis amoris, & dilectionis: sicut si verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. Sic igitur, inquantum in amore vel dilectione non importatur nisi habitudo a-*
D *mantis ad rem amatam, amor & diligere essentialiter dicuntur, sicut intelligentia, & intelligere: inquantum verò his vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris, ad suum principium, & è conuerso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirare amorem procedentem, sic amor est nomen personæ, & diligere vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd Augustinus loquitur de charitate, secundum quod essentialiter sumitur in
3.q.corp.a.q. 34 a.2. ad 4. *diuinis, vt dictum* est.*

Ad Secundum dicendum, quòd intelligere, & velle, & amare, licèt significentur per modum actionum
E
transeuntium in obiecta, sunt tamen actiones manen-
q.14.a.4. *tes in agentibus (vt supra dictum est*) ita tamen quòd in ipso agente important habitudinem quandam ad obiectum. Vnde amor etiam in nobis est aliquid manens in amante, & verbum cordis manens in dicente, tamen cum habitudine ad rem, verbo expressam vel amatam. Sed in Deo in quo nullum est accidens, plus habet, quia tam verbum, quàm amor est subsistens. Cùm ergò dicitur, quòd Spiritus sanctus est amor patris in filium, vel in quicquam aliud, non significatur aliquid transiens in alium: sed solum habitudo amoris ad rem amatam: sicut & in verbo importatur habitudo verbi ad rem verbo expressam.*

Ad Tertium dicendum, quòd Spiritus S. dicitur esse nexus patris, & filij, inquantum est amor, quia cùm pater amet vnica dilectione se, & filium, & è conuerso, importatur in Spiritu sancto (prout est amor) habitudo patris ad filium, & è conuerso, vt amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso, quòd pater, & filius se mutuò amant, oportet, quòd mutuus amor, qui est Spiritus sanctus, ab vtroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus sanctus non est medius, sed tertia in trinitate persona. Secundùm verò prædictam habitudinem, est medius nexus duorum ab vtroque procedens.

Ad Quartum dicendum, quòd sicut filio licèt intelligat, non tamen sibi competit producere verbum,
B *quia intelligere conuenit ei vt verbo procedenti: ita licet Spiritus sanctus amet, essentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei, quòd spiret amorem, quod est diligere notionaliter sumptum, quia sic diligit essentialiter vt amor procedens, non vt à quo procedit amor.*

Sensus quæsiti.

PROPONITVR hic quæstio de solo nomine: cum tamen in textu diligenter explicetur etiam propria ratio Spiritus S. quatenus amor est. Cuius ratio est: quia S. D. in hac Theologica summa breuitati studens sub vno quæsito sæpè multa comprehendit. Vnde sub hoc titulo tria resoluuntur quæsita ad rei quidditatem pertinẽtia, quæ distincta fuerant articulatim *in 1. sent.*
C *dist. 10.* Primum est: *an Spiritus S. procedat vt amor?* Secundum est: *an Spiritus S. sit amor, quem habet pater in filium?* Tertium est: *an Spiritus S. sit vnio patris & filij?* Ratio verò logica est ex Caietano *de ente & essentia in fine prologi, & primo post. cap. 1.* quia quid nominis idem est quod quidditas nominis, quæ in ratione relatiua posita est signi ad signatum. Quapropter scire quid nominis, est scire nominis relationem ad rem aliquam vt signi ad signatum: quæ multipliciter potest cognosci, videlicet per communia, per accidentalia, per essentialia, per nutus &c. Vnde, vt Cai. aduertit *in primo posteriorum*, coincidunt quandoque materialiter quid nominis & quid rei: vt
D cùm ad quid nominis respondetur per essentialia propria: quo fit vt diffinitio quidditatiua nonnunquam habeat rationem quid nominis & non quid rei. Sic igitur in proposito quæritur de nomine Spiritus sancti, qui est amor & ostenditur per propria & quidditatiua ratio amoris, qua constituitur in suo esse personali Spiritus S. & distinguitur non solum ab amore essentiali, sed etiam à qualibet alia diuina persona. Est igitur quæsiti forma de nomine, sed intentio quærendi præcipuè est de re, siue ratione formali Spiritus sancti quatenus amor est. Cæterorum verò terminorum explicatio ex alijs consimilibus titulis est petenda, vt hic indicat Cai.

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione respondetur ad quæsitum vnica conclusione.

Distinctio est. Nomen amoris dupliciter sumi potest in diuinis, scilicet essentialiter & personaliter.

CONCLVSIO est. *Nomen amoris, secundùm* „
quod personaliter sumitur, est proprium nomen „
Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen „
filij. Probatur ex conuenientia & differentia duarum processionum quæ sunt in diui-

nis: quarum vna est per modum intellectus, quę est processio verbi: alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris; in hoc enim ambæ conueniunt, quòd sicut ex hoc quòd aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam actualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum: ita ex hoc quòd aliquis rem aliquam amat, prouenit quædam impressio (vt ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante: sicut & intellectum in intelligente; adeò vt cùm aliquis seipsum intelligit & amat, sit in seipso non solum per identitatem rei, sed etiam vt intellectum in intelligente, & vt amatum in amante. Differunt autem; quoniam habemus nomina propria à maioribus adinuenta ad ea singula significanda, quæ in processione secundum modum intellectus considerari possunt: non autem ad ea, quæ sunt in processione voluntatis. Probatur primò à priori hæc differentia; quia illa quæ est secundum intellectum, est nobis magis nota quàm hæc quæ est secundum voluntatem. Deinde manifestatur in particulari, quo ad singula, quæ sunt in vtraque processione. Hæc verò sunt tria in intellectu & totidem in voluntate: Primum in intellectu est respectus intellectus ad rem intellectam, qui significatur per intelligere: Secundum est habitudo principij verbi ad ipsum verbum, siue processus intellectualis conceptionis, qui significatur per dicere: Tertium est id quod procedit, siue relatio procedentis per intellectum ad principium à quo procedit scilicet ad dicentem, quæ significatur nomine verbi. Ex quo sequitur, vt intelligere dicatur tantum essentialiter, quia non importat habitudinem ad verbum procedens: verbum autem personaliter, quia significat id quod procedit: dicere verò notionaliter, quia importat habitudinem principij ad verbum ipsum. In voluntate verò primum est habitudo amantis ad rem amatam, quæ significatur per diligere & amare siue etiam per hoc nomen amor & dilectio: Secundum est habitudo principij ad rem per actum voluntatis procedentem, quæ eisdem vocabulis significatur: Tertium est habitudo eius rei quæ procedit per modum amoris ad suum principium, quæ eisdem etiam vocibus significatur. Ex quo sequitur vt nomina amoris dilectionis & diligere, quatenus non important nisi habitudinem amantis ad rem amatam, dicantur essentialiter sicut intelligentia & intelligere: quatenus verò eisdem vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem principij ad rem quæ procedit; scilicet ad affectionem & impressionem, diligere vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare: & sic diligere idem est quod spirare amorem procedentem; quatenus autem eisdem vocibus vtimur ad significandam habitudinem rei procedentis per modum amoris ad suum principium, amor & reliqua sunt nomina personalia.

A

B

C

D

E

Expositio Textus.

Distinctionem amoris in essentialē & personalē significatam fuisse 1. Ioa. 4. vt dixit Aug.

DISTINCTIO amoris in essentialem & personalem desumpta est ex D. Aug. *lib. 15. de Trinitate, cap. 17. & 18.* vbi pluribus sacrarum litterarum productis oraculis probat amorem siue charitatem non essentialiter tantum, sed personaliter etiam quandoque dici. Ex quibus vnum est illud 1. Ioan. 4. *Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Ait ergo D. Augustin. charitatem in priori parte verborum sumi personaliter, in posteriori verò essentialiter. Quòd verò in priori loco sit personaliter accipiendum nomen charitatis probat per alia verba eiusdem ca. videlicet: *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Aduertit tamen Zumellus prædictum locum non multum vrgere pro charitate personali: eò quòd ibi loquatur Apostolus de charitate creata, quæ diffunditur in cordibus nostris: quem sensum etiam accepit Concilium Mileuit. *can. 4.* Immò Augst. ipse *lib. 1. de gratia Christi, c. 21.* vt notat Suar. *lib. 11. de Trinit. cap. 1. num. 4.* Et ideò locum illum affirmat intelligendum esse de sola charitate, quam Deus nobis infundit vt diligamus inuicem: sequens in hoc Valent. & Vasq. Ratio verò eius est; quia præmittit Ioannes, dicens: *Charissimi diligamus inuicem:* cùm igitur subdit, *quia charitas ex Deo est*, indicat se loqui de ea charitate qua nos inuicem diligimus, quæ est charitas creata. *Zum. censura.*

Verùm sustinere facilè potest sensus doctiss. Patris August. si duo ab omnibus Theologis & Catholicis necessariò tenenda supponamus. *Primum* est. In eadem diuinæ Scripturæ littera plures esse posse sensus litterales, quod ostendit supra D. Th. *q. 1. a. 10.* *Secundum* in infusione charitatis & donorum Spiritus S. non solam donari nobis à Deo qualitatem & à nobis haberi; sed & personam ipsam Spiritus S. nobis à Deo dari, & à nobis haberi, vt affirmat & probat idē S. D. infra *q. 43. a. 3.* vbi sic ait: *In ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem: vnde ipsemet Spiritus S. datur & mittitur.* Hæc ibi. Ex primo supposito sequitur illationē illam argumenti Valentiæ, quem alij sequuntur interpretes, nullam esse, videlicet: Cōcilium Mileuitan. & August. ipse alibi nomine charitatis in allegato loco sacræ Scripturæ charitatē creatam intelligunt; ergo non potest intelligi de charitate increata personaliter dicta. Falsa est enim hæc consequentia; quoniam de vtraque intelligi commodè potest & debet; primò, quia duplex ibi potest esse sensus iam dictus, nec vnus alteri repugnat; secundò quoniam hoc ipso quòd nobis à Deo infundi charitas affirmatur, dari simul intelligitur in ea Spiritus S. igitur vtrumque sensum vt minimè dissonantem; sed maximè connexum sub vno litteræ cortice Deus intendit, & Aug. expressit: quamuis alterum Mileuit. Synodus vt instituto suo minimè necessariam præterierit. *Reijcitur.*

Sed Durandus *in 1. dist. 32. qu. 1.* negat nomen amoris in Deo, propriè dici personaliter aut notionaliter. Quam sententiam sequutus Aur. cuius argumenta refert & soluit Capr. *in 1. dist. 32. q. 1. a. 1.* Quam difficultatem hic versat & definit Zumel. In quo tamen cauendum est vnum quod ait nimirum amorem productum esse ipsum actum essentialem, vt coniunctum paternitati & filiationi: quod manifestè falsum est; cùm Spiritus S. qui est amor productus, non sit coniunctus secundum realem identitatem paternitati & filiationi, sicut eisdem relationibus coniungitur amor essentialis. Vide etiam id, quod de eadem distinctione scribit hic Caiet. & argumenta, quæ proponit & soluit Val. *super hoc a.* vbi aduerte illum admittere duos amores virtualiter in Deo distinctos contra Cai. *Opinio Durandi & Aureoli.*

Ar-

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum Pater, & filius diligant se Spiritu sancto.

199. 1. dist. 14. q. 2. art. 1. cor. Et dist. 32. q. 1. ar. 1. Et 4. con. cap. 23. fi. & po. q 2. ar. 3 11. & q. 9. ar. 9 13.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd pater, & filius non diligant se Spiritu sancto. Augustinus enim * in 7. de Trinitat. probat, quòd pater non est sapiens sapientia genita. Sed sicut filius est sapiens sapientia genita, ita Spiritus sanctus est amor procedens vt dictum est. † Ergo Pater & filius non diligunt se amore procedente, qui est Spiritus sanctus.

* li. 7. de tri. c. 1. in fi præsertim, to. 3. † art præc. & q. 27. ar. 3.

2 Præterea. Cum dicitur, pater & filius diligunt se Spiritu sancto, hoc verbum diligere, aut sumitur essentialiter, aut notionaliter. Sed non potest esse vera secundum, quòd sumitur essentialiter, quia pari ratione posset dici, quod pater intelligit filio. Neque etiam secundùm quod sumitur notionaliter, quia pari ratione posset dici, quòd pater, & filius spirant Spiritu sancto, vel quòd pater generat filio. Ergo nullo modo hæc est vera: pater, & filius diligunt se Spiritu sancto.

3 Præterea. Eodem amore pater diligit filium, & se, & nos. Sed pater non diligit se Spiritu sancto, quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus non enim potest dici, quòd pater generat se, vel spirat se. Ergo etiam non potest dici, quod diligat se Spiritu sancto, secundum quod diligere sumitur notionaliter. Item: amor quo diligit nos, non videtur esse Spiritus sanctus, quia importatur respectus ad creaturam: & ita ad essentiam pertinet. Ergo & hæc est falsa, pater diligit filium Spiritu S.

li 6. de tri. cap. 5. circa princ to. 3.

Sed contra est, quòd Augustin. dicit * 6. de Trin. quòd Spiritus sanctus est quo genitus à generante diligitur, genitorem q, suum diligit.

Respondeo. Dicendum, quòd circa hanc quæstionem difficultatem affert, quod cum dicitur, pater diligit filium Spiritu sancto, cùm ablatiuus construatur in habitudine alicuius causæ, videtur, quòd Spiritus sanctus sit principium diligendi, & patri, & filio: quod est omnino impossibile. Et ideo quidam dixerunt hanc esse falsam, pater, & filius diligunt se Spiritu sancto. Et dicunt hanc esse retractatam ab * August. in suo simili. cum scilicet retractaut istam, pater est sapiens sapientia genita. Quidam verò dicunt, quod est propositio impropria: & est sic exponenda. Pater diligit filium Spiritu sancto, id est. amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto Quidam verò dixerunt, quòd ablatiuus iste construitur in habitudine signi, vt sit sensus, Spiritus sanctus est signum, quòd pater diligat filium, inquantum procedit ab eis Spiritus sanctus vt amor. Quidam verò dixerunt, quòd ablatiuus iste construitur in habitudine causæ formalis, quia Spiritus sanctus est amor, quo formaliter pater & filius se inuicem diligunt. Quidam verò dixerunt, quod construitur in habitudine effectus formalis. Et isti propinquius ad veritatem accesserunt. Vnde ad huius euidentiam sciendum est, quòd cum res communiter denominentur a suis formis, sicut album ab albedine, & homo ab humanitate, omne illud à quo d aliquid denominatur, quantum ad hoc, habet habitudinem formæ. Vt si dicam, iste est indutus vestimento, iste ablatiuus construitur in habitudine causæ formalis, quamuis non sit forma. Contingit autem aliquid denominari per id, quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione: sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim, quòd ignis est calefaciens calefactione, quamuis calefactio non sit calor, qui est forma ignis: sed actio ab igne procedens. Et dicimus, quod arbor est florens floribus, quamuis flores non sint forma arboris: sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quòd cum diligere in diuinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet & notionaliter; secundum quod essentialiter sumitur, sic pater, & filius non diligunt se Spiritu sancto: sed essentia sua. Vnde Augustin. in * 15. de Trinit. Quis audet dicere patrem nec se, nec filium, nec Spiritum sanctum diligere nisi per Spiritum sanctum? Et secundum hoc procedunt primæ opiniones. Secundum verò, quòd notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quàm spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur pater dicens verbo vel filio se, & creaturam. Et pater, & filius dicuntur diligentes Spiritu S. vel amore procedente, & se & nos.

Lib. 15. de Trin c. 7. inter princ. & med. to. 3.

Ad Primum ergo dicendum, quòd esse sapientem, vel intelligentem, in diuinis non sumitur nisi essentialiter. e Et ideo non potest dici, quòd pater sit sapiens, vel intelligens filio. Sed diligere sumitur non solum essentialiter: sed etiam notionaliter. Et secundùm hoc, possumus dicere, quòd pater, & filius diligunt se Spiritu sancto, vt dictum est. e

198

In corp. art.

Ad Secundum dicendum, quòd quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, potest denominari principium actionis ab actione, & ab effectu, sicut possumus dicere, quòd arbor est florens floriuione, & floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non potest principium actionis denominari ab effectu: sed solum ab actione. Non enim dicimus, quòd arbor producit florem flore: sed productione floris. In hoc igitur, quod dico, spirat, vel generat, importatur actus notionalis tantum. Vnde non possumus dicere, quòd pater spiret Spiritu sancto, vel generet filio. Possumus autem dicere, quòd pater dicit verbo tanquam persona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali: quia dicere importat determinatam personam procedentem, cùm dicere sit producere verbum. Et similiter diligere, prout notionaliter sumitur, est producere amorem. Et ideo potest dici, quod pater diligit filium Spiritu sancto tanquam persona procedente, & ipsa dilectione tanquam actu notionali.

Ad Tertium dicendum, quòd pater non solum filium: sed etiam se, & nos diligit Spiritu sancto, quia (vt dictum est *) diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem diuinæ personæ: sed etiam personam productam per modum amoris. qui habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde sicut pater dicit se, & omnem creaturam verbo, quod genuit, inquantum verbum genitum sufficienter representat patrem, & omnem creaturam, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, inquantum Spiritus sanctus procedit, vt amor bonitatis primæ, secundùm quam pater amat se, & omnem creaturam. Et sic etiam patet, quòd respectus importatur ad creaturam, & in verbo, e & in amore procedente quasi secundariò, inquantum scilicet bonitas, & veritas diuina, est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam. †

In isto art.

91

Sensus quæsiti.

QVAESTIO est de veritate propositionis, vt patet ex totius articuli discursu tam in corpore quàm in argumentis & eorum responsionibus. Nam de re satis constat, vt hic etiam aduertit Cai. Pater enim & filius amando se notionaliter spirant Spiritum S.

Forma Textus.

RATIONEM primò difficultatis affert S.D. deinde 5. refert opiniones; postremò præmissa

D. 450.

missa distinctione duabus respondet conclusionibus, prædictas omnes opiniones & præcipuè quintam trahens ad bonum sensum.

Distinctio est. Diligere in diuinis dupliciter sumitur, scilicet essentialiter & notionaliter. Hæc patet *ex præc. a.* & nihilominus explicatur secundum membrum per hoc, quod sic diligere nihil aliud est, quàm spirare amorem sicut dicere &c. PRIMA CONCL. *est. Sumendo diligere essentialiter, Pater & filius non diligunt se Spiritu S. sed essentia sua.* Probatur ex Aug. *lib. 15. de Trinitate cap. 7. Quis audet dicere patrem &c.* Et iuxta sensum huius conclusionis veræ sunt quatuor priores opiniones: prima videlicet dicentium illam propositionem, Pater & filius diligunt se Spiritu S. falsam esse, quia scilicet Spiritus sanctus non est formaliter dilectio essentialis: & secunda vt patet: tertia verò, quia ex Spiritu S procedente quasi à posteriori cognoscitur essentialis dilectio, qua formaliter se diligunt pater & filius: sicut ex verbo procedente cognoscitur essentialis sapientia patris, quasi a posteriori; quarta denique nullam potest habere veritatem, nisi accipiendo Spiritum S. quatenus idem est realiter, quamuis non formaliter, quod amor essentialis.

SECVNDA CONCL. est. Sumendo diligere notionaliter, Pater & filius dicuntur diligentes Spiritu S. vel amore procedente & se & nos. Probatur. Quando effectus in intellectu actionis includitur, potest agens denominari ab actione, & à termino, qui est actionis effectus: sed diligere notionaliter sumptum est actio talis; ergo pater & filius possunt denominari & à dilectione & à Spiritu S. Maior manifestatur exemplo duplici, scilicet ignis calefacientis & arboris florentis, vt patet in textu. Minor declaratur ex duobus similibus, scilicet dicere & florere, sic arguendo: Diligere notionaliter sumptũ nihil aliud est, quàm spirare amorem: sicut dicere est producere verbum: & florere est producere flores; ergo sicut dicitur arbor florens floribus, ita dicitur pater dicens verbo vel filio se & creaturam: & pater & filius dicuntur diligentes Spiritu sancto &c. Reducitur autem opinio quinta ab bonum sensum declarando quomodo illud omne, à quo aliquid determinatur vt sic habet habitudinem formæ, vt patet in textu.

Expositio Textus.

ADVERTE *primò* D. Thom. *in 1. distin. 32. q. 1. a. 1.* referre septem opiniones, ex quibus sex primas confutat, vltimam verò, quæ hic est quinta, cuius auctor est Vgo de S. Victore, vt veram approbat & exponit. Argumenta contra dictas opiniones refert hic Iauel. ex D. Th.

Secundò scito maiorem assumptam in probatione secundæ conclusionis latius explicari ab Angelico nostro Doctore *in dicto 1. a. ibi. Tamen ad explicationem eius sciendum est* &c. Quam doctrinam exponit Sylu. *in conflato articulo quarto. Tertiò lege* si placet apud Magistrum Porr. subtilem explicationem illus propositionis; *Res communiter denominantur à suis formis*, ex authore tabulæ aureæ, *Dubio 450.*

PRIMA CONTROVERSIA.

An sit propria & vera hæc propositio: Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto?

SCOTVS *in 1. distin. 32. q. 2.* D. Tho. sententiam impugnat, vt suam statuat: quam multis explicat Rada *controuer. 17.* Sed summa hæc est. Quemadmodum verbum nostrum dicit duplicem habitudinem ad suum producẽs, alteram geniti ad gignens, alteram declarantis ad declaratum: & prima est realis & mutua: secunda verò non est mutua; sic amor in nobis dicit duas relationes, vnam producti ad voluntatem vt producentem, & hæc est mutua: alteram ad obiectum dilectum & amatum quæ non est mutua. Et sicut notitia genita, quæ est verbum, declarat formaliter obiectum latens in memoria: id verò quod producit notitiam actualem, & dat illi vim declarandi, potest dici declarare ista notitia quasi effectiuè siuè principatiuè: sic Spiritus S. formaliter diligit, prout diligere importat habitudinem ad res dilectas: Pater verò & filius principiatiuè; quia producunt Spiritum sanctum ipsos diligentem. Et sicut dicere in diuinis accipitur tribus modis: primò essentialiter, secundò notionaliter; tertiò vt significat habitudinem rationis, quæ est declarare; & hoc dupliciter: vno modo prout declarare competit alicui formaliter: alio modo prout alicui conuenit principiatiuè, connotando tamen productionem, seu relationem realem generantis ad genitum, seu dicentis ad verbum dictione productum: ita diligere sumitur tribus modis, primò essentialiter & sic est commune tribus: secundò notionaliter & tunc significat præcisè illam relationem realem originis, quæ est spirati ad spiratum: tertiò sumi potest diligere, nec merè essentialiter, nec merè notionaliter sed mixtè, & sic primò & per se significat habitudinem diligentis ad res dilectas, non formaliter sed principiatiuè: connotat tamen productionem Spiritus S. quam consequitur habitudo quædam ad res amatas. Et sicut habitudo declarantis formaliter ad declarabile non est propria verbo, sed ei appropriatur; quia magis conuenit cum proprio eius, quàm cum proprio aliarum personarum: quia procedit vt notitia actualis genita, cui conuenit declarare: ita relatio ad res amatas communis est toti Trinitati, sed appropriatur Spiritui S. propter modum suæ originis siuè processionis. Quibus præmissis & latissimè declaratis statuit sex conclusiones. *Prima.* Si diligere sumatur primo modo scilicet essentialiter tres personæ sunt vnum diligens & quælibet persona formaliter sibi ipsi diligit. Hanc probat ex D. Aug *15. de Trin. cap. 7. Secunda* concl. Si diligere accipiatur essentialiter, hæc propositio est falsa, Pater & filius diligunt se Spiritu S. & similiter illa, Pater diligit filium Spiritu S. *Tertia conclusio.* Si diligere accipiatur pure notionaliter, per eo quod est spirare amorem infinitum, scilicet Spiritum Sanctum, hæc propositio, Pater & filius diligunt se Spiritu Sancto, nec est propria nec vera. Hæc conclusio (inquit) videtur esse contra D. Thom. *Quarta conclusio.* Hæc propositio, Pater & filius diligunt se Spiritu Sancto est proprijssima & verissima. *Quinta conclusio.* Cum hæc propositio, Pater & filius diligunt se Spiritu Sancto est propria & vera, diligere non sumitur essentialiter nec purè notionaliter, sed mixto modo: & tũc primò & per se significat habitudinem

Sententia Doctorum.

n m ad res dilectas, connotat tamen relationem A spirantis ad spiratum. *Vltima* conclusio. Sensus huius propositionis, Pater & filius diligũt se Spiritu sancto, est iste: Pater & filius producunt Spiritum sanctum diligentem seipsos: sicut sensus huius propositionis, Pater dicit se verbo, est, Pater dicit verbum declarans ipsum Patrem. Denique Scotus negat hanc, Pater & filius diligunt se & creaturas Spiritu S. Durandus sequitur primam & secundam opinionem in textu relatas.

Torres suam sex dictis sententiam aperit. *Primum* est. Opinio Durandi dicentis dictam propositionem & similes esse falsas aut improprias neque est hæresis, neque error; quoniam oppositum non est ab Ecclesia definitum, neque contiB netur in sacris litteris &c. *Secundum.* Disputatio hæc non est maximi momenti, cùm non sit de re sed de nomine & de modo loquendi; quamuis omnis quæstio de Deo, quæ à Doctoribus & Sanctis agitatur, magni momenti habenda fuerit. *Tertium.* Asserendum est patrem & filium non tantum diligere Spiritu S. sed etiam amore essentiali qui est ipsa diuina essentia. *Quartum.* Præfata propositio est vera & propria in sensu assignato à D. Tho. & alijs Doctoribus, videlicet, Pater & filius diligunt se Spiritu S. i. producunt Spiritum sanctum. *Quintum.* Ingenuè fatemur nos non posse intelligere, quonam pacto prædicta propositio sit propria in sensu assignaC to. *Vltimum.* Hæc propositio, Pater & filius diligũt se & creaturã Spiritu S. in hoc sensu vera est, nimirum, Pater & filius dum diligunt se & creaturam, producunt Spiritum S.

Molina sententiam amplectitur Durandi, dicens illam propositionem, Pater & filius diligũt se Spiritu S. non videri posse aliter exponi, quàm hoc modo: Pater & filius amando se essentialiter, spirant Spiritum S. quo se amant; quod tamen est falsum quo ad posteriorem partem, eo quòd, vt authores ipsi contrariæ sententiæ affirmant, Pater & filius non amant se essentialiter Spiritu S. ideò (inquit) prædicta propositio mihi falsa videtur: videnturque authoritates Sanctorum exponendæ, vt Durandus eas exponit. Deinde docens modum, quo sustineri possit D sententia D. Thomæ & Sanctorum, affirmat se non satis percipere, quomodo propria sit in eo sensu dicta propositio, quamuis verissimam esse fateatur.

Capreolus *in 1. dist. 32. q. 1.* quem vniuersi sequuntur discipuli D. Thom. dictam propositionem affirmat esse veram & propriam. Sed non conueniunt Thomistæ in explicanda & probanda dictæ propositionis veritate & proprietate, cũ tamen se loqui profiteantur omnes ad mentem Angelici nostri Doctoris.

Vt igitur in hac satis perplexa difficultate legiE timum dicendi modum à minus probabilibus discernere valeamus, præmittemus de more pauca quædam, & firma veritatis fundamenta: ex quibusde varijs dicendi modis Thomistarum, & aliorum expositorum ac Doctorum non erit difficile iudicare.

Resolutio. Probatur veritas & proprietas dictæ propositionis ex triplici modo denominationis agentis, & exiguino

SCIENDVM *est primò* ex D. Thom. *in 1. dist. 32. q. 1. a. 1.* denominationem fieri posse tripliciter. *Primò* à forma, quæ est principium actionis in agente, prout dicimus ignem moueri sursum leuitate, & terram deorsum grauitate. *Secundò*, ab actione, quæ ab agente procedit. Et quod (inquit S. Th. actio sit in agente, hoc accidit illi quatenus est accidens. Vnde in genere actionis denominatur agens per id quod ab eo est, & non per id quod principium eius est. Dicitur enim actione agens: nec tamen actio est principium agentis, sed è contra. Et si per impossibile poneretur esse aliquam actionem quæ non esset accidens, non esset inhærens, & tamen denominaret agentem: & tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, quod tamen non esset in eo vt inhærens. Hæc ferè ad verbum D. Th. *Tertiò* fieri potest denominatio ab actionis termino, qui est effectus: sicut dicimus arborem florere floribus & ignem calefacere calore producto. Sic igitur in re proposita potest Deus à tribus diligens denominari: Primò à forma, quæ dilectionis est principum: secundò ab actu dilectionis: tertiò à terminodilectione producto.

Sensu illius regulæ: quãdo intellectu actionis &c.

Sed quoniam diligere in diuinis dupliciter sumi potest scilicet essentialiter & notionaliter, & vtroque modo proprium habet in ipso Deo diligente principium: ideò variè potest Deus diligẽs denominari, tam ab actu dilectionis, quàm ab eius principio. Nam si dilectio siuè diligere sumatur essentialiter, prout scilicet dicit actum voluntatis tribus communem cum habitudine ad obiectum diligibile, principium eius non quidem realiter, sed secundum rationem elicitiuum erit essentia, & ipsa voluntas cum charitate, à quibus Deus tanquam vno dilectionis principio denominabitur diligens. Dicitur enim Deus diligere se ipsum & creaturas amore, C qui est essentia sua, voluntas & charitas, vt vno dilectionis principio. Si verò diligere sumatur notionaliter, prout idem est quod spirare amorem, sic principium eius elicitiuum est proprietas communis patri & filio, quæ est principium huius actus modo *in a. 4. q. præcedentis* explicato; & ab hac proprietate velut à forma, quæ principiũ est dilectionis notionalis, quæ productio est vel processio Spiritus Sancti. denominatur Deus Pater & filius diligens notionaliter: Dicitur enim pater diligere filium amore, qui est ipsa proprietas, quæ principium est processionis Spiritus S. Ab actu verò diligendi essentialiter sumpto dicitur Deus diligens amore, qui est essentia sua, quæ idem est quod diligere essentiaD liter sumptum, eo modo quo idem est essentia diuina cum quolibet attributo siuè absoluta sua perfectione. Quod si diligere sumatur notionaliter, prout idem est quod amorem spirare, denominabitur Deus pater & filius diligens ipso actu notionali, qui est spiratio siuè amoris productio. Denique fieri potest Dei diligentis denominatio à termino producto dilectione & ita dicetur Deus pater & filius diligere se Spiritu S. vt amore personali ab vtroque procedente.

Huius denominationis rationem affert S. E Doc. ex ea communi regula: *Quando in intellectu actionis includitur effectus, siuè terminus, potest producens non solum ab actione, tanquam agens denominari, sed etiam ab effectu sicut à termino actionis.* Cuius regulæ sensum & fundamentum, etsi variè videantur interpretes explicare, idem tamen omnes insinuant. Nam Capr. sic eam interpretatur. Tunc (inquit) in intellectu actionis includitur determinatus effectus, quando verbum, quo significatur actio, simul importat effectum & emissionem effectus: sicut diligere dicit amorem & emissionem eius: vnde includit actionem & eius terminum vel effectum. At verò spirare vel generare solam dicit emissionem actus; quod ex hoc (inquit) cognoscitur, quòd ad verbum illud spirare conuenienter ad-

Regula communis D. Th.

Sensus Regulæ.

ditur

ditur effectus eius, siue terminus scilicet spiritus, dicendo Pater spirat spiritum: & conuenienter dicetur, Pater generat verbum: immò nec aliter est sensus perfectus: sed ad verbum *diligit* non additur effectus importatus scilicet amor, vt dicatur diligit amorem; cùm enim dicitur diligit, intelligitur quod amorem producit. Quam interpretationem sequitur & exponit Cai. duplici distinctione. *Prior* est. Aliquid includi in intellectu actionis contingit dupliciter. *Vno modo* loquendo de actione absolutè, & sic non intelligitur regula D. Thomæ. *Alio modo* loquendo de actione sic significata, & ita intelligenda est prædicta regula. Nam, etsi notionalis actus, quo pater & filius producunt Spiritum S. vnius sit tantum rationis absolutè: quatenus tamen diuersis illis vocibus nimirum spirare & diligere significatur, diuersæ rationis est. Nam vt significatur verbo, *spirare*, solum importat actum notionalem: vt autem significatur verbo diligere notionaliter sumptum, non sola denotatur actio, sed cum ea simul importatur illius terminus, qui est persona producta, qui est amor spiratus siue Spiritus S. Nam diligere notionaliter est producere amorem: sicut dicere est producere verbũ, vt ait S. Th. *ad 2. Posterior distinctio* est. In intellectu actionis sic significatæ dupliciter potest effectus includi: *Vno modo* vt actio ipsã ipsã specificans siue qualitatẽ aut speciẽ eius determinans: quemadmodũ in intellectu actionis, quæ est ædis effectiua, prout significatur hoc verbo, *ædificare*, clauditur ędes: & in actione citharę pulsatiua, vt significatur verbo, *citharizare*, clauditur cithara, vt actionis qualitatem & speciẽ determinans, & ab alijs eiusdem vel alterius generis distinguens: & de hoc inclusionis modo non intelligitur regula D. Thom. Nam sic etiam verbum, *spirare*, includit terminum & quasi effectum actus spirandi, scilicet vt specificantem & distinguentem spirationem à generatione & à qualibet alia operatione. *Alio modo* potest effectus siue terminus in intellectu significatæ actionis includi vt actioni coniunctus, tanquam productum suæ productioni: ita scilicet vt veluti coniunctus significetur: & hic est inclusionis modus de quo loquitur S. D. Eo namque posito, potest agens siue producens denominari, non ab actione tantum sed etiam ab effectu siue termino producto.

Cai. distinctio duplex.

Quomodo verò discerni valeant verba includentia effectum vt actioni coniunctum ab ijs, quæ eundem includunt effectum vt specificantem, docet Capreolus per hoc distingui, quòd verba posterioris ordinis regunt accusatiuum, qui non designat effectum illarum actionum, quas significant: sed accusatiuum designantem rem, ad quam talis effectus habet habitudinem (intellige tanquam ad obiectum, vel tanquam ad materiam circa quam) vt dicere & diligere. Vnde (inquit Capreolus) non oportet dicere, Pater dicit verbum; quia in dicere intelligitur producere verbum: potest tamen congruè dici, Pater dicit se, filium & creaturam verbo; nam vox illa, *dicit*, importat producere verbum; accusatiua verò illa videlicet se, filium & creaturam significant obiectum, siue res ad quas effectus siue terminus productus habet habitudinem repræsentatiui ad repræsentata. Illa verò scilicet includentia effectum vt specificantem regunt accusatiuum, qui designat effectum actionis per verbum significata: vt cùm dico, Pater generat filium: Pater & filius spirant Spiritum S. Petrus ædificat domum. Et sermo est de effectu, prout idem est, quod productum. Nec potest (ait Capr.) perfectus haberi sensus, nisi addito talibus verbis accusatiuo actionis effectum significante in generali vel in speciali; vt dicendo ædificator ædificat ædificium vel palatium: producens producit productum vel ignem. Quam doctrinam sequitur hic Caiet. & alij. Ex hoc enim quòd illa verba, puta dicere & diligere includunt proprium effectum siue productum, vt actioni coniunctum, sequitur vt eandem semper retineant habitudinem ad ipsum effectum siue terminum. Dicere enim semper significat habitudinem ad verbum tanquam terminum dictione productum, quia dicere est verbum producere: cùm tamen habitudo ad rem per additum casum accusatiuum significata non sit eadem, sed diuersa iuxta diuersitatem rei significatæ. Nam si dicam, Petrus dicit historiam Troiæ: aliam habitudinem significo ab ea, quam exprimo dicendo, Petrus dicit miracula Christi. Alia verò verba, quæ claudunt effectum vt specificantem, nullam habent certam & immobilem habitudinem ad aliquem effectum vel terminum, sed omnis eorum habitudo ex addito accusatiuo determinatur in genere vel in specie, vt ante diximus ex Capreol. Nec alia quærenda est causa, cur verba quædam ita significent, & alia minimè nisi libera voluntas instituentis, vt ait Caiet. Eandem doctrinam sub alijs terminis habet S. D. *in 1. dist. 32. q. 1. a. 1.* quam explicat Sylvest. cuius discursum breui ac facili compendio colliguntBan. Zum. Val. & Vasq. qui cum Sylu. diuersam profitetur suam esse doctrinam ab ea, quam adduximus ex Cai. & Cap. cùm tamen sit prorsus eadem.

Capr. regula

Dicunt igitur Expositores prædicti duplicem esse actionum differentiam. Nam *actiones quædam* sunt, quæ proprium aliquem & immediatum habent effectum mediantem inter ipsas & obiectum siue materiam, quæ per eas attingitur, aut quam significantur attingere. Itaque verba talis actionis significantia, duplicem in eis important ordinem siue respectum. Alterum ad effectum siue terminum per eas productum. Alterum ad obiectum siue materiam circa quam versantur, siue sint actiones transeuntes, vt dealbare & florere, siue sint immanentes, vt dicere & diligere. Nam dealbatio proprium habet effectum, qui est albedo producta, quæ media est inter dealbationem & rem dealbatam; & similiter dicere proprium habet terminum, quasi effectum productum, scilicet verbum medium inter actum dicendi & rem verbo dictam siue repræsentatam: & diligere notionaliter habet amorem productum, qui medius est inter actum amandi & rem amatam; atque ideo duplex in quolibet similium verborum significatur habitudo: vna ad terminum productum, quam inuariabilem esse diximus; alteram ad obiectum siue materiam circa quam versatur actio, quæ diuersa est iuxta rei diuersitatem per casum accusatiuum significatæ. In hoc igitur actionum genere, quatenus vt proprios effectus includentes significantur, fieri potest agentis denominatio, non ab actione tantum, sed etiam ab effectu siue termino producto; dicendo exempli gratia: Petrus albedine dealbat parietem: arbor floret floribus: Paulus dicit verbo historiam; Pater dicit se, Filium, Spiritum S. & creaturas verbo: Pater & Filius diligunt se & Spiritum S. & creaturam Spiritu sancto. Ratio verò est; quoniam in hoc actionum genere effectus siue terminus productus ex parte actionis se tenet magis, quàm ex parte obiecti; pertinet enim ad perfectionem & complementum operatio-

Probatur ea de veritate, & exponitur eadẽ regula sub alia forma, sed in eodẽ sensu & posteà diuersimodè diligere non pure notionaliter in dicta propositione.

tionis, & est intimus illi. Et quemadmodum actio per se & ex natura sua ordinem habet ad obiectum siue materiam circa quam versatur; ita etiam ad idem obiectum siuè materiam ordinatur terminus productus, puta albedo ad hoc vt fiat paries albus; flos vt sit arbor florida; verbum ad representandum; amor ad obiectum diligibile. Quo fit vt eadem ratione qua denominatur agens à dicti generis actionibus, denominetur etiam ab earum effectibus siue terminis per eas productis: Et quia principium actionis potest etiam esse illius obiectum, vt patet, cum aliquis intelligit & amat se: ideo actus notionalis prædicto modo significatus potest reflecti supra principium ipsius actus, dicendo: Pater & Filius diligunt se Spiritu S. *Quædam vero actiones* B sunt nullum habentes effectum, qui sit medius inter eas & obiectum, quod per eas attingitur, siue materiam circa quam versantur: sicut generare, producere, ædificare & spirare; his enim verbis importatur actio vt immediatè attingens obiectum siue materiam circa quam versatur: & vna tantum significatur habitudo, quæ est ad terminum vel effectum actione productum. Et in hoc actionum genere, prout ita verbis significantur, fit agentis ab actione sola denominatio, non autem ab effectu. Non enim dicimus Patrem generare Filio sed generatione: nec producentem producere producto sed productione: nec ædificatorem ædificare æde sed ædificatione; nec spiratorem spirare Spiritu S. sed spiratione, ob C dictam causam; quia s. nullus effectus aut terminus, productus significatur his verbis vt medius & per se ordinatus ad vlteriorem terminum siue obiectum aut materiam circa quam versatur agens; sed solam actionem prædicta verba significant, vt ad tale obiectum siue materiam ordinatam.

Et ex his apparet expositionem Caiet. in nullo esse diuersam à prædicta, sed ex ea mirificè declarari. Nam quod dixit Caiet. verba quædam effectum vt actioni coniunctum significare, & habitudinem habere immutatam ad terminum: hoc apertius explicant recentiores dicentes; verba quædam significare actionem, quæ medium D habet effectum siue terminum productum inter ipsam & obiectum; qui terminus cum se teneat ex parte actionis vt eius perfectio, dicitur illi coniunctus, & respectus ad ipsum inuariabilis. Coincidunt igitur ambæ expositiones, & vna per alteram explicatur.

Dub. *Et hinc* facilè soluitur alia QVAESTIO; *an. s. diligere sumatur hic à D. Th. merè notionaliter, vt videtur accepisse nonnulli; an autem includat, vel consignificet aliquid essentiale?* Nam si diligere notionaliter sumptum duplicem importat respectum, scilicet ad effectum siue terminum productum, & ad obiectum, scilicet diligibile: sequitur hic non sumi diligere merè notionaliter, sed prout E includit actum dilectionis essentialem, cuius obiectum est ipsum diligibile: sicut etiam amor personalis, qui est Spiritus S. non sumitur pro relatione subsistente præcisè, sed prout etiam includit amorem essentialem. Quod satis apertè significat S. D. *in resp. ad 3.* dicens: *Diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem diuinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, quæ habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde, sicut Pater dicit se, & omnem creaturam verbo, quod genuit, inquantum verbum genitum sufficienter representat patrem, & omnem creaturã, ita diligit se, & omnem creaturam spiritu sancto inquantum spiritus sanctus procedit, vt amor bonitatis*

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A *primæ secundum quam pater amat se, & omnem creaturam: & sic etiam patet, quòd respectus importatur ad creaturam, & in verbo, & in amore procedente, quasi secundariò: inquantum scilicet bonitas, & veritas diuina est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.* Hæc D. Thom. Ex quibus etiam *Molinæ dictum reijcitur.* patet falsum esse, quod hic ait Molina, videlicet verbum hoc *dicere* in recto significare hoc quod est exprimere, & repræsentare res verbo dictas & expressas. Nam verbum, *dicere*, cum sit notionale, primò significat respectum patris dicẽtis ad ipsum verbum, vt affirmat *in art. præcedẽte* S. D. Sed quia verbum genitum procedit per modum intellectus & repræsentat omne intelligibile; idcirco secundariò & quasi in obliquo B connotat aut significat respectum ad Deum & creaturas, vt per ipsum repræsentata; quod idem proportionaliter dicendum est de *diligere.*

SECVNDO *considerandum est*, præcipuam huius controuersiæ partem in eo positam esse, vt explicetur modus, quo propriè fieri possit patris & filij denominatio à Spiritu S. veluti termino dilectione producto. In hoc enim puncto defecit Magister, & cum eo Torres, Molina & alij plures ex antiquioribus quos hic & alibi recenset D. Th. Affirmat autem hic S. Doct. cum vltima quam refert Scholasticorum sententia, in hac propositione, *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*, ablatiuum illum, *Spiritu sancto*, construi C in habitudine effectus formalis, vt habetur in textu & planius explicatur *in 1.* vbi sic ait S. D. *Dicitur effectus largo modo omne id, quod à principio est; quia propriè in diuinis non est effectus, nec effectũ, & formale dicitur, quod habet effectum formæ in denominando; & est sensus: A patre, & filio procedit amor, qui est spiritus sanctus, quo diligunt se.* Et *ibidẽ ad argumenta. Amor* (inquit) *personalis non se habet ad patrem diligentem vt principium dilectionis, sed magis vt actus denominans: & ideo non construitur in habitudine alicuius principij, nec in habitudine formæ, inquantum forma est principium: sed solum in quantum forma est denominans, sicut dicitur: iste est agens actione: & ideo, quia præpositiones important expresè habitudinem causæ, non ita est propria ista: Pater diligit Filium per Spiritum sanctum: sicut hæc: Pater diligit Filium Spiritu sancto; quamuis etiam concedi possit, inquantum est principium denominationis non simpliciter. Hæc autem: Pater diligit à Spiritu sancto, nullo modo concedenda est.* Hæc ibi D. Th. Ex quibus euanescit ea difficultas, quam si- *Suarezij difficultas vana.* bi fingere videtur Suarez *in dicto cap. 3. num. 9.* est enim hæc denominatio partim intrinseca, quatenus Spiritus S. qui est terminus productus, ad quandam perfectionem pertinet actus spirationis, & quatenus essentialem amorem includit; partim etiam extrinseca est, qua ratione Spiritus S. est à patre & filio spirãtibus persona distincta.

Affert autem Suarez quandam huius denominationis expositionem vt propriam, quam tamẽ *Suar. expositio ex D. Thom.* expresserat S. D. *in primo sent.* Ait ergo Suarez denominationem esse posse vnionis cuiusdam affectiuæ: nam ea quæ se diligunt, vniuntur affectu; & ideo (inquit) rectè dici possunt vniri, & dilectione ipsa, tanquam ipsa vnione, & termino producto tanquam eo in quo vniuntur. Contingit enim aliqua vniri in tertio seu in termino aliquo; & tunc non tantum denominantur ab ipsa vnione seu actione qua vniuntur, sed etiam à termino: quomodo lineæ dicuntur vniri puncto seu centro: & duæ naturæ in Christo dicuntur vniri vna substantia. Sic ergo pater & filius dicuntur vniri Spiritu S. non informatiuè sed

Contra Suarezium.

terminatiuè, &c. Hæc ibi Suarez. *Sed in primis* per hæc non soluit propositam à se difficultatem; an scilicet talis denominatio sit intrinseca vel extrinseca. Deinde nihil dicit singulare. Nam S. Thom. respondens ad argumentum cuius maior erat. *Omnis amor quo aliqui se diligunt, est vinculum, vel nexus vniens eos*, sic ait. *Hæc est vera: Pater, & filius vniuntur Spiritu sancto, secundum quòd Spiritus sanctus est ipsa vnio, sicut & amor quo formaliter vniuntur, sicut eo quod ab eis procedit, sicut aliqui vniuntur vno actu. Nec tamen ista simpliciter concedenda est, quod Spiritus sanctus vniat patrem, & filium; quia vnire significat modum vnientis effectiuè quod non conuenit spiritui sancto Potest tamen concedi, si intelligatur vniens formaliter: sicut albedo dicitur facere album.* Hæc D. Thomas. Vbi aduerte Spiritum S. dici vnire formaliter patrem & filium vt terminum ab vtroque procedentem, vt iam dixerat D. Thom. in verbis modo relatis. Nihil igitur attulit Suarez proprij, sed D. Thomæ sententiam paulò fusius explicauit: nec diuersus est hic dicendi modus à præcedenti, sed denominationis modum, quem in communi tantum expressérat in corpore, illius argumenti solutione declarat in particulari. Ex dictis sequuntur quinque conclusiones.

A

B

Conclusiones deductæ, & probatæ.

C

PRIMA CONCL. *Regula illa D. Thom. (Quãdo effectus in intellectu actionis includitur, potest agens denominari ab actione, & à termino qui est actionis effectus) verissima est & optimè exponitur à Capr. Cai. Sylu. & alijs eum sequentibus modo superius explicato.*

SECVNDA CONCL. *Illa propositio (Pater & filius diligunt se Spiritu S.) in rigore & proprietate sermonis est vera, iuxta sensum quem explicat S. Thom.* Hanc latè probat Zumel. & alij recentiores proferentes ex Magistro dicta Sanctorum Hieronymi, August. Bernardi & aliorum; quæ tamen Suarez *in dicto cap. 5.* negat sensum propositionis, de qua disputamus exprimere; nititurque singula dictorum Patrum dicta de Spiritu S. interpretari, quatenus identicè est amor siue dilectio essentialis. Quam expositionem voluntariam, ne dicam violentam magis, quàm dictis Patrum consonam existimauerim.

D

TERTIA CONCL. *In dicta propositione, diligere, sumitur notionaliter; non præcisè tamen, sed vt etiam includit in se, & in suo termino producto amorẽ essentialem.*

QVARTA CONCL. *In dicta propositione denominantur Pater & filius diligentes Spiritu S. tanquam effectu formali, id est termino producto; qui cũ sit amor & nexus, denominat ad modum vnientis formaliter.* Hanc latè probat Capr. ex D. Th. & est apud eum quinta.

E

VLTIMA CONCL. *Verus & proprius sensus dictæ propositionis est: Pater & filius diligunt se Spiritu S. id est dilectione producunt Spiritum Sanctum vt amorem & nexum vtriusque: & in quo est ratio omnis diuinæ dilectionis & diligibilitatis.* Hæc patet ex dictis.

Ob. 1. cont. 1. concl.

CONTRA *primam* concl. quo ad priorem eius partem sunt omnia argumenta Scoti & Aur. quæ referunt & soluunt Capr. Cai. Iauel. Zum. & alij expositores; sed ex dictis omnia facilè diluuntur. Contra eandem concl. quo ad secundã eius partem argumentatur Sylvest. *Primò.* Quia secundum expositionem Caiet. omnis effectus proprius cuiusque actionis denominabit in ablatiuo. Probatur sequela; quia ex eo quòd proprius semper est coniunctus actioni, immò & agenti in actu *ex 7. Phys* & est de intellectu actionis: cum sit eius obiectum & terminus. *Secundò.* Quia membra distinctionis Caiet. coincidunt. Ergo. Probatur antecedens; quia omnis effectus specificans actionem est ei coniunctus *ex 7. Phys.* & de eius intellectu, si actioni dat speciem. *Respond.* hæc obiecta procedere ex malo intellectu verborum Caiet. Vnde *ad primum* negatur sequela. Ad probationem negatur consequentia; nam aliud est esse coniunctum, & aliud significari vt coniunctum, id est vt terminum immobilis habitudinis ad ipsum, vt supra notauimus cum Cai. *Ad secundum* negatur antec. Ad probationem negatur sequela ob dictam causam. Et præterea aliud est effectum esse de intellectu actionis, vt est specificans actionem; & aliud est esse de intellectu actionis, prout est actioni coniunctus, modo superius explicato.

Ob. 2. *Solut. prim. obi.* *Solut. 2. ob.*

Contra eandem partem argumentatur Vasquez ex aliorum scriptis. *Primò.* Non magis includitur in conceptu dictionis verbum productum, tanquam productum coniunctum producenti, quàm spiritus in conceptu spirationis: Ergo malè Caiet. discrimen constituit inter illa duo genera actionum. Antecedens probatur; quia omnis actio siue in genere siue in specie considerata ordinem habet ad suum terminum, tanquam ad productum coniunctum producenti; quod præsertim verum est in generatione; hæc enim ita intrinsecum ordinem habet ad filium genitum, sicut dictio ad verbum: & tamen non dicimus: Pater generat filio aliquid aliud; ergo &c. *Resp.* falsum esse antec. Ad cuius probationem negatur antecedens sumẽdo dictionem & generationem, vt per has voces dicere & generare significantur; quicquid sit de actione generandi & dicendi secundum se, quæ vna & simplicissima est.

Obi. 3. *Solut.*

Secundò. Dilig̃ere non significat actionem, quæ postulat duplicem casum accusandi; non enim dicimus, saltem in creaturis, homo diligit amorem suum & amicum; & tamen dicimus homo diligit amicum amore suo. Ergo male Cai. discrimen illud constituit inter illa duo genera actionum. *Respond.* nullam esse conseq. Non enim est necesse tales actiones duplicem accusatiuum postulare, sed sufficit vt post accusatiuum significantem obiectum adiungi possit casus effectiuus siue ablatiuus, significans productum terminum quo denominetur agens.

Obi. 4. *Solut.*

Contra priorem partem argumentatur Suarez. Quotiescunque terminus actionis construitur illo modo cum verbo significante productionem, significatur vt forma eius, cui accommodatur; Ergo oportet, vt det illi denominationem formalem vel intrinsecam & propriam; vt in hac; ignis calefacit lignum calore producto: vel per adiacentiam aliquam, quo modo est vera illa locutio; arbor floresc̃it floribus, quia flores manent in arbore & ornant illam. Vel per extrinsecam denominationem seu repræsentationem, quomodo est vera illa locutio: Pater dicit se vel alia verbo. At verò non potest hic esse formalis & intrinseca denominatio, vt constat: neque extrinseca apparet; quia Spiritus Sanctus nec repræsentat, neque adiacet seu ornat Patrem & filium producentes ipsum. *Respondetur* primò falsum esse antecedens; satis est enim vt significetur vt effectus

Obi. 5. *Solut.*

ad

ad modum formæ denominans. Secundò admisso terminum actionis esse formam quoad actum denominandi præcisè, dico denominationem illam esse aliquo modo intrinsecam & aliquo modo extrinsecam, formaliter autem & propriè extrinsecam. Et quamuis Spiritus S. neque sit adiacens neque repræsentet, habet tamen aliquid maius adiacentia, scilicet identitatem essentialem & inexistentiam personalem in Patre & Filio, & ab vtroque procedit vt terminus vtriusque dilectione productus: & consequenter vt amor & nexus amborum, vt latè superius explicauimus. Quod igitur efficit in verbo repræsentatio, hoc idē præstat nexus in Spiritu S. quo ad effectum denominandi.

Obi. 6. *Contra eandem* partem argum. Rada, sed eius argumenta, vel cum prædictis coincidunt, vel manifestè falsas habent consequentias, vt est illud spirare solam productionem notionalem dicit, diligere notionaliter non ita; quia respectū ad rem amatam importat; ergo Spiritus S. non magis significatur vt coniunctus actui per verbum diligere, quam per verbum spirare. *Solut.* *Respond.* enim falsam esse conseq. & oppositum manifestè ex illo antecedente deduci, vt patet ex dictis.

Obi. 7. *Simile etiam* est illud. Neutralitas verbi spectat tantum ad modum significandi secundum Caiet. & non ad rem significatam; Ergo saltem verbum neutrum quo ad modum significandi *Solut.* non importat actionem. *Falsa est enim* consequentia, & eius oppositum sequitur ex antecedente scilicet verbum neutrum quo ad modum significandi non importare actionē, cum tamen non prohibeatur illam secundum se significare.

Ob. 1. cōt. 2 conci. CONTRA *secundam conclus.* sunt argumenta Dur. & Scoti, quæ refert & soluit Zumel. quæ tamen eadem sunt cum argumentis notatis contra primam conclusionem. Contra eandem conclus. & vltimam argum. Torres. *Primò.* Illa propositio est propria in aliquo sensu, quæ facit illum sensum iuxta propriā & germanam significationem terminorum, ex quibus constat: At illa propositio non est huiusmodi; Ergo &c. Probatur minor; quia diligere sua propria significatione non significat producere amorem aut Spiritum S. Ergo &c. Antec. probatur; quia verè diligit qui non producit amorem, sed illum habet longo tempore antea productum; & vt quis diligat, requiritur vt amor prius producatur. *Solut.* *Resp.* falsam esse minorem. Ad probationem negatur antecedens loquendo de diligere notionaliter, aut etiam de diligere creato. Ad probationem dico, eum qui diligit, semper producere actu amorem, cum non possit esse amor sine actu secundo dilectionis: sicut neque verbum sine actuali intellectione: neque prius est amor quàm dilectio, vt est in fieri & quasi via ad terminum; quamuis non intelligatur perfecta nisi producto per eam termino, vt explicauimus *in q. 27. a. 3.*

Ob. 2. *Secundò.* Si Deus de solo in mente nostra produceret amorem, nos amore illo diligeremus, & non produceremus illum: & viceuersa, Deus produceret illum amorem, & non diligeret: Igitur diligere secundum natiuam & germanam significationem non significat producere amorem aut Spiritum S. atque adeò cum diligere notionaliter sumitur à S. Thom. non vtitur hoc *Solut.* verbo propriè in sua significatione. *Respond.* casum in conditionali propositum esse impossibilem & implicare contradictionem. Nam de ratione operationis vitalis, & eius termini intrinseci est, vt sit ab intrinseco principio vitali: & ideo eo casu posito sequuntur contradictoria, nimirum nos amorem illum producere; quia vitalis actus seu terminus eius intrinsecus est: & nos illum producere; quia infunderetur à Deo.

Tertiò contra exemplum de florere vtitur argumento Scoti & Aureoli, à Capr. & Cai. soluto; & addit prius natura arborem producere flores quàm florere; *quòd manifestè* falsum est; nam ipsa floris productio, est floritio. *Obi. 3.* *Solut.*

Quartò. Dicere verbo non est formaliter producere verbum, sed verbo manifestare conceptus: Ergo nec diligere est spirare amorem. *Resp.* falsum esse antec. vt *in q. 27.* ostendimus cumulatè. *Obi. 4.* *Solut.*

CONTRA *tertiam conclusionem* argumentatur Zumellus. *Primò.* S. Thom. hic apertè dicit, quòd hic diligere sumitur notionaliter, sicut dicere sumitur notionaliter, dicendo Pater dicit se verbo. *Secundò.* Quia diligere sumitur pro diligere productiuo; Ergo pro diligere notionali. *Tertiò.* Quia dilectio notionalis non est talis, nisi vt cōiuncta notioni personæ producentis: sed hoc modo sumitur hic diligere; Ergo &c. *Resp.* his argumentis probari sumi à D. Th. diligere notionaliter, non tamen præcisè. Nam sicut in hac propositione, Pater dicit se verbo, sumitur dicere notionaliter, non tamen præcisè; quia significatur etiam ordo ad obiectum importatum per illum accusatiuum, *se*, qui ordo est ad essentiam in verbo inclusam secundum rationem repræsentatiui: ita in hac propositione, Pater & Filius diligunt se, & creaturam Spiritu S. diligere sumitur notionaliter, sed non præcisè; quia in illo accusatiuo *se*, & *creaturam*, significatur obiectum dilectionis, ad quod habet ordinem diligere ratione amoris essentialiter inclusi, vt ante diximus: Vnde etiam ipse Zumel. fatetur in verbo, *diligere*, non exprimi solum habitudinem notionalem, sed etiam essentialem simul. *Ob. 1. cont. 3. concl.* 2. 3. *Solut.*

CONTRA *quartam* conclusionem est argumentum Suar. quod adduximus contra primam conclusionem ex cuius solutione facilè soluuntur alia quædam similia apud Capreol. & alios.

CONTROVERSIA SECVNDA.

An hæc propositio: Pater & filius diligunt creaturas Spiritu sancto, vera sit in proprio, ac formali sensu.

SCOTVS *in 1. distinct. 32. quæst. 2. ad vlt. argum.* quem sequitur Rada *controu. 17. ad 3.* existimat prædictam propositionem esse falsam. *Sententiæ Doctorum.*

Torres *in fine commentarij huius articuli* putat eam esse veram in hoc sensu, videlicet: Pater & Filius dum diligunt creaturas, producunt Spiritum S. quia scilicet ab æterno producunt Spiritum Sanctum & diligunt creaturas. Eandem sententiam sequitur Zumel. *super hoc artic. in fine.*

Suarez *lib. 11. cap. 3.* in fine duo dicit. *Primum.* Sicut verbum licet absoluta necessitate non repræsentet creaturas futuras, tamen ex suppositione, quod futuræ sunt necessariò repræsentat

illas; quia verbum necessariò procedit aptum ad repræsentandas creaturas etiam existentes: ita Spiritus S. necessariò includit proportionalem relationem, vt scilicet quamuis necessariò non oporteat creaturas diligi, si tamen creaturæ diligendæ sunt à Deo, illo eodem amore diligendæ sunt, quo procedit Spiritus S. Est ergo vera secundum Suarez. illa propositio in hoc sensu: Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu S. id est Pater & Filius diligunt creaturas, quæ diligendæ sunt eodem amore, quo procedit Spiritus S. *Secundum* eius dictum est. Hæc propositio non est satis propria, nec vsurpanda sine sufficienti declaratione. A

Vasquez *disp. 152. cap. 2.* reiecto modo dicendi S. Thom. *in 1. dist. 32. q. 1. a. 3.* qui est etiam D. Bonau. & Marsilij, *eadem distinctione*, sentit dictam propositionem esse veram de creaturis tam futuris, quàm possibilibus, sumendo diligere notionaliter: quia scilicet Spiritus S. tanquam terminus productus per dilectionem, non solum habet respectum producti ad Patrem & Filium, sed etiam respicit obiecta secundaria amoris, sicut ipsa dilectio notionalis. Deinde notat dilectionem notionalem liberè referri ad creaturas, ad quas si futuræ non essent, posset nõ terminari. B

Sed aliam à prædictis longè diuersam habet sententiam D. Th. *in dicta 32. dist. primi sent.* Ad cuius euidentiam. C

Resolutio. Veram esse dictam propositionem, siue sumatur diligere essentialiter, siue notionaliter.

Sciendum est primò ex eodem S. D. infra. *q. 45. art. 6.* Diuinas personas secundum rationem suæ processionis habere causalitatem respectu creationis rerum; quoniam Deus est causa rerũ per suum intellectum, & voluntatem: sicut artifex rerum artificiatarũ. Artifex autem per verbum intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur; itaque similiter etiam Deus Pater operatus est creaturam per suum verbum, quod est filius, & per suũ amorẽ qui est Spiritus S. Hoc igitur modo processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, quatenus essentialia claudunt attributa, quæ sunt scientia & voluntas. Hæc ferè ad verbum D. Thom. qui *in 1. loco superius allegato*, eidem innitens fundamento ait processionem diuinarum personarum esse quandam originem processionis creaturarum; eo quòd omne primum in aliquo genere sit causa eorum, quæ sunt post; quamuis efficientia creaturarum essentiæ communi attribuatur. Igitur Spiritus sanctus secundum rationem suæ processionis, qua procedit vt amor, ratio est & origo processionis creaturarum à Deo; nam diuinus amor effectiuus est esse & bonitatis creatæ.

Secundò considerandum est ex eodem Angelico nostro Doctore, *eadem dist. & art.* in illa propositione verbum, *diligere*, dupliciter sumi posse scilicet essentialiter, & notionaliter: & si vtrouis modo sumatur diligere, vera est propositio, sed est diuersa ratio veritatis. Nam si diligere sumatur essentialiter: in ipso dilectionis verbo designabitur efficientia totius Trinitatis: ex hoc enim res producuntur in esse, quòd Deus vult eis hoc bonum, quod est esse: idem autem est velle bonum, quod amare. In ablatiuo autem, quo significatur persona Spiritus sancti designabitur (inquit Sanct. Doctor) ratio efficientiæ, non ex parte efficientis, puta patris & filij, sed ex parte rerum effectarum, quarum rationem & originem diximus esse duplicem personarum processionem, verbi scilicet & amoris, modo superius expositio; & erit sensus: Pater & filius diligunt creaturas Spiritu sancto, id est producunt creaturas, & ratio productionis est Spiritus sanctus. Ad cuius euidentiam considerandum est, nullam in Deo personam habere rationem principij respectu alicuius essentialis; vnde falsa communiter à Theologis asseritur illa propositio à D. Augustt. retractata: Pater est sapiens sapientiã genita; quia scilicet sapientia patris non dependet à filio; ergo neque Spiritus sanctus habet rationem principij in patre & filio quo ad dilectionem essentialem, qua diligunt creaturas; sic enim haberet Spiritus sanctus respectum causalitatis formalis ad Patrem & filium; quorum dilectio à Spiritu sancto veluti formali principio dependeret. Sed quemadmodum in egressu artificiatorum dupliçem consideramus processum: alterum ipsius artis ab artifice, quatenus per actum intellectus eius sibi conceptionem format; alterum artificiatorum ab arte concepta; sic in processu voluntatis duo contemplamur, videlicet exitum amoris ab amante, & exitum rei datæ per amorem ab ipso amante. Igitur, si primum attendamus exitum, qui est amoris ab amante, Spiritus sanctus qui est amor productus, se habet ad Deum diligentem creaturas vt effectus, siue quod est à principio, sicut & verbum. Sed quo ad alterum exitum, scilicet rei datæ per amorem ab amore, se habet Spiritus sanctus vt principium, creatura verò vt effectus, modo superius expresso.

Quomodo Spiritus S. sit ratio efficientiæ rerum.

Si verò diligere sumatur notionaliter verbum *diligunt*, non importabit ex principali intentione habitudinem efficientiæ respectu creaturæ, sed principaliter denotabit rationem huius efficientiæ ex parte rerum effectarum; & consequenter dabit intelligere habitudinem efficientiæ; & erit sensus: Pater & Filius diligunt creaturam Spiritu sancto id est spirant amorem personalem, qui est ratio omnis liberalis collationis factæ à Deo creaturæ, vt ibidem inquit Sanct. Thom. Eandem doctrinam breuius continet responsio *ad 3. argumentum*. D

Tertiò obseruandum est, cum dicitur Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto, non significari Spiritum sanctum procedere per amorem creaturarum formaliter; sicut non significatur filium procedere ex cognitione creaturarum formaliter, cum dicitur, Pater dicit creaturas verbo suo. Nec *in responsione ad tertium* id exprimit S. Thom. quamuis dicat Patrem diligere se & omnem creaturam Spiritu sancto: in quantum Spiritus sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, secundum quam pater amat se & omnem creaturam: sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo quod genuit, inquantum verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem & omnem creaturam. Iam enim diximus, ex hoc modo loquendi non significari processionem verbi à cognitione creaturarum formaliter. Igitur nec ex illo denotatur Spiritum sanctum procedere ex amore creaturarum formaliter, sed materialiter tantum. Et ideò non est hic necessaria illa quæstio, quam tractat Suarez *lib. 11. de Trin. cap. 2.* videlicet ex quarum rerum amore Spiritus sanctus procedat. E

Spiritus sanctus procedere ex amore creaturarũ prout in Deo sunt, & quatenus ad earũ essentias, nõ autẽ quo ad earum existentias.

TA-

Tamen aduerte posse creaturas à nobis tripliciter considerari. *Primò*, vt sunt eminenter in Deo tanquam in primo ente & causa earum productiua: quo essendi modo ait D. August. creaturas in Deo esse creatrices essentias. *Secundò* possunt considerari quo ad earum essentias & habitudines prædicati ad subiectum: quomodo dicuntur esse possibiles secundum se: quia contradictionem non implicat eas produci & esse. *Tertiò* possunt à nobis concipi vt actu productæ & existentes in aliqua temporis differentia. De creaturis primo modo consideratis certum est Spiritum S. ex earum amore procedere: Sicuti certum est illum procedere ex amore Dei, qui est esse per essentiã, continens eminẽter vniuersa creata & creabilia. Si verò secundo modo considerentur creaturæ, dubitant recentiores; num ex earum amore procedat Spiritus S. & in oppositas diuiduntur sententias. Partem affirmantem sustinet Vasquez, negantem amplectitur Suarez. Nos supra *quæst. 20. & alibi* nostrum de hac difficultate iudicium significauimus dicentes Deum creaturas vt possibiles diligere necessariò, sicut amat Deus necessariò suam omnipotentiam. Bonum enim omne, quod à libera Dei voluntate non dependet, necessariò diligit Deus. Constat autem creaturas secundum suas essentias vt sic, & secundum esse possibile vt sic non dependere à libera Dei voluntate; cum rerum essentiæ & earum esse possibile vt possibile consistat in habitudine necessaria terminorum, siue rationum formalium, ex quibus integratur & explicatur cuiuslibet rei natura. Cum itaq; Spiritus ex amore necessariò & naturali procedat, necesse est etiam ex amore creaturarum possibilium quæ naturaliter à Deo diliguntur, emanare.

Soluitur obiectio. *Nec obstat*, quod Deus nihil extra se amat necessariò; quia dictum hoc intelligendum est de simpliciter entibus, quorum est habere propriã existentiam in aliqua durationis differẽtia, qualem non habent entia possibilia, quæ nec simpliciter entia dicenda sunt. Et cum nullam habeant in seipsis sed in Deo tantum existentiam, & eorum essentia ex ipso esse per essentiam quadam ratione dependeat, vt supra *q. 16. & alibi* declarauimus: consequens est omnem dilectionis & diligibilitatis necessitatem, ad ipsum esse per essentiam & Dei bonitatem infinitam referendam esse, vt primam & sufficientem rationem omnis diligibilis & dilectionis. Igitur formaliter & simpliciter loquendo, sola diuina bonitas necessariò diligitur. Extenditur tamen quodammodo siue secundum quid, diuinæ dilectionis necessitas ad possibilia, quatenus necessitatem essendi in tali esse scilicet quidditatiuo à Deo suo modo participant. Diliguntur autem à Deo hæc possibilia non secundum esse tantum, quod habent in Deo, sed secundum proprias essentias, vt ad proprias existentias, nõ actu sed possibiliter ordinatas; vult enim Deus rebus possibilibus hoc bonum, quod est esse earum, vt possibile.

Soluitur obiectio tacita. *Nec oppositum docuit* S. Thom. sed solum affirmat *in quæst. 20. art. 2.* Deum amare omnia existentia, & amorem Dei esse infundentem & creantem bonitatem: nostrum autem prouocari ex rerum bonitate vera vel æstimata. Intendit enim S. Doct. hæc duo. Primum est. Omnia existentia à Deo diligi. Secundum. Rerum existentiam à Deo creari; non tamen affirmat, si verba eius considerentur attentè, in omnibus rebus à Deo dilectis existentiam cauſari. Sed ait nullam esse rem existentem, cuius esse non sit à Deo causatum; quamuis etiam dici posset D. Thomam loqui de dilectione entium simpliciter, quorum est propriè & simpliciter diligi; nam quæ possibilia tantum sunt, sicut simpliciter entia non sunt, ita nec simpliciter; sed quodammodo diliguntur à Deo. Et ex his soluuntur obiecta Suar. *in dict. 2. cap.*

Obiectorum Suarezij. solutio. Si denique sermo sit de creaturis, prout existunt in aliqua temporis differentia, distinguendum est. Amor enim quo Deus diligit creaturas, vel sumitur materialiter vel formaliter; Si materialiter, certum est Spiritum Sanctum ex amore procedere, quo Deus diligit, creaturas; quia scilicet eodem actu, quo Pater & Filius liberè diligunt creaturas, producunt Spiritum S. quomodo videntur loqui Torres & Zumel. Sed quæstio nostra est de amore creaturarum formaliter sumpto, prout scilicet ad creaturas vt obiecta secundaria liberè volita terminatur. de quo supra Cai. *quæst. 34. a. 3. ad argumentum Scoti* dixit, ex eo non procedere Spiritum S. Vbi nos etiam plura diximus ad hunc locum maximè pertinentia. Sufficiet nobis hoc vnicum argumentum. Actus omnes naturales diuinarum personarum prius intelliguntur terminari, quam liberi. Sed generatio & spiratio, sunt actus naturales: dilectio verò creaturarũ est actº liber: ergo prius intelliguntur actus generationis & spirationis ad genitum & spiratum terminati, quam dilectio ad creaturas; ergo non potest Spiritus S. processio esse ex amore creaturarum vt sic. Maior probatur; quia naturalia priora sunt liberis in Deo; nam libere dicuntur actiones quæ liberè terminantur ad creaturas: hæ verò communes sunt omnibus personis. Igitur præsupponunt diuinarum personarum processiones, vt ex eis iam completis initium sumat processio creaturarum per liberum diuinæ bonitatis amorem. Vnde paulò ante diximus cum D. Thom. processiones Filij & Spiritus S. esse rationes & origines processionis creaturarum.

Quomodo verò procedat Spiritus S. ex amore diuinitatis, & mutua dilectione Patris & Filij, & etiam ipsius Spiritus S. & spirationis ipsius, declarat & probat cumulatè Suarez *in dicto cap. 2.* ad quem lectorem remittimus. Ex dictis sequuntur tres conclusiones.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Hæc propositio, Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu S. vera est siue diligere sumatur essentialiter siue notionaliter.*

SECVNDA CONCL. *Spiritus S. procedit ex amore creaturarum possibilium formaliter.* ,, ,,

TERTIA CONCL. *Spiritus S. non procedit ex amore creaturarum existentium in aliqua temporis differentia.* ,, ,,

Ob conc. 1. concl. CONTRA primam conclus. argum. Vasq. Non potest dici Spiritus S. ratio processionis creaturarum, nisi per appropriationem, idque valde impropriè; ergo non est admittenda dicta propositio, sumendo diligere essentialiter, & exponendo illam, vt exponitur à S. Thom. Antecedens probatur; quia ratio producendi creaturas est vnitas essentiæ: pluralitas verò personarum ex parte principij ad eam per se non pertinet. *Solut.* *Resp.* primò, in processione Spiritus Sancti tria considerari, scilicet actum amandi tribus personis communem, & relationem processionis Spiritus Sancti, & processionem ipsam ex actu amandi & relatione quasi integratam. Primum est ratio absolutè producendi creatu-

ras, siue efficientiæ earum, non tantum ex parte A
rerum effectarum sed etiam ex parte ipsius effi-
cientis . Secundum non est ratio producendi,
sed proprietas indiuidualis talis processionis,
& formâ constitutiua talis personæ procedentis,
nimirum Spiritus S. Tertium autem est id, quod
est ratio producendi , siue ratio efficientiæ ex
parte rerum effectarum, non ex parte efficientis;
nam actus essentialis in processione clausus, & si
concipi possit ad modum egredientis ab agente,
non est tamen realiter egrediens, sed idem rea-
liter quod ipsum agens: eo modo quo in diuinis
essentia idem est, quod persona. Et ideo talis ac-
tus non est processio realis, sed ipsa processio
passiuè sumpta realiter est egrediens, & conse-
quenter est & dicitur realis . Et quia quod est
primum in aliquo genere, causa est cæterorum B
eiusdem generis: idcircò processio realis amo-
ris in Deo , quæ prima est in genere processio-
num, quæ ex Deo sunt per actum voluntatis &
amoris, causa est illarum omnium, quasi ad mo-
dum vniuoci: non ex parte efficientis, ob supra
dictam causam; quia scilicet dependentiam ha-
berent causalitatis formalis Pater & Filius à Spi-
ritu S. & eius processione; igitur est earum cau-
sa tantum ex parte rerum effectarum: non vt ef-
ficiens propriè sed vt efficiendi ratio; ex parte
tamen rerum effectarum, & vt origo & vt ex-
emplar. Quamuis enim absolutè ratio efficiendi
sit essentia, ratio tamen efficiendi tali modo, siue
secundum talem rationẽ scilicet vt processio
respectu processionũ ad extra, quasi ad modũ v- C
niuoci propria est diuinæ processioni, secundum
quam procedit amor personalis, in quo est ratio
omnis amabilis, & ipsa est etiam exemplar om-
nis processionis creaturarum à Deo: non solum
ratione amoris essentialis inclusi, sed etiam ra-
tione clausæ relationis. Nam sicut de diuina pa-
ternitate dicitur Eph. 3. *ex qua omnis paternitas in
cœlo, & in terra nominatur:* ita dici posset de filia-
tione, & de amore procedente, & de generatio-
ne amoris processione, ex diuina scilicet filiatio-
ne, amore, generatione & amoris processione o-
mnem in terra nominari filiationem, amorem,
generationem & processionem amoris. *Ad arg.
igitur respondeo*, in Spiritu Sancto & eius proces-
sione non attendi solam appropriationem, sed D
propriam etiam rationem realis processionis, vt
realis processio est. Vnde falsum est antecedens.
Ad cuius probationem iam dictum est essentiam
esse rationem efficiendi absolutè: processionem
autem esse rationem efficiendi tali modo siue
ratione, ad modum scilicet agentis vniuoci, vt
scilicet processio realis sit causa processionis
realis . Non est autem realis in Deo pro-
cessio sine relatione: immò relatio ad mo-
dum actionis siue passionis significata est ip-
sa processio, vt ait S. D. infra *q. 41. a. 1. & alibi.* Secundò dico, supposita in Deo personarum
pluralitate, eam per se pertinere ad principium
creaturarum; quâuis absolutè loquendo, in con- E
ceptu primæ causæ vt sic, non includatur plura-
litas suppositorum.

CONTRA *secundam* conclusionem sunt
argumenta Suarez. supe-
rius tacta & so-
luta.

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum, in duos articulos diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de dono.
Et circa hoc quæruntur duo.
Primò, Vtrum donum possit esse nomen personale.
Secundò, Vtrum sit proprium Spiritus Sancti.

Ordo articulorum huius quæstionis.

CLARVS est duorum huius quæstionis arti-
culorum ordo . Prius enim quæritur id,
quod est commune doni prædicatum: *an scilicet
possit esse nomen personale?* deinde quod speciale
est, inuestigatur: *an scilicet sit proprium nomen Spi-
ritus Sancti.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum donum sit nomen personale.

AD *Primum* sic proceditur . *Videtur, quòd donũ* 208.
non sit nomen personale. Omne enim nomen 1. dist. 18.
personale, importat aliquam distinctionem in diuinis. a. 1.
*Sed nomen doni non importat aliquam distinctionem
in diuinis. Dicit enim Augustinus* * *15. de Trinit. quòd* Lib. 15. de
Spiritus sanctus ita datur, sicut Deus donum, vt etiam trin. c. 19. a
seipsum det, sicut Deus . Ergo donum non est nomen med. 10. 31.
personale.

*2 Præterea. Nullum nomen personale conuenit
essentiæ diuinæ . Sed essentia diuina est donum, quod
pater dat filio, vt patet per Hyl.* * *8. de Trin. ergo do-* Lib. 8. circa
num non est nomen personale. medium, & paulò post.

3 Præt. Secundum Dam. † *nihil est subiectum,* † Colligitur
aut seruiens in diuinis personis. Sed donum importat ex lib. 4. c.
quandam subiectionem, & ad eum cui datur , & ad 19. à med.
eum à quo datur. Ergo donum non est nomen perso- & lib. 3. c.
nale. 21.

*4 Præterea. Donum importat respectum ad crea-
turam. Et ita videtur de Deo dici ex tempore . Sed
nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, vt pa-
ter & filius. Ergo donum non est nomen perso-
nale.*

Sed contra est, quod Augustꝰ. dicit 15. de Trin. Si- Lib. 15. de
cut corpus carnis, nihil aliud est, quàm caro : sic do- trin. c. 19. a
num Spiritus sancti nihil aliud est quàm Spiritus san- med. tom. 3.
*ctus. Sed Spiritus sanctus est nomen personale. Er-
go & donum.*

*Respond. Dicendum, quòd in nomine doni impor-
tatur aptitudo ad hoc, quòd donetur . Quod autem
donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad
id à quo datur, & ad id cui datur. Non enim da-
retur ab aliquo nisi esset eius, & ad hoc alicui datur, vt
eius sit . Persona autem diuina dicitur esse alicuius,
vel secundum originem, sicut filius est patris, vel in-
quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimur
id, quo libere possumus vti vel frui,* e *vt volumus . Et* 228.
*per hunc modum diuina persona non potest haberi,
nisi à rationali creatura Deo coniuncta. Aliæ autem
creaturæ moueri quidem possunt à diuina persona,
non tamen sic, quod in potestate earum sit frui diui-
na persona, & vti effectu eius. Ad quod quandoque
pertingit rationalis creatura, vt puta cum sic sit par-
ticeps diuini verbi, & procedentis amoris, vt pos-
sit liberè Deum vere cognoscere, & rectè amare. Vn-
de sola creatura rationalis potest habere diuinã per-
sonam. Sed ad hoc, quòd sic eam habeat, non potest*

pro-

propria virtute peruenire. Vnde oportet, quòd hoc ei A
desuper detur. Hoc enim dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Et sic diuinæ personæ competit dari, & esse donum.

Ad Primum ergo dicendum, quòd nomen doni importat distinctionem personalem, secundum quod donum dicitur esse alicuius per originem. Et tamen Spiritus sanctus dat seipsum, inquantum est suipsius, vt potens se vti, vel potius frui, sicut & homo liber dicitur esse suipsius. Et hoc est, quod Augustinus dicit super Ioann. Quid tam tuum est quàm tu? Vel dicendum, & melius, quòd donum oportet esse aliquo modo dantis. Sed hoc esse huius, dicitur multipliciter. Vno modo per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Ioann. & sic donum nō distinguitur à dante: sed ab eo cui datur. & sic dicitur, quòd Spiritus sanctus dat se. Alio modo dicitur aliquid esse alicuius, vt possessio vel seruus. Et sic oportet, quòd donum essentialiter distinguatur à dante: & sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse huius per originem tantum. & sic filius est patris, & Spiritus sanctus vtriusque. Inquantum ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur à dante personaliter, & est nomen personale.

Ad Secundum dicendum, quòd essentia dicitur esse donum patris, primo modo, quia essentia est patris per modum identitatis.

Ad Tertium dicendum, quòd donum secundum quod est nomen personale in diuinis, non importat subiectionem: sed originem tantum in comparatione ad dantem. In comparatione verò ad eum, cui datur, importat liberum vsum vel fruitionem, vt dictum In cor. art. *est.* *

Ad quartum dicendum, quòd donum non dicitur ex eo, quòd actu datur, sed inquantum habet aptitudinem, vt possit dari. Vnde ab æterno diuina persona dicitur donum, licet ex tempore detur. Nec tamen per hoc, quòd importatur respectus ad creaturam, oportet quòd sit essentiale: sed quòd aliquid essentiale in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu personæ, vt supra dictum est. *

q. 29. art. 4. & q. 34. a. 3 ad. 1.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Caiet. ex littera D. Th. quem sequitur Sylu. Iauel. & Zum. Ad cuius ampliorem intelligentiam scito nomē doni in sacris litteris & Patribus quandoque dici de essentia, quam Pater donat Filio vel nobis, iuxta illud *Ioan. 10. Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est:* & Hilarius *8. de Trinit.* ait essentiam diuinam esse donum, quod Pater dat Filio, quamuis minus propria sit locutio. Dicitur etiam donum de Filio, quem in redemptorem donauit nobis Pater Ioannis 4. *Si scires donum Dei, & quis est, &c.* Dicitur etiam de Spiritu S. Act. 8. *Quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri.* & cap. 2. *Accipietis donum Spiritus S.* Et Ecclesia vocat Spiritum E
S. *Donum Dei altissimi.* Ex quo sequitur nomen doni ex propria & naturali sua significatione non esse nomen personale, sed ambiguum siue commune ad essentiale & personale. Et ideo bene S. D. *in introductione quæstionis* proponit quærendum: An donum possit esse nomen personale; id est, an sumi possit aliquando vt nomen personale?

Forma Textus.

CONCL. *est Diuinæ personæ conuenit esse donum & dari.* Probatur. Ratio doni tres postulat conditiones. Prima vt sit alicuius vt donatoris. Secunda vt possit haberi ab eo, cui est donabile. Tertia vt sit supra vires illius, id est non debitum illi. At diuinæ personæ conueniunt hæ tres conditiones; ergo &c. Maior probatur, quo ad duas primas partes seu conditiones; quia in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, vt donetur: ad quod donatur, habet aptitudinem vel habitudinem ad id, à quo donatur & ad id cui donatur; ergo &c. Quo ad tertiam autem pro- B batur; quia hoc dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Minor autem probatur quo ad primam partem; quia filius est alicuius per originem, scilicet Patris; quo ad secundam verò; quia rationalis creatura sola potest frui diuina persona, & vti eius effectu; ergo personā diuina non potest haberi nisi à rationali creatura Deo coniuncta. Consequentia probatur; quia id dicimur habere, quò liberè possumus vti vel frui. Antecedens probatur ex differentia inter rationalem creaturam & alias; quoniam aliæ creaturæ moueri quidem possunt à diuina persona, non tamen sic vt in potestate earum sit frui diuina persona & vti eius effectu. Rationalis autem creatura ad hoc quandoque pertingit, vt puta cum fit particeps diuini verbi & procedentis amoris, vt possit liberè Deum verè cognoscere & rectè amare; ergo sola creatura rationalis potest habere diuinam personam. Tertia verò conditio probatur. Ad hoc vt rationalis creatura sic habeat diuinam personam, non potest propria virtute peruenire; ergo oportet vt hoc ei desuper detur.

Expositio Textus.

EX tribus doni conditionibus in maiori positis, & breui quadam diffinitione Aristotelis relata à D. Thoma *in artic. sequenti,* D colligitur completa doni diffinitio, videlicet. Donum *est res alicuius, qui eam alteri confert, aut conferre potest liberaliter, vt ea liberè valeat vti vel frui.* Prima particula est, *vt sit res alicuius,* quā explicat Sanct. D. *in respons. ad 1. argum.* distinguens tres modos quibus aliquid potest esse alicuius, scilicet per modum identitatis, per modum possessionis & per originem; quibus Zumellus addit quartum quòd scilicet donum est alicuius, qui liberam habet facultatem eo vtendi vel fruendi. Sed hic modus non pertinet ad primam, sed ad vltimam diffinitionis particulam. Ex primo modo habet deitas siue Deus, vt sit donum à seipso donabile: & eadem ratione quælibet persona sit donum à seipsa donabile: quia deitas & Deus, & quælibet persona est suiipsius per identitatem. Ex secundo gratia, charitas, habitus infusi & reliquæ perfectiones creatæ gratis à Deo nobis collatæ dona Dei sunt. Ex tertio personæ procedentes, nempè Filius & Spiritus sanctus sunt verè & propriè dona, accedentibus reliquis conditionibus.

Colligitur & explicatur doni diffinitio; & ostenditur esse etiam & quamlibet personā esse propriè donum.

Secunda particula est *qui eam alteri confert aut conferre potest* qua distinguitur donum à dato; quia de ratione dati est, vt alteri fuerit actu collatum: sed de ratione doni est aptitudo tantum ad hoc vt donetur, vt ait Aug. *lib. 5. de Tri. c. 15.* & post eū Magister: sed D. Th. *in 1. dist. 18.*

q. vnica, a. 2. duas allas notat differentias, quas hic refert Zum.

Tertia particula est *liberaliter* quam solam exprimit diffinitio Arist. relata à D. Thom. *in art. seq. ex 4. Top. cap. 4.* cùm dixit, donum esse dationem irreddibilem, id est merè gratuitam ac liberalem, sine spe retributionis. Ex qua sequitur neque diuinam essentiam, neque personam aliquam diuinam esse donum propriè loquendo, quod alteri personæ diuinæ donetur. Nam quod vna persona communicat alteri, id naturaliter & necessariò communicat & non liberè. Quod etiam aduertit Magister *dist. 18.* Quo fit vt Hilarij dictum à S. Th. relatum *in responsione ad 1. argum.* sit acceptandum vt minus proprium, vt notant hinc expositores communiter.

Neque essentia, neque persona diuina est donum alteri personæ donatum.

Vltima particula est, *vt ea libere valeat vti vel frui*, quam explicat S. D. in textu ex differentia inter rationalem creaturam, & alias quo ad habere diuinam personam. Sed extendenda est hæc differentia ad quamlibet rem ab altero collatam; nulla siquidem res rationem habet doni, nisi in ordine ad rationalem creaturã, à qua sola verè & propriè potest haberi; quia scilicet sola rationalis creatura potest re sibi collata liberè vti vel frui, vt habetur *in 1. 2. q. 15. & 16.*

Ex hac tota diffinitione sic explicata *sequitur primò* tria claudi in ratione doni, scilicet rẽ donabilem quæ denominatur donum: habitudinem ad id à quo datur, id est ad donatorem; & respectum ad eum cui datur, vt habetur in textu & explicat Cai. *a seq. Secundò sequitur* diuinam essentiam & singulas personas ab æterno habere rationem doni: cum ab æterno habeant aptitudinem vt donentur. *Tertiò sequitur* non solum Spiritum S. sed etiam essentiam & Patrem & Filium, propriè dici donum: cum eis conueniat tota doni diffinitio. Quare Zum. non benè dixit, soli Spiritui S. propriè congruere rationem doni: & si verum sit speciali quadam ratione Spiritui S. conuenire nomen doni, vt apparet *ex articulo sequenti. Quartò sequitur* donum pluribus modis de Deo dici. Primò essentialiter siuè absolutè. Nam ratio doni prout dicit rem donabilem & prædictam duplicem habitudinem, scilicet ad donatorem, & ad eum cui donari potest, communis est tribus personis & essentiæ. Conuenit enim primò deitati communicari per gratiam & gloriam rationali siue intellectuali creaturæ: personis autem consequenter. Relatio verò ad donatorem, vt scilicet ipsius sit res donabilis, personis omnibus & essentiæ congruit, quamuis diuerso modo vt patet ex declaratione primæ particulæ diffinitionis doni. Respectus autem ad eum cui donari potest, constat ex declaratione vltimæ particulæ & ex littera *huius articuli.* Secundò dicitur de Deo donum quasi notionaliter, quatenus scilicet donum significat id, quod donantis est per originem, quæ ad notionem pertinet. Et sic de duabus tantum personis procedentibus dici potest scilicet Filio & Spiritu sancto, nam Pater nullius est per originem: Filius autem per generationem est Patris: & Spiritus sanctus per spirationem passiuam est Patris & Filij. Denique dicitur donum in Deo personaliter de Spiritu sancto, quatenus amor est cui conuenit ratio primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur, vt ait S. D. *in artic. sequenti.*

Zumel. dictum reijcitur.

Postremò aduerte singula prædicta latius hic ab interpretibus explicari, ex quibus legendi sunt præcipuè Torres, Zum. & Suar. *in dicto 4.* & D. Th. *in primo.*

A

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

Ad Secundum sic proceditur. Videtur, quòd donum non sit proprium nomen Spiritus sancti. Donum enim dicitur ex eo, quod datur. Sed sicut dicitur Isai. 9. Filius datus est nobis: ergo esse donum conuenit filio, sicut Spiritui sancto. 1. dist. 18. q. 2. Et vr. q. 7. a. 3. ad 2.

B

2 Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ, significat aliquam eius proprietatem: sed hoc nomen donum non significat proprietatem aliquam Spiritus sancti. Ergo donum non proprium nomen Spiritus sancti.

3 Præterea. Spiritus sanctus potest dici spiritus alicuius hominis: sed non potest dici donum alicuius hominis: sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

*Sed contra est, quod August. dicit in * 4. de Trinit. Sicut natum esse est filio à patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse, est à patre, & filio procedere. Sed spiritus sanctus sortitur proprium nomen, inquantum procedit à patre, & filio. Ergo & donum est proprium nomen Spiritus sancti.* Li. 4. de Trin. c. 20. à me. to. 3.

C

Respondeo. Dicendum, quòd donum secundum, quòd personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti.

*Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd donum propriè est datio irreddibilis, secundum Philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. & sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis, est amor: ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cùm Spiritus sanctus procedat, vt amor (sicut iam dictum est *) procedit in ratione doni primi. Vnde dicit Aug. 15. de Trin. † quòd per donum, quod est Spiritus sanctus, multa propria dona diuiduntur membris Christi.* * q. 37. art. 1. † Li. 15. de tri. c. 29. à me. to. 3.

D

Ad Primum ergo dicendum, quòd sicut filius, quia procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet, quòd sit similitudo sui principij, dicitur propriè imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis patri: ita etiam Spiritus sanctus, quia à patre procedit, vt amor, dicitur propriè donum, licet etiam filius detur. Hoc enim ipsum, quòd filius datur, est ex patris amore, secundum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Ad Secundum dicendum, quod in nomine doni importatur, quòd sit dantis per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus sancti, quæ est processio.

E

Ad Tertium dicendum, quòd donum antequam detur, est tantum dantis: sed postquam datur, est eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici, quòd sit donum hominis: sed donum Dei dantis. e

Cùm autem iam datum est, tunc hominis est, vel Spiritus, vel datum. 200. b 4

Sen-

Sensus quæsiti.

CVM *in articulo præcedente* determinatum sit donum esse nomen personale & conuenire non tantum Spiritui S. sed etiam Patri & Filio & essentiæ: non potest hic quæri, an sit propriũ Spiritui S. absolutè loquendo: id est an soli cõueniat spiritui S. Sensus ergo quæsiti est. An donum secundum aliquam suam significationem sit nomen soli congruens Spiritui Sancto.

Forma Textus.

CONCL. *est. Donum secundum quòd personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti.* Probatur. Amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Sed Spiritus S. procedit vt amor; ergo procedit in ratione primi doni, & sic donum personaliter sumptum in diuinis est proprium nomen Spiritus sancti. Minor patet *ex primo articulo quæst. præcedentis.* Maior probatur. Primò ratione. Donum importat gratuitam donationem: sed ratio gratuitæ donationis est amor; ergo primum quod alicui damus siue donamus est amor, & sic amor habet rationem primi doni per quod &c. Maior huius argumẽti probatur; quia donum secundum Aristotelem *in 4. Top. cap. 4.* est datio irreddibilis, id est, quę non datur intentione retributionis; ergo &c. Minor autẽ; quoniam ideo gratis aliquid alicui damus, quia volumus ei bonum: ergo primum quod ei damus est amor, quo volumus ei bonum. Deinde probatur maior principalis argumenti auth. Augustin. *15. de Trinit. dicentis. Per donum quod est Spiritus sanctus &c.*

Expositio Textus.

Quomodo Spiritus sãctus procedat in ratione primi doni.

QVOD HIC ait S. D. Spiritum S. procedere in ratione primi doni, lucidius aperit *in 1. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2.* dicens, Spiritum S. esse per se primò donum, & ex ratione suæ processionis habere in se vt detur, & vt sit ratio dãdi; quod non ita intelligendum est, vt Spiritui S. ratione suæ proprietatis personalis conueniat esse per se primò donum; alijs autem scilicet personis, & essentiæ conueniat per Spiritum S. alioquin haberet Spiritus S. ad illa nonnullam formalis causalitatis habitudinem; quin potius essentiæ, prout essentialis amor est, prius congruit ratio doni quàm Spiritui S. eo quòd semper communia priora sint proprijs. Igitur ea forma loquendi, duo mihi videtur intendere S. D. *Primum* est: Spiritum S. creatis & à Deo nobis collatis donis comparatum esse per se primò donum, & rationem omnis gratuitæ collationis: non ex parte Dei sed ex parte nostri, quatenus vi suæ processionis emanat vt amor. *Secundum* est: Spiritum S. ratione amoris essentialis inclusi esse rationem omnis gratuitæ collationis, tam rei creatæ quam increatæ; quod est dicere: Spiritum S. ex vi suæ processionis amorem essentialem includere, cui conuenit esse primum donum & rationem omnis doni, tam ex parte donãtis quã ex parte eius cui fit donatio, vt etiam explicat S. Thom. *in allegata quæst. art. 3.* Quamuis enim Pater & Filius identicè claudant amorem, non tamen formaliter neque ex vi suæ processionis; cum Pater nec vt amor vel impulsus concipiatur à nobis, nec procedat ab aliquo; Filius autem emanet vt verbum à dicente per actum intellectus: Et per hæc soluitur dubitatio Zumel. addita eius disputationi; vbi malè concedit Spiritum S. esse peculiarem rationem ipsi Deo operandi donum in rebus. *Zumel. dictum reijcitur.*

Aduerte præterea difficultatem tactam *in argumento 3.* an Spiritus sanctus possit dici donum nostrum, ex professo tractari ab Angelico nostro Doctore *in dicta quæst. art. 5.* Vide etiam quæ scribit Zumel. ex Augustin. *lib. 5. de Trin. cap. 14.*

Lege tandem, si placet ea, quæ *in dicta disputatione* notat idem expositor ex Aug. ad probandum Spiritum S. esse donum.

CONTROVERSIA VNICA.

An ratio doni propriè soli conueniat Spiritui sancto: & an eidem tribuatur ratione essentiæ, vel personalis proprietatis?

ZVMEL. *super præced.* respondens ad primam huius controuersiæ partem, dixit essentiam diuinam, Patrem & Filium posse dici donum largè & impropriè sumptum: Spiritũ S. verò propriè. Quod etiam pluribus argumentis nititur confirmare *in disputatione ad præsentem articulum.* Ad secundam autem respondet cum Caietano esse donum, id est habere relationem donabilitatis, siuè esse aptum natum donari creaturis; quod principaliter significatur nomine doni conuenire Spiritui S. ratione amoris essentialis inclusi in ipsa persona Spiritus S. *Sententia Doctorum.*

Val. dicit quatuor. *Primum.* Nomen doni ex vi suæ significationis potest etiam competere personæ filij, cui conueniunt tres conditiones ad significationem dicti nominis pertinẽtes. *Secundum.* Nomen doni proprium est Spiritui sancto propter vsum & accommodationem Doctorum. *Tertium* est. Nomen doni principalius significat relationem ad donantem: secundariò verò respectum ad creaturas. *Quartum* est. Relatio ad creaturas competit Spiritui sancto ratione suæ quoque proprietatis personalis formaliter.

Vasq. *153. cap. 2.* ad priorem partem respondet rationem doni, quod sua natura donum est, esse proprietatem Spiritus sancti & nulli alteri conuenire personæ: & hanc ait esse sententiam D. Thomæ *in hoc a.* & Sancti Bonau. *in 1. dist. 18. q. 4.* Ad posteriorem verò controuersiæ partem, quam examinat *disputatione sequenti, videlicet 154.* respondet opinionem S. Th. sibi probari, quæ affirmat tertiam personam sua proprietate personali non solum esse spiritum, sed etiam donũ; & eò esse donum, quo est spiritus; sicut filius eo est verbum, quo est filius. Quam sententiam expressius (inquit) tradit idem S. D. *in 1. dist. 18. q. 1. a. 4.* Eiusdẽ opinionis videtur fuisse Capr. *in 1. dist. 18. q. vnica ad primum argum. secundi ordinis,* vbi sic loquitur: *Conceditur quòd ille respectus rationis (quem scilicet importat nomen doni ad eos, quibus datur) non intrat constitutionem diuinæ personæ, sed assequitur illud, quo formaliter constituitur: quia illud constitutum non potest à nobis intelligi, nisi comtellecto respectu rationis.* Hæc ibi Capr. Si itaque relatio prædicta consequitur constitutiuum Spiritus S. nec sine ea potest intelligi ratio doni; sequitur Spiritũ S. esse donum ratione suæ proprietatis personalis. Omitto sententias Dur. & alio-

& aliorum à recentioribus relatas & ab eis sufficienter confutatas.

Oppositam sententiam habet Cai. *in hoc articulo* quem cæteri nostrates sequuntur interpretes; quæ, quoniam mentem assequitur D. Th. diligenter erit à nobis explicanda, & contra aduersariorũ obiecta solidis legitimæ doctrinę fundamentis munienda.

Resolutio. Soli Spiritui sancto conuenire proprijssimè nomen, & rationem doni.

SVPPONENDA *nobis hic est in primis* ea doni diffinitio, quam *in a. præced.* collegimus ex dictis A. nostri D. in vtroque huius quæstionis articulo, & ex eius doctrina declarauimus.

Secundò obseruandum est, nomen aliquod secundum rationem per illud significatam posse dupliciter de aliquo propriè dici. *Vno modo*, prout dici propriè distinguitur contra dici metaphoricè, extranee, abusiuè, impropriè, aut per quandam appropriationem, vel etiam accommodationem; & hoc modo dicitur propriè nomen doni de essentia & singulis personis, vt patet ex dicta diffinitione superius explicata; quæ tota, quamuis diuersimodè, cuilibet personarũ & essentiæ conuenit. *Alio modo* potest nomen de aliquo dici propriè iuxta diffinitionem proprij quarto modo sumpti; vel vt idem est quod per se primò, siue secundum quod ipsum, vt scilicet illi non per aliud, & alijs per ipsum conueniat: sicut soli lux propriè cõuenit & perse primò; quia proprietas eius est ex eius natura pullulans, & cæteris ex eius diffusione cõueniens; & hoc modo soli Spiritui sancto dicitur propriè secundũ peculiarem quandam rationẽ conuenire nomen doni personaliter accepti.

Tres doni conditiones.

Pro cuius intelligentia notat Iauel. ex Heruęo *in 1. dist. 18.* tres esse conditiones doni proprijssimè sumpti. *Prima*, vt sit res apta dari alicui vt sit eius; & huius defectu nec relatio personalis nec proprietas indiuidualis nec forma substantialis potest (inquit) esse donum; cum non possit Pater suam alteri paternitatem, nec indiuiduum suam proprietatem indiuidualem, aut formam substantialem communicare. *Secunda* conditio est, vt sit in authoritate dantis, quæ in diuinis est per solam originem; & per hanc excluditur tam essentia, quam pater; quoniam in nullius authoritate sunt per originem. *Tertia* conditio est, vt res illa liberè & gratuito detur, & id habeat ex modo suæ processionis; & secundum hanc esse donũ proprijssimè conuenit Spiritui sancto. Sed quamuis tres prædictæ doni cõditiones scitè positæ fuerint ab Heruæo: non rectè tamen asseritur primæ conditionis defectu personalem & indiuidualem proprietatem, aut formam non habere rationem doni. Falsum est enim singula prædicta non posse rationali creaturæ communicari; id est ad fruendum concedi. Fruitur enim diuinitate beatus vt forma quadam intelligibiliter informante, & vt obiecto cognitionis & amoris: & similiter personis & earũ proprietatib⁹ cõstitutiuis, & distinctiuis, sine quibus nec Deũ videre posset, prout in se est: nec eo perfectè frui; quãuis vna sit & sola ratio visionis & fruitionis, quæ est essentia, prout summa veritas est & bonitas, vt latè diximus *supra quæst. 12. a. 7.*

Iauelli, & Heruæi dicta reijciuntur.

Subsumitur minor, & deducitur intenta conclusio.

Cum itaque Spiritus S. aptus sit, vt alteri donetur, & sit alterius videlicet spiratoris per originem, & ex modo & vi suæ processionis habeat, vt liberè & gratuitò donetur, quatenus procedit vt amor; consequens est illi soli proprijssimè conuenire nomen & rationem doni, vt scilicet sit per se primò donum, modo superius explicato in expositione textus. Itaq; licet absolutè loquendo ratio primi doni videatur essentiæ, quatenus amor est conuenire; secundum tamen iam dictam specialem rationem cõgruit Spiritui sancto ratio doni personaliter accepti; quia scilicet solus Spiritus sanctus ex vi & modo suæ processionis emanat vt amor. Ad cuius euidentiam.

Tertiò considerandum est, cum dicitur Spiritus S. procedit vt amor, posse amorem sumi personaliter & essentialiter: & vtroque modo sumendo amorem, ex hoc principio rectè sequitur Spiritum S. procedere vt primum donum, siuè vt per se primò donum; si enim accipiatur amor essentialiter, dictio illa, vt, denotat modum amoris essentialis conuenire Spiritui sancto ex vi suæ processionis; & consequenter etiam rationem doni quo ad respectum donabilitatis esse propriam Spiritus S. cointellecta relatione originis, quæ secundariò nomine doni significatur. Dixi verò cointellecta relatione originis; quia nomen doni tria importat in diuinis, scilicet rem donabilem quæ est amor personalis: respectum donabilitatis consequẽtem amorem essentialem clausum in ratione doni; & relationem originis. Quo fit vt hoc nomen *donum* sit à nobis accipiendum & iudicandum veluti complexum ex essentiali & notionali; vt sunt hæc, Deus generans, Deus genitus, sapientia genita, Deus spiratus, amor productus; singula enim horum propria sunt alicuius personæ ratione totius coniũcti simul accepti; vel etiam, quod maius est, vna pars ratione alterius id est vt alteri coniuncta inter propria computetur vt hic subtiliter aduertit Cai. Igitur nomen doni proprijssimè cõuenit Spiritui S. quatenus est amor procedens siuè vt procedit per modum amoris: sic enim amor & eius modus vt coniunctus relationi originis, quam significat dictio illa, *procedens*, proprius est personæ Spiritus S. & consequenter etiam relatio donabilitatis ac proinde etiam ratio doni. Si verò in ea propositione sumatur amor personaliter, poterit etiam bene deduci Spiritum sanctum procedere vt primum donum; quoniam in ratione amoris procedentis, qui est Spiritus S. includitur in obliquo amor essentialiter acceptus; quia Spiritus S. procedit per modum impulsus & amoris.

Recta igitur est illatio: Spiritus S. procedit vt amor id est vt impressio amando procedens; igitur procedit vt primum donum. Iam autem diximus amorem essentialem & eius modum ac relationem ad creaturas accepta, prout relationi originis constitutiuæ Spiritus S. sunt coniuncta, inter propria personæ Spiritus S. cõputari: atque ideo nomen doni, quod instar complexi nominis prædicta simul importat, esse nomen personale proprium Spiritus sancti. Quamuis igitur amor essentialis sit absolutè per se primò donum, non est tamen per se primò donum personale. Sed hoc soli conuenit Spiritui S. vt affirmat cõclusio S. Thom.

Rationẽ doni conuenire Spiritui sancto ratione amoris essentialis inclusi, nõ autem ratione proprietatis personalis.

Quartò pro veritate secundæ partis propositæ controuersiæ notandum est cum Caietano, nomen hoc, *donum*, communiter acceptum ad donum creatum & increatum importare tria iam pluries supra repetita, videlicet rẽ donabilẽ; respectum donabilitatis id est ad rem cui donari potest: dicit enim donum rem aptam alteri donari; & relationem ad donantem, vt sit illius aliquo ex modis superius explicatis, quæ habentur *in resp. ad 1. præc. a.* Hęc verò tria nõ æquè repręsentat nomen doni. Nã rẽ donabilẽ importat denominatiuè; dicitur enim donũ res donabilis: relationẽ autẽ donabilitatis primò significat, vt satis

aper-

apertè colligitur ex principio corporis *articuli* A *præcedentis, & ex responsione ad 4. eiusdem art.* & ex diffinitione Arist. hic relata. Denique nomen doni respectum ad donatorem secundariò significat siue consignificat. Sumendo verò restrictè nomẽ doni, prout dicitur in diuinis personaliter, quomodo etiam loquitur expresse conclusio præsentis articuli, tria prædicta claudit limitatè, eodem ordine quo nomine doni communiter accepto diximus importari. Cum enim amor sit primum donum & ratio omnis doni: & primum absolutè donum illud sit, quod in Deo est, & à Deo nobis confertur: nomen doni in Deo dictum amorem personalem denominat vt rem per se primò donabilem, & amorem essentialem significat in obliquo: sicut B persona significat essentiam in obliquo, & verbum notitiam. Principaliter autem donum significat respectum donabilitatis, qui est relatio rationis ad creaturas rationales, quibus est donabilis: postremò consignificat relationem processionis constitutiuæ Spiritus S. qua dicitur esse donantis per originem.

Non est idè ordo in rebus, qui est in significando.

Quamuis autem hoc ordine prædicta significet nomen doni, non est tamen necesse, vt eodem ordine spiritui sancto conueniant. Cum enim omnis cognitio nostra, quam hic habemus de Deo, vel sit ex creaturis, vel habeat saltem modum cognitionis earum; intellectus noster tam in concipiendis, quàm in nominandis diuinis C eundem seruat ordinem, quem in consimilibus rebus aut rationibus formalibus apud nos intuetur. Non oportet igitur, vt sit idem in rebus aut rationibus formalibus diuinis ordo, qui est in conceptione, & significatione nostra, sed diuersus immò & contrarius esse potest: sicut etiam est in re proposita: Nam personæ Spiritus S. primò conuenit eius proprietas personalis, qua refertur ad spiratorem scilicet patrem, & filium, vt ad vnum donatorem. Secundò amor essentialis ad quem sequitur respectus donabilitatis, vt ait S. D. *in resp. ad 4. præcedentis articuli*: nullum enim personale, quatenus tale, respectum habet ad creaturas; omnis ergo relatio diuinæ personæ ad creaturas ex essentia, seu essentiali in D ea clausa prouenit vt ex primo, & proprio fundamento, non ex proprietate personali.

Quemadmodum igitur verbum tria continet scilicet relationem originis ad dicentem, notitiam essentialem & habitudinem ad res verbo repræsentatas siue dictas vel etiam faciendas: ita donum claudit prædicta, videlicet relationem originis, amorem essentialem & respectum donabilitatis id est habitudinem ad amata, quibus est donabile. Sicut ergo verbum, quatenus verbum, non dicit solam proprietatem personalem siue relationem ad dicentem, sed etiam notitiam & relationem ad dicta, & ideò nulla est hæc cõsequentia: verbum vt verbum dicit habitudine ad res verbo dictas; ergo proprietas siue relatio E verbi constitutiua dicit hunc respectum, aut verbum siue filius hanc habet habitudinem ex sua proprietate personali: eo quòd hoc nomine *verbum*, plura claudantur, quàm sola contineat proprietas personalis; ita nulla est hæc consequentia: Nomen doni primò significat relationem ad ea quibus est donabile; ergo eandem habitudinem significat vel includit proprietas relatiua Spiritus S. aut Spiritus S eam habet relationem ex sua proprietate personali. Nam, vt ostendimus, plura clauduntur in nomine doni, quàm in nomine processionis seu passiuæ spirationis, vt est relatio constitutiua Spiritus S.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Nomen doni tàm in communi, quàm in speciali primò significat respectum donabilitatis.*

SECVNDA CONCL. *Nomen doni dicitur propriè id est non metaphoricè, extraneè, abusiuè, impropriè, aut per appropriationem, vel accommodationem de Deo, & deitate, ac singulis diuinis personis.* Hæc patet ex diffinitione doni his omnibus cõgruente.

TERTIA CONCL. *Nomen doni personaliter dicti secundum specialẽ quandam rationem conuenit Spiritui S. propriè id est conuertibiliter & proprissimè & per se primò.* Probatur ex conditionibus d ni proprissimè sumpti latè superius explicatis. Et in hoc sensu verum est primum dictum Vasq.

QVARTA CONCL. *Ratio doni conuenit Spiritui S. ratione essentiæ id est amoris essentialis inclusi, non autem ratione proprietatis personalis.* Probatur; quia donum primò significat relationem ad creaturas, quibus est donabile; sed nullum personale quatenus tale dicit respectum ad creaturas; ergo &c.

Argumenta, & obiectiones. Ob. cõt. 1. concl.

CONTRA *primam* concl. argum. Val. Nomẽ doni significat relationem ad donantem obiectiuè, tanquam quid intrinsecum ipsi rei quæ donatur; ergo hæc relatio primariò videtur obiectiuè significari per id nomen, relatio verò ad creaturas quasi secundariò. *Resp.* falsum esse antec. formaliter loquendo. Nam quamuis materialiter & secundum rem relatio illa dono personaliter dicto sit intrinseca, & illi primò conueniat: non tamen significatur primò nomine doni; quia nomen doni ad eam primò significãdam non est impositum, sed ad significandum respectum donabilitatis; relationem autem ad donatorem consignificat aut secundariò significat. *Solut.*

CONTRA *secundam* concl. argum. Zumel. *Primò*. Donum propriè sumptum importat distinctionem rei donatæ & donantis; ergo minus propriè dicitur de essentia & persona patris. *Resp.* falsũ esse antecedẽs in sensu nostrę conclusionis, vt patet ex diffinitione doni, quę talẽ distinctionem non includit. *Ob. 1. contra 2. concl. Solut.*

Secundò. Secundum communem Sanctorum sententiam, & D. Tho. *in hoc articulo* donum solum dicitur de Spiritu sancto & in sacris litteris solus spiritus sanctus appellatur donum, vt ostendit Aug. *15. de Trin. c. 19. Resp.* his authoritatibus probari soli spiritui sancto conuenire nomen, & rationem doni personaliter accepti, non simpliciter sed secundum quandam specialem rationem soli spiritui sancto congruentem, id est per se primò ac proprissimè; quia scilicet solus spiritus sanctus procedit vt amor, & consequenter vt primum donum. Itaque ratio primi doni personaliter accepti soli conuenit spiritui sancto; cùm tamen simpliciter loquẽdo filio etiam conueniat ratio doni personaliter accepti. Et per hæc soluitur etiam aliud argumentum eiusdem expositoris. *Ob. 2. Solut.*

Contra eandem concl. argum. Vasquez. Rei, quæ ex liberali voluntate ei accedente donari potest, ratio doni prouenit extrinseca tantum denominatione à voluntate donantis, quæ illi omnino accidentaria est; ergo ad rationem doni, quod donari aptum est, siue quòd propriè donum est, requiritur esse productum per amorem, vt ipsius productio sit substantialiter donatio: id verò soli conuenit spiritui Sancto. *Respond.* falsum esse anteced. Nam etsi ratio doni dicat rem donabilem esse in potestate do- *Ob. 3. Sol.*

nan-

nantis ad hoc, vt alteri communicetur: esse tamẽ alteri communicabile ac proinde donabile, vt sic primò & formaliter dicit relationem ad eum, cui est donabile: quæ relatio ac denominatio prouenit ab intrinseca rei natura, qua res fruitioni vel vsui alterius apta redditur. Constat autem quamlibet personam ex sui natura esse aptã fruitioni: cum non tantum essentia, sed etiam personis fruatur beatus, quamuis ratio fruendi sit essentia, vt summa bonitas est in Deo & qualibet persona intrinsecè clausa.

Obi. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam concl.* sunt argum. quæ referunt & soluunt Capr. Caiet. Iauellus & Zum. *super hoc a.* quorum solutio patet ex dictis. Contra eandem concl. *argum.* Valentia. Quamuis Spiritus S. sit amor, atque adeò id quod primò solet donari, non efficitur vt illi soli competat nomen doni ex vi suæ significationis; ergo &c. Antec. probatur: quia non consueuit dici donũ solus amor, sed alia multa; igitur ratio D. Th. tantum ostendit meritò à Doctoribus fuisse id nomen tertiæ personæ attributum: quod facilè potuerunt facere; cum nominum vsus sit ad placitum. *Resp.* falsum esse antec. in sensu nostræ cõclusionis. Ad probationem negatur consequentia; quoniam amori per se primò conuenit ratio doni. Cum igitur solus Spiritus S. procedat vt amor, illi soli conuenit ratio primi doni personaliter accepti.

Solut.

Obi. 1. cont. 4. concl. CONTRA *quartam* concl. argum. Valentia. *Primò* Spiritus S. secundum suam proprietatem personalem est amor productus; ergo est donũ secundum eandem proprietatem. *Resp.* falsum esse antec. loquendo de proprietate personali præcisè: hæc enim tantum relatio est: amor autem productus duo dicit scilicet amorem essentialem significatum ea dictione *amor* & relationem originis expressam ea voce *productus*: Sicut cum dico, Deus spiratus, dico essentiale & notionale.

Solut.

Obi. 2. *Secundò.* Sicut verbum producitur secundum suam proprietatem personalem ex cognitione creaturarum: ita & Spiritus S. ex earundem amore; sed rectè idcircò dici potest verbum secundum suam quoque proprietatem personalẽ habere respectum rationis ad creaturas, vt eas quidem tanquam verbum repræsentat, quanquam non vt eas per communem essentiam facit; ergo pari ratione respectus Spiritus sancti ad creaturas, vt donum nominatur, erit etiam secundum proprietatem illius personalem. *Resp.* primò falsam esse maiorem quo ad vtramque eius partem. Nam primò secundum multorum sententiam falsum est verbum produci secundũ suam proprietatem ex cognitione creaturarum quandoque existentium. Secundò falsum est similem esse rationem de Spiritu S. vt scilicet procedat ex amore creaturarum. Tertiò negatur minor; quia respectus omnis ad creaturas, quem habet verbũ vt repræsentatiuum, conuenit ei ratione essentiæ intrinsecè clausæ.

Sol.

Obi. 3. *Tertiò.* Ipsa etiam persona Spiritus S. donatur ad fruendum rationali creaturæ; igitur secundũ proprietatem personalem est donum. *Resp.* nullam esse consq. præcisè loquendo de proprietate personali: sed sequitur tantum in ratione doni personaliter dicti claudi non solum essentiam, sed etiam proprietatem personæ constitutiuam.

Solut.

Obiectio in ordine 4. *Contra* eandem concl. argum. Vasq. *Primò.* S. Th. *in 1. dist. 18. q. 1. a. 4.* docet Spiritum S. ratione suæ proprietatis personalis, non solum esse Spiritum sed etiam esse donum: & eo esse donũ, quo Spiritus: sicut filius eo est verbum, quo filius; & idem docet Capr. *eadem dist.* & August. *in 5. de Trinit. c. 11. & lib. 4. c. 20.* *Respondetur* D. Th. ibi duo dicere: *Primum* est: Sicut processio Spiritus S. dicit relationem vel proprietatem, sic Spiritus S. proprietate sua formaliter loquẽdo est Spiritus S. & amor, & donum, non autem Deus: sicut nec filius filiatione sua est Deus formaliter loquendo, sed filiatione est filius, & deitate est Deus, & sapientia sapiens. *Secundum* est: Si processio dicat emanationem, tunc potest dici, quòd Spiritus S. sua processione est Deus & donum: sicut etiam filius sua natiuitate est filius & Deus; quia sicut filius nihil habet, nisi quod nascendo accepit: ita & Spiritus S. nihil habet, nisi quod procedendo accepit. Ex quibus verbis satis apertè constat D. S. ibi loqui de dono, non ratione significationis ipsius nominis, sed ratione rei significatę, quæ est persona spiritus S. sicut filius quædam persona est. Et quoniã Spiritui S. tui per se primò congruit ratio doni personaliter accepti, conuenit etiam primò secũdum rem eius proprietas relatiua: sicut verbo vel filio primò conuenit proprietas, siuè relatio personalis, idcircò S. Th. ad rem magis, quàm ad nominis significationem vel ordinem in significando respiciens, dixit Spiritum S. proprietate sua formaliter loquendo esse donum; quia scilicet ea constituitur in esse personali. Et in eodem sensu loquuti sunt Capr. & Aug.

Obi. 5. *Secundò.* Spiritus S. ideo est donum, quia ipso actu, quo procedit, donari potest: sed hoc habet Spiritus sanctus ratione proprietatis; ergo &c. Probatur minor. Nam ratione proprietatis procedit per actũ amoris, quo donari potest, imò proprietas illius in ea origine fundatur; ergo habet rationem doni ex proprietate personali, in qua producitur. *Resp.* falsam esse minorem. Ad probat. negatur assumptum loquendo de proprietate præcisè; nam quòd Spiritus S. procedat per actum amoris, habet nedum ex proprietate personali, verùm etiam ex essentiali amore incluso: ex quo sequitur relatio ad creaturas, quæ primò significatur nomine doni.

Solut.

QVAESTIO XXXIX.

De personis ad essentiam relatis, in octo articulos diuisa.

POst ea, quæ de personis diuinis absolutè tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales: & de comparatione ipsarum adinuicem.

Quantum igitur ad primum horum, octo quærũtur.

Primò, Vtrum essentia in diuinis, sit idem quod persona.

Secundò, Vtrum dicendum sit, quòd tres personæ sunt vnius essentiæ.

Tertiò, Vtrum nomina essentialia prædicanda sint de personis in plurali, vel in singulari.

Quartò, Vtrum adiectiua notionalia, aut verba, vel participia prædicari possint de nominibus essentialibus, concretiuè acceptis.

Quintò, vtrum prædicari possint de nominibus essentialibus, in abstracto acceptis.

Sextò, Vtrum nomina personarum prædicari possint de nominibus essentialibus concretis.

Septimò, vtrum essentialia attributa sint appropriandа personis.

Octauò, Quod attributum cuiq; personæ debeat appropriari.

Ratio

Ratio ordinis.

QVAESTIONIS huius ordo ad præcedentes & subsequentes perspicuè patet in textu. Articulorum autem series hæc est: Primò S. D. agit *in 1. a.* de personis ad essentiam comparatis, prout absolutè siue secundùm rem consideratur vtrumque scilicet personæ & essentia: Deinde in alijs septem articulis de eadem personarum & essentiæ comparatione disserit quo ad veritatem & congruitatem propositionum. Quarum propositionum quadruplex est ordo: Primus earum in quibus essentia vel aliquod essentiale prædicatum dicitur de personis: Secundus earum in quibus notionalia adiectiua prædicantur de nominibus essentialibus: Tertius earum in quibus nomina personarum prædicantur de nominibus essentialibus concretis: Quartus earum in quibus attributa non absolutè, sed vt appropriata prædicantur de personis. Constat autem primò considerari essentiam & personas absolutè: deinde vt significatas per propositiones. Certum est etiam essentiam & quoduis essentiale prius esse secundum nostrum modum intelligẽdi quouis notionali aut personali: & essentialia se habere quasi vt formam respectu personarum; cum essentialia communia sint & ad naturam pertineant, quæ se habet vt forma respectu suppositi. Prius igitur agendum erat de comparatione personarum & essentiæ quo ad rem, quàm quo ad propositiones: & prius de propositionibus in quibus essentia vel aliquod essentiale dicitur de personis, quam vbi contraria est prædicatio sc. personæ de essentia; quia prædicatum se habet vt forma respectu subiecti. Notionalia verò priora sunt completo numero personarum; cum duæ personæ scilicet filius & Spiritus S. per actus notionales emanẽt; & ideò prius quæritur de prædicatione notionalium quàm personarum respectu essentiæ. Denique appropriata media quodammodo sunt inter communia & propria: & ideò post habitam extremorũ notitiam, postremò de illis erat agendum. Reliqua minutiora tangentur in explicatione titulorum.

A *Cùm dicimus personam patris, non aliud dicimus* c. 6 cir. pri- *quàm substantiam patris.* to. 3.

Respon. Dicendum, quòd considerantibus diuinam simplicitatem, quæstio ista in manifesto habet veritatem. Ostensum est enim supra, quod diuina* q. 3. art. 3. *simplicitas hoc requirit, quod in Deo sit idem essentia, & suppositum, quod in substantijs intellectualibus nihil est aliud quàm persona. Sed difficultatem videtur ingerere, quia multiplicatis personis diuinis, essentia retinet vnitatem. Et quia vt* Boet. dicit, Relatio* Boe. lib de *multiplicat personarum Trinitatem, posuerunt* tri. non pro *aliqui hoc modo in diuinis differre essentiam, & per-* cul à fine. *sonam, quo relationes dicebant esse assistentes, considerantes in relationibus, solum quod ad alterum* B *sunt, & non quod res sunt. Sed (sicut supra* ostensum est) sicut relationes in rebus creatis accidẽtaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa essentia diuina. Ex quo sequitur, quòd in Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem: & tamen quòd personæ realiter abinuicem distinguantur. Persona enim (vt dictum est* supra) significat relationem, prout est* q. 29. art. 4. *subsistens in natura diuina. Relatio autem ad essentiam comparata, non differt re, sed ratione tantum.* c *Comparata autem ad oppositam relationem habet* 166 *virtute oppositionis, realem distinctionem. Et sic remanet vna essentia, & tres personæ.*

Ad Primum ergo dicendum, quod in creaturis C *non potest esse distinctio suppositorum per relationes, sed oportet, quod sit per essentialia principia, quia relationes non sunt subsistentes in creaturis. In diuinis autem relationes sunt subsistentes. Ideo secundum quòd habent oppositionem adinuicem, possunt distinguere suppositа: neque tamen distinguitur essentia, quia relationes ipsæ non distinguuntur abinuicem, secundum quod sunt realiter idem cum essentia.*

Ad Secundum dicendum, quod inquantum essentia & persona in diuinis differunt, secundum intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de altero: & per consequens, quòd supposito vno non supponatur alterum.

D *Ad Tertium dicendum, quod rebus diuinis nomina imponimus secundum modum rerum creatarum, vt supra dictum est. c Et quia naturæ rerum creatarum* 68. *indiuiduantur per materiam, quæ subijcitur natu-* 70. *ræ speciei, inde est, quod indiuidua dicuntur subiecta, vel suppositа, vel hypostases. Et propter hoc etiam diuinæ personæ suppositа, vel hypostases nominantur: non quòd ibi sit aliqua suppositio, vel subiectio secundum rem.*

Sensus quæsiti.

EX DICTIS *supra q. 3. a. 3. contr. 1.* perspicuè patet sensus huius quæsiti, quem hic etiam explicat S. D. afferens rationem quæsiti: & Iauellus dicens *in illo art.* sumi personam & suppositum Metaphysicè prout dicit singulare completum in natura intellectuali, in seipso minimè distinctum, à quolibet autem alio sua proprietate aut principio indiuiduali distinctum: siuè principium illud indiuiduans sit naturæ superadditum, vt in rebus materia constantibus: siuè sit ipsa natura à materialibus abstracta subsistens, vt Deus & Angelus. In hoc autem articulo sumitur (inquit) suppositum & persona Theologicè, pro subsistente relatione constituto & ab alio distincto.

Forma Textus.

AFFERTVR hic primò ratio quæsiti siue punctum difficultatis: deinde refertur &

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in diuinis, essentia sit idem, quod persona.

202. *Supra q. 3. ar. 3. Et 1. dist. 34. q. 2. ar. 1.*

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd in diuinis, essentia non sit idem, quod persona. In quibuscunque enim essentia est idem, quod persona seu suppositum, oportet, quòd sit tantum vnum suppositum vnius naturæ, vt patet in omnibus substantijs separatis. Eorum enim quæ sunt idem re, vnum multiplicari non potest, quin multiplicetur, & reliquum. Sed in diuinis est vna essentia, & tres personæ,* q. 30. art. 2. & q. 28. ar. 3. *vt ex* supra dictis patet. Ergo essentia non est idem, quod persona.*

2 Præterea. Affirmatio, & negatio simul & semel non verificantur de eodem. Sed affirmatio & negatio verificantur de essentia, & persona. nam persona est distincta, essentia verò non est distincta. ergo persona & essentia non sunt idem.

3 Prat. Nihil subijcitur sibijpsi. Sed persona subijcitur essentiæ, vnde suppositum, vel hypostasis nominatur. Ergo persona non est idem, quod essentia.

li. 7. detri. *Sed contra est, quod Augustt.* dicit 7. de Trin. Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.*

confutatur opinio Porrectanorum: postremò respondetur ad quæsitum vnica cõclusione, videlicet. *Persona est idem realiter quod essentia, ipsæ tamen personæ realiter inter se distinguuntur.*

Caiet. huic textui facilem ac plenam adhibet formam, quam lege, si placet.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt ea, quæ supra diximus de identitate relationis & essentiæ *qu. 28. ar. 2. contr. 1.* & quæ scribit Capr. *in 1. dist. 35. q. vnica*, vbi multa proponit argumenta Scoti & Aur. contra doctrinam illius & huius articuli: ex quo loco desumpsit Cai. obiectiones hic ex Scoto relatas & earum solutiones, vt hic etiam aduertit Iauellus: nec alia nobis occurrunt prædictis addenda.

Qui plures desiderant probationes concl. S. Th. legant Val. *super hunc a.*

Vide etiam quæ scribit Cai. de oppositione contraria & contradictoria *in 2. 2. q. 79. a. 4.*

Suar. *lib. 4. de Trin. c. 2.* disputat aduersus errorem Gilb. Por.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sit dicendum tres personas esse vnius essentiæ.

203 1. dif. 34 q. 1. a 2. * in fi. 4. fo. à prin. num.

AD *Secundum* sic proceditur. *Videtur, quòd non sit dicendum, tres personas esse vnius essentiæ. Dicit enim Hilar. in* * *lib. de Synodis, quòd pater, & filius, & Spiritus sanctus sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam verò vnum. Sed substantia Dei est eius essentia. Ergo tres personæ non sunt vnius essentiæ.*

Cap. 1. parũ à princ. & paulò post idem repetitur.

2 Præterea. Non est affirmandum aliquid de diuinis, quod authoritate scripturæ sacræ non est expressum, vt patet per Dionys. * *1. c. de di. no. Sed nunquam in scriptura sacra exprimitur, quòd pater, & filius, & Spiritus sanctus sunt vnius essentiæ. Ergo hoc non asserendum.*

3. Præter. Natura diuina est idem, quod essentia. Sufficeret ergo dicere, quod tres personæ sunt vnius naturæ.

4. Præt. Non consueuit dici, quod persona sit essentia: sed magis, quod essentia sit personæ. Ergo neque conuenienter videtur dici, quòd tres personæ sunt vnius essentiæ.

Zi 7. de tri. c 6 paulò post med. to. 3.

5 Præt. Aug. * *dicit, quod non dicimus tres personas esse ex vna essentia, ne intelligatur in diuinis aliud esse essentia, & persona. Sed sicut præpositiones sunt transitiuæ, ita & obliquæ. Ergo parí ratione non est dicendum, quod tres personæ sunt vnius essentiæ.*

6. Præt. Id quod potest esse erroris occasio, non est in diuinis dicendum. Sed cùm dicuntur tres personæ vnius essentiæ, vel substantiæ, datur erroris occasio.

Zi de syn. in 5 fol. à prin lib.

quia, vt Hyla. dicit in * *lib. de synodo, Vna substantia patris, & filij prædicata, aut vnum qui duas nuncupationes habet subsistentem significat: aut diuisam vnam substantiam duas imperfectas fecisse substantias: aut tertiam priorem substantiam, quæ à duobus, & vsurpata sit, & assumpta. Non est ergo dicendum, tres personas esse vnius substantiæ.*

Zib. 3. cont. Maximũ, c 14. ante med to. 6. ὁμοούσιον ἐμβάσιος.

Sed contra est, quod Aug. dicit in * *lib. 3. contra Maximinum. Quod hoc nomen, omousion, quod in Concilio Niceno aduersus Arrianos firmatum est, idem significat, quod tres personas esse vnius essentiæ.*

q 13. a. 1. & 11.

Respondeo. Dicendum, quòd (sicut supra dictum est *) *intellectus noster res diuinas nominat, non secundum modum earum, quia sic eas cognoscere non potest: sed secundum modum in rebus creatis inuenitum. Et quia in rebus sensibilibus, à quibus intellectus noster scientiam capit, natura alicuius speciei per materiam indiuiduatur, & sic natura se habet, vt forma, indiuiduum autem, vt suppositum formæ, propter hoc etiam in diuinis quantum ad modum significandi, essentia significatur vt forma trium personarum: dicimus autem in rebus creatis formam quamcunque esse eius, cuius est forma, sicut sanitatem vel pulchritudinem hominis alicuius. Rem autem habentem formam non dicimus esse formæ, nisi cum adiectione alicuius adiectiui, quod designat illam formam. Vt cùm dicimus ista mulier est egregiæ formæ, iste homo est perfectæ virtutis. Et similiter, quia in diuinis multiplicatis personis, non multiplicatur essentia, dicimus vnam essentiam esse trium personarum, & tres personas vnius essentiæ, vt intelligantur isti genitiui construi in designatione formæ.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd substantia sumitur pro hypostasi, & non pro essentia.

Ad Secundum dicendum, quòd licèt tres personas esse vnius essentiæ non inueniatur in sacra Scriptura per hæc verba, inuenitur tamen quantum ad hunc sensum. Sicut ibi. Ego & pater vnum sumus. Et ego in patre, & pater in me est. Et per multa alia haberi potest idem.

Ad Tertium dicendum, quòd quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse. Et ideò magis exprimitur vnitas diuina per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt vnius essentiæ, quàm si diceretur, quod sunt vnius naturæ.

Ad Quartum dicendum, quòd forma absolutè accepta, consueuit significari, vt eius cuius est forma, vt virtus Petri. E conuerso autem res habens formam aliquam non consueuit significari, vt eius, nisi cùm volumus determinare, siue designare formam. Et tunc requiruntur duo genitiui, quorum vnus significet formam, & alius determinationem formæ: vt si dicatur: Petrus est magnæ virtutis. Vel etiam requiritur vnus genitiuus habens vim duorum genitiuorum: vt cùm dicitur, Vir sanguinum est iste, id est effusor multi sanguinis. Quia igitur essentia diuina significatur, vt forma respectu personæ, conuenienter essentia personæ dicitur: non autem è conuerso, nisi aliquid addatur ad designationem essentiæ: vt si dicatur, quod pater est persona diuinæ essentiæ, vel quod tres personæ sunt vnius essentiæ.

Ad Quintum dicendum, quòd hæc præpositio, Ex, vel De, non designat habitudinem causæ formalis: sed magis habitudinem causæ efficientis, vel materialis. Quæ quidem causæ in omnibus distinguuntur ab his, quorum sunt causæ. Nihil est sua materia, neq; aliquid est suum principiuum actiuum. Aliquid tamen est sua forma, vt patet in omnibus rebus immaterialibus. Et ideo per hoc, quod dicimus, tres personas vnius essentiæ, significando essentiam in habitudine formæ, non ostenditur aliud esse essentia quàm persona quod ostenderetur si diceremus tres personas ex eadem essentia.

Ad Sextum dicendum, quòd sicut Hil. * *dicit in lib. de Synod. Malè sanctis rebus præiudicatur, si, quia non sanctæ à quibusdam habentur, esse non debeant. Sic, si male intelligitur omousion, quid ad me bene intelligentem? Sic ergo vna substantia ex vna genti proprietate, non sic autem ex proportione, aut ex vnione, aut ex communione.*

li de syn. in vl. fol. ante fin. lib.

Sensus

Sensus & ordo quæsiti.

STABILITA identitate cuiuslibet diuinæ personæ cum essentia, statim occurrit inquirenda veritas huius propositionis: *Tres personæ sunt vnius essentiæ.* Cuius quæsiti determinatio deducitur ex propria ratione suppositi & essentiæ absolutè sumptæ, vt patet in textu; ex quo claret ordo ad seq. articulum, in quo quæritur prædicatio essentialium non absolutè; sed in numero singulari significatorum de personis.

Forma Textus.

» CONCL. est. *Rectè dicimus vnam essentiam esse*
» *trium personarum, & tres personas vnius essen-*
tiæ. Probatur. Sicut in rebus sensibilibus natura per materiam indiuiduata se habet vt forma, indiuiduum autem vt suppositum formæ: ita etiam in diuinis quantum ad modum significãdi essentia, quæ est vna numero, significatur vt forma trium personarum: at in rebus creatis dicimus formam quamcunque esse eius, cuius est forma; rem autem habentem formam non dicimus esse formæ, nisi cum adiectione alicuius ad iectiui, quod designat, id est determinat illam formam; ergo similiter in diuinis, in quibus multiplicatis personis non multiplicatur essentia, dicimus vnam essentiam esse trium personarum & tres personas vnius essentiæ. Maior probatur; quia intellectus noster res diuinas non minat non secundùm modum earum, quia sic eas cognoscere non potest: sed secundum modũ in rebus creatis inuentum: at in rebus sensibilibus natura se habet vt forma, indiuiduũ autem vt suppositum formæ; ergo &c. Maior huius argumenti probatur; quia intellectus noster scientiam capit à rebus sensibilibus. Minor verò principalis argumenti duas habens partes duplici probatur exemplo, vt patet in textu. Vltimò explicatur sensus conclusionis dicendo, genitiuos construi in designatione formæ. Alio modo ferè planiori format litteram Caietanus.

Expositio Textus.

CONTINET hic articulus maximam illam controuersiam in Concilio Niceno definitam de nomine Homousion aduersus Arrianã impietatem, cui in symbolo, quod canitur in Missa, correspondet vox illa consubstantialis idem significans. Lege, si placet, quę scribit Suar. de materia huius articuli, & de voce Homousion *lib. 4. de Trin. c. 1.* post Bellarm. *tom. 1. lib. 2. de Chr. c. 3.*

Notat hic Iauel. ex Heruæo non conuenienter dici tres personas esse vnius Dei: eo quòd nomen Dei, cùm sit concretum, significat suppositum & tanquam habens: at verò suppositum nõ potest (inquit) habere rationem habentis, nisi ad modum possidentis, vel domini, vel producentis: quorum nullum Deo conuenit respectu personarum, vt patet discurrenti per singula.

Circa vltima verba litteræ, vbi dicitur genitiuos in talibus loquutionibus construi in designatione formæ, legenda est explicatio S. D. *in 1. sent. dist. 34. q. 1. a. 2.*

Respons. ad 2. explicat supra S. D. *qu. 29. ar. 3. ad 1.*

Responsio ad quintam difficultatem affert inferius tractandam *q. 41. a. 3.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

204
AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd nomina essentialia (vt hoc nomen Deus) non prædicentur singulariter de tribus personis, sed pluraliter. Sicut enim homo significatur, vt habens humanitatem, ita Deus significatur, vt habens deitatem. Sed tres personæ sunt tres habentes deitatem. Ergo tres personæ sunt tres dij. 1. dist. 42. a. 2. ad 5 Et Boe. Tri q 1. a. 4.

2 Præterea. Gen. 1. vbi dicitur, In principio creauit Deus cœlum & terram, Hebraica veritas habet, Elohim, quod potest interpretari dij, siue iudices. Et hoc dicitur propter pluralitatem personarum. Ergo tres personæ sunt plures dij, & non vnus Deus.

3 Præt. Hoc nomen, res (etiam absolutè dicatur) videtur ad substantiam pertinere. Sed hoc nomen pluraliter prædicatur de tribus personis. Dicit enim Aug. *in lib. de doctrina Christ.* Res quibus fruendum est, sunt pater, & filius, & Spiritus sanctus. Ergo, & alia nomina essentialia pluraliter prædicari possunt de tribus personis. li 1. de doct. Chr c. 5 10. 3

4 Præterea. Sicut hoc nomen Deus, significat habentem deitatem, ita hoc nomen, persona, significat subsistentem in natura aliqua intellectuali. Sed dicimus tres personas. Ergo eadem ratione dicere possumus tres deos.

C *Sed contra* est, quod dicitur Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

Respond. Dicendum, quòd nominum essentialium, quædam significant essentiam substantiue, quædam verò adiectiuè. Ea quidem, quæ substantiuè essentiam significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, & non pluraliter. Quæ verò adiectiuè essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali. Cuius ratio est, quia nomina substantiua significant aliquid per modum substantiæ: nomina verò adiectiua significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subiecto. Substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem, vel multitudinem. Vnde, & singularitas, vel pluralitas d nominis substantiui, attenditur secundùm formam significatã
D per nomen. e Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex d subiecto susceptiunt vnitatem, & multitudinem. e Et ideo, in adiectiuis attenditur singularitas, & pluralitas secundùm suppositata. In creaturis autem, non inuenitur vna forma in pluribus suppositis nisi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinata. Vnde, nomina significantia talem formam si sint substantiua, prædicantur de pluribus in singulari, non autem si sint adiectiua. Dicimus enim, quòd multi homines sunt collegium, vel exercitus, aut populus, dicimus tamen, quòd plures homines sunt collegiati. In diuinis autem essentia diuina significatur per modum
E formæ, vt dictũ est. * Quæ quidem simplex est, & maximè vna: vt supra † ostensum est. Vnde, nomina significantia diuinam essentiam substantiuè, singulariter, & non pluraliter de tribus personis prædicantur. Hac igitur est ratio, quare Sortem, & Platonem & Ciceronem dicimus tres homines, patrem autem, & filium, & Spiritum sanctum non dicimus tres Deos: sed vnum Deum, quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates, in tribus autem personis est vna diuina essentia. Ea verò, quæ significant essentiam adiectiuè, prædicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem suppositorum. Dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, & increatos, & immensos, si adiectiuè sumantur. Si verò substantiuè sumantur, dicimus vnum increatum, immensum, & æternum, vt Athan. * dicit. 179 D. 17. 169 D. 927. a. præc & q 3 a. 3. † q. 3 a. 7. & q 11. a. 4 In symb. sua fid.

Ad Primum ergo dicendum, quòd licèt Deus significet habentem Deitatem, est tamen alius modus significandi. Nam Deus dicitur substantiuè: sed habens deitatem dicitur adiectiuè. Vnde licèt sint tres habentes deitatem, non tamen sequitur, quòd tres sint dij.

Ad Secundum dicendum, quod diuersæ linguæ habent diuersum modum loquendi. Vnde, sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases, ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque deos, neque substantias: ne pluralitas ad substantiam referatur.

Ad Tertium dicendum, quòd hoc nomen res est de transcendentibus. Vnde secundum quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in diuinis: secundum verò quod pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur. Vnde Augustinus [*] *dicit ibidem, quòd eadem Trinitas quædam summa res est.*

[*] loc. cit. in ar.

Ad Quartum dicendum, quòd forma significata per hoc nomen, persona, non est essentia vel natura, sed personalitas: vnde cùm sint tres personalitates. id est, tres personales proprietates in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic de nominibus essentialibus in concreto, siue sint substantiua siue adiectiua.

Forma Textus.

PRIMO distinguit, deinde respondet quæsito duabus conclusionibus, quas vnico simul probat argumento.

Distinctio est: Nominum essentialium quædam significant essentiam substantiuè: quædam verò adiectiuè.

„ PRIMA CONCLVSIO est. *Ea nomina, quæ*
„ *significant essentiam substantiuè, prædicantur de tri-*
„ *bus personis singulariter tantum & non pluraliter.*

„ SECVNDA CONCLVSIO. *Quæ adiectiuè es-*
„ *sentiam significant, prædicantur de tribus personis in*
„ *plurali.* Probantur ambæ simul. Singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen: in adiectiuis autem attenditur singularitas vel pluralitas secundum suppositа: At in diuinis essentia significatur per modum formæ, quæ simplex est & maximè vna in tribus suppositis; ergo nomina significantia diuinam essentiam substantiuè, singulariter & non pluraliter de tribus prædicantur; ea verò, quæ significant essentiam adiectiuè, prædicantur pluraliter de tribus personis. Maior probatur ex differentia substantiui & adiectiui in modo significandi: Nam substantiua significant aliquid per modum substantiæ; nomina verò adiectiua significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subiecto: at substantia sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem: accidentia verò sicut habent esse in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem vel multitudinem; ergo singularitas vel pluralitas nominis substantiui &c prout in maiori. Minor autem probatur ex supradictis & ex differentia formæ inuentæ in creaturis & essentiæ diuinæ, quę significatur ad modum formæ; quoniam in creaturis non inuenitur vna forma in pluribus suppositis, nisi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ: in diuinis autem essentia simplex est & maximè vna: Cum qua tamen differentia stat nonnulla similitudo, qua manifestatur veritas vtriusque conclusionis, videlicet quòd nomina significantia formam vnam creatam in pluribus suppositis inuentam, si sint substantiua, prædicantur de pluribus in singulari, non autem si sint adiectiua, quia dicimus, multi homines sunt collegium vel sunt exercitus aut populus: & dicimus plures homines sunt collegiati. Similiter in diuinis nomina significãtia diuinam essentiam substantiuè prædicantur singulariter & non pluraliter: è contra verò adiectiua pluraliter. Et manifestatur prima cõclusio ex differentia humanæ & diuinæ naturæ quo ad vnitatem & pluralitatem in suppositis, & consequenter quo ad vnitatem & pluralitatem nominis substantiui, vt patet in textu.

Expositio Textus.

TOTVM hunc articulum explicat non minus eruditè, quàm eleganter Episc. Canariensis.

Vasq. *in 8. c.* latè declarat regulam de nominibus adiectiuis: sed ex sequentis controuersiæ definitione tota pendet litteræ præsentis intelligentia.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate & sensu illius maioris propositionis. Singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen: in adiectiuis autem &c.

CONTINET prædicta propositio secundũ communem expositorum sententiam (vno excepto Sylu. *supra q. 36. a. 4.*) duas regulas circa prædicationem nominum essentialium vel absolutorum in concreto, tam si fuerint substantiua quam si fuerint adiectiua. Sed tota difficultas est de priori parte propositionis, siuè regula ad substantiua nomina pertinente. Omissis autem antiquorum Scholasticorum placitis, scilicet Richardi, Dur. Marsilij, Gabr. & plurium nominalium à recentioribus relatis & cõfutatis, expositorum tantum sententias referemus. *Sententiæ Doctorum.*

Igitur Sylu. *supra q. 36. a. 4.* hunc ait esse sensum dictæ regulæ, videlicet: Nomen substantiuum nunquam plurificatur nisi plurificata forma, qua plurificata semper plurificatur ipsum, si sit abstractum: si verò sit concretum, semper plurificatur regulariter, si forma est substantia: si verò sit accidens, nunquam plurificatur nisi plurificato subiecto. Non enim possunt dici plures artifices, nisi sint plura suppositа artis. Quam sententiam sequitur Torres *super hoc art.* vbi respondens ad obiectionem affirmat, si duæ personæ assumerent eandem numero humanitatem, non debere tunc dici duos homines, sed vnum.

Barth. Med. *3. p. q. 3. a. 6.* duas glossas insinuat. *Prior* est: Regulam illam intelligendam esse, quando formale significatum substantiui est per se subsistens, & idem secundum rem cum supposito: sicut natura diuina significata hoc nomine Deus est per se subsistens, & idem cum qualibet diuina persona. *Posterior* est: Veram esse dictam regulam, quando nomen substantiuum non significat formam accidentalem, sed substantialem. Ex quibus deducit,

ducit, ita casu duarum personarum assumentium eandem humanitatem, futuras illas personas vnum hominem & non duos; eo quòd humanitas adueniat filio Dei, sicut forma accidentaria. Quem dicendi modum sequitur Ban. *supra q. 36. a. 4.* & Zum. *super hoc a.* & indicauerat Ferr. *in 4. contra gent. c. 11. concl. 4.* Aduerte tamen Med. non sibi constare: nam prius ibidem sustinuerat cum Caiet. futuros in eo casu duos homines simpliciter.

Alij verò quos refert Mol. *supra q. 36. a. 4. disp. 4.* existimant regulam illam esse limitandam ad ea substantiua, quorum formale significatum est de intrinseca ratione suppositi; inter quos recenset Med. qui in priori glossa per illam vocem, *idem*, id videtur innuere. Ait autem Mol. eorum semper sententiam sibi placuisse, qua affirmant regulam substantiuorum concretè significantium esse vniuersim veram: ob rationem Scoti *in 1. dist. 12. q. 1.* quam refert dictus expositor *in dicto ar. disputat. 2.* & Vasq. *disp. 155. c. 4.* & latius Rada *contr. 16. a. 2.* Est autem in summa ratio talis. Adiectiua sunt huius naturæ vt non se mutuò determinent, sed determinent substantiuum; ergo quando concreto adiectiuo additur à parte prædicati nomen numerale adiectiuum, neutrum determinat alterum, sed ambo determinant substantiuum, quod est à parte subiecti. Ex quo sequitur vt hæc propositio, Pater & filius & spiritus sanctus sunt tres æterni, hunc habeat sensum: Pater & filius & Spiritus sanctus sunt tres, & quilibet eorum est æternus: quæ propositio vera est, etiamsi trium vna sola sit æternitas. Sed quando substantiuo concreto posito à parte prædicati additur nomen numerale, determinat substantiuum, ponitque suum significatum circa eius formale significatum, & denotat in ipso pluralitatem. Vnde hæc propositio est falsa & hæretica: Pater & filius & Spiritus Sanctus sunt tres Dij aut plures Dij, vel creatores; quoniam adiectiuus ille numeralis, tres vel plures, determinat substantiuum & in ipso denotat numerum siuè pluralitatem.

Cap. *in 1. dist. 4. q. 1. a. 1. ad 1. Aureoli* refert verba D. Th. *ex 3. dist. 1. q. 2. a. 5. ad 2.* ita loquentis: *Singularitas & pluralitas termini substantiui attenditur secundù vnitatẽ & pluralitatẽ naturæ significatæ per terminum, & non secundùm vnitatem vel pluralitatem suppositorũ: Quamuis enim pater, & filius & Spiritus sanctus sint tria suppositа, tamen propter vnitatem diuinæ naturæ, quam significat hoc nomen Deus, dicuntur vnus Deus: ita è contra, quamuis Iesus, & Petrus essent vnum suppositum, tamen propter pluralitatem naturarum assumptarum dicerentur duo homines.* Hæc ibi. Nititurque Cap. ad eundem sensum trahere verba D. Th. *3. p. q. 3. a. 7.* vbi docet nullum substantiuum dici pluraliter, nisi propter pluralitatem suppositorum, dicens D. Th. ibi potius videri loqui de adiectiuis, quàm de substantiuis. Sentit ergo Cap. nomina substantiua concreta rerum naturas significantia, ex solâ vnitate aut pluralitate seu numero formę, quam significant singulariter aut pluraliter dici. Quam sententiam vt probabilem sustinet Ferr. *in 4. cont. gent. c. 11.* Eandem sequitur Vasq. *in dicta disput. 15. cap. 4.* & Suar. *lib. 4. de Trinitate c. vndecimo, numero 41.*

Cai. *super hoc a.* & *supra qu. 36. a. 4.* ait differentiam, quam statuit S. D. inter adiectiuum & substantiuum in hoc consistere, quòd substantiui pluralitas exigit pluralitatem formæ & pluralitatem suppositi: ad adiectiui verò pluralitatem sufficit pluralitas suppositorum. Quam interpretationem sequuntur Ferr. *in dicto cap. 11. concl. 4.* Iauel. Torres, Ban. Zum. & Val. *super hoc a.* Mol. *in dicta q. 36. a. 4.* & Suar. *3. par. disp. 13. sect. 3.* licet vbi supra oppositum ‖ dixerit. Denique communis hæc est omnium Thomistarum sententia, quam etiam amplectitur Rada *dicta controu. 16.*

Resolutio. Conciliatis diuersis dictis S. D. ostenditur vnitatem & pluralitatem nominis substantiui attendi per se primò ex vnitate & pluralitate formæ significatæ: secundario verò ex vnitate & pluralitate suppositorum.

Cvm Tota controuersia præsens sit de sensu & veritate primæ regulæ siuè propositionis S. D. in textu, operæpretium erit ex aliis eiusdem Angelici Doctoris dictis illius mentem & quæstionis propositæ definitionem inuestigare. Igitur præter verba supra notata *ex 3. dist. 1. q. 2. a. 5.* vbi dicitur nomina substantiua accipere vnitatem & pluralitatem ab vnitate & pluralitate formæ significatæ, non autem ab vnitate vel pluralitate suppositorum, habentur alia similia *de potentia, q. 9. a. 6. & 1. dist. 5. q. 2. a. 3.* in quibus nullam de pluralitate suppositorum mentionem facit. Et *in tertio sent.* vtens regula prædicta in mysterio Incarnationis ait: *Si vna persona duas humanitates assumeret, dicerentur duo homines, propter pluralitatem formæ significatæ, quamuis vnum tantum esset suppositum.* In hoc etiam artic. vbi statuit differentiam inter adiectiua nomina & substantiua, disertis verbis affirmat singularitatem vel pluralitatem nominis substantiui attendi secundum formam significatam per nomen: adiectiui verò singularitatem vel pluralitatem attendi secundum suppositа.

Contrarium sonantia.

At supra *q. 36. a. 4. ad 2.* ait Patrem propter plures proprietates non posse dici plura principia; quia implicaretur pluralitas suppositorum: Igitur secundum mentem D. Th. vt hoc nomen, *principium*, quod est substantiuum, dicatur pluraliter, requiritur necessariò pluralitas suppositorum. Et *in 3. p. q. 3. a. 6. ad 1.* ait: *Si tres personæ assumerent vnam humanam naturam, verum esset dicere, quòd tres personæ essent vnus homo propter vnam naturam humanam: sicut nunc verum est dicere, quòd tres personæ sunt vnus Deus propter vnam diuinam naturã.* Et in *a. 7. ad 2.* ita loquitur: *Nunquã nomẽ ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum: homo enim qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duobus vestimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliqualis secundum duas qualitates: natura autem assumpta quantum ad aliquid se habet per modum indumenti: & ideò si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Hæc ibi.

Conciliatur dicta D. Thom. ex distinctione.

Quamuis autem plura ex relatis S. D. pronunciatis inter se videantur apertè pugnantia, vnica tamen proposita distinctione conciliari facile poterunt. Distinctio est Ferrariensis *in supradicto c. 11.* De singularitate & pluralitate nominis substantiui vel adiectiui dupliciter loqui possumus: *Vno modo* quo ad rationem & causam formalem singularitatis & pluralitatis eius præcisè & absolutè; *Alio modo* non solùm quo ad rationem siuè causam sed etiam quo ad conditionem necessariò requisitam ad no-

minis substantiui singularitatem vel pluralitatem. Si rationem solam & causam pluralitatis vel singularitatis attendamus, sola sufficit ad nominis substantiui singularitatem formæ singularitas, & ad eiusdem pluralitatem formæ pluralitas: quemadmodum ad pluralitatem adiectiui sola sufficit pluralitas suppositorum. Cuius rationem hic affert D. Tho. ex differentia inter adiectiuum & substantiuum quo ad modum significandi; quia scilicet substantiua significant aliquid per modum substantiæ, adiectiua verò significant aliquid per modum accidentis quod inhæret subiecto: sicut autem substantia per se habet esse, ita per se habet vnitatem aut pluralitatem, accidentia verò habent esse in subiecto, & ideò subiecto suscipiunt vnitatem vel pluralitatem. Igitur substantiui pluralitas vel singularitas consequitur vt rationem & propriam causam, vnitatem vel multitudinem formę significatæ per nomen: quamuis hæc ratio non sit simpliciter sufficiens se in suo ordine. s. vt ratio: adiectiui verò singularitas vel pluralitas sequitur ad vnitatem vel pluralitatem suppositorum. Si verò singularitatem vel pluralitatem consideremus non quo ad solam eius rationem aut causam, sed etiam quo ad conditionem necessariò requisitam: sic non sufficit sola formæ pluralitas, sed requiritur etiam pluralitas suppositorum ad pluralitatem nominis substantiui, vt scilicet pluraliter dici possit. Ex hac itaque distinctione conciliari facilè possunt vniuersa dicta D. Th. supranotata. Nam in locis ex *1. & 3. & q. 9. de Potentia* relatis rationem assignauit formalem & causam per se primò vnitatis vel pluralitatis nominis: ex qua causa siuè ratione attenditur per se primò differentia nominis substantiui ab adiectiuo quo ad singularitatem & pluralitatem, non excludendo tamen pluralitatem suppositorum, quam *supra q. 36. & in tertia par.* significauit vt conditionem esse necessariam. Cum igitur *in 3. dist 1. q. 2. a. 5.* negat pluralitatem substantiui attendi penes pluralitatem suppositorum, intelligendum est quo ad rationem & per se primò causam pluralitatis, non autem quo ad conditionem necessariò requisitam. Cur autem *in hoc a. S. D.* nihil dixerit de pluralitate suppositorum ad substantiui pluralitatem necessaraia, rationem affert Cai. dicens non opus fuisse nisi hic illud tantum exprimere, quo differt substantiuum ab adiectiuo; cum præsertim suppositorum pluralitatem significauerit esse necessariam in *dictis q. 36. & in 3. p.* perspicuè dixerit, & cuilibet comparanti prædicta nomina pluralitas occurrat suppositorum, vt communis vtriusque conditio, vt pluraliter vtrumque dicatur. Addit autem Cai. quem alij quidem sequuntur interpretes D. Thom. *in 3. dist. 1. q. 2. a. 5.* in oppositа fuisse sententia, & ab eodem *in tertia parte* fuisse reprehensam. De qua re liberum esto cuiuslibet intelligentis iudicium. Ferrariensis *in dicto 11. capite* nititur alia via conciliare dicta D. Th. reducendo simul etiam modum dicendi Capr. ad bonum sensum. Sed quoniam, vt idem expositor ibidem fatetur, ea via non assequitur mentem D. Tho. idcirò legat eam quicunque voluerit.

Hæc iudicio nostro quæstionis propositæ definitioni cumulatè sufficiunt, ex quibus non nulla explicantur vberius à Ferrarien. & Cai. locis superius allegatis, quæ lectoris diligentię videnda relinquimus.

Ex eadem distinctione & doctrina ad concordiam haud ineptè reduci possent omnes ferè superius relatæ expositorum sententiæ.

Occurritur calumnię Scoti, Moline & Radæ.

Iam verò de ratione Scoti pro dictis regulis, quam vt efficacem reiecta probatione D. Tho. proponunt nobis Scotus, & post eum Mol. & Rada breuibus dicam. Miror etenim adduci rationem vt diuersam, cum vel sit eadem, aut quod verius est, ex ratione D. Th. vt priori & magis radicali deducta. Nam ex hoc quòd substantia per se habet esse & consequenter vnitatem aut multitudinem, accidens autem habet esse in subiecto & consequenter ab eo recipit vnitatem, sequitur id quod ait Scotus, videlicet adiectiua huius esse naturæ, vt non se mutuò determinent: sed determinent substantiuum, nimirum determinatione formali per modum adiacentis & inhærentis, & consequenter ab eo recipiant vnitatem aut pluralitatem. Cum enim substantia per se habeat esse, accidens autem totum suum esse, quo formaliter per modum adiacentis & inhærentis determinat, habeat in substantia: consequens est vt positis duobus accidentibus, aut ad modum accidentium se habentibus, à parte prædicati neutrum determinet alterum, sed ambo determinent immediatè subiectum. Abeant igitur Scoti & Radæ ac similium cauillationes, & pateat omnibus Angelicæ doctrinæ profunditas.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen: in adiectiuis autem secundum suppositа.* Hæc conclusio est D. Tho. *in hoc articulo.*

SECVNDA CONCL. *Dicendo singularitatem, vel pluralitatem substantiui attendi penes formam, non excluditur pluralitas suppositi vt necessaria conditio ad pluralitatem; sed tantum vt ratio, & causa per se primò pluralitatis nominis substantiui, quæ soli conuenit formæ per illud nomen significatæ.*

TERTIA CONCL. *Vera est prædicta regula D. Th. siuè significatum nominis substantiui sit forma substantialis siuè accidentalis: siuè sit subsistens siuè non subsistens, siuè sit intrinseca supposito siuè sit extrinseca* Hæc patet ex dictis & magis elucescet ex solutionibus argumentorum.

QVARTA CONCL. *Ratio qua probatur in textu dicta regula, continet causam radicalem & potissimam, ex qua deducitur medium, quo vtitur Scotus.* Hæc satis probata fuit in vltimo fundamento.

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam* concl. sunt argum. quæ proponunt & soluunt Cai. Iauel. Torres, Zum. Mol. Val. ad quos lectorem remittimus. Pendet tamen omnium eorum solutio ex prænotata distinctione concurrentium ad nominis singularitatem vel pluralitatem, & ex diuersitate modi significandi nominis adiectiui & substantiui.

Ob. 1. cõ 2. & 3. concl.

CONTRA *secundam & tertiam concl.* argu. Torres & post eum Zum. & alij. Si Petrus & Ioannes haberent eandem numero albedinem, essent plura alba substantiuè; ergo.

Solut.

Resp. primò falsum esse anteced. Nam facta illa suppositione prædicatum illud, *album*, non posset verè dici de Petro & Ioanne nisi adiectiuè. Secundò dico casum esse impossibilem;

lem; eo quòd accidens indiuiduatur ex subiecto: quare sicut idem accidens non potest esse vnum & plura, ita non potest esse in hoc simul & in illo subiecto.

Ob. 2. *Secundò* contra easdem conclusiones arguunt. Quia si vna persona duas assumeret humanitates, vel è contra, tunc essent plures homines: & tamen in priori casu non esset pluralitas suppositorum: in posteriori verò non esset nisi vna forma, id est humanitas in pluribus. *Resp.* *Sol.* falsum esse antec. Nam in vtroque casu esset tantum vnus homo, vt apertè docet S. Tho. *in 3. p. q. 3. a. 6. ad 1. & a. 7. ad 2.* & *ibidem* declarat Caietanus. Cur autem dixerit S. D. *in 3.* in priori casu futuros & dicendos esse duos homines, explicat Ferra. *in dicto c. 11.*

Ob. 1. cōt. 2 concl. *Contra eandem secundam conclus.* argu. Vasq. *Primò.* S. Th. non dixit ad pluralitatem vel vnitatem nominis esse attendendam, & considerandam vnitatem vel pluralitatem formæ: sic enim solum significaret id esse necessarium, non tamen denotaret id sufficere: sed dixit singularitatem aut pluralitatem nominis attendi secundum formam significatam. At verò attendi secundum formam est ex illa desumi: nam si aliunde necessariò oriretur, non diceretur attendi secundum formam; siquidem existentibus pluribus formis, contingeret nomen singulariter significare; ergo &c. *Resp.* falsum esse quòd attendi secundum formam sit ex ea tantum oriri: nec est inconueniens existentibus pluribus formis nomen singulariter significare, vt iam diximus cum D. Thom. in casu vnius diuinæ personæ duas assumentis humanitates: tunc enim esset vnus tantum homo. Secundò dico, quòd attendi secundum formam est ex ea tantum oriri vt ratione & causa per se primò singularitatis aut pluralitatis, non vt per se sufficiente sine conditione prædicta, quæ est vnitas vel pluralitas suppositorum.

Obi. 2. *Secundò* sic arguit. Nunquam S. Tho. *in toto articu* fecit mentionem vnitatis & numeri suppositorum, vt ostenderet id etiam requiri ad vnitatem & pluralitatem nominis; ergo cum solum faciat mentionem formæ, & inde dicat esse attendendam vnitatem nominis, sequitur existimasse id etiam solum sufficere. *Et confirmatur*; quia S. D. eodem modo loquitur de singularitate, quo de pluralitate: sed ad singularitatem nominis sufficit vnitas formæ: quod significat S. Tho. cum ait singularitatem nominis ex singularitate formæ attendendam esse. *Respondetur* cum Caietano non fuisse necessarium hic exprimi nisi id, in quo differt substantiuum ab adiectiuo: hoc autem est vnitas aut pluralitas formæ, vt supra declarauimus. Vnde ad argumentum negatur sequela. Nihil enim valet argumentum ab authoritate negatiuè. Et præterea S. Thom. conditionem illam necessariam expresserat *supra qu. 36. art. 4.* & clarius eam significat *in 3. p. q. 3. a. 7. ad 2* *Ad confirm.* negatur assumptum: nusquam enim dixit D. Th. ad substantiui nominis singularitatem requiri suppositi vnitatem: cùm tres personæ dicantur vnus Deus.

Obi. 3. *Tertiò.* Colligit D. Tho. formas inde habere vnitatem vel pluralitatem, vnde habent esse, non quidem tanquam ex requisito solo principio, sed etiam tanquam ex sufficienti & integro; ergo &c. Probatur antecedens; quia sicut non aliunde habent esse sed per se, ita per se & non aliunde habent vnitatem & numerum; cùm itaque nomina concreta formarum sequantur rem significatam, sicut quæcunque alia, sequuntur rem, quam significant, rectè colligit S. Thom. ex illis solum singularitatem & pluralitatem eorum in significando sumendam esse. *Resp.* falsum esse antec. Ad probat. dico formas ex se, & non aliunde habere esse tanquam ex ratione & causa formali seu principio formali essendi: habere tamen ex suppositis, in quibus subsistunt, conditionem ad modum essendi pertinentem, sine qua non potest forma substantiuo nomine significata pluraliter prædicari. *Solut.*

Quartò. Significatio nominis numerari debet secundum significatum directum illius: sed directum significatum nominis concreti substantiui naturæ seu formæ, vt Deus non est suppositum sed forma; ergo ex illa numerari debet; ergo singulariter aut pluraliter dici iuxta vnitatem vel numerum formæ, non suppositi. *Resp.* primò falsam esse maiorem intellectam de significato formæ, vt causa per se omnino sufficienti sine quouis alio, vt conditione saltem necessaria ad nominis pluralitatem. Secundò posset negari minor, loquendo de substantiuo quatenus cōcretum est; sic enim directè significat suppositum: sed melior est prima responsio. *Obi. 4.* *Solut.*

Quintò. Ad singularitatem nominis substantiui nullo modo requiritur singularitas suppositi; ergo neque ad eius pluralitatem requiritur pluralitas suppositorum. Antecedens probatur; quia alioquin tres personæ non essent vnus Deus nec vnus homo, si vnam assumerent humanitatem, quod est absurdum. *Respondetur* nullam esse consequentiam; plus enim exigitur ad pluralitatem quàm ad vnitatem: nam vt res aliquæ sint & dicantur vnum sub aliqua ratione, satis est vt in ea sint indiuisæ: Vt autem plura sint & dici possint, requiritur vt sint ab inuicem absolutè diuisæ, nec ad vnum aliquid componendum vel constituendum conueniant. Vnde si plures assumerentur humanitates ab vna persona, non essent tres homines sed vnus homo; quoniam in eadem persona conuenirent ad vnum ineffabiliter componendum: & eadem ratione si tres personæ vnam numero naturam assumerent, essent vnus homo; quia scilicet ad vnum hominem ex vna natura & tribus suppositis ineffabiliter compositum constituendum conuenirent. Quemadmodum vnus Deus ex vna Deitatis natura, & tribus personis modo nostro intelligendi constituitur. *Obi. 5.* *Solut.*

Sextò. Licèt pluralitas & singularitas formæ esset conditio requisita, non autem ratio formalis, non deberet dicere sanctus Thomas *in hoc articulo* pluralitatem & singularitatem nomnis attendi debere ex vnitate & pluralitate formæ: sed addere deberet aliunde etiam desumi; nam ex conditione etiam attendi debet, sicut ex causa formali, si conditio est necessariò requisita. *Respondetur* nullam esse consequentiam; quia quod principaliter attenditur in qualibet re constituenda siue causanda, non est conditio ad rei productionem siue constitutionem necessariò concurrens, sed id quod ratio est & causa per se primò: & ideò mentione facta de eo, quod est per se primò causa, non est necesse semper illud addere, quod est conditio. E contra verò, posi- *Obi. 6.* *Solut.*

ta sola conditione, non esset doctrina perfecta; quia principale deesset. Probatio verò consequentiæ non est ad propositum; nam si forma esset tantum conditio, iam illud aliud, ex quo desumenda esset etiam pluralitas substantiui, non esset conditio, vt Vasq. significat, sed esset ratio & causa propria.

CONTRA *vltimam* conclus. est argum. Scoti solutum à Capr. Caiet. Iauel. & alijs, quo etiam vtitur Rada præteriens solutiones Thomistarum.

RESPONSIONEM ad secundum argum. explicant hic Torres, Zum. & Suar. *lib. 4. de Trinitate, ca. 12. in fine.* De qua etiam legendus est Cai. & Abul. *super Gen. 1. c.*

CIRCA responsionem ad tertium argum. disputant hic Torr. & Molin. *An sit concedendum tres personas diuinas esse tria entia? & An Pater entitatem ac realitatem omnem quam habet, communicet filio?* De qua re *supra q. 29. a. 3.* satis diximus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

205 1. dist. 4. q. 1. a. 2.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd nomina essentialia concretiua non possunt supponere pro persona, ita quod hæc sit vera, Deus genuit Deum. Quia (vt sophistæ dicunt) terminus singularis, idem significat & supponit. Sed hoc nomen, Deus, videtur esse terminus singularis, cùm pluraliter prædicari non possit, vt dictum est.* Ergo, cùm significet essentiam, videtur, quòd supponat pro essentia, & non pro persona.*

2 Præterea. Terminus in subiecto positus non restringitur per terminum positum in prædicato ratione significationis: sed solum ratione temporis consignificati. Sed cùm dico, Deus creat, hoc nomen, Deus, supponit pro essentia. Ergo, cùm dicitur, Deus genuit, non potest iste terminus, Deus, ratione prædicati notionalis supponere pro persona.

3 Præt. Si hæc est vera, Deus genuit, quia pater generat, pari ratione hæc erit vera, Deus non generat, quia filius non generat. Ergo est Deus generans, & Deus non generans. Et ita videtur sequi, quòd sint duo dij.

4 Præterea. Si Deus genuit Deum, aut se Deum, aut alium Deum. Sed non se Deum, quia (vt Aug. dicit. in 1. de Trinit.) nulla res generat seipsam. Neque alium Deum, quia non est nisi vnus Deus; ergo hæc est falsa, Deus genuit Deum.*

5 Præterea. Si Deus genuit Deum, aut Deum, qui est Deus pater, aut Deum, qui non est Deus pater. Si Deum, qui est Deus Pater, ergo Deus pater est genitus. Si Deum, qui non est Deus pater: ergo Deus est, qui non est Deus pater: quod est falsum. Non ergo potest dici, quòd Deus genuit Deum.

Sed contra est, quod in symbolo dicitur, Deum de Deo.

Respondeo. Dicendum, quod quidam dixerunt, quòd hoc nomen, Deus, & similia, propriè secundum suam naturam supponunt pro essentia: sed ex adiuncto notionali trahuntur ad supponendum per persona. Et hæc opinio processisse videtur ex consideratione diuinæ simplicitatis, quæ requirit, quòd in Deo idem sit habens, & quod habetur. Et sic habens deitatem, quod significat hoc nomen, Deus, est idem, quod deitas. Sed in proprietatibus locutionum, non tantum attendenda est res significata: sed etiã modus significandi. Et ideò, quia hoc nomen, Deus, significat diuinam essentiam, vt in habente ipsam, sicut hoc nomen homo, humanitatem significat in supposito, alij melius dixerunt, quòd hoc nomen, Deus, ex modo significandi habet, vt propriè possit supponere pro persona, sicut & hoc nomen, homo. Quandoque ergo hoc nomen, Deus, supponit pro essentia: vt cùm dicitur, Deus creat: c quia hoc prædicatum competit subiecto ratione formæ significatæ, quæ est deitas. Quandoque verò supponit personam, vel vnam tantum, vt cùm dicitur, Deus generat: vel duas, vt cùm dicitur, Deus spirat: vel tres, vt, cùm dicitur, Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, & c. 1. Timot. 1. 243 181

Ad Primum ergo dicendum, quòd hoc nomen, Deus, licèt conueniat cum terminis singularibus in hoc, quòd forma significata non d multiplicatur: conuenit tamen cum terminis communibus in hoc, quòd forma significata inuenitur in pluribus suppositis. Vnde non oportet, quòd semper supponat pro essentia quam significat. D. 485

Ad Secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit contra illos, qui dicebant, quòd hoc nomen Deus, non habet naturalem suppositionem pro persona.

*Ad Tertium dicendum, quòd aliter se habet hoc nomen, Deus, ad supponendum pro persona, & hoc nomen, homo. Quia enim forma significata per hoc nomen, homo, id est, humanitas, realiter diuiditur in diuersis suppositis, per se supponit pro persona, etiamsi nihil addatur, quod determinet ipsum ad personam, quæ est suppositum distinctum. Vnitas autem siue communitas d humanæ naturæ non est secundum rem: sed solum secundum considerationem. e Vnde iste terminus, homo, non supponit pro natura communi, nisi propter exigentiam alicuius additi: vt cùm dicitur, homo est species. Sed forma significata per hoc nomen, Deus, scilicet essentia diuina est vna, & communis secundum rem. Vnde per se supponit pro natura d communi: sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam. Vnde, cùm dicitur, Deus, generat, ratione actus notionalis supponit hoc nomen, Deus, pro persona patris. Sed cùm dicimus, Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad personam filij: vnde datur intelligi, quòd generatio repugnet diuinæ naturæ. Sed si addatur aliquid pertinens ad personam filij, vera erit locutio: vt si dicatur Deus genitus non generat. Vnde etiam non sequitur, est Deus generans, & Deus non generans, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas: vt puta si dicamus, pater est Deus generans, & filius est Deus non generans. Et ita non sequitur, quòd sint plures dij. quia Pater & Filius sunt vnus Deus, vt dictum est.** D. 367. a 207 D. 928. Art. præc.

Ad Quartum dicendum, quòd hæc est falsa, pater genuit se Deum: quia ly se (cùm sit reciprocum) refert idem suppositum. Neque est contrarium quod Augustinus dixit ad Maximinum, quòd Deus pater genuit alterum se: quia ly se, vel est casus ablatiui, vt sit sensus, genuit alterum à se: vel facit relationem simplicem, & sic refert identitatem naturæ: sed est impropria vel emphatica locutio: vt sit sensus: genuit alterum similimum sibi. Similiter & hæc est falsa, genuit alium Deum: quia licet filius sit alius a patre (vt supra dictum est*) non tamen est dicendum, quod sit alius Deus, quia intelligeretur quòd hoc adiectiuum, alius, poneret rem suam circa substantiuum, quod est Deus: & sic significaretur distinctio deitatis. Quidam tamen concedunt istam, genuit alium Deum: ita quòd, ly alius, sit substantiuum, & ly Deus, appositiuè construatur cum eo. Sed hic est improprius modus loquendi, & euitandus, ne detur occasio erroris.* In ep. ad Maximin. medi cum, quæ est 66. pau lo ante me dium, to. 2. q 31. a. 2.

Ad Quintum dicendum, quòd hæc est falsa: Deus genuit Deum, qui est Deus pater: quia cùm ly pater, appositiuè construatur cũ ly Deus, restringit ipsum ad standum p persona patris: vt sit sensus, genuit Deum

qui

qui est ipse pater & sic pater esset genitus: quod est falsum. Vnde negatiua est vera, genuit Deum qui non est Deus pater. Si tamẽ intelligeretur constructio non esse appositiua sed aliquid esse interponendũ, tũc econuerso affirmatiua esset vera, & negatiua falsa: vt sit sensus, genuit Deum, qui est Deus, qui est pater. Sed hæc est extorta expositio. Vnde melius est, quòd simpliciter affirmatiua negetur, & negatiua cõcedatur. Præpositiuus tamen dixit, quòd tam negatiua quam affirmatiua est falsa: quia hoc relatiuũ, Qui, in affirmatiua potest referre suppositum, sed in negatiua refert & significatum & suppositũ. Vnde sensus affirmatiuæ est, quòd esse Deum patrem, conueniat personæ filij. Negatiuæ verò sensus est, quod esse Deum patrem, non tantum remoueatur à persona filij, sed etiam à diuinitate eius. Sed hoc irrationabile videtur, cùm secundum Philo. de eodem de quo est affirmatio, possit etiam esse negatio.

Lib. 2. peri. her. ex c. vl. to. 4.

Ordo & Sensus quæsiti.

PRIOR est nominis significatio quã suppositio; id enim significatur per nomen, quod est eius propria ratio, ad quam significandam est impositum: id verò supponitur quòd directè continetur sub ipso nominis formali significato, vt indiuiduum sub natura communi specifica. Constat autem nominis prædicationem ad eius formalem significationem pertinere, secundum quam subiecto attribuitur. Igitur explicato prædicationis modo diuinorum nominum essentialium differit S. D. desuppositione; & primò *in hoc art.* quo ad nomina in concreto sumpta, quorum propriè est suppositio; deinde *in artic. sequenti* de eisdem agit abstractè consideratis, quibus vt sic non conuenit suppositio.

Sensum huius quæsiti declarat Sylu. distinguẽs duplicem suppositionem scilicet actiuam, de qua loquitur hic S. Tho & passiuam, quam ipse logicalẽ appellat: sed nimis operosum esset & Theologicæ facultati minimè congruẽs rationem & modos suppositionum hic explicare. Quod verò necessarium est ad vocem suppositionis intelligendam in eo sensu, quem S. D. intendit *in hoc a.* supra notauimus *q. 29. a. 4.* ex D. Th. *de pot. q. 9. a. 4.*

Forma Textus.

REFERT primò S. Tho. quorundam Scholasticorum opinionem dicentium hoc nomen *Deus* & similia propriè & secundum suam naturam supponere pro essentia; sed ex addito notionali trahi ad supponendum pro persona. Ratio eorum erat; quia diuina simplicitas postulat, vt in Deo sit idem habens & quod habetur. Aduersus hanc sententiam proponit S. Doct. duas conclusiones, & eodem argumento quo probat primam conclusionem, detegit opinionis prædictæ falsitatem.

„ PRIMA CONCLVS. est: *Nomina essentialia in*
„ *concreto possunt propriè supponere pro personis.* Cuius probatio sic potest formari: Omne nomen significans essentiam siue naturam vt in habente potest ex modo significandi propriè supponere pro supposito illius naturæ: At hoc nomẽ *Deus*, significat diuinam essentiam vt in habẽte ipsam; ergo hoc nomen *Deus*, habet vt ex modo significandi possit supponere pro persona. Maior propositio probatur siuè declaratur primo in communi: quia in proprietatibus loquutionum attendenda est non tantum res significata, sed etiam modus significandi. Deinde manifestatur in particulari exemplo hominis. Nam hoc nomen *homo*, quod naturam humanam significat in concreto, significat eam in supposito, & sic supponit pro persona,

SECVNDA CONCL. *Quandoque hoc nomen,* „ Deus, *supponit pro essentia, quandoque supponit per-* „ *sona vel vnam tantum vel duas vel etiam tres.* Ma- „ nifestatur prima pars exemplo, vt cum dicitur Deus creat. Quòd autem hic supponat nomen *Deus*, pro essentia probatur, quia hoc prædicatum conuenit subiecto ratione formæ significatæ, quæ est deitas. Deinde singulæ partes explicantur singulis exemplis, vt patet in textu.

Expositio Textus.

Propouitur, & soluitur apparens cõtradictio verborum D. Th.

REIICIT *primò* S. D. *in corpore* opinionem dicentium hoc nomen *Deus*, & similia secundum suam naturam supponere pro essentia, sed ex adiuncto notionali trahi ad supponendum pro persona. *Deinde in respons. ad 3* reiectam videtur approbare sententiam dicens formam significatam per hoc nomen, *Deus*, esse vnam & communem secundum rem, atque ideò per se supponere pro natura communi, sed ex adiũcto determinari eius suppositionem ad personam. *Quæ duo dicta* Sylu. & post eum Iauellus & Bannes *hic in sua prima conclusione* ita conciliant, vt primò S. D. neget in corpore nomina essentialia concreta posse supponere pro essentia diuina in abstracto ex ratione suæ significationis: in responsione verò ad tertium affirmet hoc nomen, Deus, secundum se supponere pro natura diuina in concreto. Quamuis autem hæc expositio satis litteræ consonet, vt apparet ex fundamento opinionis reiectæ, quod ex diuina procedit simplicitate requirente, vt in Deo sit idem habens & habitum; & indicat confutatio, nimirum, quòd in proprietatibus loquutionum non tantum est attendenda res significata sed etiam modus significandi: ac si dictum sit, licet Deus & deitas ob diuinam simplicitatem sint vna res, non tamen sequitur, hoc nomen Deus naturaliter supponere pro deitate; quia in proprietatibus loquutionum non est attẽdenda solũ res significata, sed etiam modus significandi: hoc aũt nomen Deus ex modo suæ significationis essentiã in habẽte significat; cõstat aũt deitatẽ nõ significari vt habẽtẽ essentiã, ac proinde non posse pro ea supponere hoc nomen Deus. Quãuis (inquam) hæc expositio satis consonet, planior tñ mihi videtur interpretatio Caietani, quæ eandem vbique seruat acceptionẽ essentiæ & naturę in concreto; & responsionem sustinet quæsito conformem, quòd de concretis tantum proponitur, quod Angelici nostri Doctoris consuetæ claritati magis congruit. Ait itaque Caiet. in priori loco sermonem esse de potentia ad supponendum personaliter, dictumque fuisse posse hoc nomen Deus ex modo significandi supponere pro persona: sicut etiam hoc nomẽ, homo; *At in resp. ad 3.* loquitur S. D. de reductione potentiæ ad actum, & statuit differentiam inter hoc nomen *Deus*, & hoc nomen *homo*, quòd hoc nomen Deus, quia significat diuinam essentiam, quæ est vna secundum rem, per se supponit pro natura communi, id est pro hoc Deo; nec eget aliquo reducente siue trahẽte ad hanc suppositionem; pro persona verò non supponit actu secundum se, sed per aliquod additum determinatur; vt pro ea supponat puta per notionale vel aliquod simile. Hoc autem nomen homo

quod

quod non significat naturam vnam numero pluribus secundum rem communem, oppositum habet suppositionis modum, vt patet in textu.

Eandem verborum apparentem contrarietatem alijs modis conciliant Torres & Zumel. Porrecta& quidam alij: sed quoniam alias implicant controuersias singilatim tractandas, suis reseruentur locis examinandi.

Aliam apparentem contradictionem de communitate humanæ naturæ superius soluimus *q. 13. a. 9.* quam etiam hic proponit & soluit Porrecta.

Prima Controversia.

De hoc Deo tribus personis communi: An scilicet sit in Deo vna subsistentia absoluta siue essentialis & tres relatiuæ.

Sensus quæsiti, & Sententiæ Doctorum.

DE HAC *q.* disputant Expositores *supra q. 29. a. 2. & q. 30. a. 1. & in hoc a. & 3. p. q. 3. a. 2.* Nos huc eam remisimus, existimantes locum hunc esse præ cæteris magis opportunum, post tot difficultates de relationibus, essentia, & personis vberrimè disputatas ac definitas. Colligemus autem ea dumtaxat, quæ discipulorum profectui videbuntur vtilia resecatis minimè necessarijs.

Nomen subsistentiæ multiplex.

Oportet autem inprimis ambiguum propositæ quæstionis terminum explicare: hic verò est subsistentia. Cuius nominis duplex est sensus & vsus apud Scholasticos: Nam quandoque habet vim nominis concreti & rem significat subsistentem; quo sensu communiter vtuntur hac voce Patres & Concilia inferius adducenda, cum tres in diuinis subsistentias cõfitentur. Quandoque verò sumitur vox illa subsistentia vt nomen abstractum: & ita significat rationem subsistendi, sicut existentia rationem existendi. Et quamuis de tribus subsistentijs relatiuis acceptis pro rebus ipsis subsistentibus, nimirum personis, nulla sit aut esse possit inter Catholicos disputatio, sed tota sit de ratione subsistendi: magna tamen est inter eos dissensio de subsistentia absoluta seu essentiali tribus communi, siuè sumatur pro re ipsa subsistente id est, pro hoc Deo, siue accipiatur pro ratione subsistendi. Nam Caiet. *hic & sup. q. 3. a. 3. & 3. p. q. 3. ar. 2. & alibi sæpè* docet in Deo duplicem esse subsistentiam, id est rationem subsistendi scilicet essentialem & personalem: & consequenter duplex subsistens scilicet essentiale vt hic Deus, & personale vt Pater & Filius & Spiritus S. quibus secundum rationem commune est nomẽ personæ & subsistẽtiæ personalis: ita tamen vt non sint quatuor, sed tres res subsistentes; quamuis tàm essentia quàm persona quælibet sit secundum seipsam formaliter subsistẽs. Quam sententiam sequuntur Iauel. *hic & sup. q. 3. a. 3.* Med. *3. par. in dicta q. 3. ar. 2* Ban. *sup. 29. a. 2. & q. 40. ar. 5.* & Zum. *q. 29. ar. 2. & disp. 4. & qu. 30. disput. vnica, & super hoc art.* quos etiam sequitur Mol. *in dicta qu. 29. a. 2. disp. 3.* & Suar. *3. p. q. 3. a. 1. disp. 11. & de Trinit. lib. 3. c. 4.* Ripa *super hoc art.* & alij.

Ex ijs verò qui ab hac opinione dissentiunt quidam essentialem tantum Deo tribuunt subsistentiam, vt Capr. *in 1. dist. 26. q. 1. a. 1. concl. 3. & ar. 3.* quæ fuit opinio Scoti in *3. dist. 1. qu. 2. & in 1 dis. 7. q. vnica, & in 1. dist. 26.* & Dur. *in 3. dist. 1. q. 2. & in 1. dist. 26. q. 1.* & aliorum antiquorum, quos refert Vasq *disp. 125. c. 1.* Quidam autem tres in Deo relatiuas affirmant subsistentias, essentialem autem negant, vt Sylu. *super hoc a.* quem sequitur Barth. Spineus eius discipulus *in special. q. eius opusculis inserta* Val. *super hoc ar.* & Vasq. *supra q. 29. a. 2. disp. 125. & super hoc a. disp. 156.* quæ fuit opinio. Alex. Alen. D. Bonau. & aliorum antiquorum Theologorum, quos referunt Zumel. Vasq. & Suar. *locis superius allegatis.*

Resolutio. Explicatur ratio subsistentiæ & eius abstractio à communicabili & incommunicabili.

IN HAC Contr. supponenda sunt PRIMO quæ diximus *supra q. 3. a. cont. vnica, & q. 29. a. 1. 2. & 3.* vbi de subsistente, subsistentia, suppositio & persona plura diximus ad hanc materiam maximè pertinentia.

SECVNDO *suppoimus* cum D. Tho. *3. p. q. 17. a. 2.* distinctionem realem in subsistantijs creatis, in Deo verò fundamentalem siue virtualem existentiam & subsistentiam, vt ibidem explicat Caiet. *& in eodem lib. q. 4. a. 2.* Quod dixi propter Zum. & quosdam alios, qui prædictos terminos & eorum significata absque legitima ratione confundunt.

Distinctio substantiæ ex Aristot.

TERTIO *recolenda est ea* distinctio, quam statuit Arist. *in 5. Metaph. in cap. de substantia,* vbi distinguit substantiam in eam quæ non dicitur de subiecto, quæ est substãtia prima & hypostasis, iuxta ea quæ diximus *supra q. 29. a. 2.* & in eam quæ est quod quid erat esse, cuius ratio est diffinitio: ad quem modum siue membrum pertinet etiam forma, vt significat ibi Philosophus dicens. *Tale verò vnius cuiusque forma & species.* Cuius rationem reddit S. D. *in Commentario* ita scribens; *Essentia enim & forma in hoc conueniunt, quòd vtrumque dicitur esse illud, quo aliquid est: sed forma refertur ad materiam, quam facit esse in actu, quidditas autem refertur ad suppositum, quod significatur vt habens talem essentiam.* Hæc ibi. Quibus verbis significatur ea differentia inter dicta duo mẽbra, quam explicat Cai. *3. p. q. 4. a. 2.* dicens, subsistantiam acceptam pro essentia esse rem cui debetur talis modus essendi, quam circumloquimur per esse per se, hoc est non in alio, sicut accidens est in subiecto; cum tamen possit esse in alio scilicet in subsistãtia prima siue supposito, sicut quo in quod. Subsistantia verò sumpta pro subsistantia prima, res est cui debetur talis essendi modus, quem circumloquimur per esse per se separatim, ita vt ei repugnet esse in alio, non solum sicut accidens in subiecto, sed etiam sicut quo in quod siue vt pars aut quasi pars in toto. Quæ differentia coincidit manifestè cum alia, quam idem expositor assignat *3. parte q. 3. art. 2.* dicens in hoc differre naturam etiam singularem & subsistens in natura, quòd ratio naturæ singularis est pura ratio huius naturæ, sed ratio subsistentis in natura est ratio habentis naturam. Quòd sub alijs (inquit) verbis dicitur, natura est vt quo, subsistens est vt quod. Has itaque duas differentias præclarum expositoris ingenium ex paucis illis verbis D. Th. deduxit. Quas differentias indicat nobis euidenter sacrosãctum Incarnationis mysterium, in quo per fidem agnoscimus & confitemur vnam indiuiduam & singularem naturam scilicet humanam esse propria & connaturali personalitate carentem, ob eam tantum causam; quia nullum esse credimus habens humanitatem illam, & esse hunc hominem nisi Dei filium. Quibus si addamus ex fide certum esse assumptæ humanitati nihil deesse nisi propriã subsistentiam &

Substantia pro essentia quid.

Substantia prima quid

pro-

prium in hac humanitate subsistens, sequitur e- A uidenter vnam & eandem esse rationem subsistentis in natura & habentis naturam.

Subsistentis abstractio.

Ex his præterea sequitur de ratione subsistentis vt sic & subsistentiæ vt subsistentia est non esse incommunicabilitatem; sed subsistens & subsistentiam secũdum se abstrahere à ratione communicabilis & incommunicabilis. Probatur id sequi, quoniam inuenitur vnum aliquod habens naturam, cui scilicet conuenit esse per se, id est non in alio tãquam quo in quod, ac proinde subsistens, quod tamen est pluribus communicabile; ergo subsistens vt sic abstrahit à communicabili & incommunicabili. Consequentia patet ex ratione subsistentis supe

Differentia subsistentis in Deo, & creaturis.

rius explicata. Antecedens probatur ex differentia inter Deum & creatas susistentias; quod B in creatis substantijs vno dumtaxat modo reperitur habens naturam scilicet vt hypostasis siue suppositum vel prima substantia. Cuius ratio est; quoniam in creaturis non differt indiuiduum naturæ, puta hic homo ab hypostasi, puta Socrate; at in Deo duplex considerator habens naturam scil. hic Deus communis patri filio & Spiritui sancto, & hypostasis siue persona scilicet pater filius & Spiritus sanctus, quorum quilibet subsistit incommunicabiliter; igitur in Deo duplex inuenitur in natura subsistens scilicet communicabiliter vt hic Deus, & incommunicabiliter vt pater filius & Spiritus sanctus; ac proinde duplex est ratio subsistendi; nã subsistit essentialiter hic Deus sua deitate formaliter, Pater autem sua paternitate formaliter, & filius filiatione, & Spiritus S. processione subsistit personaliter; quamuis hic Deus & deitas sit idem realiter cum qualibet diuina persona & eius proprietate personali; atq; ideo non sit aliud realiter hic Deus essentialiter subsistens à tribus personaliter subsistentibus, sicut nec est realiter distincta deitas, quæ ratio est essentialiter subsistendi, à tribus rationibus personaliter subsistendi. Radix autem prædictæ differentiæ inter Deum & creatas substantias est infinita perfectio diuinæ naturæ, cui per se primò conuenit subsistentia, & ex ea veluti ex primo fonte ac ima radice ad tria suppositа deriuatur; naturæ verò creatæ nulla conuenit sub- D sistentia nisi ratione suppositi: igitur subsistentia & subsistens vt sic abstrahit à communicabili & incommunicabili.

Subsistentiã essentialem Deo conuenire probatur multis argumentis Primaratio.

Iam verò quarto loco probandum est vtramque Deo conuenire subsistentiam; & primò essentialem deinde personalem. *Potissimum* autem huius veritatis *argumentum* illud est, quod ex ipsa sumitur diuinitatis essentia, quæ est ipsum esse subsistens, vt sæpè docet S. Tho. sed præsertim *supra q. 4. ar. 2. & q. 13. art. 11.* vbi ait cum Damasceno hoc nomen *qui est*, totum quod in Deo est in seipso comprehendere, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum. Constat autem hoc nomen, *qui est*, E significare substantiam habentem esse ac per hoc subsistentem. Ex quibus sic argumentor. Deus est essentialiter ipsum esse subsistẽs: igitur in Deo est subsistentia essentialis. Antec. probatur; quoniam ex hoc, quòd Deus est ipsum esse subsistens, rectè deducitur in Deo & à Deo esse rerum omnium perfectiones; sicuti si albedo vel humanitas esset subsistẽs, omnem suæ speciei possibilem perfectionem contineret, & sui participatione causaret, vt existimasse dicitur Plato Est igitur in Deo subsistentia essentialis ex vi ac propria & intima ratione deitatis, cui ex infinitate simpliciter conuenit, vt sit ipsum esse subsistens, & vt sit *qui est*. Quod euidentius S. Th. expressit *de potent. q. 9. a. 5. ad 13.* ita loquens: *In rebus creatis principia indiuiduantia duo habent, quorum vnum est, quòd sunt principium subsistendi; natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus: aliud est, quod per principia indiuiduantia suppositа naturæ communis ad inuicem distinguuntur: in diuinis autem proprietates personales hoc solum habent, quòd suppositа diuinæ naturæ ab inuicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ: ipsa enim diuina essentia est secundum se subsistens, sed è conuersò proprietates personales habent, quòd subsistant ab essentia: ex eo enim paternitas habet, quòd sit res subsistens; quia essentia diuina, cui est idem secundum rem, est res subsistens.* Hæc ibi D. S. Quem locum explicat Cai. *infra q. 40. a. 4.* Igitur subsistentia per se primò conueniens Deo est essentialis, qua Deus vt Deus est in seipso subsistit; & ex ea deriuãtur ad hypostases subsistentiæ personales, quibus formaliter vnaquęq; persona subsistit, sicut essentiali subsistentia De⁹ in seipso subsistit. Ex quo patet falsò dixisse Vasq. *disp. 125. cap. 1.* D. Th. vbique loqui de actu existentiæ, nusquam autem de subsistentia absoluta. Eandem in Deo subsistentiam essentialem luculenter expressit D. Aug. *libr. 7. de Trinit. cap. quarto* vbi probat vnam esse in Deo tantum essentialem & absolutam subsistentiam. Eius verba sunt; *Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendæ tres substantiæ, vt non dicũtur tres essentiæ.* Et concludens ait: *Sicut enim ab eo, quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus; absurdum enim est, vt substantia relatiuè dicatur: omnis enim res ad seipsam subsistit quanto magis Deus?* Quod idem non obscurè significat D. Hieronymus *in epistola 57. ad Damas.* ita scribens: *Vna est Dei & sola natura quæ verè est: id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.*

Vasq. impostura adstruitur.

Vasquesij responsio.

Ad hæc duo testimonia respondet Vasq. & primò dicit, nullum esse ex Sanctis Patribus tam Latinis, quàm Græcis, qui post compositam litem de vna vel triplici subsistentia confitenda concedat in Deo absolutam aliquam subsistentiam. Her. autem & Aug. qui eam cõcesserunt, non satis intellexisse significationem nominis *Hypostasis* quæ postea communi consensu etiam in Ecclesia Latina recepta fuit. Nec dubitandum esse Scholasticos, qui hoc nostro tempore ob testimonium Hieronymi & Augustini concedunt in Deo subsistentiam communem & absolutam, ignoratione vocis lapsos fuisse: mirandumque esse id eos ignorasse, quod ab Ecclesia tam Græca quam Latina iam diu sine controuersia receptum erat, nempè subsistentiam idem esse quod suppositum & personam. Quòd autem Hierony. & Augustinus hoc ignorauerint, mirum non esse, quia nondum vis nominis Græci apud Græcos ipsos satis nota erat. *Deinde ad verba D. Augustini* respondens ait ea nullius esse momenti pro nostra sententia. Primò quia D. August. vnam solam admittit in Deo subsistentiam: nos præter communem illam absolutam tres volumus esse relatiuas. Secundò quia D. Augustinus nunquam vsus est nomine subsistentiæ, sed nomen hypostasis semper interpretatus est nomine substantiæ; igitur cum probat Deum ad se subsistere non relatè, solum loquitur de actu subsistentiæ, quem possumus existentiam substantialem appellare, non de subsistentia, nec concre-

te, nec

nec abstractè, de qua est nobis nunc controuersia. Tertiò quia suspectum habuit Augustinus nomen hypostasis, & nunquam vertit subsistentiam sed substantiam. *Ad verba verò Diui Hieronymi* respondet primò eodem modo quo ad verba Diui Augustini. Secundò ait D. Hieronym. hoc tantum voluisse significare, videlicet diuinam essentiam verè subsistere à se & non ab alio: sicut creaturæ quæ ab alio pendent vt à causa; in quo sensu interpretatur etiam *verba D. Greg. Nyss.* dicentis *in libro de vita Moysis*, Deum esse quod verè est & quod natura sua est; & præter supremam essentiam nihil verè subsistere, quia perse & per naturā suam nil aliud subsistit. *Sed hæc* præterquam quòd videntur liberè nimis & audacter effusa, Sanctorum quorum verba retulimus mentem non attingūt. Nam cū nomen hypostasis apud Græcos cui apud Latinos respondet nomē substātiæ, sit ambiguū, ita vt quandoque significet essentiam & quandoq; suppositum, vt diligēter annotauit Vasq. *in 124. cont.* quamuis iam vsu frequenti receptum sit, vt tres in Deo & non vnam tm̄ cōfiteamur hypostasim, eo quòd hæc vox ad subsistentiam incommunicabilem significandam sit accommodata: nihilominus apud Latinos non solum nomen substantiæ, sed etiam subsistentiæ remanet ambiguum ad subsistentiam, siue subsistens communicabile & incommunicabile. Cum enim prędicti Patres viderint diligenter acta Conciliorum duobus ante sæculis celebratorum, nunquam vnicam asseruissent subsistentiam absolutam, nisi subsistentiæ nomen apud Latinos remansisset ambiguum. Porrò D. Hieron. peritissimum fuisse linguæ Græcæ constat ex correctione noui testamenti per eum facta, de qua sic loquitur: Nouum testamentum Græcæ fidei reddidi: Quare licet tres simpliciter in Deo confiteamur subsistentias cū quinta & sexta Synodo generali; vnam tamen Catholicè dicimus essentialem & tribus communem in Deo subsistentiam. Quod sæpè docuit S. D. & alij graues & antiqui Scholastici, quos recensent Zum. Suar. & Vasq.

Confut.

Quod autem ait D. Aug. vnam in Deo solam subsistentiam & eam absolutam admittere, & eum nunquam vsum fuisse nomine subsistentię, sed tantum nomine substantiæ, in quod vertebat nomen hypostasis, nihil officit. Nam primò nomen subsistentiæ apud Augustinum idem significat quod nomen substantiæ; ait enim ab eo quod est subsistere substantiam dici. Et quemadmodum ob erroris periculum negabat tres in Deo substantias, sic ob eandem causam tres non affirmauit in Deo subsistentias. Et præterea *circa fin. illius cap.* ità loquitur Aug. de Patre & Filio: *Non est corpora lium ista conditio, vt insint sibi inuicem, & subsistentiæ naturæ habeant perfectam vnitatem*: & paulò inferius. *Ineſſe autem non aliud in alio vt corpus in corpore, sed ità esse, ac subsistere vt in subsistente insit, ita verò ineſſe, vt & ipsa subsistat.* Vtitur igitur Augustinus vtroque nomine: scilicet subsistentiæ & subsistentis.

Denique D. Hierony. & Nis. manifestè loquuntur in sensu diuinæ scripturæ *Exodi 3.* vbi de seipso loquens Deus ait ad Moysen: *Ego sum, qui sum, sic dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos:* quibus absolutissimam & perfectissimam subsistentiam sibi formaliter & essentialiter conuenientem aptissimis vocibus Deus expressit.

2. ratio. *Secundum argumentum* pro eadem veritate ex infinita diuinitatis perfectione desumitur hoc modo. Diuina essentia siue deitas quæ est ipsum esse subsistēs, est simpliciter infinita omnem intrinsecè claudens perfectionem simpliciter: At subsistentia secluſa incommunicabilitate est perfectio simpliciter; ergo intrinsecè clauditur in essentia diuina; igitur essentiæ diuinæ secundum se conuenit subsistentia, non quidem incommunicabilis, sed trib. personis ac personalibus subsistentijs communis. Maior patet *ex a. 2. q. 4.* vbi ex hoc, quòd Deus est ipsum esse subsistens, probatur in Deo contineri omnem essendi modum & perfectionem. Constat autē perfectiones simpliciter in Deo formaliter & non virtualiter tantum cōtineri, vt ibi annotauimus. Certum est etiam eas essentiæ primò & per essentiam in personis intimè clausam illis conuenire; igitur essentia diuina nullam perfectionem simpliciter aut eius complementum mendicat (vt ita dixerim) à personis, sed è contra quælibet vna numero perfectio simpliciter ab essentia vt à prima radice deriuatur. Minor autem probatur. Primò ex A. D. *supra q. 29. a. 3.* dicente, id quod perfectissimum est in natura rationali esse subsistens: ex quo deducebat nomen personæ, quod significat subsistens in rationali natura esse Deo attribuendum, eo quòd eius essentia continet in se omnem perfectionem. Quem discursum *ibid.* explicauimus cum Cai. Secundò probatur eadem minor; quia Deus vt Deus est substantia non incompleta siue imperfecta, & quasi habens rationem quo; ergo perfecta & habens rationem quòd; id autem ex quo formaliter substantia dicitur habere rationem quod, est subsistentia; ergo subsistentia est perfectio simpliciter Deo conueniens.

Vt autem euidentius eluceat efficacitas huius argumēti, considerandum est personæ diuinæ conuenire subsistentiam cum incommunicabilitate; quorum primum, scilicet subsistentia, maximam dicit perfectionem & ad essendi complementum pertinet: ac proinde secundum se siuè absolutè sumpta subsistētia ad essentiam pertinet, sicut & reliquæ perfectiones simpliciter: secundum autem scilicet incommunicabilitas, secundum quam hæc hypostasis ab alia distinguitur, non est formaliter aut simpliciter perfectio, quamuis insit necessariò personæ veluti conditio, vt sit in Deo Trinitas suppositorum, quę ad perfectionem infinitam pertinet deitatis modo superius explicato *quæstione 28. articul. secundo.* Prouenit autem incommunicabilitas in rebus creatis à limitatione, in diuinis autem ex oppositione relatiua.

Vasquezij responsiones ad prædicta referuntur, & confutantur.

Sed prædicta nititur Vasq. noua quadam excogitata doctrina conuellere; ait enim primò necessarium quidem esse concedere indiuiduum concretum deitatis, quod intelligatur prius esse personis, non tamen vt absolutè subsistēs, quod indiuiduum non potest includere aut connotare personas in singulari: Alioquin nec tres dicerentur vnus Deus, nec communis esset Deus tribus personis: id enim (inquit) quod in suo conceptu connotat tria hæc supposita speciatim, non potest esse commune tribus & vnicuique conuenire: connotat igitur vniuersè hanc vel illam personam. Cum itaq; pronomen demonstratiuum non demonstret connotatum sed directum significatum, consequens est vt dicatur hic homo, non quia sit in hoc supposito, sed quia sit hæc natura in se vel alio supposito. Et hoc modo dicimus hunc numero Deum, demonstrantes naturam non personas,

id est

ideſt hanc vel illam perſonam ſingularem, ſed perſonam in vniuerſum. Quo ſit (inquit) vt cõcretum deitatis ſit prius cognitione noſtra quã perſonæ eo genere prioritatis quo vniuerſale, vt animal, dicitur eſſe prius particulari ſcil. homine; Et quia nomen dicitur ſingulare ex directo ſignificato, non ex connotato, ideò licet connotatum ſit commune, nomen tñ *Deus* aut nomen *hic Deus* aut *hic homo* ſingulare eſt. Ex quo infert eodem modo dari indiuiduũ humanitatis vel cuiuſque naturæ, quod in cogitatione noſtra ſit prius perſonis; quia concreta aliarum naturarum eodem modo ſignificãtur cum cõnotatione ſuppoſiti, non in ſingulari, ſed in communi, ſicut concretum deitatis. Et ita (inquit) ſi vna humanitas à tribus perſonis aſſumeretur, eodem prorſus modo demõſtraretur concretum humanitatis, & diceremus hunc hominem non oſtenſa hac vel illa perſona ſingulari, ſicut oſtendimus concretum deitatis non demonſtrata perſona ſingulari. *Ex his arbitratur* Vaſq. ea, quæ primo loco iecimus ex D. Tho. & Caietano, fundamenta ſubuertere: cum tamen hæc eius noua doctrina ſit manifeſtè falſa, & directè pugnet cum textu huius articuli *in reſponſ. ad 3.* vbi S. D. ſtatuit differentiam inter hoc nomen *Deus*, & hoc nomen, *homo*, quo ad ſupponere pro perſona, deſumptam ex diuerſa ratione & modo cõmunitatis vtriuſque naturę, diuinæ ſcilicet & humanæ: eo quòd vnitas ſeu communitas humanæ naturæ non ſit ſecundum rem, ſed tantum ſecundum conſiderationem: eſſentia verò diuina ſit vna & communis ſecundum rem; igitur non eſt eadem ſed longè diuerſa ratio horum duorum nominum, ſcilicet homo & Deus in ſignificando, connotando & ſupponendo, vt hic etiam affirmat S. D. *in c. & ad 3.* Quare dicendo hic homo non ſolum connotatur ſed etiam ſignificatur determinatum ſuppoſitum: hic verò Deus ſolam ſignificat diuinam naturam ſubſiſtentem.

Confut.

Ad rationem autem ſecundo loco adductam, cui etiam nitebatur Durandus, reſpondet Vaſq. & duo dicit. *Primum* eſt ſubſiſtentiam incommunicabilem eſſe perfectionem ſimpliciter; quia melius eſt ſubſiſtere incommunicabiliter, quàm non ſubſiſtere; & eadem ratione ſubſiſtere paternitate & filiatione eſſe perfectionem ſimpliciter. *Secundum* eſt, infinitatem eſſentiæ diuinæ in eo poſitam eſſe, vt non ſit ab aliqua cauſa, non autem in eo vt infinitæ perfectiones diſtinctæ, aut omnis perfectio tam perſonalis quàm eſſentialis formaliter ei conueniat ratione ipſius; nam ratione ipſius ſolum conuenit ei perfectio eſſentialis, non autem hypoſtatica, quæ eſt ſubſiſtẽtia. Differt igitur (inquit) eſſentia diuina à creata, quia diuina natura nõ ſubſiſtit aliquo ab ea realiter diſtincto, ſed ſola relatione quæ id cum ea eſt ex natura rei: at natura creata ſemper ſubſiſtit adiuncta ſibi perſonalitate realiter diſtincta, quam tamen non includit intrinſecè in ſuo conceptu. Et eodem ferè modo Val. reſpondet ad argumenta, quæ ſibi proponit pro ſententia Caiet. *Sed in primis ſupra q. 28. a. 2.* cumulatè probauimus relationem, qua formaliter ſubſiſtentia & perſona redditur incommunicabilis, non eſſe perfectionem ſimpliciter. Deinde ſuperius oſtendimus ſubſiſtentiam ex ſui ratione abſtrahere à communicabili & incommuncabili, & conſequenter à perſonali & eſſentiali: quod euidentius oſtendent reſponſiones ad argumenta. Denique cũ fatẽatur expoſitores prædicti diuinam eſſentiã,

Reſp Vaſq. ad 2. ratio.

Confut.

A prout à relationibus & perſonis diſtinguitur actu, & formaliter continere oẽs perfectiones, quæ reipſa communes ſunt, & eſſentiam conſequuntur: & ex his perfectionibus præcipua ſit eſſentialis ſubſiſtentia, vt perſpicuè declarant, quæ hucuſque diximus: conſequens eſt talem Deo ſubſiſtentiam eſſe tribuendam, cui quia nihil deeſt ad completam rationem perſonæ, niſi incommunicabilitas, idcircò nuncupatur à Cai. hic Deus ita ſubſiſtens perſona incompleta, id eſt res, cui congruunt omnes perſonæ conditiones præter vltimam, quæ perſonæ rationẽ complet. Qui dicendi modus, etſi quo ad ipſam verborum formã non habeat in Scripturis, Concilijs aut Patribus teſtimonium, nec ſit in vſum B deducendus, aptiſſimus tamen eſt ad exprimendam vtcunq; tam ſingularẽ diuinæ naturæ perfectionẽ: atq; ideò debuerunt Volen. prædictus & Vaſq. ac alij recentiores ab acriori cenſura tẽperare. Neque verum eſt, quod Caiet. imponit Vaſq. eum vnquam appellaſſe illud eſſentiale ſubſiſtens, ſcilicet hunc Deum, ſemiperſonam & ſemiſuppoſitum.

Cur Cai. dicat hũc Deũ eſſe perſonã incompletã.

Vaſq impoſtura diluitur.

Poſtremò ſolet ad noſtræ ſententiæ confirmationem produci teſtimonium Agathonis Papæ *in ep. quæ habetur in 6. Syn. act. 4.* cuius verba ſunt: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritũ ſanctum, non tres Deos, ſed vnum Deum, nõ triũ nommum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam.* Fuit autem hęc Epiſtola non C ſolius Agathonis, ſed etiam totius Concilij nomine à Latinis, ac proinde vt arbitramur Latinè cõſcripta, & cõſequenter iuxta ſermonis Latini proprietatẽ accipienda hic eſt ſubſiſtentia, prout ab eſſentia diſtinguitur vt eius modus & cõplementum. *Nec obſtat*, quod in editione Conciliorum poſtrema per Surium facta legamus, nõ *vnam ſubſiſtentiam*, ſed *vnam ſubſtãtiam*: quia vetuſtioribus codicibus, in quibus legimus vnam ſubſiſtentiam, maior eſt adhibenda fides; *Nam quod* ait Vaſquez non eſſe credibile in tam pau- *Vaſq. reſp. confutata.* cis verbis eadem voce vſum fuiſſe Agathonẽ in ſenſu tã diuerſo, *inane eſt*, cùm in vtroq; ſenſu, non ſolùm apud Latinos, ſed etiam apud Græcos, vox illa, *ſubſiſtentia*, eſſet in vſu, vt patet ex D verbis Auguſtini, Hieron. Naz. & aliorum, quos referunt Zumel. & Suar. quibus non plenè videtur mihi Vaſq. ſatisfacere. Nec difficilè eſt ex ſubiecta materia & terminorum connexione, variam eiuſdem termini in eadem periodo repetiti ſignificationẽ concipere. Deinde ſi legamus *perſonarum* loco *ſubſiſtentiarum*, vt alij codices habent, non erit diuerſa, ſed eadem bis repetitæ vocis ſignificatio.

QVINTO *videndum eſt*: an huic Deo ratio congruat indiuidui & ſingularis; neutrum etenim dictorum nominum de hoc vno numero Deo prædicari contendit pluribus argumentis Bartholomæus Spina, quem latenti vocum arbitror æquiuocatione ab eo minimè conſiderata E deceptum. Ad cuius euidentiam ſcito his vocibus, videlicet ſingulare, vnum numero & indiuiduum, idem omnino ſignificari. Nam vt ait Ariſt. *in 3. Metap. tex. 14. Singulare exponimus, quod numero eſt vnum: vniuerſale autem quod in his.* Indiuiduum autem manifeſtè dicitur per negationẽ diuiſionis in plura, non quæcunque, aut quocũque; ſed quæ plura ſint & dici poſſint ſecundum illam eandem rationem, qua conſtituitur illud vnum, quod dicitur indiuiduum, quod eſt non eſſe multis communicabile tanquam ſuperius inferioribus ſibi ſubiectis. Exemplis res fiet perſpicua: homo non eſt ſingulare, aut in-

Probatur Deo ſingulariter ſumpto conuenire rationem indiuidui & ſingularis.

diuiduum, quia secundum eam rationem, qua constituitur in esse hominis, & in propria vnitate specifica communicabilis est Socrati, Platoni & Petro tanquam superius suis inferioribus, adeò vt Socrates, Plato & Petrus, sint plures homines sub homine positi, vt inferiora quædam sub suo superiori naturam illius habentia secundum eius propriam rationem, & vnitatem, sed numerali tamen diuisione multiplicatam. Quod idem dicendum est, de humanitate sic abstractè concepta. Socrates autem singulare quoddam est & indiuiduum; quia secundum eam rationem, qua constituitur in esse Socratis, & secundum suam vnitatem numeralem, non est pluribus, vt inferioribus sibi subiectis communicabilis, vt scilicet sint plures Socrates eadem indiuiduali proprietate & vnitate gaudentes; id enim manifestam inuoluit repugnantiam. Et eadem ratione humanitas hæc, indiuiduum & singulare quoddam est eodem modo incommunicabile. Nam etsi pluribus possit per assumptionem diuinis suppositis communicari, non per hoc tamen desinit esse singularis & indiuidua, cùm assumpta retineat illam vnam numero, qua constituitur & à cæteris omnibus humanitatibus distinguitur, indiuidualem proprietatem.

Singulare quid sit.

Illud est itaque singulare & indiuiduũ, quod est vnum numero, & ea ratione qua vnum est non est pluribus cõmunicabile tanquam inferioribus sibi subiectis. Quo fit, vt illud omne cui conuenit in rerum natura subsistere, aut etiam existere quocunque modo, sit vere ac propriè singulare & indiuiduum, siue sit substantia siue accidens, siue sit totum siue pars, vt affirmat expresse S. Th. *3.p.q.2.a.2.ad 3.& 3.dist.6.q.1.a.1.* habent. n. hæc singula suas indiuiduales proprietates, quibus non solum ab alijs, siue totis siue compartibus distinguantur, sed etiam in seipsis diuidi minimè possint; Hæc enim manus indiuisibilis est in seipsa, vt plures nequeant esse manus, quæ sint hæc vna manus; id enim implicat contradictionem, vt ante diximus.

Cùm itaque Deus hic vnus numero multiplicari non possit, vt sint plures Dij, qui sint hic vnus numero Deus, ob dictam causam; quia videlicet implicat repugnantia, sequitur Deum hunc esse singulare quoddam & indiuiduum. Quod disertis verbis expressit A.D. supra *quæst.13 ar.9.* vbi determinat nomen Dei esse incommunicabile pluribus secundùm rem, eo quod significat formam subsistentem & per seipsam indiuiduatam. Et *in fine corporis* ita loquitur. *Si verò esset aliquod nomen impositum, ad significãdum Deum, non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundum quod consideratur vt hoc aliquid, illud nomen esset omnibus modis incommunicabile (scilicet secundum rem, & secundum rationem) sicut fortè est nomen Tetragragmaton apud Hebræos: & est simile, si quis poneret nomen Soli significans hoc indiuiduum.* Hæc ibi D. Thomas. Ex quibus duo maximè fauent sententiæ nostræ: primum quod affirmat hoc nomen Deus, esse nomen indiuidui: secundum quod affirmat in Deo essentialiter sumpto (sic enim ibi de Deo loquitur) considerari, & esse rationem suppositi significatam nomine quadrilittero; Adonai siue Ieoua; certum est autem in Deo essentialiter sumpto non esse perfectam, & completam rationem absoluti suppositi. Sumit igitur ibi S.D. suppositum pro subsistente; quia nonnullam quamuis incompletam habet rationem hypostasis: est enim hic Deus subsistens, vt indiuiduũ intellectualis naturæ, quibus omnibus & solis conditionibus persona constituitur; sed quoniam secunda conditio, videlicet indiuiduum, prout dicitur de hoc Deo, non dicit perfectam, id est secũdum oẽm modum, incommunicabilitatem: idcirco Cai. ad vnicum illũ indiuidui modum, quasi nouè cognitum, nouum adaptauit vocabulum personam illud incompletam appellans.

Nec tamen sequitur, lapidem, equum aut asinũ ob defectum vnius conditionis, scilicet rationalis naturę, dici posse personam incompletam, vt deducit prędictus author; cum lapidi aut asino, nulla ratione congruat rationalis natura; huic autem Deo congruat intellectualis natura, & nõ desit omnis ratio incõmunicabilitatis, sed vna tñ; & reliquæ cõditiones adsint absolutissimè. Quamuis enim hoc indiuiduum siue singulare, quod est Deus, tribus suppositis sit commune, non tamen diuiditur in eis natura diuina, sed numeralem retinet vnitatem. Nec ad tria suppositа comparatur hic Deus aut eis communicatur, vt superius ad inferiora subiecta, quibus sit commune secundum rationem; alioquin esset vniuersale, quod negat S.D. & omnis Theologorum Schola communiter: sed eis communicatur, vt commune sm rem, & vt natura primò subsistens suis suppositis per eam subsistentibus. Quodlibet autem diuinum suppositum singulare est, & indiuiduum: non ea ratione tantum, quòd pluribus nõ possit eiusdem rationis & vnitatis suppositis communicari, vt exempli gratia, persona Patris pluribus patribus, qui sint idem numero Pater, siue eadem persona patris; sed quòd non possit pluribus quomodo ũque subsistentibus, siue suppositis cõmunicari. Quo fit, vt pater nedum sit indiuiduum & singulare, sed etiam suppositum & persona; quia nimirum simpliciter, i. omnibus modis est incommunicabilis. Duplicis ergo rationis indiuiduum est in diuinis. Vnum vt hic Deus secundum vnam tñ iam dictam rationem incommunicabile. Alterum vt hęc persona puta pater aut filius aut Spiritus S. omnibus modis incommunicabile. Primum deitate constituitur, quæ hoc ipso, quòd forma est per se subsistens à materia separata, vna numero est & singularis, sicut Gabriel, vt affirmat A.D *supra qu. 3. a.3.* ita, vt ipsa forma sic abstracta virtutem habeat principiorum omniũ indiuiduantium. Secundum autem proprietate relatiua, puta paternitate constituitur in esse personali simpliciter incommunicabili. Alia est igitur incommunicabilitas, quæ complet rationem suppositi, siue personæ, ab ea, quæ diuinæ naturæ conuenit subsistenti: quæ licet non sufficiat ad hypostasim, aut personam, sufficit tamen ad indiuiduum, siue singulare constituendum.

Obi. Spina diuiditur.

Sed ait Spina substantiam quidem omnem abstractam indiuiduari per immunitatẽ à materia, & consequenter per seipsam, non tamen omnem sub vna & eadem ratione: sed substantiã creatam sub ratione absoluta, increatam verò sub ratione relatiua; Et cum relationes in Deo idem sint realiter quod essentia, affirmando essentiam per relationes indiuiduari, dicitur eam realiter indiuiduari seipsa. Nec tñ (inquit) propter hoc dicitur deitas indiuiduari, aut distingui relationib⁹, sed hic Deus & deitas indiuiduatur trib. relationibus in tribus personis, vt alius sit Deus pater à Deo filio, nõ in deitate sed in relatione. *Sed non effugit* hic author vim argumẽti

Resp. Spin

Confut.

su-

superius tacti ex abstractione & subsistentia per se primo diuinæ naturæ conueniente, & per eam personis; est enim, vt ait S. Th. *de pot. q. 8. a. 3.* Deus per suam essentiam aliquid in se indiuisum, & ab omnibus quæ non sunt Deus distinctum. Et quamuis sit tribus communis, ea communitas non est rationis, sed rei vnius numero tribus communicatæ, atque ideo prius nostro modo intelligendi, in re fundamentum habente, est in se Deus vnus numero & singularis, quàm sit Pater & Filius & Spiritus S. sicut vniuersaliter essentialia priora sunt personalibus. Cùm itaque hoc indiuiduum absolutum sit primò subsistens, nec ponatur à nobis nisi ratione distinctum à tribus indiuiduis personalibus; sicut nec aliam realiter ponimus eius subsistentiam à relatiuis hypostasum subsistentijs, sed dumtaxat ratione distinctam: nullo colore deduci potest ex nostra, quæ est Cai. sententia, hunc Deum esse indiuiduum præter tres personas: aut esse in Deo quaternitatem personarum aut subsistentium; Neq; conceptio nostra Deũ vt singularem & indiuiduum apprehendens illum abstrahit à personis & relationibus, vt persona remaneat absoluta, qualem in Deo iudicãt esse Gentiles & Hebræi, vt affirmat Spina prædictus. Aliud est enim abstrahere subsistẽs absolutum à relationibus personalibus, & aliud in Deo vno in essentia, & trino personis considerare duplicem rationem subsistendi, scilicet absolutam maximè vnam illi meritò essentiæ cõgruentem, & relatiuam in tribus oppositione distinctam; sic enim nulla propriè fit abstractio, sed infinitam Dei perfectionem in subsistendo, diuersis conceptionibus contemplamur: Sicut etiam Deum intelligimus sapientem, volentẽ & omnipotentem absq; vlla abstractione saltem præcisiua à personis; alioquin cùm attributũ aliquod de Deo prædicamus, fieret semper abstractio à personalibus præcisiua, quod neque verum est, neq; quisquam ex Metaphysicis aut Theologis id hucusque dixit; Nec vis aut modus prædicationis id requirit, sed magis oppositum: vim enim & modum habet concretiuum & vnitiuum prædicatio, non verò diuisiuum & abstractiuum ab alijs eidem subiecto naturaliter & per se congruentibus.

Soluitur obiectio Spinæ

Tres in Deo esse incõmunicabiles subsistẽtias, i. rationes subsistendi.

SED IAM *de triplici relatiua* seu personali subsistentia abstractè sumpta, (nam de ea concretè sumpta nulla potest inter Catholicos esse controuersia) quæ huic loco necessaria sunt, breuiter annotemus.

Considerandum est igitur sextò personalitatem siue creatam siue increatam terminum esse naturæ personatæ; ac proinde tres diuinas personalitates esse tres diuinæ naturæ terminos; longè tamen diuersa ratione, quàm sit quæuis creata personalitas propriæ naturæ terminus. Nã hæc non clauditur intimè in ratione naturæ terminatę, personalitates verò diuinę includuntur in timè in ratione diuinę naturæ, prout in se est & prout etiam à nobis integra & perfecta conceptione percipitur. Deinde non ita tribus cõmunicatur & terminatur relationibus siue proprietatibus personalibus, vt ab eis in subsistẽdo depẽdeat, vt eis per se primò subsistat; sicut natura quælibet creata sua propria vel aliena subsistẽtia terminatur, vt ea formaliter & simpliciter in esse subsistẽti cõstituatur; cũ seipsa primò perfectè & absolutè subsistat diuina natura, & proprietatibus ipsis personalibus conferat subsistẽtiam. Quamobrem existimandum est vnicã essentialem subsistẽtiam tribus proprietatibus relatiuis. s. paternitati, filiationi & processioni ita communicari, vt in eis intimè claudatur ac per eas modo nostro intelligendi modificetur: & iuxta distinctionem earum & pluralitatem distinctæ, pluresque resultent subsistentiæ personales. Igitur essentialis subsistẽtia, prout includitur in paternitate & per eã modificatur & determinatur, est ipsa personalis subsistẽtia patris formaliter; & eadem ratione, prout intimè clauditur in filiatione & per eam modificatur, est personalis subsistentia filij. Cum autẽ prædicti sint modi relatiui, nullam essentiali subsistentiæ perfectionem adiungunt, sed è cõtrario proprietatum omnis perfectio ab essentiali clausa subsistentia deriuatur.

Satisfit obiectioni sactæ

Nec tamen sequitur eodẽ modo diuinã distingui aut pluralicari naturam, quæ in singulis proprietatibus personalibus intimè clauditur, vt dici debeãt tres essentiæ siue naturæ personales, & vna tm essentialis. *Nam subsistentia*, quatenus subsistentia est, per se pertinet ad rationem hypostasis siue personæ, quæ nihil aliud est, quàm rationalis naturæ incommunicabilis existentia. i. subsistentia, vt ait Richar. essentia verò, vt essentia est, quamuis claudatur in ratione personæ, ad solam tamẽ attinet communem personæ speciem. Ex quo sequitur alia differentia; videl. q essentia semper vna remaneat, neq; vnquam distinguatur multipliciter aut pluraliter dicatur, nisi per accidens. s. propter ipsius naturæ imperfectionem, quę sm totam sui perfectionem, non participatur in singulis, quibus communicatur suppositis: subsistentia verò iuxta suppositorũ numerũ dicatur pluraliter; non. n. modificatur essentia diuina proprietatibus personalibus ob dictã causam, sed indiuisa remanet; subsistentia verò essentialis ex sui propria ratione vna manens & eadem, modificatur vt diximus, & determinatur per hypostaticas proprietates, vt sit hæc, & illa subsistentia personalis. *Secundò* & fortasse melius dici potest nomẽ essentię in diuinis nõ esse multiplex: sicut nomen subsistẽtię, quod est ambiguum ad subsistentiam essentialẽ & personalem. Quo fit vt essentiali subsistentia tribus proprietatibus coniuncta, resultent tres subsistẽtiæ personales, ita vt vox illa complexa *subsistentia personalis* non significet subsistentiam essentialem cum proprietate determinãte, sed ponatur loco vocis simplicis, quæ idem significaret quod suppositalitas vel personalitas. Quemadmodum autem relatio puta Paternitas, vt dicit simul ad & in, id est, essentiam & relationem, cõstituit personam patris; ita eadem paternitas, vt dicit subsistentiã paternitate quasi contractam siue determinatam personam patris siuè patrẽ subsistentem cõstituit. Cum etenim in Deo nihil sit vt accidens in subiecto, quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, cum in Deum transfertur, habet esse substantiale, vt ait S. D. *suprà q. 28. a. 2.* loquens de diuinis relationibus; igitur diuina relatio sicut intimè claudit essentiam, ita & substantiam ac essentialẽ subsistentiã: atque ideò sicut affirmat S. Th. *de pot. q. 8. a. 3. ad 7.* relationes constituere diuinas hypostases, quatenus sunt essentia diuina, sic etiam *infrà q. 40 a. 2.* ait, quod si relatio sit subsistens nõ præsupponit, sed secum fert distinctionem: Et *in a. 3. eiusdem q.* ità loquitur *Paternitate pater non solum est pater, sed est persona, & est quis, siue hypostasis*; quia. s. paternitas vt includens intimè subsistentiam, constituit personã patris. Nec tamẽ sequitur essentialem tantum esse patris subsistẽtiam; Nam quemadmodum paternitas vt in-

cludens simul ad &in, id est respectum & essentiam, ratione differt ab essentia, sicut animal rationale siue homo ab animali: ità eadē paternitas vt simul includens respectum ad filium & essentialem subsistentiam, ratione differt ab essentiali subsistētia, & est personalis subsistentia, .i. personalitas patris; quæ vt subsistentia est dicit perfectionē simpliciter, vt patris aūt abstrahit à perfectione & imperfectione: sic.n. dicit relationis respectum, qui neq; perfectio est, neque imperfectio: & vniuersaliter subsistentia incōmunicabilis vt sic nullam dicit perfectionem, & ideo multiplicatur, sicut relatio.

Duæ esse in quelibet persona subsistētias, sc. essēcialem & personalem

Ex dictis sequitur primò in vnaquaque diuina persona duplicem esse subsistentiam ratione distinctam, scilicet essentialem & personalem, nec vnam alteri repugnare, sed aptissimè consonare. Quod exemplo rationalis animę in Paulo subsistētis potest vtcunq; declarari: certum est enim animā rationalem esse subsistentem, cum sit à corpore independens, & illi conueniat esse per se primò, non solum vt quo, sed etiam vt quod, quamuis incompletè: & illud corpori communicet & ad se retrahat à corpore separata, & iterum reunita communicet: sicut aūt subsistit vt quod nūc anima Pauli à corpore separata, & eandem, postquam in resurrectione fuerit vnita corpori subsistentiam retinebit & corpori communicabit, & ex ea communicatione resultabit totum compositum, scil. persona Pauli subsistens subsistentia completa & personali: ita modo nostro intelligendi concipitur essentia diuina vt per se primò subsistens, quamuis per eam subsistentiā non habeat rationem suppositi vel personæ, quia non est simpliciter incōmunicabilis: deinde concipitur vt relationi, puta paternitati copulata, & eidem idēticè communicata, & simul cum ea personam patris constituens subsistentem incommunicabiliter. Et sicut alterius est rationis animę subsistentia à subsistentia Pauli: sic alterius est rationis formaliter loquendo subsistentia diuinæ naturæ à subsistentia Patris. Et sicut Paulus sua propria subsistentia formaliter subsistit, quatenus .s. est subsistentia suppositi, quæ tamen radicaliter est ab animæ subsistentia: ità patet sua formaliter est subsistens personali & incommunicabili subsistētia, quā radicaliter habet ab essentia paternitas, vt est personæ patris constitutiua, considerando paternitatē prout est relatio præcisè ab essentia distincta: nā integrè cōcepta essentiā includit intrinsecè vt ante diximus. Et sicut essentialis subsistentia est ratio essentiæ, & patri, in quo est essentia, subsistendi essentialiter: ità personalis subsistentia, resultans nostro modo intelligendi ex essentia siue essentiali subsistentia & proprietate personali, est ratio patri subsistendi personaliter. Et sicut animæ subsistentia non pendet à subsistentia suppositi, sed è contrà; sic in Deo essentialis subsistentia non pendet à suppositis, aut ab eorum subsistentia, sed è contra. Denique sicut animæ subsistentia non ponit in numerum cum subsistentia Pauli, aut cuiuscunq; suppositi: ita neque essentialis in Deo subsistentia ponit in numerum cum tribus personalibus subsistentijs, vt dici valeant quatuor subsistentiæ.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima Concl. *In Deo non est vna absoluta siue essentialis subsistentia, prout dicit rem omninò incommunicabiliter subsistentem, aut rationem incommunicabiliter subsistendi.* Probatur; Nam alioquin nō essent in Deo tria suppositā incōmunicabiliter subsistētia, nec tres hypostaticę formæ relatiuæ triū personarum constitutiuę, sed vnum tātum esset suppositum absoluta ratione constitutum, quod est hæreticum.

Secvnda Concl. *Deus hic vnus & singularis est essentialiter per se primò subsistens vna subsistentia absoluta tribus suppositis communi.* Hanc conclusionem probant efficaciter fundamenta, rationes & dicta Patrum supra notata. Qui plura desiderat argumenta, legat expositores locis superius allegatis.

Tertia Concl. *In Deo tres sunt incommunicabiles subsistentiæ in concreto, id est tres res incommunicabiliter subsistentes.* Hęc conclusio est fidei confessio pluries in Concilijs generalibus definita, scilicet Ephesino *can. 4.* Constantinopolitano 4. *consultatione 8. can. primo*, & Cōstantinopolitano sexto, *actione 11.* & alijs eadem voce in sensu nostræ conclusionis tres in Deo subsistentias affirmantibus, vt interim Patres omittam, quorum dicta referunt recentiores locis supra notatis.

Qvarta Concl. *Tres diuinæ personæ, præter communem omnibus essentialem subsistentiam in singulis intimè clausam, tres habent personales & relatiuas subsistentias, id est, rationes subsistendi realiter inter se distinctas, ab illa verò vna essentiali sola ratione siue distinctione virtuali discretas.* Hanc cōclusionem probant multis argumentis, & Cōciliorum ac Patrū dictis Cai. Ban. Zumel. Mol. & Suar. locis supra notatis: & pro ea faciunt, quæ pro sua sententia scribunt Val. & Gabriel. Vasq. Hoc vnum tantum nobis sufficiat argumentum. Singularitas aut pluralitas nominis substantiui attenditur secūdum formam significatam per nomen; sed hoc nomen subsistens & subsistētia dicitur pluraliter de tribus personis non tantum adiectiuè, sed etiam substantiuè: ergo in tribus personis sunt tres rationes subsistendi quasi tres formæ dictis nominibus formaliter significatæ. Maior est D. Th. *in articulo præced.* quæ fuit latè superius explicata. Minor patet ex allegatis Concilijs & Patribus asserentibus tres personas esse tres subsistentias, id est tres res subsistētes, vel tria suppositā subsistentia. Et confirmatur; quia S. Th. *in dicto a.* ait: *Sortem, & Platonem, & Ciceronem dicimus tres homines, Patrem autem, & Filium, & Spiritū sanctum, non dicimus tres Deos, sed vnum Deum; quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates, in tribus autem personis est vna diuina essentia.* Et in responsione ad 4. ita loquitur. *Forma significata per hoc nomen persona, non est essentia, vel natura, sed personalitas. Vnde cum sint tres personalitates, id est tres personales proprietates in patre, & filio, & Spiritu sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.* Cum ergo nomen subsistentis & subsistentiæ prædicetur pluraliter substantiuè de tribus, oportet tres in eis esse rationes subsistendi prædictis nominibus formaliter significatas. Cōfirmatur eadem minor; quia si tres personæ vnam assumerent humanitatem, dicerentur homo, & vna persona duas assumens humanitates esset vnus homo: quia ad pluralitatem substantiui requiritur tàm pluralitas formæ, quàm pluralitas suppositorum; igitur si non sunt in diuinis personis tres rationes subsistendi distinctæ realiter abinuicem, sed vna dumtaxat essentialis subsistentia, non dicerentur Pater & Filius & Spiritus S. tres subsistentes neque substantiuè neq; adiectiuè; immò nec aliquid substantiuum aut adiectiuum pluraliter diceretur in diuinis. Probatur consequentia; quia vbi non sunt distinctæ propriæ

ra-

rationes incõmunicabiliter subsistẽdi, non possunt esse distincta suppositа, quibus propriè cõuenit subsistere incõmunicabiliter; & consequẽter nullum concretum posset pluraliter in diuinis prædicari; dicit autem incommunicabilitas non meram negationem aut priuationem, sed modum entis positiuum, cuius propria ratio est esse terminum naturę, & hoc ipso simul cum ea personam siue suppositum constituere.

Obi. 1. com. 1. concl. CONTRA *secundam concl.* argu. Val. & *primò* probat opinionem Cai. esse superuacaneã; quia subsistentiæ relatiuæ sunt infinitæ perfectionis & adeò intimæ ipsi naturæ diuinæ, vt sint de ratione illius; ergo ad omnia sufficiũt, ad quæ posset aliquis imaginari necessariam esse illam quartam subsistentiam absolutam. *Resp.* primò ad primam partem antecedentis subsistẽtias relatiuas esse infinitæ perfectionis simpliciter, quatenus includunt subsistentiam absolutam illis cõmunem. Ad secundam verò partem dico subsistentias relatiuas non claudi in conceptu naturæ diuinæ præcisè sumptæ, prout distinguitur à relationibus, quomodo nunc de ea loquimur, quãuis claudantur in conceptu essentiæ, prout est quidditas diuinæ rei sm̃ omnia, quæ in ea sunt, sc. absoluta & respectiua, vt sup. diximus *q. 28. a. 2. contr. 1.* Ad argumẽtum igitur negatur conseq. si sumatur essentia in hoc secundo sensu: sic. n. vtramque sc. essentialem & personalem subsistẽtiam, & omne absolutum & respectiuũ includit.

Solutio.

Ob. 2. *Secundò.* Ratio subsistentiæ addita naturæ singulari intrinsecè, sicut est essentia diuina, statim constituit personam; ergo &c. Probatur antec. primò quia de ratione subsistentiæ propriè dictæ, quatenus significat gradum superadditum naturæ, est incõmunicabilitas; secundò quia D. Athan. *in dial. de Trin. contra Anomæos pag. 165.* affirmat essentiam non nisi vt indiuiduis spectatur, hoc est in hypostasibus subsistere. *Resp.* falsũ esse antecedens absolutè loquendo. Ad primã probationem negatur antec. Ad secundam dico Athanasium loqui de subsistere subsistentia personali, non autem de subsistentia vt subsistentia est.

Solut.

Obiect 3. *Tertiò* contra eandem conclusionem argumẽtatur Vasq. *disp. 125. c. 3.* Essentia diuina ita indiuiduam secum habet existentiam, vt nõ solum cum illa communicetur tribus suppositis, sed etiam nostro modo intelligendi in illis esse dicatur, non autem per se; ergo sola illa existentia sine relatione considerata non facit naturam diuinam esse per se nostro modo intelligẽdi, quatenus illud per se opponitur existentiæ in alio vt in supposito: sed adhuc relinquit aptam vt alio modo terminetur, & vt per se esse dicatur, nimirum relatione; ergo &c. *Resp.* falsum esse antecedens. Nam essentia diuina concretè concepta non est in suppositis vt quo in quod, sed vt quod primò subsistens in habentibus ab ea subsistentiam, non autem vt per ea subsistens, & est in eis per modum identitatis.

Solut.

Obiectio 4. *Quartò* sic arguit. Si illa existentia communis sine relatione considerata formaliter faceret diuinam naturam per se subsistere, non posset non considerari natura diuina in concreto, quoties cum illa existentia consideratur absque vllo alio connotato; ergò, vt conciperetur abstractè, deberet cogitari sine illa existẽtia: sed naturam diuinam quantumuis abstractam semper consideramus cum existentia: ergo talis existentia nõ facit esse per se, nec constituit concretum deitatis, ratione cuius ab authoribus contrariæ sententię, illa communis subsistentia asseritur. *Resp.* diuinam essentiam abstractè consideratam concipi cum existentia vt quidditas & natura quædam est, non autem vt exercet actum existentię, quo modo concipitur cum essentia concretè considerata, quam intelligimus vt subsistentem & vt habentem esse: & idem dicendum est de subsistentia. Secundò dico falsam esse minorem de natura præcisè, prout distinguitur ab habente naturam.

Solut.

Quintò. Is modus loquẽdi omnino tenendus est, quo Patres & Concilia vtũtur, contra verò reijciendus ab omnibus est modus, qui Patrum & Conciliorũ phrasi aduersatur; at asserere subsistentiam communem est modus loquendi cõtrarius modo loquendi Conciliorum & SS. Patrum; ergo &c. Probatur minor; quia Patres & Concilia in Ecclesia Græca celebrata post definitam controuersiã de voce hypostasis semper acceperunt hypostasim pro persona siue supposito; at subsistentia Latine idem est quod hypostasis Græcè; ergo subsistentiam absolutam asserere in Deo est contra modum loquendi Conciliorum & Patrum. Quòd autem subsistentia Latinè sit idẽ quod hypostasis Græcè, probat multis SS. & Conciliorum testimonijs & ratione; quia nullum aliud nomen Latinum quàm subsistentia cogitari potest, quod nomini Græco hypostasis melius subrogari valeat. *Resp.* falsam esse minorẽ. Ad probationes dico, quamuis nomini hypostasis respondeat nomen subsistentiæ, latius tamen patet nomen subsistentiæ, quàm nomen hypostasis etiam in doctrina Patrum & Ecclesiæ, vt superius ostendimus ex Aug. Hieron. D. Th. & alijs.

Obi 5. *Solut.*

Sextò. Caiet. perperam appellat indiuiduum illud deitatis semipersonam; eo quòd hac voce nemo hactenus vsus fuerit; quinimò si modum loquendi retineret, quem de subsistentia communi vsurpauit, pleno ore suppositum vocare deberet; sicut enim actum existẽtiæ ipsius naturæ diuinæ nuncupauit subsistentiam, non semisubsistentiam; ita ex ea constitutum non semisuppositum, nec semihypostasim, sed absolutè suppositũ & hypostasim vocare debuisset, præsertim cùm idẽ sit subsistẽtia quod hypostasis, si verbum ex verbo reddas. Hæc Vasq. *disput. 156. c. 1. in fin. Resp.* primò falsò & calumniosè imponi Cai. quod subsistentiam essentialem nuncupauerit semipersonam aut semisuppositum, & quod actum existentiæ naturæ diuinæ appellauerit subsistẽtiam. Secundò dico subsistentiã abstrahere à cõmunicabili & incõmunicabili, nõ aũt personã aut suppositum; & ideo subsistentiã essentialem absolutè posse dici subsistentiã, nõ autem personam aut suppositum, sed cum additione incõpleti. Tertiò dico falsum esse subsistentiam vt sic, idem esse, quod hypostasis, vt patet ex dictis: latior enim est subsistentia.

Obi 6. *Solut.*

Contra eandem concl. militant argumenta, quæ proferunt & soluunt Zumell. *supra qu. 30. ar. 1. disp. vnica,* & Suarez *3. p. qu. 3. ar. 1. disp. 11. sect. 3.*

Contra eandem concl. argumentatur Barthol. Spina multipliciter, sed eius argumenta ferè omnia per suprà posita confutantur fundamenta. Ex omnibus igitur quinque dumtaxat soluenda proponemus.

Primum est. Omne indiuiduum alicuius naturæ est indiuisum in se, & diuisum seu distinctũ realiter ab alijs indiuiduis, quæ sunt in tali natura: sed nullũ est tale in diuinis præter tres personas; ergo &c. Minor patet ex fide; Tum quia nihil distinguitur realiter à tribus perso-

Obi 7.

nis, nisi singulæ ab alijs; Tũ quia absoluta nõ di- A
stinguũtur realiter à relatiuis: Tum quia nullũ
Solut. essẽtialiter cõmune pluribus est distinctum ab
eis realiter &c. *Resp.* maiorem non esse veram
nisi de illius indiuiduis, quę eiusdem rationis
constitutiuo indiuiduantur; constat aũt huius
Dei constitutiuũ in esse indiuiduo ipsam esse di
uinam essentiam, vt formam per se primò subsi
stentem; personarum autem constitutiua esse
relationes, quæ modo nostro cõcipiendi ratio-
ne formali distinguuntur ab essentia; Vt igi-
tur hic Deus sit indiuidum, satis est pluribus
Dijs non esse communicabile.

Replica *Sed hoc vltimò dictum* sic arguit Spina. Quod
prædicatur essentialiter de pluribus distinctis
vltima distinctione in aliqua natura, non est B
indiuiduũ illius naturæ: sed licet hic Deus non
prædicetur de pluribus Dijs, dicitur tamen es-
sentialiter de pluribus distinctis vltima distin-
ctione reali in natura diuina; ergo &c.

Confir. *Confirmatur*; quia incommunicabilitas, quæ
pertinet ad rationẽ personæ exprimitur in dif-
finitione Boetij per illam particulam, *subsistentia
indiuidua:* hæc autem est omnimoda incommu-
nicabilitas; ergo vel hic Deus non est substantia
indiuidua, vel est propriè persona.

Solut. *Resp* falsam esse maiorem loquẽdo de distin-
ctione facta per constitutiua & distinctiua in-
diuidualia illorum plurium, quæ sint alterius
rationis à constitutiuo illius indiuidui, quod
Ad confir. pluribus asseritur esse commune. *Ad confirmatio-* C
nem dico verum esse incommunicabilitatem il-
lam, quam significat Boetius in diffinitione per
sonæ, esse perfectam, siue vt ille ait omnimodã;
sed talem iam ante diximus non esse necessariã
ad indiuidui constitutionem. Et quia vox ad
plura indifferẽs simpliciter prolata stat pro pri
mò, ideo cũ de indiuiduo siue incõmunicabili
loquimur absolutè, intelligendum est de incõ-
municabili sm̃ oẽm modum, nisi subiecta ma-
teria alium exigat sensum, vt exigit in re pro-
posita, cum affirmamus hunc Deum tribus sup
positis communem esse indiuiduum; alioquin
implicantia dicerentur.

Obiect. 8. *Secundum* eius argum. est in ordine sextum. D
Quod significatur vt comprehensum ab indi-
uiduo quasi pertinens ad indiuiduationem e-
ius, non est per se indiuiduum, præter illud à
quo comprehenditur: sed habens deitatem, vt
ratione distinguitur à personis distinctis, per-
tinet ad indiuiduationem diuinarum personа-
rum, quæ super hoc addunt relationem per mo-
dũ formæ incõmunicabilis & principij indiui-
duationis; ergo habẽs deitatẽ vt sic, nõ est per se
indiuiduũ præter pſonas. Maior probatur; quia
indiuiduũ substantiæ significatur vt totum, in
quo vniuntur omnia tàm essentialia, quàm acci
Solut. dentalia. *Resp.* maiorem non esse veram, quando E
illi comprehenso ab indiuiduo conuenit subsi-
stere pro se primò & per ipsum indiuiduo; tunc
enim, quòd ità comprehenditur ab indiuiduo,
est quoddam totum, in quo cætera omnia saltẽ
absoluta vniuntur, vt in hoc Deo, qui dicitur
habens deitatem & omnem perfectionem: im-
mò dicitur etiam illi inesse paternitas, filiatio,
& processio.

Obiectio 9. *Tertium.* Singulare negatur absolutę ab hoc
Deo; ergo & indiuiduũ. Antecedens probatur;
quia S. Th. *sup. q. 31. art. 2.* cum Hylario negat
Deum esse singularem.

Solut. *Resp.* ibi D. Tho. explicate sensum Hylarij,
cum ait. Ad vitandum errorẽ Sabellij vitare de-
bemus singularitatem, ne tollatur communica-
bilitas essentię diuinæ quam nos prædicantes
Deum singularem & indiuiduum, tribus per-
sonis communem non negamus. Vnde *super illo
artic.* diximus cum Banneſio & alijs recentio-
ribus in vsu prædictæ vocis nullum iam esse
periculum erroris, cum hæresis Sabelliana fue-
rit omninò conuulsa.

Quartum. Si vnus numero Deus est vnum in- Obi. 10.
diuiduũ præter tres personas, pariter concede-
re cogimur absolutè propositionem istam: tria
indiuidua diuina sunt vnum indiuiduum natu-
ræ; similiter istam tres personę diuinæ sunt vnũ
indiuiduum naturæ diuinæ etiam præter tres
personas; & cum tale indiuiduum secundum
Caiet. sit persona incompleta & imperfecta, se-
quitur hanc etiam necessariò esse concedendã:
tres personæ diuinæ sunt vna persona incom-
pleta & vna semipersona. Quibus sermonibus
quid absurdius dici potest? *Resp.* primò sensum Solut.
dictarum propositionum nihil absurditatis cõ-
tinere, modũ autem non esse in vsum deducen-
dum; quamuis inter Scholasticos ad exprimen-
dam diuinæ naturæ subsistentiam, ea non sint
prorsus inepta vocabula. Secundò dico hunc
Deum non esse indiuiduum præter tres perso-
nas absolutè loquendo; quia realiter idem est
cum illis ratione sola distinctus.

Vltimum. In hac propositione: *Iste Deus me-* Ob. 11.
us, & glorificabo eum: nomen hoc Deus, supponit
pro persona grammaticaliter tantum, quo mo-
do quælibet res demonstrabilis grammaticè lo
quendo personaliter dici potest; dicimus enim
iste lapis, iste asinus; ergo hic Deus non est per-
sona nisi grammaticaliter. Antecedens est D.
Th. *in hac q. a. 8. in fi.*

Resp. nos non affirmare hunc Deum esse per- Solutio.
sonam nisi cum addito, nimirum in comple-
tam, quod ibi non negat S.D. sed tantum negat
esse personam propriè.

Reliqua eiusdem authoris argumenta partim
ex dictis facilem habent solutionem, & partim
ad sequentem pertinent controuersiam. Alio-
rum etiam, quos vidimus argumenta, easdem
admittunt solutiones.

CONTRA *vltimam concl.* sunt argumenta,
quæ referunt & soluunt Zumel. Mol. Vasq. &
Suar. *locis superius allegatis.*

SECVNDA CONTROVERSIA.

De suppositione huius nominis Deus.

Sententiæ Doctorum. CAPREOLVS *in primo sent. dist. 4. q. 1.* tria dicit. *Primum.* Hoc nomen *Deus* quando-
que supponit pro persona, & non pro essentia,
vt cum dicitur, Deus generat. *Secundum.* Nun-
quam stat pro essentia, quin explicitè vel im-
plicitè stet pro persona, vt cũ dicitur. Deus cre-
at: & etiam in his propositionibus Pater & filius sunt vnus Deus, & Trinitas est vnus Deus. *Tertium artic. 2.* Hæc propositio, Deus non ge-
nerat, est falsa; quia dictio *Deus* stat pro essentia
& pro re naturæ id est suppolito indistinctè; &
ideo negatio negat actum generãdi, non solum
ab essentia, sed etiam à quolibet eius suppositi-
to. Quam sententiam sequuntur Sylu. & Spina
eius discipulus.

Cai. dicit sex. *Primum.* Deus primò supponit
pro hoc Deo, siue pro habente naturam diui-
nam, & reddit propositionem singularem. *Secũ-
dum.* Quandoque dicitur, quòd hoc nomen
Deus, stat pro suppositis indistinctè; quod intel-
ligendum est cõcomitanter & secundariò, non
tamẽ semper stat pro personis distinctè vel indi

stin-

stinctè. *Tertium.* Hoc nomen *Deus*, potest stare pro singulis personis. *Quartũ.* Deus ex adiũcto notionali constituit propositionem indefinitã supponendo personaliter. *Quintum.* Hoc nomẽ *Deus*, cum possit ex se supponere pro essentia, id est pro hoc Deo, & pro persona, id est, pro patre & filio, & Spiritu S. ad supponendum actualiter pro hoc Deo, non eget reducente: ad supponendum verò pro personis (modo inferius explicando) reducitur per aliquid additum; & ita conciliantur duo dicta D. Tho. *in hoc a.* quæ videntur contraria. *Sextum.* In hac propositione, Deus non generat, stat nomen *Deus*, pro natura in concreto, id est pro hoc Deo, de quo falsum est dicere, quòd non generat. Hoc vltimum dictum explicat & defendit Molina. Eandem sententiam Cai. sequitur Ripa.

Iauellus sententiam approbat Capr. & ex parte sequitur Cai. quem in duobus reprehendit. *Primum* est, quòd dixerit differentiam inter hoc nomen Deus, & hoc nomen homo, in supponendo accipiendam esse quo ad suppositionem indeterminatam pro persona; quia scilicet homo non supponit ex se pro natura communi, sed pro suppositis indeterminatè: sed hoc nomen Deus ex se supponit pro natura communi, sed ex adiuncto constituit propositionem indefinitam supponendo personaliter. Sed ait Iauellus mentem esse D. Tho. differentiam inter dicta nomina in hoc positam esse, quòd Deus simpliciter sumptus semper supponit pro natura in concreto, nunquam autem pro persona, siue determinatè siue indeterminatè: homo verò nunquam supponit pro natura communi in concreto nisi ratione adiuncti, vt in hac, homo est species. *Secundum* est. Verba illa S D. *in corpore articuli. Quidam dixerunt, quòd hoc nomen, Deus, & similia propriè, & secundum suam naturam supponit pro essentia, sed ex adiuncto notionali trahuntur ad supponendum pro persona:* exponi à Cai. de potentia ad supponendum pro essentia in concreto: *in responsione* autem *ad tertium* loqui de actuali suppositione. Sed melius est (inquit) dicere, opinionem illam tenuisse Deum secundum se supponere pro natura in abstracto, quã ideo reprobat S. Th. quia in responsione ad tertium affirmat Deum secundum se supponere pro natura in concreto, & negabat illa opinio.

Torres dicit tria. *Primum.* In hac propositione, Deus creat, nomen Deus supponit & pro natura diuina & pro personis: sed primariò pro natura cum adiuncto verò supponit principaliter pro persona, vt in hac, Deus generat. Et per hæc conciliat dicta D. Th. *in corpore, & ad 3.* de suppositione huius nominis Deus; nã in corpore affirmat dictum nomen per se posse supponere secundariò pro persona, sed in responsione ad tertium negat illud supponere principaliter pro persona sine addito notionali. *Secundum.* Cùm nomen Deus supponit pro essentia, supponit etiam pro personis, vt in hac, Deus est tres personæ. *Tertium.* In hac propositione, Deus non generat, nomen illud Deus supponit pro patre.

Bannes dicit quatuor. *Primum.* Caiet. bene concedit istas duas propositiones, Deus generat & Deus non generat. *Secundum.* Caietan. affirmat subiectum dictarum propositionũ supponere pro hoc Deo immediatè: qui modus dicendi potest sustineri dicendo distinctionem realem inter genitorẽ & genitum attendi penes patrem & filium, ratione quorum verificatur illa propositio. *Tertium.* In hac propositione, Deus creat, non accipitur Deus pro Deo in concreto præcisè, vt ait Cai. sed primariò sumitur pro essentia diuina in concreto, secundariò verò pro personis; quia denotatur actio creãdi conuenire personis ratione deitatis. Et per hoc (inquit) soluuntur argumenta Caietani contra Capr. *Quartum.* Hæc propositio, Deus nõ generat, falsissima est; quia subiectũ illius supponit pro patre, & fit sensus, quòd pater nõ generat. Et quãuis S. D. *ad tertium* dicat nihil esse, per quod hęc vox Deus determinetur ad standum pro persona filij, non tamen negat quin possit accipi pro persona patris. In quibus dictis duo manifestè falsa imponuntur Caietano. Primum quod admiserit hanc propositionem esse veram, Deus non generat, quod hic approbat Ban. in primo dicto, sed aperrè reuocat in quarto, quod arbitror ex errore Typographi cõtigisse. Secundũ, quòd affirmet Caiet. in hac propositione, Deus creat, sumi Deum pro hoc Deo præcisis personis: oppositum enim docet expressè *in solutione secundi dubij circa corpus articuli.* Denique statuit tres regulas ad discernendum nominum essentialium suppositionem, de quibus infra.

Zumel. dicit quinque. *Primum.* Hoc nomen Deus, si non limitetur eius suppositio ratione alicuius adiũcti, vel ex parte subiecti, vel ex parte prędicati, semper supponit pro essentia in cõcreto prmò & immediatè, secundariò verò pro personis. Et hoc modo intelligendus est S. Th. cum ait hoc nomen Deus supponere pro essentia aut deitate: & ita supponit in illa propositione, Deus creat: in hac verò, *Soli Deo honor, & gloria,* supponit immediatè tam pro essentia, quàm pro tribus personis collectiuè sumptis. *Secundum.* Quando S. D. *in corpore* ait hoc nomen Deus ex modo significandi habere, vt propriè possit supponere pro persona, loquitur de facto & de suppositione indistincta & confusa: *in responsione* verò *ad 3.* vbi videtur oppositum dicere, loquitur de supponere determinatè & distinctè. *Tertium.* Hoc nomen *Deus* potest supponere pro hoc Deo, vt abstrahitur à personis, ità quidem vt pro personis non supponat neq; mediatè neque immediatè, neque coniunctim neq; diuisim, ratione tamen alicuius adiuncti, vt in hac, Deus est communis realiter trib. personis, & cuilibet earum; quia hoc prædicatum de nulla potest verificari persona, neque de omnibus simul. *Quartum.* In hac propositione, Deus generat, aut Deus generatur, non supponit hoc nomen Deus pro hoc Deo, id est pro natura in concreto, vt abstrahit à suppositis, vt asserit Cai. *Quintum.* Hæc propositio, Deus non generat, est falsa; quia subiectum restringitur ad standum pro patre: in cæteris conuenit cum sententia Cai.

Valent. dicit quatuor. *Primum.* Hoc nomen Deus supponit pro essentia identificante in ratione absoluta tres personas, siue pro essentia subsistente tribus subsistentijs respectiuis, non aũt pro hoc Deo absolutè subsistente, vt existimat Cai. *Secundum.* Hæc propositio, Deus nõ generat, est vera in rigore, si ille terminus *Deus* accipiatur tanquam singularis, vt videlicet significat vnum illud simplicissimum identificãs tres personas. Quare minimè probandus est Cai. dicens nomen illud Deus supponere determinatè pro essentia, & tamen propositionem esse veram. *Tertium.* Si loquamur de illo termino Deus, vt habet etiam conditionem termini cõmunis, sic omninò videtur falsã dicta propositio. *Quartum.* Quando dicta propositio absolutè pro-

tè profertur, non exprimendo, vtrum absolu- A
tè accipiatur ille terminus Deus tanquam ter-
minus singularis, vel tanquam communis, pro-
babilius est simpliciter loquēdo, quòd sit falsa.

Vasq. dicit nouem. *Primum 4. cap.* Hæc pro-
positio, Deus non generat, falsa est; quia nomē
Deus supponit pro indiuiduo deitatis directè,
connotando personam confusè. *Secundum ca. 5.*
Directum significatum nominis Deus est natu-
ra, prout secundum rationem abstrahit à perso-
nis, quamuis non habeat absolutam subsisten-
tiam: personæ autem ab eo indirectè & indistin-
ctè connotantur; quare nomen Deus ratione
directi significati est singularissimum, ratione
verò connotati quandam habet communitatē.
Tertium. Ad veritatem huius, Deus generat, sa-
tis est: si diuina natura in vna persona generet:
sed ad veritatem huius negantis, Deus non
generat, necesse est Deum in nulla persona gene-
rare. *Quartum cap. 6.* Nomen Deus, quoties ei
non additur terminus notionalis, ea parte qua
ponitur, semper supponit pro indiuiduo deita-
tis. *Quintum.* Non potest Deus determinari ad
personam addito pronomine hic vel iste, sicut
determinatur hoc nomen homo. *Sextum.* In hac
propositione, Deus est de Deo, nomen Deus
supponit pro cōcreto deitatis. *Septimum.* Cum
dixit Apost. *primæ ad Timot. 1. Regi sæculorum,*
immortali, inuisibili, soli Deo, honor, & gloria: nomen
Deus multo melius pro indiuiduo deitatis sup-
ponit: sed quia est commune tribus personis, C
idcircò de illis verè dicitur; & ideò dixit S. Th.
ibi nomen Deus supponere pro personis. *Octa-*
uum. Miror, cur S. Th. dixerit in ea propositi-
one, Deus creat, nomen Deus supponi pro na-
tura, hoc est pro indiuiduo deitatis, & nō pro
personis. *Sed negationem* Vasq. adiungit de suo, *Impostura Vasq.*
non. n. habetur in textu. Hanc impostura ac-
cepit ex Aureolo, quam excludit Capreolus
in 1. sent. dist. 4. quæst. 1. art. 3. ex D. Tho. *in 1. dist.*
36. qu. 1. art. 1. vbi ait actum creandi conueni-
re diuinæ naturæ, & eius suppositis. Quod idem
affirmat *infra q. 45. art. 6. Nonum.* Nomen Deus
supponit pro indiuiduo concreto deitatis, et-
iam quando ponitur terminus notionalis, qui D
non est syncategorema illius, quod etiam in-
telligi debet in alijs propositionibus, vbi præ-
dicata naturæ humanę de Deo prædicantur per
communicationem idiomatum.

Suarez *lib. 4. cap. 14.* conuenit cum Zumel. in
1. 2. & *3.* dicto; discordat aūt circa suppositio-
nē illius termini *Deus* in duabus propositioni-
bus exemplariter à Zumel. propositis. Ait enim
Suar. in vtraq; nomen *Deus* supponere pro na-
tura & pro personis, eo quòd cum dicitur, *Soli*
Deo honor & gloria, dictio illa exclusiua *soli* non
excludit concomitantia, quæ sunt personæ, non
solum collectiuè sed etiam sigillatim sumptæ; E
alioquin falsa esset propositio. Deinde repre-
hendit primum & secundum dictum Vasq. Li-
bro aūt *6. c. 7.* vbi statuit quinq; regulas circa prę
dicationem actuum notionalium, ex quib. duæ
tm̄, videlicet tertia & quinta, pertinēt ad mate-
riā prę sentis articuli, tria dicit. *Primum* est. In
hac propositione, Deus generat, subiectū illud
Deus non potest ita supponere, vt de hoc Deo
abstrahendo secundum rationem à personis
prædicatū verificetur. *Secundum.* Si hic Deus nō
ità abstrahatur, sed indefinitè sumatur pro di-
uinitate vt subsistente, siue immediatè in se siue
incommunicabiliter in persona, sic verificatur
illa propositio de hoc Deo, non tamen ratione
subsistentis communis, sed solum ratione pa-
tris, nec supponit subiectum illud Deus inde-
finitè, sed determinatè pro persona patris. *Ter-*
tium. Quoties actus notionalis verè prædicatur
de Deo sub aliquo nomine, non potest verè de
eo negari, siue terminus in subiecto positus sit
personalis, vt cùm dico, Pater generat, & Pater
non generat; siue sit essentialis. vt Deus gene-
rat, & Deus non generat, quia tam primæ, quàm
secundæ sunt contradictoriæ, & affirmatiuæ
sunt veræ, negatiuæ autem falsæ.

RECOLENDA *sunt in primis*, quæ suprà di- *Resolutio.*
ximus *q. 27. ar. 4.* de nominum significatione *Proponūtur*
& suppositione ex D. Th. *de pot. q. 9. a. 4.* ex *7. genera*
quibus patebit non rectè dixisse Vasquesium *prædicatiō*
hic disp. 157. cap. 4. idem esse nominis suppositio- *Dei: & qui-*
B nem, quod eius significatio; vbi etiam quod *dicitur suppo-*
verè supponitur, perperam appellat connota- *sitio huius*
tum. Cum autem nomen hoc, *Deus*, subijci *nominis*
possit in propositione multis prædicatorum *Deus respe-*
generibus, de illius suppositione cōparatione *ctu prædica-*
singulorum inquirendum est: deinceps de qui- *tis essentialis*
busdam propositionibus singularem difficul- *communis*
tatem habentibus erit disputandum. *essentiæ &*
personæ, &
respectu
prædica-
tis notionalis
secundùm
mentem D.
Th. & Cai.

Sunt verò septem diuinorum prædicatorum
genera ad rem præsentem pertinētia, quibus sub
ijci potest hoc nomen Deus. Nam *quædam* sunt
essentialia communia naturę in concreto, id est
huic Deo & personis, vt creare, sapere & posse,
siue esse creatorem, sapientem & potentem:
quædam sunt essentialia cōuenientia naturę siue
concretè siue abstractè sumptę, prout distingui
tur à personis, vt esse communicabile & subsi-
stere in tribus: *quædam* sunt notionalia in specie
significata, vt generare, spirare & cæt. *quædam*
autem in genere tantum, vt cum dico, Deus de
Deo siuè Deus procedens: *quædam* personalia
singulas seorsum personas significantia, vt
Deus est pater, siuè persona patris: *quædam* om-
nes collectiuè personas complectentia, vt Deus
est Trinitas, vel tres personæ: *quædam* tandem
sunt negatiua, vt Deus non generat, siuè non
spirat; quæ singula diligenter hic erunt à nobis
examinanda.

A prædicatis igitur essentialibus naturæ & *Regula prę*
personis communibus inchoando, existimo ve- *dicatorum*
ram esse regulam illam Capr. nimirum hoc no- *essentialiū,*
men Deus nunquam stare pro essentia in concre *communiū*
to, prout scilicet est in habente, quin supponat *naturæ, &*
pro personis saltem indistinctè. Cuius sensum *personis ex*
aptius expresserunt recentiores ex eodem Cap. *Capreolo.*
dicentes hoc nomen Deus, si non limitetur eius
suppositio ratione alicuius adiūcti, semper sup-
ponere pro essentia in concreto primò & im-
mediatè, secundariò verò, & indefinitè pro per-
sonis. Vbi aduerte terminum limitantem posse *Notanda di*
dupliciter adiungi huic termino Deus. *Vno mo-* *ctio pro*
do, vt in eadem parte ponitur dictio limitatiua, *Cajet.*
in qua ponitur nomen Deus, vt si ponatur v-
trumq; ex parte subiecti, vel vtrumque ex par-
te prædicati; puta dicendo, Deus generans est
æternus, vel habet filium, vel Deus generans
non est Deus genitus. *Alio modo*, vt Deus sit ex
parte subiecti, terminus verò limitatiuus sit
ex parte prædicati, vel è conuerso: vt si dicam,
Deus generat, aut Deus generat filium Deum,
vel generans est Deus. Si priori modo fiat addi-
tio, determinatur hoc nomen Deus ad standum
pro persona determinatè, illa scilicet cui con-
uenit actus notionalis limitatiuus: non ita tamē
vt excludatur hic Deus, cui prout est in singulis
personis, singuli conueniunt actus notionales,
vt hic aduertit Cai. Nam hic Deus generat,
prout est in Patre, vel vt est pater: & geni-

tus

tus est, vt est in filio, vel vt est filius. Est tamen propositio hæc singularis, Deus generans est æternus; quia subiectum per syncategorema generans determinatur ad vnam tantum personam. Si verò posteriori modo fiat additio, constituitur, vt ait Caiet. indefinita propositio: quia supponit hoc nomen Deus pro hoc Deo per se primò, pro persona verò indeterminatè. Cuius ratio est; quia cùm dico Deus generat, aut Deus est generans, verbũ illud generat, aut participiũ generans, non est syncategorema illius termini Deus, sed dictio est categorematica absolutè posita. Sicut si dicerem, homo scribit, verbum illud scribit, dictio est categorematica, nec limitat hominem ad standum pro Petro, etiamsi pro natur esse solus scribens. Quamuis itaque solus pater sit generans in diuinis, non limitatur tamen de rigore Logico nomen *Deus* in subiecto positũ, ad supponendum pro persona patris per illud notionale generat, licet de eo solo verificetur, & vsu Theologorum frequenti receptum sit per notionale verbum cõtrahi nomen Deus ad determinatam personalem suppositionem: quia determinatè verificatur, vt patet *hic ad tertium*.

A

B

Deus quandoq; supponere pro sola essẽtia: et quæ sit natu rale, & pro prio eius sup positio respe ctu prædica ti essentialis & personalis cõmunis.

In hac verò propositione, Deus est cõmunicabilis tribus personis, prædicatum soli Deo essentialiter sumpto conuenit, prout à personis distinguitur, quibus nec diuisiuè, nec copulatiuè conuenit; nulla enim earum nec simul omnes sunt tribus communes; alioquin quælibet persona esset trinitas, immò nulla persona distingueretur ab alia, sicut nulla persona distinguitur à Deo, qui tribus suppositis est communis. Itaque limitatur in ea propositione subiectum Deus per prædicatum illud communis tribus, vt pro sola supponat essentia.

C

Ad cuius euidentiam supponendũ est id, quod hic ait S. D. nimirum hoc nomen Deus significare naturam in habente. Et quoniam in Deo duplex est habens naturam, scilicet vt hic Deus, cui per se primò conuenit subsistentia, & vt suppositum, cui conuenit ex inclusa diuinitate, & relatiua proprietate incommunicabilis subsistẽtia personalis: idcirco nomen Deus habet ex sui natura, vt primò supponat pro hoc Deo cõmunicabiliter subsistente, secundariò verò pro personis indistincte, vt efficaciter & abundè probat Capreolus *in dicta quæst. 1.* Conuenit enim hoc nomen Deus cum terminis singularibus in hoc, quòd forma significata non multiplicatur, sed est vna numero & per se primò subsistẽs: atque ideo supponit per se primò pro hoc habente deitatem essentialiter: cum terminis verò communibus conuenit in hoc, quòd forma significata inuenitur in pluribus suppositis.

D

Naturalis suppositio huius nomi nis Deus.

Ex quo sequitur, vt hoc nomen Deus secundum suam naturam propriè, licèt secundariò, semper supponat pro personis, nisi limitetur. Vnde quẽadmodum hic terminus *homo* naturaliter ac per se supponit pro persona, nisi determinetur ex addito ad supponẽdum pro natura specificè sumpta, vt cùm dicitur, homo est species: tunc enim terminus homo supponit pro natura vt præscindit à suppositis: ita nomen hoc Deus quod naturaliter, ac per se, licet secundariò supponit pro personis, ex addito trahitur ad supponendum pro natura, quatenus distinguitur à personis, vt in hac, Deus est communis tribus personis; dictio enim illa *cõmunis* restringit subiectum illud *Deus*, vt præter suam naturam, neq; secundariò pro personis supponat. Et

E

quia supponit hoc nomen Deus secundum se sumptum per se primò pro natura in concreto, siue pro hoc Deo: non propriè dicitur eius suppositio restringi per vocem illam communicabilis in prædicato positam: quamuis ob eiusdem prædicati repugnantiam ad personas, pro quib. secundariò secundum se supponit hoc nomen Deus, dicatur limitari, vt nullo modo supponat pro personis. Sed hæc non est restrictio, quę fiat ad suppositum, de qua loquuntur Logici: & in qua locum habet distinctio supraposita de limitante in hac vel illa parte posito. Arbitror itaq; Capreol. ad naturalem nominis suppositionem tam primariam quàm secundariam respexisse cùm dixit hoc nomen Deus nunquam stare pro essentia, quin explicitè vel implicitè stet pro persona; ac si diceret: hoc nomen Deus, salua naturali suppositione eidem ex modo significãdi congruẽte, habet, vt cùm supponit pro essentia, supponat etiam pro persona secundariò. In ea verò propositione, Deus est communis tribus personis, prædicatum trahit subiectum extra naturalem suam suppositionem, non quo ad principale, sed quo ad secundariò suppositum.

Defensio Capreoli.

Ex quo patet doctrinam Capr. in bono sensu simpliciter esse veram, sed à recentioribus minimè cognitam: qui noua cudere se putantes, Cap. sensum aperiunt.

Ex hoc principio sic explicato multæ superius propositę difficultates circa propositiones poterunt definiri. *Et primò patet* falsum esse dictum illud Iauelli de mente D. Th. differẽtiam esse inter hoc nomen homo, & hoc nomen Deus: quod Deus simpliciter sumptus semper supponit pro natura in concreto, nunquam aũt pro persona siue determinatè, siue indeterminatè. Cuius oppositum *super hoc eodem articulo* prius affirmauerat idem expositor sequens Cap. & Cai.

Iauelli dictũ reiicitur

Secundò patet in his duabus propositionibus, *Deus creat, & Soli Deo honor, & gloria; 1. Tim. 1.* nomen Deus supponere primò pro natura, secundariò verò siue concomitanter pro omnibus personis, vt hic affirmat Cai. licet prius videatur oppositum dicere.

Nec verum est, quod hic ait Zumel. *disp. 1.* hoc nomen Deus in posteriori propositione supponere immediatè simul pro natura diuina & pro tribus personis collectiuè nõ aũt diuisiuè: Falsum est enim primò nomen Deus hic immediatè supponere pro personis; semper enim primò & immediatè (nisi limitetur) supponit pro singulari primò subsistente, concomitanter autem pro suppositis, quibus non primò conuenit esse subsistens, aut habẽs naturam, sed quasi secundariò. Naturale est enim cuilibet termino singulari pro re singulari subsistente per eum significata supponere. Quod autem hic Deus subsistat in tribus, non habet ex ea ratione, qua singularis terminus est, sed qua communis: atque ideo non nisi mediatè & secundariò supponit pro suppositis, quibus est communis.

Zum. dictũ reprehenditur.

Secundò falsum est in ea propositione nomen illud Deus collectiuè tantum & non diuisiuè supponere pro personis. Nam dictio illa exclusiua *solus* addita termino essentiali, in ordine ad prædicatum essentiale, non excludit personas à forma subiecti, neque à consortio prædicati. Vnde S. D. *supra q. 31. a. vlt. ad 3.* ait dictionem exclusiuam non excludere illa, quæ sunt de intellectu termini, quando non differunt secundum suppositum, vt pars & vniuersale. Constat autem ex supradictis *quæst. 28. art. 2.* per-

sonas

sonas esse de intellectu Dei completè sumpti, nec ab eo differre suppositò: Quo fit vt descendere minimè liceat sub cõmuni termino, cui dictio apponitur exclusiua ad aliquod particulare suppositum, vt supra dixit S. Th. *eadem q. 31. ar. 3. ad tertium*: non enim valet hæc consequentia, Solus homo est animal, ergo Solus Petrus: & similiter non sequitur, solus Deus creat, ergo solus Pater; nam si fieret descensus, hoc ipso excluderentur reliqua suppositа, quæ per naturalem suppositionem & concomitantiam includũtur in termino communi. Cum igitur ait Apostolus, *Soli Deo honor & gloria*, potest illa dictio *solus* dupliciter accipi. *Vno modo* vt sit exclusiua non eorum tãtum quæ sunt diuersæ naturæ, sed etiam cõcomitantium, & sic est apertè falsa, nec ab Apostolo ponitur in hoc sensu: non enim soli Deo, prout à personis ratione distinguitur, aut toti simul Trinitati, sed cuilibet etiam personæ diuisim debetur honor & gloria. *Alio modo* sumi potest dictio *solus*, vt nõ excludit à concomitantibus, & sic vera est propositio, non solũ accipiendo concomitantia, id est personas collectiuè, sed etiam diuisim: singulis .n. sicut omnibus simul & huic Deo, congruit honor & gloria. Quomodo verò sit intelligenda differẽtia, quã statuit D. Th. inter dictas duas propositiones, videlitet *Deus creat*, & *Soli Deo honor & gloria*, satis explicat Caieta.

6. genus prædicatorum de Deo.

Sequitur tertiò. in hac propositione, Deus est Trinitas, subiectum quod est Deus, non pro hoc tantum Deo, sed pro omnibus personis collectiuè supponere, quibus ita sumptis verè, propriè & formaliter conuenit nomen Trinitatis. Nec oppositum affirmat S. D. *in a. 6. huius quæst. ad 1.* vbi sic loquitur: *Licet pro nullo suppositorum diuinæ naturæ hæc sit vera, Deus est Trinitas: est tamen vera pro essentia.* Hæc ibi. Quibus verbis non excludit personas collectiuè sumptas, sed diuisiuè tantum.

Hoc nomen Deus, vt subijcitur prædicato notionali, supponere per se primò pro hoc Deo, secundariò verò pro supposito indeterminatè. & aliquo modo determinatè. Non aduertit Caiet. D. Th.

Sed iam propositiones illas examinemus, in quibus hoc nomen Deus prædicato subijcitur notionali, vt cum dicitur, Deus generat, Deus generatur, Deus spirat, Deus spiratur. De his enim ait S. D. *in textu* nomen *Deus* supponere vel personam vnam, vt in prima, secunda & quarta: vel duas, vt in tertia. Cai. autem ait nomen Deus in prima & secunda & consequenter etiam in tertia supponere pro hoc Deo tribus communi, de quo (inquit) verum est quod generat & generatur.

Vt autem appareat Cai. sententiam non aduersari doctrinæ D. Th. considerandum est naturæ substantiali pluribus communi concrete sumptæ dupliciter aliquid posse conuenire: *Vno modò* ratione sui, prout à suppositis distinguitur sicut homini conuenit esse pluribus communicabile, aut esse speciem. *Alio modo* ratione vnius vel plurium suppositorum, vt generare, currere, stare aut sedere conuenit homini ratione suppositi vnius vel plurium: Petro namque currente vera est hæc enunciatio, homo currit. Cum igitur actus prædicti notionales vni vel pluribus personis conueniant, necesse est etiam de Deo tribus personis communi prædicari: vt quẽadmodum verè & propriè dicimus Patrem generare, ita vere ac propriè dicamus hunc Deum generare, non vt distinguitur à patre, siuè secundum se; sic enim sim̃ rem distingueretur hic Deus à filio, quod est hæreticum: & personis omnibus generatio cõueniret; namquæ Deo congruunt, vt Deus est, personis omnibus sunt communia: sed quatenus hic Deus per identitatem est in patre, adeo vt ratione personæ patris Deo conueniat, & verè de eo dicatur generare. Et idem dicendum est de cæteris actibus notionalibus.

Obiectio.

Sed videtur aduersari his dictũ illud Caietani, videlicet Deum ex adiuncto notionali constituere propositionem indefinitam supponendo personaliter; igitur in ea propositione, Deus generat, non sumitur secundum Cai. subiectum illud Deus pro hoc Deo, quatenus per identitatẽ est in patre, siuè prout est idẽ, quod persona patris, sed indefinite. Cuius tamen oppositum videtur affirmare S. Th. *in hoc articulo*, vt paulò ante notauimus. Ait enim hoc nomen Deus quandoque supponere personam vnam tantum, vt cum dicitur, Deus generat: quandoque duas, vt cum dicitur, Deus spirat. Et *in 1. dist. 4. q. 1. a. 2.* sic ait: *In hac propositione, Deus generat Deum, in suppositio stat pro Patre, in appositio pro filio.* Ad cuius difficultatis euidentiam recolenda est doctrina D. Th. *hic in respons. ad 3.* superius explicata, videlicet hoc nomen Deus per se primò supponere pro natura communi, prout est in habente, id est pro hoc Deo: sed ex adiuncto determinari eius suppositionem ad personam. Vnde inquit S. Th. *cum dicitur, Deus generat: ratione actus notionalis supponit ly Deus pro persona patris.* Quod non ita intelligendum est, vt suppositione personę patris excludatur suppositio pro hoc Deo tribus personis communi: naturalis enim ac per se primò nominis suppositio per eam excludi nequaquã potest, quæ eidem nomini secundariò, & concomitanter tantum conuenit. Si namque dicendo, homo currit, Petro solo currente, ita verificatur de Petro dicta propositio, vt nõ excludatur communis natura, quam in concreto significat, & non supponit hoc nomen homo: multo magis dicendo, Deus generat, non excluditur hic Deus, qui non tantum eo nomine significatur, sed etiam per se primò supponitur. Cum itaque dicitur, *Deus generat Deum*, nomen *Deus*, à parte subiecti pro vtroque supponit, nimirum pro hoc Deo singulari tribus cõmuni, & pro persona patris, sed diuersa ratione. Nam in quolibet agente tria consideramus: Primum est agens cui conuenit actio: secundum est ratio agendi: tertium est modus & conditio ad agendum necessaria; vt exempli gratia, in Petro gerante cõsideratur primò persona Petri, cui propriè conuenit agere, vt rei personaliter subsistẽti: secundò natura, quę est ei ratio agendi: tertiò singularitas & existentia in rerum natura: vt modus & conditio necessaria ad agendum. Sunt enim actiones in singularibus tantũ existentibus. Sic igitur in proposito tria cõsideramus in Deo generãte. Primũ est id, cui verè & propriè cõuenit generatio: hoc verò est id, cui conuenit subsistere singulariter in diuina natura; sunt enim actiones propriæ subsistentiũ. Cum aũt sit duplex in diuina natura subsistens, nimirũ hic Deus, & hæc persona puta pater: vtriq; necesse est generationem conuenire. Et cum essentia, quæ ratio est generãdi, includatur intrinsecè tã in hoc Deo, quàm in patre: ex hac etiam parte, vtrisque conuenit generatio. Sed differentia est in tertio, videlicet in modo & conditione ad generationem necessaria; quia nomẽ patris personã significat, & supponi incommunicabiliter existentem, & vt generationis principium; Pater enim est principiũ filij. At hoc nomen Deus significat, ac per se primò supponit deitatem in concreto communicabiliter subsistentem, cui

Solut.

pro-

proinde sic præcisè sumptæ non potest conue- A nire generatio, nec vlla notionalis actio, quæ suppositi propria est incommunicabiliter existentis. Quoniam itaque Deus per se primò subsistens est & existens, potest verè dici generans & generatus, spirans & spiratus. Sed quia de est illi præcisè sumpto incommuncabilitas, idcircò neque sic præcisè siuè abstracte sumptus dicendus est generare, sed quatenus idem est, quod pater aut paternitas, aut quatenus modificatur quodammodo paternitate. Quò fit, vt rectè dixerit Cai. nomen illud Deus in dicta propositione supponere pro hoc Deo: & rursus affirmauerit esse propositonem indefinitã, B cum dicitur, Deus generat; est enim hæc propositio singularis respectu primo significati & suppositi, qui est hic Deus; est etiam indefinita, quatenus nomen illud Deus est terminus pluribus personis communis. Et quamuis dicatur contrahi per notionale generat ad standũ pro persona patris, & ita sit simpliciter loquendo; quia tamen prædicatum illud, generat, potest ad subiectum dupliciter comparari, vno modo absolutè, alio modo vt actum habet limitandi intelligentiã nostram ad patrem, cui soli conuenit generare: idcircò, licet posteriori modo sumendo prædicatum illud in ordine ad subiectum, quod est Deus, supponere dicatur Deus C pro personæ Patris: si tamẽ absolutè sumatur prædicatum, indefinitam reddit propositionẽ. Sed quia de persona sola patris verificatur, quãdoque dicit S. Tho. & alij pro patre supponere; sicut si dicerem in hac propositione, homo currit, hominem supponere pro Petro, qui solus inuenitur currens: cum tamen logicè loquendo, in dicta propositione supponat homo pro singulari indefinitè. Sed apud Philosophũ & Theologum rei veritatem speculãtem, pro eodem sumitur id pro quo supponit nomen, & id pro quo verificatur: præsertim cum prædicatum vni soli suppositio sic cõgruit vt alijs repugnet: sicut actus generandi sic patri cõuenit, vt alijs repugnet in Deo personis. Propter quam D causam existimo receptum esse communiter modum illum dicendi, per actum scilicet notionalem cõtrahi nomen Dei ad supponendum determinatè: quod non aduertit Ripa.

In hac propositione falsa, Deus non generat, hoc nomen Deus supponere per se primò pro hoc Deo, & secundariò pro personis.

De vltimo genere prædicatorum Dei.

Hinc patet nobis aditus ad negatiuæ propositionis examen, quam hic S. D. falsam esse pronunciat, videlicet, *Deus non generat*: supponit enim per se primò Deus pro cõcreto deitatis, id est pro hoc Deo: secundariò verò & concomitanter supponit pro personis. Cũ ergo dicitur, *Deus non generat*: negatur non ab hoc Deo tantum, sed à personis omnibus generatio: atque ideò falsa est propositio; fit enim sensus: Deum neque secundum se, neque prout est in aliqua persona generare. Vim enim habet differentem E negatio apposita termino communi, & apposita termino singulari. Nam si postponatur negatio termino communi, non distribuit illum respectu singularium: dicendo namque homo non ambulat, non significatur nullum hominem ambulare, sed est indefinita propositio: & ad eius veritatem satis est esse negationem illã in vno singulari. Si verò postponatur termino singulari, vim habet distribuendi pro omni loco, & alijs ad ambulationem in Petro pertinentibus, vt ait Capr. *in 1. distinct. 4. q. 1. a. 2.*

Cum itaque Deus primò vim habeat termini singularis, & supponat pro hoc Deo singulariter subsistente: secundariò verò vim habeat termini cõmunis, quatenus secũdum rem inuenitur in tribus personis, vt vna res cũ eis simplicissima, atq; ideò secũdariò supponat indefinitè pro personis: consequens est, vt negatio non solũ præposita, sed etiam postposita huic termino Deus, illum plenè distribuat, tam quo ad singulare deitatis, quod primò supponit, quã quo ad singula in eo existentia suppositа, pro quibus indistinctè & secundariò supponit; alioquin si vni suppositо conuenit generare, iã Deo singulari, vt in eo est, conueniet generare. Est itaque falsa dicta propositio, quia personæ patris verè conuenit generare, & consequenter Deo, prout est persona patris. Negatio verò tã à Deo, quàm à Patre, & quauis diuina persona remouet actum generandi, vt ait Capr. *loco proximè notato.* Cum itaque nomen illud Deus in dictis duabus propositionibus, scilicet Deus generat, & Deus non generat, eandem prorsus habeat suppositionem, scilicet pro hoc Deo primariò, & secundariò pro persona vel pro personis: consequens est eas esse verè & propriè contradictorias: & affirmantem esse veram, negantem verò falsam. Cum enim ait S. D. *ad 3.* per eam propositionem, Deus non generat, significari generationem repugnare diuinæ naturæ, videtur insinuare diuinę naturę in concreto conuenire generationem, non absolutè, sed in vno suppositо, scil. patre, vt *hic & in sequenti articulo* constanter affirmat Cai. & post eum Ban. Mol. Vasq. Sur. & Zumel. qui tamen existimat non satis propriè dici hunc Deum subsistentem absolutè generare. Sed iam ostendimus id propriè dici posse.

Reiicitur sententia Canarienſis, Zumelli, & Bannesij.

Ex dictis sequitur vanum esse laborem Canarienſis, Zumel. & Ban. qui ad sustinendam contradictionem dictarum propositionum affirmant nomen Dei in vtraque propositione stare pro persona patris.

Patet etiam eorum argumenta contra Caiet. nihil concludere. Non enim affirmat Deum à personis abstractum generare, sed simpliciter hunc Deum generare, quod verissimum est: generat enim prout est subsistens vt quod in persona patris.

4. genus prædicatorũ de Deo.

Denique patet, quid dicendum sit de hac propositione, Deus est dè Deo: Nam denotat vox illa, *de*, ordinem originis personæ procedentis à principio, ratione cuius supponit terminus ille Deus, non solum pro hoc Deo, sed etiam personaliter indefinitè, tàm ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati; & fit sensus: personam procedentem, quæ Deus est, esse à principio producente qui Deus est. In symbolo verò restringitur ad filium, de quo solo profertur ibi dicta propositio.

Præter dictas propositiones sunt etiam aliæ quatuor, quas A. D. examinat in quarto & quinto, argumento, & eorum responsionibus: de quibus infra.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Hoc nomen Deus, si non limitetur per aliquid additũ, semper supponit pro subsistente essentialiter, siuè pro essentia in concreto primò & immediatè, secundariò verò pro personis indefinitè.*

SECVNDA CONCL. *In hac propositione, Deus est communis tribus, subiectum illud Deus supponit pro hoc Deo, prout distinguitur à personis.*

TERTIA CONCL. *In his duabus propositionibus, Deus creat, & Soli Deo honor, & gloria, Deus supponit primò, & immediatè pro natura diuina in concreto, siuè pro hoc Deo, secundariò verò & mediatè pro*

„ *pro omnibus personis, tam collectiuè quàm diui-*
„ *siuè.*

„ QVARTA CONCLVS. *In hac propositione,*
„ *Deus est Trinitas : nomen Deus supponit non pro*
„ *hoc Deo tantum, sed pro omnibus personis collec-*
„ *tiuè*

„ QVINTA CONCL. *In his propositionibus,*
„ *Deus generat, Deus generatur, Deus spirat, Deus spi-*
„ *ratur, nomen Deus supponit tam pro hoc Deo, quam*
„ *pro persona, vt in prima, secunda & quarta, & pro*
„ *personis, vt in tertia.*

„ SEXTA CONCLVSIO. *Hæc propositio, Deus*
„ *generat, & aliæ prædictæ, sunt indefinitæ de rigore*
„ *logico, quamuis vt singulares accipiantur à Theolo-*
„ *gis.*

„ SEPTIMA CONCL. *In hac propositione, Deus*
„ *non generat, nomen Deus supponit non pro persona*
„ *patris, sed per se primò pro concreto deitatis, secun-*
„ *dariò verò & concomitanter supponit pro personis, &*
„ *est propositio vniuersalis: & ideò falsa & opponitur*
„ *contradictoriè huic, Deus generat.*

„ OCTAVA CONCL. *Duo dicta D. Thom. circa*
„ *suppositionem personalem huius nominis Deus, quæ*
„ *videntur contraria, conciliantur optimè à Caieta-*
„ *no.*

Argumẽta, & solutiones.

CONTRA *1. & 2.* concl. sunt argumenta Barth. Spinæ, Val. & Vasq. & aliorum negantium subsistentiam essentialem in Deo ratione distinctam à personali, quæ sunt cumulatè soluta *in præcedenti controuersia.*

Obi. cont. 3. concl.

CONTRA *tertiam* argum. Zumel. Sub hac propositione, *Soli Deo honor, & gloria,* non licet descendere; ergo terminus *Deus* supponit pro tota Trinitate per modum collectionis.

Solut.

Antecedens probatur; quia neque soli Patri, neque soli filio debetur honor & gloria. *Resp.* nullam esse consequentiam. immò sequitur oppositum; nam ideo sub communi subiecto, vt substat alicui communi prædicato cum dictione exclusiua, non licet descẽdere, quia singulis sub subiecto directè sumptis conuenit prædicatũ. Exempli gratia sub hac propositione, solus homo est rationalis, non licet descendere dicendo, solus Sortes est rationalis: quia prædicatum illud *rationalis* conuenit singulis individuis sub homine positis. Similiter sub hac, Solus Deus creat, non licet descendere propter eandem causam, quia scilicet creare conuenit singulis personis; igitur etiam in hac, *Soli Deo honor, & gloria,* non licet descendere: quia non solum omnibus collectiuè, sed etiã singulis debetur honor & gloria.

Obi. cont. 4. concl.

CONTRA *quartam* argumentatur Caiet. authoritate D. Th. *infra a. 6.* vbi sic loquitur: *Et quia hoc nomen Deus per se habet, quòd supponat pro essentia: ideò sicut hæc est vera, essentia est tres per-*

Solut.

sonæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ. Respondetur nullam esse consequentiam; quamuis enim in ea propositione nomen Deus primariò supponat pro essentia, secundariò tamẽ supponit pro personis collectiuè. Nec D. Th. primum affirmando negat secundum, sed tantum *in respons. ad 1. illius a.* dicit pro nullo suppositorum diuinæ naturæ veram esse hanc propositionem, Deus est Trinitas: quia nimirum de nulla verificatur singulari persona.

Obiect cont. 5. concl.

CONTRA *Quintam* concl. argum. Capr. ex verbis D. Thom. *in corp. art.* quibus relatis ita concludit: Vult ergo dicere, quòd in ista, Deus generat Deum, subiectum supponit determinatè pro persona patris, secludendo essentiam ratione additi personalis. *Respond.* non rectè deduci ex verbis

Solut.

D. Tho. naturam in concreto excludi à suppositione huius nominis Deus, cùm dicitur, Deus generat Deum; affirmat enim tantum contra relatam opinionem, hoc nomen Deus secundùm se posse supponere pro persona vna vel pluribus: non tamen sequitur; ergo cùm pro persona supponit excluditur essentia in concreto, sed potius oppositum; quia subsistentia per se primò conuenit huic Deo; igitur prout modificatur paternitate, siue prout est in patre, vel vt est persona patris, generat; quamuis secundùm se siue abstractè sumptus non generet neque generetur.

Contra eandem conclusionem sunt argumenta Turr. siue Canariensis, Zumell. & aliorum probantium hunc Deum, prout abstrahitur à personis, non generare neque generari, quod libenter admittimus, nec oppositum asserit Caiet. cuius mentem superius explicauimus.

Obi. 1. cont. 6. concl.

CONTRA *sextam concl.* argumentatur Suarez. *Primò* S. Tho. *in hoc articulo* vult, in hac propositione, Deus generat, subiectum restringi à prædicato & determinari, vt solum supponat pro persona patris, ergo &c. *Resp.* D. Th. loqui de suppositione non in rigore logico, sed Theologicè, vt idem sit supponere, quod verificari, vt ante diximus.

Sol.

Secundò. In dicta & similibus propositionibus semper loquimur de Deo, vt de re omnino singulari, & certa, quo ad prædicatum, quod de illo affirmamus: Ergo &c. *Resp.* nullam esse conseq. Nam in primis hic Deus est singularis & rationem etiam habet termini communis. Et quamuis ratione talis prædicati verificetur propositio de sola persona patris; non tamen sequitur, ergo pro illa determinatè supponit. Vnde etiam S. Thom *supra qu. 36. ar. vlt. ad 4.* ait: *Cùm dicit, pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, hoc quod dico principium, non habet determinatam suppositionem immo confusam pro duabus personis simul:* quem locum etiam notauit Capr.

Obi. 2.

Solut.

Obiect 3.

Tertiò. Quando de communi termino prædicatur aliquid, quod solum potest conuenire cõmuni naturæ vt sic, subiectum restringitur à prædicato ad supponendum tantum pro illa; vt in hac, homo est species, & in hac, Deus est communis tribus personis; ergo & è contrario, quando prædicatur aliquid de termino communi, quod tantum ratione vnius personæ potest illi conuenire, subiectum illud determinatur ad supponendum pro illa persona. Cum itaque generare solũ ratione vnius personę possit Deo conuenire, sequitur vt determinetur subiectum ad supponendum pro illa. Eodem argumento vtitur Zumel. *disp. 2.* *Resp.* nullam esse conseq. quia species prædicatum est, quod re ipsa & ex forma propositionis homini tantum pro natura sumpto, quæ vna tantum est, potest cõuenire: & similiter esse commune tribus personis, soli potest diuinę naturę congruere, quę vna numero est. Generare verò, quamuis re ipsa soli patri possit conuenire, non est tamen pater sola in Deo persona: & ideò ex vi & forma propositionis non magis determinatur hoc nomẽ Deus ad vnam quàm ad aliam vel ad plures in Deo personas. Vnde fidelis de solo numero personarum instructus, non autẽ de modo processionis aut distinctionis earum, audita hac propositione Deus generat, remaneret anceps, an Deus prout vnus est generaret personas: an vna persona generaret duas, vel prima generaret secundam, & secunda tertiam, vel duæ

Solut.

ter-

tertiam generarent. Est igitur prædicta propositio indefinita, non minus quam hæc, homo generat, vno solo generante, si vim eius spectemus ac formam: quamuis apud fideles plenè de mysterio Trinitatis instructos, & præsertim Theologos acceptetur dicta propositio pro singulari, eo quòd de solo Patre verificetur.

Ob. 1 cōt 7. concl. CONTRA *septimam* concl. argum. Torres. In hac affirmante propositione, Deus generat, prædicatum restringit subiectum ad supponēdum solum pro patre. Vel ergo illud prædicatum cum illa restrictione potest negari de subiecto, vel non: Secundum nullus sanæ mentis dicet: *primò*; quia negatio addita propositioni reddit sensum oppositum, & negat quod antea affirmabatur cum omnibus proprietatibus logicalibus; ergo &c. *Secundò*; quia hoc dato, esset aliqua propositio, cui non posset assignari contradictoria; ergo necesse est dare primum, videlicet, quòd illud prædicatum generat, cū restrictione negari possit de subiecto; at non potest alio modo negari, nisi dicendo Deus nō generat; ergo in negatiua Deus pro patre supponit. *Solut.* Eodem argumento vtitur Zumel. *Respondetur* primò falsum esse assumptum in sensu iam expresso. Secundò admisso illo principio, dico prædicatū illius propositionis, Deus generat, posse negari, sed non cum illa restrictione: quia negatio apposita illi prædicato generat, eo ipso, quòd tollit prædicatum, quo solo restringebatur subiectum, tollit subiecti restrictionem, & tamen est contradictoria eo modo, quo negatiua vniuersalis contradicit affirmatiuæ particulari vel indefinitæ. *Ad argumenta verò*, quæ probant oppositum, *ad primum* dico verum esse antecedens per se loquendo, remanente scilicet eadem subiecti determinatione: sed si contingat per additam negationem tolli determinationem, vt in proposito, non est verum antecedens. *Ad secundum* dico posse dictæ propositioni assignari contradictoriam, si addatur subiecto determinatio, loco eius quæ negatione destruitur, puta dicendo, Deus generans, non generat. Secundò dico iam assignatam fuisse contradictoriam. Et per hæc soluuntur alia similia argumenta Zumel. *disput. 2. dubio primo.*

Ob. 2. *Secundò*, S. Thom. in responsione ad tertiū ait in hac propositione, Deus non generat, hoc nomen Deus, non supponere pro filio sed pro patre; quia nullum est adiunctum in illa negatiua, quod coarctet hoc nomen Deus ad supponendum pro filio. Eodem argumento vtuntur Ban. & Zumel. *Solut.* *Respondetur* verba D. Tho. esse; *Cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis supponit hoc nomen Deus, pro persona patris: sed cum dicimus, Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad personam filij. Vnde datur intelligi, quòd generatio repugnet naturæ diuinæ.* Ex quibus verbis planius deducitur negationem plenè distribuere nomen Dei, & reddere propositionem vniuersalem, & significare generationem repugnare naturæ diuinę, tam secundum se, quàm ratione singulorum & omnium suppositorum, quàm quòd remaneat limitatio ad personam patris, ob eam causam; quia non limitatur ad personam filij. Fatua est enim hæc consequentia. Nihil additur, quod determinet hoc nomen Dei ad personam filij; ergo supponit pro persona patris cum possit negari generatio tam ab hoc Deo, quam à persona filij & Spiritus S. & ab omnibus omninò

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A personis: sicut propriè negatur in dicta propositione, eo quòd negatio, vt aiunt logici, sit malignantis naturæ, ac proinde vniuersaliter neget, & propositionem secundum apparentiam indefinitam reddat vniuersalem: vt patet, si quis diceret, homo non peccauit mortaliter, iudicaretur enim vniuersalis & falsa, licet quidam hominum lethaliter non deliquerint.

Contra eandem conclusionem pro ea parte quæ affirmat hoc nomen Deus in hac propositione, Deus non generat, supponere pro hoc Deo, argumentatur Val. *Primò.* Quia non datur hic Deus distinctè subsistens à personis. *Secūdò.* Quia si daretur, esset contra fidem dicere, quòd aliquid absolutum generet in diuinis. *Sed* B *his* fuit abundè satisfactum per ea, quæ supra diximus. *Obi. 3.* *Solut.*

CONTRA *vltimam* concl. arg. Torres & Zumel. Nomen Deus supponit etiam pro persona, cum supponit pro essentia; ergo S. Th. *in corpore* non loquitur de sola potentia huius nominis Deus ad supponendum pro persona, vt ait Caietanus. *Resp.* hoc nomen Deus secundum se supponere séper pro persona indeterminatè absolutè loquendo, sed cum addito notionali, puta Deus generat, supponit pro persona quodammodo determinatè & quodammodo indeterminatè. Nam secundum vsum Theologorū supponit pro persona patris, pro qua sola verificatur: sed ex vi & forma propositionis supponit indeterminatè, non simpliciter sed in ordine ad talem actum scilicet generare: & de hac suppositione indeterminata loquitur Caiet. dicens hoc nomen Deus ex adiuncto trahi ad supponendum indeterminatè pro persona, scilicet in ordine ad talem actum notionalem, & *in responsione ad tertium* esse sermonem de reductione potentiæ ad talem actum, scilicet suppositionis indeterminate tali modo: *in corpore* verò *articuli* sermonem esse de potentia ad supponendum pro persona tali modo. Quod autē dicunt Torres & Zumel. hoc nomen Deus ratione adiuncti notionalis supponere principaliter pro persona, verum est sumendo principaliter pro simpliciter; quoniam, vt supra diximus in persona tantum sunt omnes conditiones & modi ad actum notionalem necessarij. *Ob. cont. vl. concl.* *Solut.*

CIRCA *responsiones* ad duo vltima argumēta vide si placet, quæ scribit Vasq. *disp. 157. c. 7.* vbi tamen erat manifestè admittens hāc propositionem Deus genuit eundem Deum. Hanc enim refutat S. D. *in 1. dist. 4. q. 1. a. 3.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum nomina essentialia in abstracto significaea, possint supponere pro persona.

AD *Quintum sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia in abstracto significato possūt supponere pro persona, ita quòd hæc sit vera, essentia generat essentiam. Dicit enim Aug.* * *7. de Trin. Pater & filius sunt vna sapientia, quia vna essentia: & singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.* 206. 1. dist. 5. q. 1. art. 1. Li 7. de tri. c. 1. circa fi. & cap. 2 in prin. tom. 3.

2 Præter. Generatis nobis vel corruptis, generātur vel corrumpuntur ea, quæ in nobis sunt: sed filius generatur. Ergo cùm essentia diuina sit in filio, videtur quod essentia diuina generetur.

3 Præt. Idem est Deus & essentia diuina, vt ex supra dictis patet. * *Sed hæc est vera: Deus generat Deū, sicut dictum est.* † *Ergo hæc est vera: essentia generat essentiam.* * q. 3. a. 3. & 4. † art. præc.

4. Præt. De quocunque prædicatur aliquid, potest

supponere pro illo. Sed essentia diuina est pater. Ergo essentia potest supponere pro persona patris. Et sic essentia generat.

5 Præt. Essentia est res generans, quia est Pater, qui est generans. Si igitur essentia non sit generans, erit essentia res generans, & non generans: quod est impossibile.

Li 4. de tri. c. 10. declinando ad fi. tom. 3.

6 Præt. August. dicit in * 4. de Trin. Pater est principium totius deitatis: sed non est principium nisi generando vel spirando. Ergo pater generat vel spirat deitatem.

† Lib. 1. de tri. c. 1. ante med. to. 3.

Sed contra est, quod Aug. dicit in † 1. de Trinit. quòd nulla res generat seipsam. Sed si essentia generat essentiam, non generat nisi seipsam, cùm nihil sit in Deo, quod distinguatur à diuina essentia. Ergo essentia non generat essentiam.

Respondeo. Dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Ioachim, asserens quòd sicut dicitur, Deus genuit Deum: ita potest dici, quòd essentia genuit essentiam, considerans quòd propter diuinam simplicitatem non est alius Deus, quàm diuina essentia. Sed in hoc deceptus fuit, quia ad veritatem locutionum, non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum

Art. præc. significandi, vt dictum est * Licet autem secundum rem sit idem Deus, quòd deitas, non tamen est idem modus significandi vtrobique.

Nam hoc nomen, Deus, quia significat diuinam essentiam, vt in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quòd possit supponere pro persona. Et sic ea, quæ sunt propria personarum, possunt prædicari de hoc nomine, Deus, vt dicatur, quod Deus

Art. præc. est genitus, vel generans, sicut dictum est. * Sed hoc nomen, Essentia, non habet ex modo suæ significationis, quòd supponat pro persona: quia significat essentiam, vt formam abstractam. Et ideo ea, quæ sunt propria personarum, quibus adinuicem distinguuntur,

D. 436. non possunt essentiæ d attribui. Significaretur enim quod esset distinctio in essentia diuina, sicut est distinctio in suppositis.

Ad Primum ergo dicendum, quòd ad exprimendam vnitatem essentiæ & personæ, sancti doctores aliquando expressius locuti sunt, quam proprietas locutionis patiatur. Vnde huiusmodi locutiones non sunt extendendæ, sed exponendæ, vt scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia: vt cum dicitur, Essentia de essentia, vel Sapientia de sapientia, sit sensus. Filius, qui est essentia, & sapientia, est de patre, qui est essentia &

b 208. 216. b sapientia. e In his tamen nominibus abstractis est quidam ordo attendendus: quia ea quæ pertinent ad actum, magis propinque se habent ad personas, quia actus sunt suppositorum. Vnde minus impropria est ista, Natura de natura, vel Sapientia de sapientia, quam Essentia de essentia.

Ad Secundũ dicendum, quod in creaturis, generatum non accipit naturam eandem numero quam generans habet, sed aliam numero, quæ incipit in eo esse per generationem de nouo, & definit esse per corruptionem: & ideo generatur, & corrumpitur per accidens. Sed Deus genitus eandem naturam numero accipit, quam generans habet. Et ideo natura diuina in filio non generatur, neque per se, neque per accidens.

Ad Tertium dicendum, quòd licet Deus, & diuina essentia sint idem secundum rem, tamen ratione alterius modi significandi, oportet loqui diuersimode de vtroque.

Ad Quartum dicendum, quod essentia diuina prædicatur de patre per modum identitatis, propter diuinam simplicitatem: nec tamen sequitur, quòd possit supponere pro patre, propter diuersum modum significandi. Ratio autem procederet in illis, quorum A vnum prædicatur de altero: sicut vniuersale de particulari.

Ad Quintum dicendum, quod hæc est differentia inter nomina substantiua, & adiectiua: quia nomina substantiua ferunt suum suppositum: adiectiua verò non, sed rem significatam ponunt circa substantiuum. Vnde Sophistæ dicunt, quod nomina substantiua supponunt, adiectiua verò non supponunt, sed copulant. Nomina igitur personalia substantiua possunt de essentia prædicari propter identitatem rei. Neque sequitur, quòd proprietas personalis distinctam determinet essentiam: e sed ponitur circa 210. b suppositum importatum per nomen substantiuum. Sed notionalia, & personalia adiectiua, non possunt prædicari de essentia, nisi aliquo substantiuo ad-

B iuncto. Vnde non possumus dicere quod essentia d D. 666 est generans: possumus tamen dicere, quod essentia est res generans, vel Deus generans, si res, & Deus supponant pro persona, non autem si supponant pro essentia. Vnde non est contradictio, si dicatur, quòd essentia est res generans, & res non generans: quia primo res tenetur pro persona, secundo pro essentia.

Ad Sextum dicendum, quod deitas, inquantum est vna in pluribus suppositis, habet quandam conuenientiam cum forma nominis collectiui. Vnde cum dicitur, Pater est principium totius deitatis, potest sumi pro vniuersitate personarum, inquantum scilicet in omnibus personis diuinis ipse est principiũ. Nec oportet, quod sit principium sui ipsius: sicut aliquis de

C populo dicitur Rector totius populi, non tamen sui ipsius. Vel potest dici, quod est principium totius deitatis, non quia eam generet & spiret: sed quia eam generando, & spirando communicat.

Sensus quæsiti.

EX DIVISIONE articulorum proposita in principio quæstionis apparet intentionem D. Th. tam in hoc, quàm in præcedenti articulo esse, quærere de veritate propositionum, in quibus adiectiua notionalia aut verba vel participia, prædicantur de nominibus essentialibus siuè concretè sumptis, *vt in præcedenti articulo*, siuè abstractè, *vt in præsenti*. Quod et-

D iam apparet ex forma quæsiti in principio primi argumenti proposita, sic enim ait: Videtur, quòd nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona, ita quod hæc sit vera, *essentia generat essentiam*.

Forma Textus.

REFERT *primò* S. Doct. errorem Abbatis Ioachimi, affirmantis verã esse hanc propositionem, *essentia generat essentiam*: eo quòd in diuinis ob summam simplicitatem sit idem Deus quod deitas, quæ est eius essentia.

E Deinde statuit oppositam CONCLVSIONEM, videlicet. *Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro persona, vt s. ea quæ sunt propria personarum, quibus adinuicẽ distinguuntur, attribuantur essentiæ.* Probatur. Licet sit idẽ Deus quod deitas, tamen hoc nomen Deus significat essentiam, vt in habente: hoc autem nomen essentia significat essentiam vt formam abstractã; ergo hoc nomen Deus ex modo suæ significationis naturaliter habet, vt possit supponere pro persona, vt dici verè possit, Deus est genitus vel generans: essentia verò nõ habet ex modo suæ significationis, vt supponat pro persona, vt scilicet quæ sunt propria personarum attribuantur essentiæ dicendo essentia generat

&c.

&c. Consequentia verò probatur; quia ad veritatem loquutionum, non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi: ergo si Deus ex modo significandi naturaliter habet, vt possit supponere pro persona, essentia verò ex modo significandi id nõ habet sed oppositum, sequitur vt Deo possint attribui propria personarum, non autem essentiæ.

Expositio Textus.

AD INTELLIGENTIAM præsentis articuli, & præsertim responsionis ad quintum argumentum valdè necessariæ sunt sex illę regulæ, quas *supra q. 32. a. 2. cont. 4.* ex doctrina D. Th. posuimus ex quibus elucet, quænam verè & congruè possint attribui nominibus diuinis abstractis, tam notionalibus vel personalibus quam essentialibus.

Lege præterea, quæ scr bunt *in hunc articulũ* Torres, Zumel. Mol. & Vasq. ex quibus tres primi notant Holcot de errore, quod dixerit nullam posse reddi rationem falsitatis huius propositionis, *essentia generat*: sed ecclesiam ex diuina reuelatione illam damnasse. Sed Vasq. illum ab iniuria vendicat.

Notat etiam Ripa in dictis interpretibus, scilicet Canariensi & Zumel. discrimen ab eis perperam assignatũ inter alicuius termini suppositionem & verificationem, quod nullum esse contendit. Sed hæc minimæ vtilitatis est quæstio.

Denique obserua longè diuersam esse rationem harum propositionum, *essentia generat, aut generatur, & essentia communicatur*; Nam primæ duæ sunt fallæ & hæreticæ; postrema vera est & Catholica, vt aduertit & explicat Vasq. An verò communicabilitas sit de essentia diuinitatis, id est, an sit eius prædicatum essentiale, disputabimus *infra q. 41. a. 5.*

CIRCA *responsionem* ad secundum vide argumenta, quæ refert Iauel. & soluit ex Capr. *in 1. dist. 5. q. 1.*

Circa responsionem ad vltimum argumentum vide, quæ supra diximus *q. 33. a. 1.* de illa propositione *Pater est principium totius deitatis.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

207. 1. dist. 4 8. q. 2. a. 2. ad 5.

AD *Sextum sic proceditur. Videtur, quòd persona non possint prædicari de nominibus essentialibus concretis, vt dicatur, Deus est tres personæ, vel est trinitas. Hæc enim est falsa, Homo est omnis homo: quia pro nullo suppositorum verificari potest. Neque enim Sor. est omnis homo, neque Plato, neq; aliquis alius. Sed similiter ista, Deus est trinitas, pro nullo suppositorum naturæ diuinæ verificari potest. Neque enim pater est trinitas, neque filius, neque Spiritussanct. Ergo hæc est falsa, Deus est trinitas.*

2 *Præt. Inferiora non prædicantur de suis superioribus, nisi accidentali prædicatione: vt cum dico, Animal est homo: accidit enim animali esse hominem. Sed hocnomen, Deus, se habet ad tres personas,* L. 3 orib. si. 4. circa prin. *sicut commune ad inferiora, vt Damasce. dicit.* Ergo videtur quòd nomina personarum non possint prædicari de hoc nomine, Deus, nisi accidentaliter.*

† In serm. 129 de tempore & ser. *Sed contra est, quod Augustinus† dicit in lib. de fi. ad Pe. Credimus vnum Deum, vnam esse diuini nominis trinitatem.*

Respon. Dicendum, quod (sicut tam dictum est) licet nomina personalia vel notionalia adiectiua, non possint prædicari de essentia: tamen substantiua possunt propter realem identitatem essentiæ & personæ. Essentia autem diuina non solum idem est realiter cum vna persona, sed cum tribus. Vnde & vna persona & duæ & tres, possunt de essentia prædicari: vt si dicamus, essentia est pater, & filius, & Spiritussanctus. Et quia hoc nomen Deus, per se habet quod supponat pro essentia (vt dictum est*) ideo sicut hæc est vera, essentia est tres personæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ.* 3. in cœna domini. Art. præc. Art. 4. huius q. ad 3.

Ad Primum ergo dicendum, quod (sicut supra dictum est†) hoc nomen homo d per se habet supponere pro persona, sed ex adiuncto habet quod stet pro natura communi. Et ideo hæc est falsa, homo est omnis homo. quia pro nullo supposito verificari potest. Sed hoc nomen Deus per se habet, quod stet pro essentia. Vnde licet pro nullo suppositorum diuinæ naturæ hæc sit vera, Deus est trinitas, est tamen vera pro essentia: quod non attendens Torrectanus, eam negauit. Art. 4 huius quæst. D. 928.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, Deus vel diuina essentia est pater, est d prædicatio per identitatem, non autem sicut inferioris de superiori: quia in diuinis non est verisimile, & singulare. e Vnde d sicut est per se ista, pater est Deus, ita & ista, Deus est pater: & nullo modo per accidens. D. 1053. 18. D. 29.

Forma Textus.

CONCL. *est. Nomina personalia vel notionalia adiectiua non possunt prædicari de essentia abstractè sumpta: substantiua verò possunt prædicari de essentia, tam in abstracto, quàm in concreto.* Tres habet partes hæc conclusio. Prima pars, videlicet adiectiua notionalia siuè personalia nõ prædicari de essentia abstractè sumpta, probata fuit *in articulo præcedente.* Secunda verò pars, videlicet substantiua prædicari de essentia abstractè concepta, probatur. Essentia diuina idem est essentialiter non solum cum vna persona, sed cum tribus; ergo & vna persona, & duæ, & tres possunt de essentia prædicari; vt si dicamus, essentia est Pater, & filius & Spiritus sanctus. Tertia denique pars, nimirum substantiua notionalia prædicari de essentia concretè sumpta, probatur. Hoc nomen Deus per se habet, quod supponat pro essentia; ergo sicut hæc est vera, essentia est tres personæ: ita hæc est vera, Deus est tres personæ.

Expositio Textus.

STATVITVR tertia pars conclusionis contra Gilb. Porrect. affirmantem hanc esse falsam, Deus est Trinitas siuè tres personæ, vt hic ait S. D. *ad primum*, & aduertit Torres. Sed Gilb. ex parte defendit Vasq. dicens Gilb. solum docuisse Deum aliquando poni pro essentia, & tunc concedendum esse simpliciter Deũ esse suam deitatem; quia sic Deum ex natura rei ab ea non distinguebat; aliquando verò supponi pro persona, & tunc dici non posse, Deus est sua deitas; quia personam à deitate ex natura rei distinguebat. Quare (inquit) eodem modo negaret hanc propositionem, Deus est tres personæ, si Deus supponeretur pro essentia; at si supponeretur pro personis, eam concederet in aliquo sensu; quando nimirum pro omnibus collectiuè poneretur. Nam si pro aliqua tantum, eam sine dubio negaret, sicut etiam Thomistæ. Hæc ille. In quibus verbis duo *vasquezij.* *Error Gilberti.* *Vasquez pro Gilberto.*

Illum pro Gilberto reijciur.

sunt manifestè falsa. *Primum* est, Porrect. ob solam distinctionem ex natura rei negaturum illam propositionem, Deus est tres personæ. Nam si ita est, Scotus etiam & eius Schola eandem propositionem negarent, quam tamen Catholicè confitentur. *Secundum* est, quod supponit, videlicet Porrectanum cognouisse in hoc nomine Deus duplicem personalem suppositionem, scilicet pro omnibus collectiuè & pro aliqua tantum: nullam enim suppositioné personalem huic Deo tribuebat: arbitrabatur enim relationes, & consequenter personas esse Deo extrinsecus affixas, & consequenter realiter ab eo distinctas. Dicamus itaque cum D. Th. & Torrensi Porr. simpliciter negasse dictam propositionem, quam postea definiuit Concilium Later. vt dicitur *in cap. Damnamus de summa Trinitate, & fide Catholica* per hæc verba: *Vna quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singillatim quælibet earum*. Argumenta verò Porrectani sunt ea, vt ait Torres, quæ proponit & soluit S. Th.

An prædicetur aliquid de Deo per accidens.

Aduerte præterea Canarienſem hic disputare, num de Deo prædicetur aliquid per accidens siuè accidentaliter: & sustinet partem negantē vt tutiorem: quamuis oppositam non reijciat. Sed logica distinctione valdè trita, quam etiam hic tangit Vasquez, absoluitur difficultas. Nam si sermo sit de prædicato accidētali, quod est accidens reale & prædicamentale distinctū contra substantiam, negandum est quidquam de Deo accidentaliter prædicari. Si verò loquamur de accidente prædicabili, prout à Porphyrio diffinitur, certum est multa de Deo accidentaliter prædicari, vt esse dominū, creatorem, saluatorem & similia: quo sensu dicitur etiam hæc esse per accidens formaliter loquendo, Deus est Pater.

Controversia Vnica.

An hæ propositiones sint per se & formales: Pater est Deus: Deus est Pater: Deus est Trinitas, vel tres personæ: essentia est Pater: essentia est tres personæ.

Sententiæ Expositorū

Iavellvs *supra quæst. 33. art. 3.* dicit quatuor. *Primum* est. Prædicatū hoc Deus sumptum in recto non est de intellectu patris. *Secundum*. Hæc non est formalis, Pater est Deus. Quod idem affirmat *quæst. 30. art. 4. Tertium*. Si prædicatum Deus sumatur in obliquo, est de intellectu patris; quia pater est quid subsistens paternitate distinctum in Deo. *Quartum*. Pater non est de intellectu Dei, nec in recto, nec in obliquo. Sed *in hoc art.* ait hanc, Pater est Deus, esse per se formaliter & identicè: hanc verò, Deus est pater, esse per se tantum identicè.

Sylu. dicit duo. *Primum*. Omnis propositio per se videtur formalis. *Secundum*. Hæc propositio, Deus est pater, non est per se propriè, eo modo quo de perfeitate loquitur Logicus: nisi fortè secundo modo perfeitatis reductiuè, aut per se impropriè, id est oppositè ad per accidens, quod est accidens, & quod potest inesse & non inesse: & per accidens, id est extrinsecè denominans: & per accidens, id est per aliud: & per accidens, quia prædicatum non est de ratione subiecti: & per accidens, ad per se logicè primo modo.

Torres dicit duo. *Primum*. Ista, Pater est Deus, Pater est deitas, vel natura diuina, aut essentia diuina, est per se & essentialis. *Secundū*. Prædicationes, in quibus personæ diuinæ, aut earum Trinitas, aut relationes ipsarum, aut actus illarum notionales prædicantur de Deo, aut natura diuina, nullo modo sunt per accidens, sed per se. Eandem sententiam sequitur Molina dicens tamen hanc, Deus est Pater, non esse per se essentialem.

Valentia dicit hanc propositionem, Deus est Trinitas, esse per se; quia prædicatum est de intrinseca ratione subiecti.

Vasquez dicit sex. *Primum*. Hæc propositio, diuinitas est pater, est per se tantum identicè. *Secundum*. Hæc, Deus est pater, est per se in sensu formali, ac proinde ei licet addere particulam inquantum, & secundum quod ipsum, hoc modo: Deus secundum quod Deus, vel inquantum Deus est Pater. *Tertium*. Hæc propositio, Deus inquantum Deus est Pater, est per se in secundo modo. *Quartum*. Hęc propositio, Pater est Deus, est in primo modo dicendi per se. *Quintum*. Hæc, Pater est Deus, est directa propositio, illa verò, Deus est Pater, videtur habere speciem indirecte. *Sextum*. Non licet dicere Pater eo est Pater quo Deus, & eo est Deus quo Pater: quoniam hoc modo loquendi, non tantum significatur prædicatum per se cōuenire subiecto, sed etiam eodem formaliter constitui subiectum; & prædicatum, in ratione talis, quod est falsum.

Suar. *lib. 4. de Trin. c. 6. & 7.* dicit quinque. *Primum*. Deitas est pater, est per se identicè. *Secundum*. Hæc propositio, Deus est pater, est per se formalis in secundo modo: proprius tamen dicitur esse identica. *Tertium*. Hæc propositio, Deus est Trinitas, est per se in secundo modo, siuè supponat pro hoc Deo communiter subsistente, siuè collectiuè pro tribus personis. *Quartum*. Hæc, Deus in quantum Deus est Trinitas, vera est, si dictio illa, inquātum, non reduplicet rationem formalem, per quam conuenit prædicatum, sed tantum radicalem. *Quintum*. Hæc est per se essentialiter, Paternitas est essentia, licet quo ad formam prædicationis non sit per se, vt significat S. Th. *de potentia, q. 8. a. 2. ad 6.* dicens neutram harum esse per se, videlicet essentia est paternitas, & paternitas est essentia.

Resolutio. Ex rationibus essentia, relationis & personæ, & distinctione propositionum per se, & differentia prædicationis identicæ, & formalis ostenditur veritas & differentia propositionū, de quib. est quæstio, & conciliātur dicta D. Thom. Propositio per se uniplex.

Hic Mvlta supponenda sunt, quæ supra latè probauimus *quæstione vigesimaoctaua, articulo secundo, controuersia prima*: Præcipua verò sunt quatuor. *Primum*: inter essentiam & relationes nullam esse distinctionem actualem ex natura rei sed virtualem seu fundamentalem tantum. *Secundum*: essentiam secundum se esse de intrinseca ratione relationis, & è contra. *Tertium*: sumendo essentiam, vt idem est quod substantia latè sumpta, & relationem secundum suam completam & integram rationem, essentiam intimè claudi in relatione, & è conuerso. *Quartum*: sumendo essentiam præcisè & relationem præcisè, neutrum esse de ratione alterius intrinseca.

Secundò obseruandum est posse aliquam propositionem esse per se dupliciter. Vno modo propriè, scilicet perfeitate logica: & hoc dupliciter, quod attinet ad rem præsentē, scilicet in primo, vel in secundo modo dicendi per se. Alio modo impropriè, & hoc tripliciter;

citer; primò quia prædicatum non potest non ineſſe ſubiecto, vt hæc, coruus eſt niger : ſecundò quia non denominat extrinſecè, vt hæc, Tullius eſt Cicero: tertiò quia non prædicatur per aliud, ſed immediatè ſecundum ſe, vt cùm dico, Petrus eſt quantus. *Ex oppoſito* verò dicitur propoſitio per accidens quatuor modis: primò quia prædicatū ſignificat aliquid, quod non eſt de quidditate aut ratione formali ſubiecti: ſecundò quia prædicatum ſignificat aliquid extrinſecus adiacens ſubiecto, nec conuenit ei ab intrinſeco, vt in hac, Petrus eſt albus : tertiò quia ſignificat aliquid extrinſecè denominans, ſine quo res poteſt eſſe, vt in hac, Sortes ſedet, vel eſt in foro: quartò quia ſignificat aliquid per aliud, vt albedo eſt quanta.

Propoſitio per accidens quatuor modis.

Propoſitio identica, & formalis quæ ſit.

Tertiò ſciendum eſt duplicem eſſe prædicationem, ſcilicet identicam & formalem: quæ diſtinguitur in quidditatiuam & denominatiuā. Identica prædicatio eſt, cum eādem rem ſignificant prædicatum & ſubiectum, ſiuè illam ſignificent ſub eadem ratione, vt cùm dico, veſtis eſt indumentum : ſiuè ſub diuerſa, vt cum dicitur, actio eſt paſſio: ſiuè in Deo, eſſentia eſt ſapientia, & intellectus eſt voluntas. Formalis autem prædicatio eſt, quando prædicatū eſt forma, vel ſignificatur vt forma ſubiecti: & quando prædicatum includitur in conceptu ſubiecti, dicitur formalis quidditatiua, vt in hac, homo eſt animal, vel homo eſt rationalis, vel homo eſt animal rationale. Cum verò prædicatum dicit formam accidentalem inhærentem ſubiecto, vt in hac, homo eſt albus: vel extrinſecam, vt Petrus eſt in foro: vel etiam quādo prædicatum conuenit ſubiecto in ſecundo modo, etiamſi realiter non diſtinguatur à ſubiecto, vt in hac, ens eſt vnum vel bonum, eſt prædicatio formalis donominatiua . Ex quo ſequitur, vt nō ſolum omnis quidditatiua propoſitio, ſed quædam etiam denominatiua ſit identica, & non tantum formalis.

De hac: pater eſt Deus.

Ex dictis ſequitur primò hanc eſſe per ſe & formalem quidditatiuam: *Pater eſt Deus*. Nam in diuinis eſſentia ſignificatur per modum formę, vt ſupra dixit S. Th. *in hac q.a.3.* quæ forma eſt tota quidditas diuinæ perſonæ. Et vniuerſaliter loquendo, cùm prædicatur natura in concreto de ſuo ſuppoſito, prædicatio eſt per ſe in primo modo, & formalis quidditatiua ob dictā cauſam; quia ſcilicet natura forma quædam eſt totalis ſui ſuppoſiti, cuius eſt tota quidditas. Vnde Caiet. *ſupra q.30.a.4.* dixit in hac propoſitione, *Pater eſt Deus*, prædicatum eſſe eſſentiale: & *in hac q a. 3.* ait S. Doct. nomina eſſentialia tam adiectiua, quàm ſubſtantiua ſignificare formam, quæ eſt eſſentia. Cum igitur eſſentiale nomen in concreto prædicatur in diuinis de perſona vna vel pluribus, eſt prædicatio per ſe formalis & quidditatiua, non minus quàm cum ſpecies aut genus, aut differentia aut tota diffinitio prædicatur de vno vel pluribus indiuiduis. Pro hoc facit id, quod ſupra notauimus *q. 32. a. 2. controu. 4. in explicatione quartæ regulæ* ex Angelico Doctore *in tertio ſententiarum, diſt. 5. in fine, in expoſitione litteræ* dicēte ſubſtantiua ſignificare non tantum formam, ſed etiam ſuppoſitum formæ: atque ideò poſſe prædicari ratione vtriuſque . Et quando prædicantur ratione ſuppoſiti, dici prædicationem per identitatem: quando autem ratione formæ, dici per denominationem ſiuè informationem, quæ eſt magis propria prædicatio, quia termini in prædicato tenentur formaliter . Adiectiua verò ſolam (inquit) ſignificant formam, & ideò non poſſunt prædicari niſi per informationem. Hæc ibi S. Doct. Cum autem nominibus abſtractis nulla ſignificetur informatio, ſed magis formæ ſeparatio : concretis autem vocibus forma ſignificetur , vt in re cuius eſt forma, vt actu illam informans, ac ſuum eſſe conferens & denominans: conſequens eſt abſtracta prædicata non efficere ſenſum formalem ſed identicum: concreta verò formam ſignificantia, præſertim adiectiua, reddere ſenſum formalem . Quo fit, vt hæ non ſint formales, ſed identicæ, *Pater eſt Deitas, Pater eſt eſſentia, Paternitas eſt eſſentia, vel deitas, Perſona diuina eſt eſſentia.* Nam etſi deitas & eſſentia ſint modo noſtro intelligendi forma ſeu quidditas diuinæ perſonæ, his tamen abſtractis nominibus non ſignificatur vt informans, & quidditatiuè denominans ſed vt realiter eadem cum perſona.

De his pater eſt deitas, pater eſt eſſentia, &c.

Sequitur præterea ex ſupradictis hanc non eſſe formalem, *Deus eſt pater*: Nam ſubiectum ſignificat naturam, quæ concipitur, vt forma ſuppoſiti: prædicatum autem eſt ſuppoſitum, cuius formam intelligimus eſſe naturam; igitur nullo modo formalis eſt dicta propoſitio. Sed quia ſuppoſitum in diuinis & natura non ſunt duæ ſed vna res, ideò propoſitio eſt identica, cum prædicatur perſona de natura . An autem ſit per ſe, reſpondet hic affirmatiuè Sanctus Doctor *ad ſecundum* dicens: *Cum dicitur Deus, vel diuina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem, non autem ſicut inferioris, de ſuperiori: quia in diuinis non eſt vniuerſale, & ſingulare. Vnde, ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus : ita & iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidens.* Quam reſponſionem explicans Caiet. ait duplicem eſſe prædicationem per ſe, ſcilicet idēticam, & formalem: inter quas ſtatuit differentiam, quòd identica per ſe non vocatur abſolutè per ſe , ſed cum determinatione dicitur per ſe identica: at verò formalis dicitur abſolutè per ſe.

D hac, Deus eſt Pater.

Conciliantur dicta D. Th.

Et per hoc conciliat diuerſa dicta D. Thom. quæ videntur contraria; nam *in quæſtione octaua de potentia Dei a. 2. ad 6.* negat eſſe prædicationem per ſe, cum paternitas prædicatur de eſſentia: & ait in proceſſu ex ſimili prędicatione conſtante incidere fallaciam accidentis: hic autem affirmat dictam prędicationem eſſe per ſe. Ibi namque loquitur de prædicatione per ſe formali, hic autem de per ſe identica, cum ait hanc, *Deus eſt Pater* , eſſe per ſe & nullo modo ſcilicet quo ad identitatem eſſe per accidens, & tamen interuenit fallacia accidentis quo ad formalitatem. Et hoc idem ſignificauit S. D. *in 1. diſt. 4. q. 2. a. 2.* vbi ſic loquitur : *Quia in diuinis eſt omnino indifferentia naturæ ad ſuppoſitum: & ideò nec eſt ibi vniuerſale, nec particulare. & ideò ſicut verè prædicatur eſſentia de perſona, ita & è conuerſo : ſed verum eſt quòd quantum ad modum ſignificandi, plus habet de proprietate propoſitio, in qua prædicatur eſſentia, quam in qua prædicatur perſona cum prædicatum ſe habeat loco formæ.* & ibidem *ad 3.* ſic ait: *In diuinis non eſt aliquid accidentale, nec eſt ibi vniuerſale, & particulare, & ideò nihil dicitur ibi per accidens, neque per conſequens ſicut in creaturis, ſed tantum attenditur ibi alius, & alius modus ſignificandi.* Hæc ibi . Cuius oppoſitum videtur dicere *loco ſuperius allegato de potentia*, vbi ſubiungit in fine reſponſionis: *Licet enim in Deo , nullum ſit accidens , eſt*

tamen quædam similitudo accidentis, in quantum ea quæ de se inuicem prædicantur secundum accidens, & differunt ratione, sunt vnum subiecto. Sed ex prædicta distinctione facilè conciliantur, vt patet.

Alium modus conciliandi.

Possunt etiam hæc & alia similia, quæ videtur pugnantia, conciliari dicendo nihil in Deo prædicari per accidens, vt à substantia diuersum & inhærens: aliquid tamen prædicari per accidens & extrinsecè denominans, sine quo res potest esse, quomodo relationes temporales ad creaturas de Deo dicuntur per accidens. Et præterea aliquid de Deo prædicari per accidens, quia non est de eius propria ratione; & hoc modo prædicatur Pater, & quælibet alia B diuina persona de Deo; quia Deus præcisè cõceptus non includit in sui ratione Patrem aut paternitatem, quamuis, vt diximus, ob summã Dei simplicitatem & idẽtitatem naturæ & suppositi, sit prædicatio per se identica. Quod dupliciter potest explicari. Primò logicè loquendo cum Cai. *in 3. parte q. 16. a. 2.* dicendo propositionem illam, *Deus est Pater*, posse esse per se & per accidens; quia prædicatio per se postulat, vt æqua de æquis, aut maiora de minoribus prædicentur. Cum autem minora de maioribus prædicantur, est prædicatio per accidens, vt si dicam, animal est homo: iam autem supra sæpè diximus hoc nomen *Deus* secundum se, seu naturaliter supponere pro natura com- C muni tribus personis; igitur cõmunius est nomen Dei, quam nomen Patris aut Trinitatis. Dicitur enim nomen Dei, de filio & Spiritu S. qui nec simul nec singuli sunt Pater aut Trinitas; igitur hæc erit per accidens, *Deus est Pater*: & similiter hæc, *Deus est Trinitas*. Si verò tollatur communitas ab hoc nomine Deus, & restringatur ad supponendum pro Patre, erit æquale prædicatum subiecto, cùm dicitur, *Deus est Pater*: & erit prædicatio per se, non tamen formalis sed identica.

De hac: Deus est Trinitas.

Comparatio quadruplex inter relationem, & essentiam.

Secundò potest explicari præfata doctrina ex ijs, quæ latè diximus *supra q. 28. a. 2. controuersia prima*, & in primo fundamento reduximus ad quatuor capita. Nam si contemplemur es- D sentiam & relationes prout sunt à parte rei, aut etiam secũdum integram vtriusque rationem, vnum intrinsecè claudit alterum, & ideò semper vnum de altero prædicatur per se: & considerata prædicatione quo ad prædicatum à parte rei, formalis est. Sicut à parte rei, vna est & simplicissima ratio formalis essentiæ, & relationis in Deo: quamuis secundum nostrũ modum concipiendi superius explicatum sit tantum identica. Si verò essentiam & relationes præcisè concipiamus, prout vnum ab alio distinguitur modo nostro intelligendi: sic vnũ non prædicatur de altero per se formaliter, sed tantum identicè, & accidentalis est prædicatio relationis de essentia; quia dicitur minus com- E mune de magis communi: & prędicatum est extra rationem formalem subiecti, & è contra: prædicatio verò essentiæ de relatione ob eandem causam erit accidentalis; quia scilicet essentia sic præcisè concepta est extra rationem, siuè conceptum relationis. Et hoc est, quod dixit S. Th. *de potentia in dicta responsione ad sextũ*, vbi eandem rationem adduxit.

Comparatio personæ ad essentiam.

De persona verò ad essentiam comparata aliter dicendum est: includit enim persona relationem & essentiam intrinsecè, & ideò tam relatio quam essentia, dicuntur per se de per- A sona: & sumendo essentiam in concreto, prædicatur formaliter de persona vt ante diximus.

Denique sequitur ex prædictis has propositiones, *Deus est Pater, vel Deus est Trinitas*, non esse per se in secundo modo sed in primo, si loquamur de per se identicè. Probatur sequela; quia prædicatum non est passio, aut aliquid passioni simile consequens ad subiectum: & essentia licet sit communis secundum rem, non tamen est communis vt vniuersale, sed tanquã vna res tribus indentificata realiter abinuicem relatiuè distinctis, quæ in eius etiam ratione, tam secundum se, quàm etiam apud nos integrè sumpta, clauduntur intrinsecè, quamuis non secundum rationem communicabilis; igitur cum de Deo prædicatur vna vel plures aut etiam omnes simul personæ, est prædicatio per se in primo modo, cuius similis non reperitur in creaturis.

Hæc: Deus est Pater, & Deus est Trinitas, est per se in primo modo.

PRIMA CONCL. *Non omnis propositio per se est formalis, sed quædam est identica, & quædam formalis.* Hæc patet ex dictis.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Hæc propositio, Pater est Deus, est per se in primo modo, & formalis.* ”

TERTIA CONCLVSIO. *Hæc propositio, Deus est Pater, vel Deus est Trinitas, non est per se formalis in secundo modo, & multò minus in primo.* ” ” ” ”

QVARTA CONCL. *Theologicè loquendo eadem propositio, scilicet Deus est Pater, vel Trinitas, est per se identica in primo modo, sumendo Deum prout est secundum se, & prout à nobis concipitur integro & completo conceptu.* Probatur; quia sic includit intrinsecè essentiam & relationes, vt ostensum est de mente D. Tho. *in supra allegata controu. q. 28. a. 2.* Sed quoniam essentia semper à nobis concipitur vt communior: & præterea suppositа nec sunt, nec significantur vt formæ, idcircò nec verè est, nec rectè dicitur per se formalis, quamuis ex parte, siuè secundum quid naturam sapiat propositionis formalis ob dictam causam; quia scilicet prædicatum includitur in ratione subiecti. ” ” ”

ueniens, & necessariò: contra verò Deus est de essentia Patris, & cuiusuis diuinæ personæ; ergo hæc, *Deus est Pater*, est per se formalis in secundo modo. *Respondetur*, licet pater non sit de essentia Dei præcisè sumpti, est tamen de ratione quidditatiua Dei secundum eius integrum conceptum, & non est aliquid consequens Dei quidditatem in suo integro conceptu consideratam.

Solut.

CONTRA *quartam concl.* sunt argumenta Turriani soluta *supra q. 28. a. 2.*

Obi. cont. 5. CONTRA *quintam* argumentatur dictus expositor; quia in Deo nihil prædicatur secundũ accidens. *Resp.* falsum esse assumptum. Quomodo verò siuè quo sensu dicatur aliquid de Deo per accidens, satis ostendimus.

Solut.

Obi cont. 6. CONTRA *sextam* arg. idē expositor. Sicut ens intrinsecè & essentialiter contineturin omnibus rebus, ita vt oēs res intrinsecè & essentialiter sint ens: sic diuina essentia intrinsecè & essentialiter continetur in omnibus diuinis tam absolutis quam respectiuis; ergo quidquid in Deo reperitur essentialiter, est diuina essentia; ergo personæ, relationes & Trinitas essentialiter continet naturam diuinam seu deitatem, & ipsa est de intellectu & essentia eorũ; ergo hæc, *Pater est deitas, vel natura diuina, aut essentia*, est per se, & essentialis. *Respondetur*, si sermo sit de per se, & essentiali identiea, conceditur totum argumentum: Si verò loquatur de per se, & essentiali formali, negatur vltima cõsequentia; quoniam in prædicato non significatur essentia vt informans, sed vt quædam res secundum se; quia significatur abstractè, & ideo est per se tantum identica non autem formalis.

Solut.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum nomina essentialia sint appropriandapersonis.

208. 6. dist. 31. q. 1. a. 2.

AD *Septimum sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia non sint appropriandapersonis. Quod enim potest vergere in errorem fidei, vitandum est in diuinis: quia vt Hieron.* * *dicit, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. Sed ea quæ sunt communia tribus personis appropriare alicui, potest vergere in errorem fidei: quia potest intelligi, quod vel illi tantum personæ conueniant, cui appropriantur, vel quòd magis conueniant ei quàm aliis. Ergo essentialia attributa non sunt appropriandapersonis.*

* Hie. in magist sent. li. 2. dist. 1. in fine.

2 Præt. Essentialia attributa in abstracto significata, significant per modum formæ. Sed vna persona non se habet ad aliam vt forma; cum ab eo, cuius est forma, supposito non distinguatur. Ergo essentialia attributa maximè in abstracto significata, non debent appropriari personis.

3 Præt. Proprium prius est appropriato. Proprium enim est de ratione appropriati. Sed essentialia attributa secũdum modum intelligendi sunt priora personis, sicut commune est prius proprio: ergo essentialia attributa non debent esse appropriata.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.

Respondeo. Dicendum, quòd ad manifestationem fidei, conueniens fuit essentialia attributa personis appropriari. Licet enim trinitas personarum demõstratione probari non possit (vt supra dictum est *) *conuenit tamen, vt per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia verò attributa, sunt nobis magis manifesta secũdum rationem, quam propria personarum: quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem deuenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum, vt supra dictum est. † Sicut igitur similitudine vestigij vel imaginis in creaturis inuenta, vtimur ad manifestationem diuinarum personarum, ita & essentialibus attributis. Et hæc manifestatio personarum per essentialia attributa, appropriatio nominatur.*

q. 32. art. 1.

Possunt autem manifestari personæ diuinæ per essentialia attributa dupliciter. Vno modo per viam similitudinis, sicut ea, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur filio, qui procedit per modum intellectus, vt verbum. Alio modo per modum dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur patri (vt Augustdicit) quia apud nos patres solent esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemur in Deo.

Ad Primum ergo dicendum, quòd essentialia attributa non sic appropriantur personis, vt eis esse propria asserantur, sed ad manifestandum personas per viam similitudinis, vel dissimilitudinis: vt dictum est. * *Vnde nullus error fidei sequitur, sed magis manifestatio veritatis.*

In corp art.

Ad secundum dicendum, quòd si sic appropriarentur essentialia attributa personis, quod essent eis propria, sequeretur, quòd vna persona se haberet ad aliam in habitudine formæ. Quod excludit Augustin. † in 6. de Trinit. ostendens, quòd pater non est sapientia quam genuit, quasi solus filius sit sapientia, vt sic pater, & filius simul tantum possint dici sapientia, non autem pater sine filio. Sed filius dicitur sapientia patris, quia est sapientia de patre sapientia. Vterq; enim per se est sapientia, & simul ambo vna sapientia. Vnde pater non est sapiens sapientia quam genuit, sed sapientia, quæ est sua essentia.

† *Li. 6. de tri. c. 2 adiunct. 10. 1. 10. 3.*

Ad Tertium dicendum, quòd licet essentiale attributum secundum rationem propriam sit prius quàm persona secundum modum intelligendi: tamen inquantum habet rationem appropriati, nihil prohibet proprium personæ, esse prius quàm appropriatum. Sicut color posterior est corpore, inquantum est corpus: prius tamen est naturaliter corpore albo, inquantũ est album.

Sensus quæsiti.

QVID SIT appropriari, colligitur ex littera *in corpore, & ad primum*. Est enim non fieri proprium, sed accommodari alicui personæ propter peculiarem rationem, quæ in ea reperitur ad manifestationem eiusdem, vt significatur in textu, & aduertit Torres, quem sequitur Molina; & appropriatum est attributum accommodatum alicui personæ, &c.

Forma Textus.

RESPONDET S. D. duabus conclusionibus ad quæsitum.

PRIMA CONCL. *est. Conueniens fuit ad manifestationem fidei essentialia attributa personis appropriari.* Probatur. Manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur; sed cõueniens est diuinas personas per essẽtialia attributa manifestari: ergo conueniẽs fuit, &c. Maior relinquitur vt nota ex quid nominis

minis seu ratione appropriationis. Minor verò A probatur. Licet Trinitas personarum demonstratione probari non possit, conuenit tamen, vt postquam fide suscepta est, per aliqua magis manifesta declaretur ; at essentialia attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationē, quàm propria personarum; ergo &c. Maior probatur;quia similitudine vestigij vel imaginis in creaturis inuenta vtimur ad manifestationem diuinarum personarum. Minor probatur; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem deuenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum,vt dictum est *supra quæst. 32. art. primo.* B

„ SECVNDA CONCL. *est Diuinæ personæ possunt manifestari per essentialia attributa dupliciter: Vno modo per viam similitudinis: Alio modo per viā dißimilitudinis.* Manifestatur vtraque pars exemplariter, vt in textu.

Expositio Textus.

TOTVM hunc articulum explicat Torres, ad quem lectorem remittimus. Legendus est D. Bernardus *epist. 90.* vbi refert & confutat errorem Petri Abailardi dicentis ea attributa, quæ nos appropriat a nuncupamus, esse personarum propria. Contra quem errorem militat huius & sequentis articuli doctrina, & eum etiam confutat Torres.

Turriani dubitatio. Circa minorem principalis argumenti, & eius probationem quærit Torres, quoniam pacto , cum accommodamus attributa personis, declarentur personæ. Cui quæsito satisfacit a-

Solut. ex S. Thom. bundè S. D. *in art. seq.* dicens id prouenire ex similitudine appropriatorū cum proprijs. Naturale enim nobis est , vt rem occultam & ad cognoscendum difficilem, ex euidētium similitudine declaremus. Cum igitur singulis proprijs personarum nobis cognitu difficillimis, singula vel plura adaptantur attributa communia nobis naturaliter nota,cum eis habentia similitudinem,quasi luce coloribus addita fiunt nobis conspicua propria personarum. Et hæc D videtur esse propria ac prima radix appropriationis attributorum, quam non attigit prædictus expositor.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum conuenienter à sacris doctoribus sint essentialia personis attributa.

AD Octauum sic proceditur. Videtur,quòd inconuenienter à sacris doctoribus sint essentialia, personis attributa. Dicit enim Hyl. in 2. de Trinita. * *Aeternitas est in patre,species in imagine, vsus in mu-* E *nere. In quibus verbis ponit tria nomina, propria personarum: scilicet nomen patris, & nomen imaginis, quod est proprium filio(vt sup. dictum est †) & nomen muneris siue donum,quod est proprium Spirituss. (vt supra habitum est.* *) *Ponit etiam tria appropriata. Nam æternitatem appropriat patri speciem filio, vsum Spiritui sanct. Et videtur, quòd irrationabiliter. Nam æternitas importat durationem essendi,species verò est essendi principium: vsus verò ad operationem pertinere videtur. Sed essentia & operatio nulli personæ appropriari inueniuntur. Ergo inconuenienter videntur ista appropriata personis.*

209. 1 dist. 3 q 1. art. vnico. Et ibidē q. 3 a. 1. & dist. 34. q. 2 a. vnico. Aug. lib. 6. de Trin. c. 10. Lib. 2. de Trin. paulo post. princ. Q. 35. art. 2. Q. 38. ar. 2.

2 Præterea. Aug. in 1. de doct. * *Christ. sic dicit: In patre est vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu sancto æqualitatis vnitatisq; concordia. Et videtur,quòd inconuenienter: quia vna persona non denominatur formaliter per id, quod appropriatur alteri. Non enim est sapiens pater sapientia genita, vt dictum est.* † *Sed sicut ibidem subditur, tria hæc, vnum omnia sunt propter patrem, æqualia omnia propter filium, connexa omnia propter Spiritum sanct. Non ergo cōuenienter appropriantur personis . Item secundum Augustinum patri attribuitur potentia, filio sapiētia, spiritui sancto bonitas. Et videtur hoc esse inconueniens. Nam virtus ad potentiam pertinet. Virtus autem inuenitur appropriari filio, secundum illud 1. Corint. 1. Christum Dei virtutem. Et etiam Spiritui sancto, secundum illud Luc. 6. Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Non ergo potentia patri est appropriand a.* Li. 1 ca. 5. in fi. to. 3. Art. præc. ad 2. & q. 37. a 2. a 1.

3 Item Aug. in lib. de Trin. * *dicit, Non confuse accipiendum est, quod ait Apostolus, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso: Ex ipso dicens, propter patrem: Per ipsum, propter filium: In ipso , propter spiritum sanctum. Sed videtur, quòd inconuenienter: quia per hoc, quòd dicit in ipso , videtur importari habitudo causæ finalis, quæ est prima causarum. ergo ista habitudo causæ deberet appropriari patri, qui est principium, non de principio.* Lib. 6. de Trin c. 10. in fi. illius tom. 3.

4 Item inuenitur veritas appropriari filio, secundum illud Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Et similiter liber vitæ: secundum illud Psal. 39. In cap. lib. scriptum est de me. glo. † *id est apud patrem qui* C *est caput meum. Et similiter hoc, quod dico , qui est. Quia super illud Isa. 65. Ecce ego ad gentes: dicit gl.* * *Filius loquitur qui dixit Moysi: Ego sum qui sum. Sed Videtur, quòd propria sint filij, & non appropriata. Nam veritas secundum Aug.* † *in lib. de vera religione, est summa similitudo principij absque omni dißimilitudine. Et sic videtur , quòd proprie conueniat filio qui habet principium. Liber etiam vitæ videtur proprium aliquid esse: quia significat ens ab alio. Omnis enim liber ab abliquo scribitur. Hoc etiam ipsum qui est, videtur esse proprium filio. Quia, si cū Moysi dicitur, Ego sum qui sum, loquitur trinitas. Ergo Moyses poterat dicere , iste qui est pater & filius & spiritus sanct. misit me ad vos. Ergo & vlterius dicere poterat, ille qui est pater & filius & spiritus sanct.* D *misit me ad vos , demonstrando certam personam. Hoc autem est falsum. Quia nulla persona est pater & filius & spiritus sanctus . Non ergo potest esse commune Trinitati, sed est proprium filij.* Glosa ordinaria ibi. * Glosa interlinealis ibidem, † cap. 26. post med. illius to. 1.

Respondeo. Dicendum, quòd intellectus noster qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet, quòd Deum consideret secundum modum , quem ex creaturis assumit. In consideratione autem alicuius creaturæ, quatuor per ordinem nobis occurrunt. Nam primò, consideratur res ipsa absolutè, inquantum est ens quoddam. Secunda autem consideratio rei est, inquantum est vna . Tertia consideratio rei est, secundum quod inest ei virtus ad operandum, & ad causandum . Quarta autem consideratio rei est, secundum habitudinem, quam habet ad causata. Vnde, hæc etiam quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit. Secundum igitur primam considerationem, qua consideratur absolutè Deus secundum esse suum , sic sumitur appropriatio Hyl . secundum quam, æternitas appropriatur patri ; species filio, vsus spiritui sanct. Aeternitas enim inquantum significat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio patris , qui est principium non de principio: species autem siue pulchritudo habet similitudinem cum proprijs filij. Nam ad pulchritudinem tria requiruntur. Primò quidem, integritas, siue perfectio. Quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. Et debita proportio siue consonātia. Et iterū claritas. Vnde

quæ

quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.

Quantum igitur ad Primum, similitudinem habet cum proprio filij, inquantum est filius habens in se verè & perfectè naturam patris. Vnde, ad hoc inuendum Augusti. † in sua expositione dicit, Vbi scilicet in filio summa & perfecta vita est, &c.

Li. 6. de Tr. c. 10 paulo à prin. to. 3.

Quantum verò ad Secundum conuenit cum proprio filij, inquantum est imago expressa patris. Vnde videmus quòd aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfectè repræsentat rem, quamuis turpem. Et hoc tetigit Aug. * cùm dicit, Vbi est tanta conuenientia, & prima æqualitas, &c.

Loco nunc proximè dicto.

Quantum verò ad Tertium conuenit cum proprio filij, inquantum est verbum, quod quidem lux est, & splendor intellectus: vt Damascen. † dicit. Et hoc tangit Augusti. * cùm dicit, Tanquam verbum perfectum cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis Dei &c. Vsus autem habet similitudinem cum proprijs spiritussanct. largo modo accipiendo vsum: secundum quòd Vti, comprehendit sub se etiam frui: prout vti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis: & frui, est cum gaudio vti, vt Augusti. * 10. de Trinit. dicit Vsus ergo quo pater & filius se inuicem fruuntur, conuent cum proprio spirituss. inquantum est amor. Et hoc est, quòd Augusti. † dicit, illa dilectio, delectatio, fœlicitas, vel beatitudo, vsus ab illo appellatus est. Vsus verò, quo nos fruimur, similitudinem habet cum proprio Spirituss. inquantum est donum. Et hoc ostendit Augusti. * cum dicit: Est in Trinitate spiritussanctus, genitoris, genitique suauitas, ingenti largitate atque vbertate nos vel creaturas perfundens. Et sic patet quare æternitas, species, & vsus personis attribuantur vel approprientur, non autem essentia vel operatio: quia in ratione horum, propter sui communitatem, non inuenitur aliquid, similitudinem habens cum proprijs personarũ.

Li. 1. cap. 8. parum ante med. & c. 18.
* Loco nunc proximè dicto.
Lib. 10. de Tri c. 11. ante med.
† Lib. 6. de Trin. c. 10. in medio.
* Loco nuncdicto.

Secunda verò consideratio Dei est, inquantum consideratur vt vnus. Et sic Augustin. * patri appropriat vnitatem, filio æqualitatem, Spiritui sancto concordiam siue connexionem. Quæ quidem tria vnitatem importare manifestum est, sed differenter. Nam vnitas dicitur absolutè, non præsupponens aliquid aliud Et ideo appropriatur patri, qui non præsupponit aliquam personam, cùm sit principium non de principio: æqualitas autem importat vnitatem in respectu ad alterum. Nam æquale est quod habet vnam quantitatem cum alio. Et ideo æqualitas appropriatur filio, qui est principium de principio Connexio autem importat vnitatem aliquorum duorum. Vnde appropriatur spiritui sancto inquantum est à duobus: ex quo sensu etiam intelligi potest quod dicit Augusti. * tria esse vnum propter patrem, æqualia propter filium, connexa propter spiritum sanctũ. Manifestum est enim, quòd illi attribuitur vnumquodque in quo primo inuenitur: sicut omnia inferiora dicuntur viuere propter animam vegetabilem, in qua primò inuenitur ratio vitæ in istis inferioribus. Vnitas autem statim inuenitur in persona patris, etiam per impossibile remotis alijs personis. Et ideo, aliæ personæ à patre habent vnitatem, sed remotis alijs personis, non inuenitur æqualitas in patre. Sed statim posito filio inuenitur æqualitas. Et ideo dicũtur omnia æqualia propter filium, non quòd filius sit principium æqualitatis patri, sed quia nisi esset patri æqualis filius, pater æqualis non posset dici. æqualitas enim eius primò consideratur ad filium. Hoc enim ipsum, quòd Spiritussanctus patri æqualis est, à filio habet. Similiter exclusò Spiritu sancto, qui est duorum nexus, non posset intelligi vnitas connexionis inter patrem & filium. & ideo dicuntur omnia esse connexa propter Spiritum sanctum. Quia posito Spiritu sancto, inuenitur ratio connexionis in diuinis personis. Vnde pater & filius possunt dici connexi.

Lib. 1. de doct. Chr c. 5. to. 3.
Lib. 1. de doct. Chr. c. 5. in fine, tom. 1.

Secundum verò tertiam considerationem, quà in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum, dicitur sumi tertia appropriatio, scilicet, potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Quæ quidem appropriatio fit & secundum rationem similitudinis, si consideretur, quòd in diuinis personis est: & secundum rationem dissimilitudinis, si consideretur quòd in creaturis est. Potentia enim habet rationem principij. vnde habet similitudinem cum patre cœlesti, e qui est principium totius diuinitatis. Deficit autem interdum patri terreno propter senectutem. Sapientia verò similitudinem habet cum filio cœlesti, inquantum est verbum, quòd nihil aliud est, quàm conceptus sapientiæ. Deficit autem interdum filio terreno propter temporis paucitatem. Bonitas autem, cum sit ratio & obiectum amoris, habet similitudinem cum spiritu diuino qui est amor: sed repugnantiam habere videtur ad spiritum terrenum secundum quòd importat violentiam quandam, & impulsionem: prout dicitur Isai. 26. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Virtus autem appropriatur filio & e Spiritui sancto, non secundum quòd virtus dicitur ipsa potentia rei, sed secundum quòd interdum virtus dicitur id quod à potentia rei procedit, prout dicimus aliquod virtuosum factum esse virtutem alicuius agentis. Secundum verò quartam considerationem, prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio ex quo, per quem, & in quo. Hæc enim præpositio, Ex, importat habitudinem quandam causæ materialis, quæ locum non habet in diuinis. Aliquando verò habitudinem causæ efficientis. Quæ quidem competit Deo ratione suæ potentiæ actiuæ. Vnde, & appropriatur patri, sicut & potentia. Hæc verò præpositio, Per, designat quidem quandoque causam mediam: sicut dicimus, quod faber operatur per martellum. Et sic ly per, quandoque non est appropriatum, sed proprium filij: e secundum illud Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt: non quia filius sit instrumentum, sed quia ipse est principium de principio. Quandoque verò designat habitudinem formæ, per quam agens operatur, sicut dicimus, quòd artifex operatur per artem. Vnde sicut sapientia & ars appropriantur filio: ita & ly per quem. Hæc verò præpositio In, denotat propriè habitudinem continentis. continet autem Deus res duplicitèr. Vno modo, secundum suas similitudines: prout scilicet res dicuntur esse in Deo, inquantum sunt in eius scientia. Et sic hoc quod dico in ipso, esset appropriatum filio. Alio verò modo continentur res à Deo, inquantum Deus sua bonitate eas conseruat, & gubernat, ad finem conuenientem adducendo. Et sic ly in quo, appropriatur spiritui sancto, sicut bonitas. Nec oportet, quòd habitudo causæ finalis (quàmuis sit prima causarum) approprietur patri qui est principium nõ de principio, quia personæ diuinæ, quarum pater est principium, non procedunt vt ad finem (cùm quælibet illarum sit vltimus finis) sed naturali processione, quæ magis ad rationem naturalis potentiæ pertinere videtur.

243.
208.
D. 233.
196. b
243.

Ad illud verò, quod de alijs quæritur ducendũ, quòd cùm veritas pertineat ad intellectũ (vt supra dictum est *) appropriatur filio, non tamen est propriũ eius. Quia veritas vt supra dictũ est, cõsiderari potest prout est in intellectu, vel prout est in re: sicut igitur intellectus & res essentialiter sumpta, sunt essentialia & nõ personalia, ita & veritas. Diffinitio autẽ Aug. inducta datur de veritate secũdũ, q̃ appropriatur filio. Liber autẽ vitæ in recto quidẽ importat notitiã, sed in obliquo vitam. Est enim, vt supra dictũ est, † notitia Dei de his, qui habituri sunt vitam æternam. Vnde appro-

Q. 16. art. 1
Q. 24. a. 1.

propriatur filio, licet vita approprietur spiritui sancto, inquantum importat quendam interiorem motum: & sic conuenit cum proprio spiritus sancti, inquantum est amor. Esse autem scriptum ab alio, non est de ratione libri inquantum est liber, sed inquantum est quoddam artificiatum. Vnde non importat originem, neque est personale, sed appropriatur personæ. Ipsum autem nomen, Qui est, appropriatur personæ filij, non secundum propriam rationem, sed ratione adiuncti, inquantum scilicet in locutione Dei ad Moysen præfigurabatur liberatio humani generi, quæ facta est per filium. Sed tamen secundum quòd ly qui, sumitur relatiuè, posset referri interdum ad personam filij: & sic sumeretur personaliter, vt puta si dicat, filius est genitus, qui est, sicut & Deus genitus personale est. Sed infinitè sumptum est essentiale. Et licet, hoc pronomen, iste, grammaticè loquendo, ad aliquam certam personam videatur pertinere: tamen quælibet res demonstrabilis, grammaticè loquendo, persona dici potest, licet secundum rei naturam non sit persona. Dicimus enim, iste lapis, & iste asinus. Vnde, & grammaticè loquendo, essentia diuina secundum quòd significatur & supponitur per hoc nomen, Deus, potest demonstrari hoc pronomine, iste, secundum illud Exod. 15. Iste Deus meus, & glorificabo eum.

A

B

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. & ex articulo colliguntur sexdecim appropriata, de quorũ adaptatione rationem reddit S. D. valdè subtiliter & eleganter.

Forma Textus.

CONCL. *est affirmatiua.* Probatur. Deus à nobis quatuor modis consideratur. Primò absolutè secundum esse suum, secundò vt est vnus, tertiò prout sufficientem habet virtutẽ ad causandum, quartò secundum habitudinem ad suos effectus: secundum quas quatuor considerationes attenduntur vniuersa essentialia similitudinem habentia cum proprijs personarum: At sacri Doctores iuxta singulas dictas considerationes attribuũt essentialia personis; ergò conuenienter ab eis sunt essentialia personis attributa. Maior quo ad primam partem probatur, quoniam oportet vt intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, Deum consideret secundum modũ, quem ex creaturis assumit; at in consideratione creaturarum quatuor per ordinem nobis occurrunt; primò res ipsa absolutè, inquantum est ens quoddam, secundò inquantum est vna, tertiò eius virtus ad operandum & causandum, quartò habitudo quam habet ad causata; ergò etiam Deus à nobis quatuor modis prædictis cõsideratur. Minor verò cum altera parte maioris probatur discurrendo per singula à sacris Doctoribus attributa personis, & explicando singulorum ad propria personarum similitudinem aut etiam dissimilitudinem.

C

D

E

Expositio Textus.

QVAEDAM ex dictis in hoc articulo carpit Torres, cui occurrit Ripa. Aduertit præterea Torres *ad finem primæ partis sui commẽtarij*, plura esse alia attributa personis communia, quæ in sacris litteris appropriantur, quæ longum esset (inquit) recensere. Vnum tantum affert, quod est trahere hominem ad fidem, quod *Ioannis 6.* Christus appropriat Patri dicens; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sed cum trahere ad potẽtiam pertineat, quę patri appropriatur, ad ea quæ supra sunt numerata pertinebit. Quod idẽ dicendum de cæteris quibuscunque, quæ in sacris litteris aut SS. Patrum scriptis inueniuntur appropriata.

Aduerte præterea quædam ex attributis in littera nominatis fuisse personis appropriata, non à solis Patribus sed à sacris litteris, vt hic probat Torres, & alij de potentia, sapientia & bonitate. Quædam alia notant Torres, Zumel. & Molina ad hunc articulum, quæ lege, si placet.

QVAESTIO XXXX.

De personis in comparatione ad relationes, siuè proprietates, in quatuor articulos diuisa.

DEinde quæritur de personis in comparatione ad relationes, siue proprietates.

Et quæruntur quatuor.

Primò. Vtrum relatio sit idem quod persona.

Secundò. Vtrum relationes distinguant, & constituant personas.

Tertiò. Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis, remaneant hypostases distinctæ.

Quartò. Vtrum relationes secundum intellectum, præsupponant actus personarum, vel econuerso.

Ordo articulorum huius Quæstionis.

COMPARATVR in hac quæstione persona relationi dupliciter: Primò, considerando personam secũdum se, in primis tribus articulis: secundò eandem considerando secundum actum illius notionalem in articulo vltimo. Personam verò secundum se comparat primò relationi, quo ad modũ entis communissimũ, qui est idem & diuersum in primo articulo; secundò, secũdum specificam & propriam rationem personæ & relationis quo ad actum constituendi & distinguendi in secundo articulo: postremò, quo ad modum constitutionis & distinctionis in tertio articulo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum relatio sit idem quod persona.

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd in diuinis non sit idem relatio quod persona. Quæcunque enim sunt idem, multiplicato vno eorum, multiplicatur & aliud. Sed contingit in vna persona esse plures relationes, sicut in persona patris est paternitas, & communis spiratiuo: & iterum vnam relationem in duabus personis esse, sicut cõmunis spiratio est in patre & filio. Ergo relatio non est idem quod persona.* 2 Io. 1. dist. 26. q. 2. art. 2. & di. 33. q. 2. & opu. 3. c. 58. 66. & 67.

2 *Præt. Nihil est in seipso secundum Philosophũ in 4. Physic.* * *Sed relatio est in persona. Nec potest dici, quòd ratione identitatis, quia sic esset etiam in essentia: ergo relatio, siue proprietas, & persona non sunt idem in diuinis.* Li. 4. Phys. tex. 24. & subseq. 10. 21

3 *Præt. Quæcunq; sunt idem, ita se habent, quòd quicquid prædicatur de vno, prædicatur & de alio. Non autem quicquid prædicatur de persona, prædicatur de proprietate. Dicimus enim quòd pater generat, sed non dicimus, quòd paternitas sit generans. Ergo proprietas non est idem quod persona in diuinis.*

Sed

Titulus lib. 1. Au omne quod est, bonum sit: post med. illius.

Sed contra, in diuinis non differunt quod est, & quo est, vt habetur à Boe. * *in lib. de Hebdo. Sed pater paternitate est pater. Ergo pater idem est quod paternitas & eadem ratione aliæ proprietates idem sunt cum personis.* A

Respondeo. Dicendum, quod circa hoc aliqui diuersimodè opinati sunt. Quidam enim dixerunt, proprietates neque esse personas, neque in personis. Qui fuerunt moti ex modo significandi relationum, quæ quidem non significant vt in aliquo, sed magis vt ad aliquid. Vnde dixerunt relationes esse assistentes, sicut

Q. 28 art. 2. *supra expositum est.* * *Sed quia relatio secundum quod est quædam res in diuinis, est ipsa essentia: essen-*

Q. præc. a. 1. *tia autem idem est quod persona (vt ex dictis patet* †*) oportet, quòd tunc relatio sit idem quod persona. Hanc igitur identitatem alij considerantes, dixerunt, proprietates quidem esse personas, non autem in personis: quia non ponebant proprietates in diuinis, nisi* B

Q. 32. a. 2. *secundum modum loquendi, vt supra dictum est.* * *Necesse est autem ponere proprietates in diuinis, vt supra ostendimus.* † *Quæ quidem significantur in abstracto, vt quædam formæ personarum. Vnde, cum de ratione formæ sit, quòd sit in eo, cuius est forma, oportet dicere, proprietates esse in personis, & eas tamen esse personas, sicut essentiam esse in Deo dicimus, quæ tamen est Deus.*

† Loco nunc citato.

Ad Primum ergo dicendum, quòd persona & proprietas sunt idem re, differunt tamen secundum rationem. Vnde non oportet, quòd multiplicato vno multiplicetur reliquum. Considerandum tamen est, quòd propter diuinam simplicitatem C *consideratur duplex realis identitas in diuinis, eorum quæ differunt in rebus creatis. Quia enim diuina simplicitas excludit compositionem formæ & materiæ, sequitur, quòd in diuinis idem est abstractum & concretum, vt deitas & Deus. Quia verò diuina simplicitas excludit compositionem subiecti, & accidentis, sequitur, quod quicquid attribuitur Deo, est eius essentia: & propter hoc sapientia & virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in diuina essentia. Et secundum hanc duplicem rationem identitatis, proprietas in diuinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis, ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto. Sunt enim ipsæ personæ subsistentes, vt paternitas est ipse pater, & filiatio, filius: & processio, Spiritus sanctus.* D *Proprietates autem non personales sunt idem cum personis, secundum aliam rationem identitatis, quia illud quod attribuitur Deo, est eius essentia. Sic igitur communis spiratio est idem cum persona patris & cum persona filij: non quòd sit vna persona per se subsistens: sed sicut vna essentia est in duabus personis, i-*

Q. 30. art. 1. *ta & vna proprietas, vt supra dictum est.* *

Ad Secundum dicendum, quòd proprietates dicuntur esse in essentia, per modũ identitatis

D. 958. *tantum: in personis autem dicuntur esse per modum identitatis, non quidem secundum rem tantum, sed quantum ad modum significandi, sicut forma in supposito. Et ideò proprietates determinant & distinguunt personas, non autem essentiam.*

Ad Tertium dicendum, quòd participia & verba notionalia significant actus notionales. Actus autem suppositorum sunt. Proprietates autem non significant vt suppositа, sed vt formæ suppositorum. E *Et ideò*

b 181. *modus significandi repugnat, vt participia & verba notionalia de proprietatibus prædicentur.*

Sensus quæsiti.

DICTIO, *idem*, videtur indistinctè sumenda ad modos identitatis realis; & formalis quamuis huic realis præcipuè quæratur identitas, sicut etiam relatio sumitur communiter ad relationem personalem & non personalem.

Forma Textus.

REFERT primò. S. D. sententiam Porretani dicentis, proprietates siue relationes neque esse personas neque esse in personis. Ratio eius erat, quia relationes non significanturvt in aliquo, sed vt ad aliquid. Ex quo deducebat eas esse tantùm assistentes. Aduersus hunc errorem statuit S. Tho. ,,

PRIMAM CONC. *Relatio est idem quod persona.* Probatur: quia relatio, secundum quod est quædam res in diuinis, est ipsa essentia; at essentia est idem quod persona; ergo relatio est idem quod persona. Prima propositio probata est supra *quæst. 28. ar. 2.* Altera verò probata est *in quæst. præcedente articulo primo.*

Refert secundo opinionem Præpositiui dicentis proprietates esse personas non autem esse in personis. Ratio eius erat, quia non ponebat proprietates in diuinis, nisi secundum modum loquendi. Contra quem statuitur.

SECVNDA CONCL. *Oportet dicere proprietates non solum esse personas, sed etiam in personis.* ,, ,, Probatur primò. Necesse est ponere proprietates in diuinis significatas in abstracto, vt quasdam formas personarum: At de ratione formæ est, vt sit in eo cuius est forma: ergò oportet dicere &c. Prima propositio probata fuit supra *quæst. 32. a. 2.* Altera non eget probatione. Secundò probatur vtraque conclusio ex simili. Essentiam siue deitatem esse dicimus in Deo, quæ tamen est Deus; ergo &c.

Expositio Textus.

MOVET hic dubitationem Cai. quòd malè videatur adduci sententia Porrectani, quam optimè soluit: Sed eius solutionem impugnant Sylu. & Iauel. At eorum dicta non feriunt, sed aerem verberant, quia sensum Caiet. non habent. Ripa Iauel. respondet. Syluestri nimis apertè deuiat.

Aduerte tamen Ripam non aduertisse D. Th. *in hoc a. & supra q. 28. a. 2.* distertis verbis attribuere Gilberto, quòd relationes esse dixerit assistentes & extrinsecus affixas.

Reprehendit Val. rationem pro prima conclusione, dicens eam in forma peccare; quia nititur identitatem in tertio, puta in essentia diuina; quam formam concludendi ait non valere: quoniam alioquin similiter probaretur patrem & filium esse idem realiter inter sè; si quidam conueniunt in eodem tertio, nimirum essentia diuina. *Sed hæc est* manifesta calumnia; nam vt sup. notauimus *q. 28. a. 3. contr. vnica*; principiũ illud, *Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem,* intelligitur de ijs, quæ vel sunt eadem vni re & ratione, vel non habent diuersas & oppositas rationes formales se inuicem excludentes, quales habent actio & passio, paternitas & filiatio, non autem persona & relatio. Et ideò rectè & absque vlla fallacia procedit argumentum D. Th. *Valentiæ calumnia.* *Confut.*

SECVNDAM conclusionem explicat cumulatè responsiones ad primum & secundum argumentum, quã declarat vberius S. D. *in 1. dist. 33. q. vnica a. 3.* Quib⁹ adde explicationẽ Cai. cõtra.

Argumentū Ariminen. tra impugnationem Arim. cui Præpositiui sententia placuit. Quam opinionem Arim. acriter impugnat Torres, & post eum Zumel. & Ban. *super hoc articulo* diluentes eius argumenta, ex quibus hoc videtur præcipuum. *Pater omnem* substantiam suam quam habet, communicat filio, definit Concilium Later. & habetur *in capit. Damnamus, de summa Trinit. & fide Cath.* ergo communicat illi omnem entitatem quam habet; sed non communicat illi relationem paternitatis; ergo pater non habet in se relationem paternitatis. *Respondent communiter* Patrem communicare filio omnem suam entitatem absolutam & essentialem, non autem relatiuam: Concilium autem loqui de substantia, prout dicit entitatem absolutam. *Quidam* verò dicunt Patrem communicare omnem rem, & omnem entitatem quam habet, sed non quo ad omnem modum eius realem. Nam licet in Patre sit vna simplicissima res siue entitas realis, duplicem tamen habet modum, videlicet absolutum & relatiuum, & tantum quo ad modū siue rationem formalem absolutam communicabilis est diuina essentia, non autem quo ad relatiuum. Itaque dicūt Patrem filio communicare rem illam, quæ realiter à filio distinguitur: & realitatem quæ est paternitas, sed non sub modo paternitatis siue quatenus est paternitas. Atque ideò propositiones has esse falsas, Pater communicat filio omnem modum realem quē habet: & Pater communicat filio omnem rationem realem, quam habet, sumendo modum siue rationem realem pro cōceptu obiectiuo reali; quia modi reales & rationes reales multæ sunt in Deo, adeò vt alius sit modus & ratio realis essentia, alia paternitas, alia spiratio, & alia sapientia &c. Qui dicendi modus benè & formaliter intellectus rationem Ariminensis dilucidit euidentius.

1. Solutio cōmunis.

2. Sol. melior.

An magis distinguatur essentia à relatione & attributis, quàm relatio à persona?

QVAERVNT hic expositores: *An magis distinguatur essentia à relatione & attributis quàm relatio à persona?* Respondent affirmatiuè Ferrar. *in 4. contra gent. cap. 26. & in 2. cap. 9.* Torres, Zumel. & Vasq. *disp 121. c. 5.* sed in reddenda causa seu ratione non conueniunt.

Suar. autem *lib. 5. cap. 3.* videtur negare maiorem esse distinctionem inter essentiam & relationem, quàm inter personam & relationem, quamuis cum Ferrar. & Turriano dicat se conuenire in modo distinctionis personæ à relatione. Sed tamen valdè differunt in sententia Ferrarienſis & Torres. Hīc enim nullum huius distinctionis admittit in re fundamentum, sed in modo tantum nostro concipiendi: ille verò non negat, sed magis supponit in re prædictæ distinctionis fundamentum.

Huic verò quæsito satisfit ex his, quæ latè diximus *supra q. 28. a. 2. controu. 1. præsertim concluſ. 6.* vbi probauimus maiorem esse distinctionem inter essentiam & relationes, quàm inter essentiam & attributa; quia scilicet distinctio relationis, puta paternitatis ab essentia, fundatur in oppositione & distinctione reali, quam habet paternitas respectu filiationis, qualem oppositionem & distinctionem non habent attributa; quorum tamen distinctio tàm ab essentia, quàm à relationibus & inter se in eo posita est, quòd modum habent diuersarum formarum, quarum vna non includit aliam, eo modo quo commune clauditur in particulari, atque ideo ratione formali directè significata dicuntur differre, nec formaliter sumpta deinuicem prædicantur, sed materialiter tantum & identicè: persona verò & relatio, puta pater & paternitas idem formale & directè significatū, sed differunt in modo significandi in re fundamentum habente. Nam paternitas simplicem relationem significat, sed Pater eandem significat vt in habente, scilicet in supposito. Itaque ex modo significādi includit suppositum, & relationi perfectionem adiungit subsistentiæ; quamuis vt dictum est formale & directè significatum idem sit. Quamobrem verum est, quod plures dicunt, eandem esse differentiam patris à paternitate, & Dei à deitate, & vniuersaliter cuiusuis abstracti in diuinis à suo concreto. Quam differentiam explicat optimè Bann. *in respons. ad 1. argum. Gregorij.* Vbi aduerte, ad hoc vt relatio dicatur esse in persona, duo requiri scilicet identitatem realem & distinctionem in ratione quo & quod, & ideo absolutè dici relationem esse in persona, non tamen dici absolutè relationem distingui à persona; quia in nomine talis distinctionis nihil importatur reale.

Et ex his breui compendio significatis perspicuè patet, quid censendum sit de varijs expositorum dicendi modis.

Obiecta Suar. contra Vasquezū.

Quæ verò Suar. obijcit Vasq. *in allegato libro 5. c. 3.* soluuntur ex dictis *in supra commemorata controu. 1. q. 28. a. 2.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum personæ distinguantur per relationes.

2ti. 1. dist. 26 q. 2. art 3. p. q. 8 a. 3. & q. 9. a. 5. ad 18.

AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd personæ non distinguantur per relationes, Simplicia enim seipsis distinguuntur: sed personæ sunt maxime simplices. Ergo distinguuntur seipsis, & non relationibus.*

2 Præterea. Nulla forma distinguitur, nisi secundum suum genus. Non enim album à nigro distinguitur, nisi secūdum qualitatem. Sed hypostasis significat indiuiduum in genere substantiæ. Non ergo relationibus hypostases distingui possunt.

3 Præterea Absolutum est prius quàm relatiuum: sed prima distinctio est distinctio diuinarum personarum. Ergo diuinæ personæ non distinguuntur relationibus.

4 Præterea Id quod præsupponit distinctionem, nō potest esse primum distinctionis principium. Sed relatio præsupponit distinctionem, cùm in eius diffinitione ponatur: esse enim relatiui est ad aliud se habere. Ergo primum principium distinctiuum, in diuinis non potest esse relatio.

Sed contra est, quod Boet. dicit in lib. de Trin. quòd sola relatio multiplicat trinitatem diuinarum personarum.

Boe. de Tri. non procul à fine lib.

Respondeo. Dicendum, quòd in quibuscunque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid distinctiuum. Vnde cum tres personæ conueniant secundum essentiæ vnitatem, necesse est quærere aliquid, pro distinguantur ad hoc quòd plures sint. Inueniuntur autem in diuinis personis duo, secundum quæ differunt, scilicet origo, & relatio. Quæ quidem quamuis re non differant, differunt tamen secundum modum significandi. Nam origo significatur per modum actus, vt generatio; & relatio verò per modum formæ, vt paternitas. Quidam igitur attendentes, quòd relatio consequitur actum, dixerunt quòd hypostases in diuinis non distinguuntur per originem, vt dicamus quòd pater distinguitur à filio, inquantum ille generat, & hic est genitus. Relationes autem siue proprietates manifestant consequenter

2tiæ

hypo-

hypostasum siue personarum distinctiones: sicut & in creaturis proprietates manifestant distinctiones individuorum, quæ fiunt per materialia principia. Sed hoc non potest stare propter duo. Primò quidem, quia ad hoc quòd aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum vtrique: sicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam. Origo autem alicuius rei non significatur, vt aliquid intrinsecum, sed vt via quædam à re, vel ad rem. Sicut generatio significatur vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante. Vnde non potest esse, quòd res genita, & generans distinguantur sola generatione: sed oportet intelligere tam in generante quam in genito ea, quibus abinuicem distinguuntur. In persona autem diuina non est aliud intelligere, nisi essentiam, & relationem, siue proprietatem. Vnde cum in essentia conueniant, relinquitur ꝙ per relationes personæ abinuicem distinguantur. Secundò, quia distinctio in diuinis personis non est sic intelligenda, quasi aliquid commune diuidatur: quia essentia communis remanet indiuisa: sed oportet quòd ipsa distinguentia constituant res distinctas. Sic autem relationes, vel proprietates distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas, inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut paternitas est pater, & filiatio est filius, eò quòd in diuinis non differunt abstractum & concretum. a Sed contra rationem originis est, quòd constituat hypostasim vel personã. Quia origo actiuè significata significatur vt progrediens à persona subsistente, vnde præsupponit eam. Origo autem passiuè significata (vt natuitas) significatur vt via ad personam subsistentem, & nondum vt eam constituens. Vnde melius dicitur, quòd personæ, seu hypostases distinguantur relationibus quàm per originem. Licet enim distinguantur vtroque modo, e tamen prius, & principalius per relationes secundum modum intelligendi. Vnde hoc nomen, pater, non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim. Sed hoc nomen genitor vel generans significat tantum proprietatem. Quia hoc nomen, pater, significat relationem, quæ est distinctiua, & constitutiua hypostasis: e hoc autem nomen generans, vel genitus significat originem, quæ non est distinctiua & constitutiua hypostasis.

Ad Primum ergo dicendum, quòd personæ sunt ipse relationes subsistentes. Vnde non repugnat simplicitati diuinarum personarum, quòd relationibus distinguantur.

Ad Secundum dicendum, quòd personæ diuinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neq; in aliquo absoluto, sed solum secundum id, quòd ad aliquid dicuntur. Vnde ad earum distinctionem sufficit relatio.

Ad Tertium dicendum, quòd quantò distinctio prior est, tantò propinquior est vnitati. Et ideo debet esse minima. Et ideo distinctio personarum non debet esse, nisi per id quod minimum distinguit, scil. per relationem.

Ad Quartum dicendum, quæ relatio præsupponit distinctionem suppositorum quando est accidens: e sed si relatio sit subsistens, non præsupponit, sed secum fert distinctionem. Cùm enim dicitur, quòd relatiui esse, est ad aliud se habere: per ly aliud, intelligitur correlatiuum quod non est prius, sed simul natura.

a 210.
b 13 195
c b 186
b 166

Sensus quæsiti.

QVAERITVR hic de primò distinctiuis & de relationibus formaliter sumptis, prout distinguuntur nedum contra absoluta, sed etiam contra origines in modo concipiendi & signficandi. Syluester huic quæsito prolixam A adhibet explicationem minimè necessariam. Vide latam expositionem Zumelli.

Forma Textus.

PRAEMISSIS quibusdam ad intelligentiã propositæ difficultatis necessarijs, refert primò S. D. opinionem D. Bonau. duo dicentis. *Primum* est, personas non distingui per relationes, sed per origines. *Secundum* est, relationes siuè proprietates manifestare consequenter hypostasum siue personarũ distinctiones. Secũdò aduersus prædictam opinionem statuit duas conclusiones, & earum probationibus eam confutat.

PRIMA CONCL. *est. Personæ diuinæ non possunt primo distingui per origines sed tantum per relationes.* Probatur dupliciter. Primò. Ad hoc vt aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum & proprium: sed origo non significatur vt aliquid intrinsecum, relatio verò & propria est & significatur vt in persona: Ergo &c. Maior propositio probatur ex creaturis, quarum distinctio est vel per materiam vel per formam. Minor autem quo ad primam partem probatur; quia generatio significatur vt via quę dam ad rem genitam, & vt progrediens à generante. Quo ad secundã verò probatur; quia in persona diuina nõ est aliud intelligere, nisi essentiam & relationem siue proprietatẽ: essentia verò communis est, cùm in ea personæ conueniant: ergo relatio sola propria est, & distinctiua. Secũdò sic probatur cõclusio. Distinctiuum personale in diuinis est cõstitutiuum personę, sed origini repugnat esse constitutiuum personæ, non autem relationi: ergo non origo, sed relatio distinguit. Probationes maioris & minoris optimè format Caietanus.

B C

SECVNDA CONCL. *Personæ diuinæ non solum distinguuntur per relationes, sed etiam aliquo modo per origines: melius tamen per relationes, quàm per origines.* Probatur, quia prius & principalius distinguuntur per relationes secundum modum intelligendi: ergo &c. Antecedens probatur: quia hoc nomen Pater non solum significat proprietatẽ, verum etiam hypostasim: sed hoc nomen genitor significat tãtum proprietatem: ergo &c. Probatur hoc assumptum; quia hoc nomen Pater significat relatonem, quæ est distinctiua & constitutiua hypostasis: hoc autem nomen generans, vel genitus significat originẽ, quę nõ est distinctiua & cõstitutiua hypostasis.

D

Expositio Textus.

HIC ADVERTIT Cai. limitari quæstionẽ præsentis articuli ad relationes & origines; cui nimirum ex his conueniat personarum distinctio. Cum autem relatio, puta paternitas, duplicem habeat actum: alterum proprietatis personalis, prout est forma quædam hypostatica & indiuidualis soli primæ personæ conueniens & eam constituens; & alterum relationis vt sic, quatenus est ratio referendi patrem ad filium. S. D. hic non fuit solicitus duos actus iam dictos in relatione distinguere, sed vtrumque sub vna voce relationis complexus est, distinguẽs relationem cõtra originẽ. Quamobrem in hoc articulo quandoque ponit proprietatẽ pro relatione, & vtrumq; simul, quandoque coniungit dicens. *Relationes siue proprietates.* Cuius rei triplicem affert causam Cai. quæ potest in vnam redigi dicendo duos illos actus relationi conuenire, quatenus relatio est, id est sub expressa ratione relationis; nam, *vt in a. 4. huius q.* dicemus, eadem relatio formaliter vt concepta

E

constituit, velut hypostatica forma & proprietas indiuidualis: vt autem exercita, id est vt oppositа suo termino relatiuè distinguit.

PRIMA DVBITATIO. *Quo sensu accipiendum sit relationem, & originem differre quoad modum significandi.*

Rationes dubitandi. DIFFERENTIAM statuit S. D. inter relationem & originem, primò quidem in communi dicens eas etsi vnum re sint, differre tamen secundum modum significandi: deinde in speciali subdens originem significari per modum actus, vt generatio, relationem verò per modũ formæ, vt paternitas; & *paulò inferius* adiungit originem non significari vt aliquid intrinsecũ, sed vt viam quandam à re vel ad rem: relationẽ autem intelligi vt in persona. Est igitur de vtroque modo distinguendi difficultas, quam B hic excitat Cai. & alij post eum plures expositores. Apparet enim primò falsum relationem & originẽ distingui in modo significãdi; quoniam vtraque significatur in concreto & in abstracto, adiectiuè & substantiuè, & cæteris alijs modis significandi.

Deinde contra expressam in speciali differentiam est argumentum. Nam vel hoc, quod est significari per modum formę, idem est quod significari per modum principij formalis in denominando, id est vt quo aliquid tale est: aut tanquam rem inhærentem. Si primum, differentia nulla est; nam sicut paternitas est qua pater est & dicitur pater: ita generatio est qua dicitur & est aliquis generans. Si secundum, falsum est relationem significari per modum inhærentis & formæ; docet enim S. D. *de pot. q. 8. a. 2.* relationem, quamuis insit, non significari tamen vt inhærentem; quod idem affirmat eo loco de actione. Quo fit vt nulla sit in hoc actionis & relationis differentia. Et eandem doctrinã videtur supra tradidisse *q. 28. a. 1.* vbi statuit differentiam inter relationem & alia genera; quod propria ratio relationis nõ accipitur per comparationem ad illud in quo est, sed per cõparationem ad aliquid extra; in alijs verò generibus, vtpote quantitate & qualitate etiam propria ratio generis accipitur per comparationem ad subiectum.

Duplici via soluitur proposita dubitatio. Huic difficultati respondet Cai. duplicem D esse modum significandi, scilicet grammaticè seu ex parte nominis significantis, & Metaphysicè seu ex parte rei siue rationis formalis significatæ, adeo vt plures vnius rei rationes formales sint, & dicãtur plures illius modi. Quoniam igitur vnius & eiusdem rei relatiuę, alia ratio significatur nomine relationis, & alia nomine originis, siue nominibus vtamur abstractis siue concretis, siue quouis alio significandi modo grammaticali; ideo affirmat S. D. relationem & originem cum vnitate reali diuersum habere modum significandi. Et per hoc soluitur obiectio contra differentiam originis & relationis in communi.

Ad argumentum autem contra differentiam in speciali respondet Cai. significari per modum formæ idem esse, quod significari per modum inhærentis, seu per modum dantis esse formaliter; quia forma est quæ dat esse formaliter; & sermo est (inquit) de modo significandi non ex parte nominis, sed ex parte rationis significatæ; ita vt cum dicimus relationem significari per modum formæ, idem sit, ac si diceremus relationem, puta paternitatem significare rationẽ formale dãtem esse formaliter, siue qua aliquid est tale formaliter, vt paternitate pater. Ad ra- A tionem autem aduersus hanc partem respondet Caiet. discrimen esse inter realem actionem & realem relationem; quòd actio tam vt actio, quàm vt realis actio rationem habet egredientis, & si forsitan insit; relatio verò realis, quamuis vt relatio est, non habeat rationẽ nisi assistẽtis; tamen vt relatio realis est, rationem habet nedum assistentis, sed etiam inhærentis. Et qm̃ hæc ratio formalis inhærentis significatur nomine relationis, puta paternitatis, idcircò dicitur relatio significare per modum inhærẽtis seu per modum formæ, non grammaticè sed metaphysicè. Origo verò, quia significat rationẽ formaliter ab alio in aliud tendentem, & habentem rationem egredičtis, dicitur significari per modum actionis & viæ à re vel ad rem. Propter quam differentiam hic & inferius in *a. 4.* relationi attribuitur cõstituere & distinguere personas, non autem origini. Eandem solutionem appobant, & adhibent Iauellus & Torres *in 4. parte commentarij*, vbi latè & distinctè versat hanc difficultatem. Cuius dicta ferè omnia Zumel. inseruit suæ primæ disputationi *super hoc a. in fin.*

Paternitas non est ad aliquid. Ex quibus vnum est obseruandum, videlicèt paternitatem non esse ad aliquid, sed potius rationem qua res aliqua est ad aliquid: & D. Tho. de potentia loqui de ad aliquid, quod est relatiũ & concretum relationis, non de relatione in abstracto; significatur enim relatio in abstracto vt concepta, non vt exercita: per hoc autem no- C men ad aliquid significatur vt exercita, vt scitè aduertit Caiet. *in suo Commentario Prædicamenti ad aliquid.*

Obiectio. *Sed contra* hoc est; quia S. D. ibidem loqui videtur de relatione abstractè sumpta, cùm de relatione loquatur prout à persona & ab essentia distinguitur, vt manifestè patet ex tota illius articuli doctrina.

Resp. D. Tho. in c. illius articuli satis apertè loqui de ad aliquid prout est vnũ genus distinctum contra alia genera. Vbi etiam aduersus Porrectanos explicat rem nomine ad aliquid significatam, & modum eius significandi, in quo tota consistebat de quæstione ibidem proposita difficultas à Porrectanis excitata. Sed quoniam aliæ etiam difficultates emergunt ex ratione relationis abstractè sumptæ; idcircò de relatione etiam in abstracto loquitur ibi S. D.

2. sol. dubit. *Breuius tamen* & facilius prædicta difficultas posset expediri dicendo primò, paternitatem & omnem aliam relationem realem habere ex sua ratione esse fixum & permanens; originẽ aũt actiuè significatam esse influxũ personæ producentis in personam productã: passiuè autem esse defluxum personæ productæ à producente. Secundò actionem & relationem significari per modum tendentis in aliud, sed diuerso modo; quoniam actio significatur vt in aliud tendens, E & vt quasi deferẽs operantem, à quo procedit: relatio verò nõ ita significatur in aliud tẽdens, vt sit quasi deferẽs rem relatam, sed vt eam attingens, & vt quasi medium inter fundamentum & terminum attingens vtrumque. Tertiò dici potest relationem realem non significare ad præcisè, sed simul etiam in, quamuis expressè tantum significet ad: nam, exempli gratia, hoc nomen paternitas, relationem significat realem, qua formaliter aliquis dicitur pater, & hoc ipso, quod habet rationem quo significat in, & habet rationem formæ: si verò cõcretè significetur, multò magis significat aliquid

fixum

fixum & permanens; quia significat formam vt in habente, siue potius ipsum suppositum habens formam scilicet paternitatem. A

Secvnda Dvbitatio. *De sensu illius propositionis: Relationes constituunt personas, inquantum sunt ipsæ personæ, & de eius ratione, quia scilicet in diuinis non differunt abstractum & concretum.*

Haec dubitatio tangitur in argumẽto primo D. Tho. & examinant eam expositores *super hoc a.* quidam autem *super vlt. a. huius q.* in quem locum difficultatem hanc cum alijs de personarum constitutiuis remittimus, vt ex omnium simul connexione definitio deducatur apertior.

Tertia Dvbitatio. *De veritate & sensu illius propositionis D. Th. oportet vt ipsa distinguentia constituant res distinctas.* B

Ratio dubit. Movent hanc dubitationem Iauellus *super hoc articulo*, & Torres *in 4. parte commentary.* Ratio dubitandi est; quia spiratio distinguit patrem & filium à Spiritu S. & tamen nullam personam constituit.

1. Sol. Turr. Confut. Respondet Torres *primò* S. Th. loqui de proprietatibus personalibus. *Sed hæc responsio* nõ videtur vera; quia S. Th. subsumit: *sic autem relationes, vel proprietates distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes.* In quibus verbis cùm disiunctiuè loquatur, & dicat, *distinguunt vel constituunt*, videtur etiam voluisse complecti spirationem, C quæ nullam personam constituit. Et præterea loquitur hic S. D. de relationibus in vniuersum, prout distinguuntur contra origines.

2. Sol. Turr. *Secundò respondet* spirationem secundum modum nostrum intelligendi constituere spiratorem, eo modo quo abstractum constituit concretum, vt deitas Deum: nec tamen inde sequi spiratorem esse quartum constitutum aut esse *Confut.* personam. *Sed hæc responsio* videtur contraria textui, in quo dicitur relationes constituere personas, siue hypostases; igitur non videtur ea propositio extendenda ad spiratorem, qui licèt sit subsistens, non tamen est hypostasis.

3. sol. Iauel. *Melior* videtur responsio Iauelli dicentis D eam propositionem non esse vniuersaliter intelligendam de distinctiuo, sed limitatè scilicet de distinctiuo non præuento à priori constitutiuo. Quare concedo (inquit) quòd nisi communis spiratio præueniretur à paternitate & filiatione, constitueret patrem & filium, qui tunc constituerentur vt vnum suppositum, cùm non haberent in eo casu oppositionem relatiuam ad inuicem: tunc enim non essent Pater & filius, sed tantum spirator.

4. Solutio. *Quartò* dici posset quæsitum vniuersaliter à D. Th. fuisse propositum; vtrum personę distinguantur per relationes: sed difficultatem esse E præcipuè de relationibus & originibus, vni tantum personæ proprijs, de quibus solis procedit expresè secunda ratio contra D. Bonau. in qua continetur dicta propositio. Altera verò ratio, scilicet prima vniuersalis est, & satisfacit vniuersali quæsito; & secundum hoc sustineri potest prima responsio Turriani.

Ad rationẽ Dubit. *Ad rationem* autem *primam* in oppositum, quòd S. Thom. loquitur hic disiunctiuè dicendo, *distinguunt vel constituunt*, facilè dicitur, hoc modo loquendi significari conuertibilitatem constitutiui & distinctiui, de quo loquitur secunda ratio scilicet distinctiui, proprij soli personæ distinctæ. Vnde statim profert in exemplum paternitatem & filiationem, vt proprietates constitutiuas & distinctiuas patris & filij. *Ad secundam*, verò iam diximus vniuersali quæsito satisfieri per primam rationem D. Tho. in secunda verò sermonem esse restrictum ob dictam causam.

Deniq; potest optimè dubitationi satisfieri di- *Vlt sol.* cendo distinguentia constituere res distinctas non repugnanter: constat autẽ ex prima ratione pro prima conclusione origini ex propria ratione repugnare constitutionem personæ, non autem relationi, quæ significatur vt forma: quãuis repugnet tali relationi, scilicet spirationi; quia personas, quibus inest, iam per alias relationes constitutas præsupponit.

Postremò circa illam propositionem; *Necesse est distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum vtrique distincto, sicut in rebus creatis, vel per materiã, vel per formam:* aduertit Cai. hoc habendum esse pro fundamento in materia de principio indiuiduationis, vt non ponatur quantitas intrinsecum distinctiuum sortis à Platone. Sed quomodo quantitas sit intrinsecum indiuiduationis principium, diximus vberrimè *supra q. 3. a. 2.* Iauel. hic ait quantitatem esse intrinsecam Socrati & Platoni, quatenus numeraliter quantitatiuè distinguuntur.

Circa resp. ad 3. argum. vide Cai. & D. Th. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 2. ad 2.*

Quartum argum. cuius responsionem explicat Caiet. alio modo soluitur *de poten. q. 8. a. 3. ad 12.* C

Articvlvs Tertivs.

Vtrum abstractis per intellectum proprietatibus, seu relationibus à personis adhuc remaneant hypostases.

Ad Tertium sic proceditur. *Videtur, quòd abstractis per intellectum proprietatibus, seu relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases. Id enim ad quod aliquid se habet ex additione, potest intelligi remoto eo quod sibi additur. Sicut homo se habet ad animal ex additione, & potest intelligi animal remoto rationali. Sed persona se habet ex additione ad hypostasim. Est enim persona hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente.* c *Ergo remota proprietate personali à persona, intelligitur hypostasis.* 2 2 1. dist. 26. q. 1. a 2 & po. q 8. a. 4 & opu. 3 c. 61. & 62. b 171

2 *Præterea. Pater non ab eodem habet quòd sit pater, & quòd sit aliquis. Cùm enim paternitate sit pater: si paternitate esset aliquis, sequeretur quòd filius, in quo non est paternitas, non esset aliquis. Remota ergo per intellectum paternitate à patre, adhuc remanet quòd sit aliquis, quod est esse hypostasis. Ergo remota proprietate à persona, remanet hypostasis.*

3 *Præterea. Aug. dicit 5. de Trin.* Non hoc est dicere ingenitum quod est dicere patrem. Quia si filiũ non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum: sed si filium non genuisset, non ineset ei paternitas. Ergo remota paternitate adhuc remanet hypostasis patris, vt ingenita.* * Li. 5 de Tri. c 6. in prin. to. 3.

Sed contra est, quòd Hylar. dicit 4. de Trin.† Nihil habet filius nisi natum. Natiuitate autem est filius. Ergo remota filiatione, non remanet hypostasis filij. Et eadem ratio est de alijs personis. † Lib. 4. de tri. non multum remotè à princ.

Respond. Dicendum, quòd duplex sit abstractio per intellectum. Vna quidem, secundùm quod vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine. Alia verò secundum quod forma abstrahitur à materia. Sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili.

Inter has autem abstractiones hæc est differentia, quòd in abstractione quæ fit secundum vniuersale & particulare, non remanet id, à quo fit abstractio. Remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal.

In abstractione verò quæ attenditur secundum formam à materia, vtrumque manet in intellectu. Abstrahēdo enim formam circuli ab ære, remanet seorsum in intellectu nostro & intellectus circuli & intellectus æris. Quamuis autem in diuinis non sit vniuersale, neque particulare, nec forma, & materia secundum rem, tamen secundum modum significandi inuenitur aliqua similitudo horum in diuinis, secun-

Lib. 3 orth. fid. c. 6. in prin *dum quem modum Dam.* dicit, quòd commune est substātia, particulare verò hypostasis. Si igitur loquamur de abstractione, quæ fit secundum vniuersale & particulare, remotis proprietatibus remanet in intellectu essentia communis, non autem hypostasis patris, quæ est quasi particulare. Si verò loquamur secūdum modum abstractionis formæ à materia, remotis proprietatibus non personalibus, remanet intellectus hypostasum & personarum. Sicut remoto per intellectum à patre, quòd sit ingenitus, vel spirans, remanet hypostasis, vel persona patris. Sed remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. Non enim proprietates personales sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti, sed ferunt secum sua suppositа, inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes. Sicut paternitas est ipse pater. Hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis, cùm hypostasis sit substantia indiuidua Cùm igitur relatio sit quæ distinguit hypo-*

Art præc. *stases, & constituit (vt dictum est*) relinquitur, ꝙ relationibus personalibus remotis per intellectum, non*

Art. præc. *remaneant hypostases. Sed (sicut dictum est †) aliqui dicunt quòd hypostases in diuinis non distinguuntur per relationes, sed per solam originem, vt intelligatur pater esse hypostasis quædam per hoc, ꝙ non est ab alio: filius aūt per hoc, quòd est ab alio per generationem. Sed relationes aduenientes quasi proprietates ad dignitatem pertinentes constituunt rationem personæ. Vnde & personales dicuntur. Vnde remotis huiusmodi relationibus per intellectum, remanent quidem hypostases, sed non personæ. Sed hoc non potest esse propter duo. Primò, quia relationes distin-*

Art. præc. *guunt, & constituunt hypostases, vt ostensum est.* Secundò, quia omnis hypostasis naturæ rationalis*

Boet lib. de duab nat à princ. lib. *est persona vt patet per diffinitionem Boet. dicentis, quòd persona, est rationalis naturæ indiuidua substantia. Vnde ad hoc quòd esset hypostasis, & non persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationalitatem, non autem ex parte personæ proprietatem.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd persona non addit supra hypostasim proprietatem distinguentem absolutè, sed proprietatem distinguentem ad dignitatem pertinentem. Totum enim hoc est accipiendum loco vnius differentiæ. Ad dignitatem autem pertinet proprietas distinguens, secundum quod intelligitur subsistens in natura rationali Vnde remota proprietate distinguente à persona, non remaneret hypostasis, sed remaneret, si tolleretur rationalitas naturæ. Tam enim persona quàm hypostasis, est substantia indiuidua. Vnde in diuinis de ratione vtriusque est relatio distinguens.

Ad Secundum dicendum, quo paternitate pater non solum est pater, sed est persona: & est quis, siue hypostasis. Nec tamen sequitur quòd filius non sit quis, siue hypostasis, sicut nō sequitur, quod non sit persona.

Ad Tertium dicendum, quòd intentio Aug. non fuit dicere, quòd hypostasis patris remaneat ingenita, remota paternitate, quasi innascibilitas constituat, & distinguat hypostasim patris. Hoc enim esse non potest, cùm ingenitum nihil ponat, sed negatiuè dicatur: e vt ipsemet dicit. Sed loquitur in communi: quia non omne ingenitum est pater. Remota ergo paternitate, non remanet in diuinis hypostasis patris, vt distinguitur ab alijs personis, sed vt distinguitur à creaturis: sicut Iudæi intelligunt.

A

B

C

D

E

o 188

Sensus quæsiti.

TRES huius tituli voces egent nitore. Prima est dictio illa, *abstractis*, quam perspicuè distinguit & explicat D.S. *in c.* Secunda est vox illa, *proprietatibus seu relationibus*, qua significantur, vt aduertit Cai. notiones siue sint personales, siue non personales, vt innascibilitas & spiratio. Postrema est nomen illud *hypostases*, quo significatur indiuiduum substantiæ, quod in qualibet eius specie reperitur: atque ideo communius est persona, quæ in sōla est rationali siue intellectuali natura.

Forma Textus.

DISTINGVIT *primò* S. D. abstractionem, quæ fit per intellectum, in eam qua vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine; & eam qua forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum, ab omni materia sensibili: Quarum differentia perspicuè explicatur in textu.

Secundò statuit tres conclusiones.

PRIMA CONCL. est. *Remotis proprietatibus à personis per abstractionem vniuersalis à particulari remanet in intellectu essentia communis, non autem hypostasis Patris, quæ est quasi particulare: & eadem ratione nulla alia remanet hypostasis.* Probatur ex differentia inter abstractionem vniuersalis à particulari & formæ à materia, subsumendo pro minori; quamuis in diuinis non sit vniuersale neque particulare, nec forma & materia secundum rem, inuenitur tamen secundum modum significandi aliqua similitudo horum; ergo remotis &c. Probatur minor ex Damasc. sic loquente; quod commune est substantia, particulare verò hypostasis.

SECVNDA CONCL. *Remotis proprietatibus non personalibus per modum abstractionis formæ à materia remanet intellectus hypostasum & personarum.* Declaratur & probatur; quia remoto per intellectum à Patre, quòd sit ingenitus vel spirans, remanet hypostasis vel persona Patris.

TERTIA CONCL. *Remota per eundem abstractionis modum proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis.* Probatur ex duplici actu proprietatis personalis, qui sunt constituere & distinguere, hoc modo: Hypostases significāt aliquid distinctum in diuinis: sed relatio est quæ constituit & distinguit hypostases: ergo remotis per intellectum relationibus personalibus non remanent hypostases. Maior probatur, quia hypostasis est substantia indiuidua. Minor autem probatur: quia proprietates personales non sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto prꝙexistenti. sed ferunt secum sua suppositа, inquantū sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut paternitas est ipse pater: ergo proprietates siue relationes sunt, quæ constituunt & distinguūt hypostases.

Tertiò refert opinionē dicētium remotis per intellectū relationibus personalibus remanere quidem hypostases, sed non personas. Priorem partem probabāt: quia hypostases in diuinis nō distinguūtur per relationes, sed ꝑ origines, &c. Secunda verò pars: quia relationes aduenientes quasi proprietates ad dignitatē pertinentes cōstituunt rationem personę, atq; ideo personales dicun-

dicũtur. Hanc opinionem quo ad primam eius dicti partem sic impugnat S. D. Relationes distinguunt & constituunt hypostases, vt probatum est *articulo præcedente*; ergo &c. Quo ad secundam verò partem; quia omnis hypostasis naturæ rationalis est persona; ergo ad hoc vt esset hypostasis & nõ persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationalitatẽ, non autem ex parte personæ proprietatem siuè relationem. Antecedens probatur ex diffinitione personę à Boetio tradita, videlicet Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.

Expositio Textus.

DVos abstractionis modos latè distinguit & explicat Caiet. *in comm. de ente, & essentia, in quæstione de primo cognito.* Quomodo verò diuinis congruant duo prædicti abstractionis modi, declarat. S. D. *3. p. q. 3. a. 3. in c. & ad 3. & ibidem* Cai. explicans, & concilians dicta D. Tho. quæ videntur pugnantia.

Dubitationem mouent Ban. & Zumel. circa primam concl. An remotis proprietatibus, per modum abstractionis vniuersalis à particulari, natura quæ remanet sit verè persona. Cuius solutionem apud eos lege, si placet.

Caiet dubitatio, & solutio. Impugnatio valentiæ confutata.

De veritate secundæ conclusioni lege dubitationem formatam & solutam à Cai. cuius solutionem, vt falsam reprehendit Val. falsò nimirum innixus fundamento superius *q. 36. a. 2.* latè confutato. Existimat enim filium filiatione distingui à Spiritu S.

Circa probationem tertiæ concluſ. legenda est explicatio Cai. quam declarat Iauel. de qua redibit sermo in q. magna de constitutiuis & distinctiuis diuinarum personarum *in seq. artic.*

Caiet. exposito.

Aperit hic Cai. vim rationis D. Th. quia confutat secundam partem dicti relatæ opinionis in textu; consistit autem in hoc, quod persona super hypostasim nihil adiungit ex parte indiuidui, vt patet ex allata diffinitione Boetij. Cũ itaq; relationes sint proprietates indiuiduales, se tenent ex parte indiuiduationis, ideo relationes çquè sunt proprietates hypostasis, sicut sunt proprietates personæ, & æqualis est abstractio personæ, & hypostasis ex parte indiuiduationis siuè proprietatis. Sed quia persona super hypostasim addit ex parte naturæ intellectualitatem, quæ magnam significat dignitatem: ideò dignitas, qua differt persona ab hypostasi, tota se tenet ex parte naturę; ac propterea legitima est illa consequentia D. Th. videl. ergo ad hoc vt esset hypostasis & non persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationalitatem, non autem ex parte personæ proprietatem, vt satis explicat S. D. *in respons. 1.*

Postremò lege, si placet, quæ scribunt Caiet. & Iauellus circa reponſ. *ad secundum argumentum.*

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus.

213 1 di. 27. q. 1. artic. 2 & pot. q. 10. ar. 3 & op. 3. c. 63. & 64.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quod actus notionales præintelligantur proprietatibus. Dicit enim magist.* * *27. dist 1. sent. quòd pater semper est quia genuit filium. Et ita videtur, quòd generatio secundum intellectum præcedat paternitatem.*

2. Præt. Omnis relatio præsupponit in intellectu id, supra quod fundatur: sicut æqualitas quantitatem. Sed paternitas est relatio fundata super actione, quæ est generatio. Ergo paternitas præsupponit generationem. *1 ib. 1. disp. 27. par. 6.

3. Præter. Sicut se habet generatio actiua ad paternitatem, ita se habet natiuitas ad filiationem. Sed filiatio præsupponit natiuitatem. ideo enim filius est, quia natus est. Ergo, & paternitas præsupponit generationem.

Sed contra. Generatio est operatio personæ patris. Sed paternitas constituit personam patris. Ergo prius est secundum intellectum paternitas quàm generatio.

Respondeo. Dicendum, quod secundum illos qui dicunt, quòd proprietates non distinguunt, & constituunt hypostases, e sed manifestant hypostases distinctas & constitutas, absolutè dicendum est, quod relationes secundum modum intelligendi, consequuntur actus notionales, vt dici possit simpliciter, quod quia generat, est pater. Sed supponendo quòd relationes distinguant & constituant hypostases in diuinis, c oportet distinctione vti. Quia origo significatur in diuinis actiuè & passiuè: actiue quidem, sicut generatio attribuitur patri, & spiratio sumpta pro actu notionali attribuitur patri & filio. Passiuè autem, sicut natiuitas attribuitur filio, & processio spiritus sancto. Origines enim passiuè significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium etiam personales. Quia origo passiuè significata significatur vt via ad personam proprietate constitutam. Similiter & origo actiuè significata prior est secundum intellectum, quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis. Sicut actus notionalis spirationis, secundum intellectũ præcedit proprietatem relatiuam innominatam, communem patri & filio. Sed proprietas personalis patris potest considerari dupliciter. Vno modo, vt est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem. Quia relatio, inquantum huiusmodi, fundatur super actum. Alio modo, secundum quòd est constitutiua personæ, & sic oportet, quòd præintelligatur relatio actiui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni. 212 213

Ad Primum ergo dicendum, quòd cùm magister dicit, quòd quia generat, est pater: accipitur nomen patris secundum quòd designat relationem tantum, non autem secundum quòd significat personam subsistentem: sic enim oporteret è conuerso dicere, quòd quia pater est, generat.

Ad Secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de paternitate, secundum quòd est relatio, & non secundum, quod est constitutiua personæ.

Ad Tertium dicendum, quòd natiuitas est via ad personam filij. Et ideo secundum intellectum præcedit filiationem, etiam secundum quòd est constitutiua personæ filij. Sed generatio actiua significatur vt progrediens à persona patris. Et ideo, præsupponit proprietatem personalem patris.

Sensus quæsiti.

SVPPONITVR hic distinctio inter actus notionales, & proprietates *in primo sequentis quæstionis a.* declaranda. Verbum autem illud *præintelligantur* insinuat hic non esse quæstionẽ de ordine aliquo à parte rei, secundum prius & posterius temporis aut naturæ, qui nullus omninò est inter origines siuè actus notionales & relationes, immò nec inter personas ipsas, vt probatur infra *q. 42.* Nomine verò proprietatum relationes positiuæ & reales intelligũtur, siuè sint personales, siuè minimè. Quare sub

hoc quæsito non comprehenditur innascibilitas, quæ relatio non est, nisi reductiuè: de qua tamen idem est iudicium, quod de paternitate, quatenus est personæ patris constitutiua; cùm innascibilitas, vt supra diximus *qu. 33. a. 4. & q. 32. a. 2.* fundetur in fontali plenitudine soli personæ Patris conueniente.

Forma Textus.

PRAEMISSA vna conclusione, ad mentem eorum qui dicunt personas non relationibus sed originibus distingui & constitui, duplici distinctione & quatuor conclusionibus determinat veritatem.

CONCL. est. *Secundum prædictam opinionem dicendum est, quòd relationes secundum modum intelligendi consequuntur actus notionales, vt dici possit simpliciter, pater quia generat, est pater.* Ratio est; quia secundum eos relationes non distinguunt neque constituunt hypostases, sed manifestant eas distinctas & constitutas: origines autem siue actus notionales distinguunt & constituunt.

Prima distinctio est. Origo significatur in diuinis dupliciter, scilicet actiuè, sicut generatio quæ attribuitur patri, & spiratio sumpta pro actu notionali quæ attribuitur patri & filio; passiuè autem, sicut natiuitas quæ attribuitur filio, & processio quæ attribuitur Spiritui sancto.

Secunda distinctio est. Proprietas personalis patris potest considerari dupliciter: Vno modo, vt est relatio: Alio modo, vt est constitutiua personæ.

" PRIMA CONCL. est. *Origines passiuè significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectu proprietates personarum procedentium etiam personales.* Probatur; quia origo passiuè significata significatur vt via ad personam proprietate constitutam.

" SECVNDA CONCLVSIO. *Origo actiuè significata prior est secundum intellectum, quàm relatio personæ originantis, quæ nõ est personalis.* Probatur; quia actus notionalis spirationis præcedit secundum intellectum proprietatem relatiuam innominatam communem patri & filio, quæ solet dici spiratio.

" TERTIA CONCL. *Proprietas personalis patris considerata vt relatio præsupponit actum notionalem.* Probatur; quia relatio inquantum huiusmodi fundatur super actum.

" VLTIMA CONCL. *Oportet vt proprietas personalis patris, secũdum quod est constitutiua personæ, præintelligatur actui notionali.* Probatur; quia persona agens præintelligitur actioni.

Expositio Textus.

De constitutiuo spiratorio.

SECVNDA CONCL. eorum sententiæ fauere videtur, qui censent relatione spirationis communi Patri & filio non constitui spiratorem, vt quoddam subsistens commune secundum rem patri & filio: sicut hic Deus communis est secundùm rem tribus personis. Nam si relatio illa communis sequitur actum notionalem communem patri & filio, prius intelliguntur pater & filius vt vnus spirator, quàm sit in eis communis illa relatio. Actus enim spirandi præsupponit spiratorem iam constitutum. Cùm itaque relatio illa communis sequatur ex actu, erit eo posterior, & multò magis ipso spiratore, qui prior est actu. Sed huic difficultati plenè satisfecimus sup. *qu. 36. a. 4. contr. 2.* Val. hic se paucis expedit dicens D. Th. nondum disputasse de ratione potentiarum actuum notionalium, & ideò duplicem illam considerationem relationis hic omisisse, videlicet vt relatio est, & vt constitutiua est spiratoris. Nos aliam in dicta controuersia rationem adducimus.

Sensus secundæ distinctionis, & duarum vltimarum conclusionum explicabitur *in sequenti controuersia.*

CONTROVERSIA VNICA.

Per quid constituantur diuinæ personæ?

Sententia Doctorum.

QVIDAM ex antiquioribus Theologis sentire diuinas personas quibusdam cõstitui proprietatibus absolutis, ad quas dicebant consequi relationes. In hanc sententiam valde perpendet Scotus *in 1. dist. 26.* cuius authores refert Linconiensem & Ioann. de Rippa, & eandem ascribit D. Bonau. sed immeritò vt probat Cai. *in hac q. a. 2.* Nominat Zumel. *in dicto a. 2. disp. 1.* ex aliorum sententia quosdam alios huius opinionis sectatores. Ioann. Rada *cont. 23. a. 2.* hanc opinionem distinctè refert cum omnibus eius fundamentis, & affirmat eam esse temerariam & errori proximam, non tamen hæreticam manifestè, respondetque rationibus & argumentis ex sacris litteris, Conciliis & patribus produci consuetis contra dictam sententiam. In articulo verò 3. statuit quatuor conclusiones de mente Scoti. *Prima* est. Si concipiamus conceptu integro & completo primam personam in diuinis, necessariò concipimus eam relatiuam, puta patrem sub ratione patris. *Secunda.* Conceptu non integro & incompleto prius concipimus primam personam sub ratione hypostasis & personæ, quàm sub ratione generantis & quàm sub ratione patris. *Tertia.* Entitas constitutiua personæ patris prius concipitur (loquendo de conceptu non integro) sub ratione formæ hypostaticæ, quàm sub ratione generationis, & prius sub ratione generationis, quàm paternitatis. *Quarta.* Personæ diuinæ in ordine ad nostrã cognitionem imperfectam non constituuntur per relationes sub expressa relationũ forma, sed sub ratione formarum hypostaticarum, prout forma hypostatica abstrahit ab absoluto & relatiuo, estq; indifferens ad vtrumq;. *In controuersia verò 24.* tres constituit vltimas conclusiones. *Prima.* Relatio vt identificata cum essentia non tribuit personæ subsistentiam. *Secunda.* Relatio diuina non constituit personam subsistentem, prout sola ratione differt ab essentia. *Tertia.* Relatio secundùm propriam entitatem formalem, secundum quam est non eadem formaliter ex natura rei essentiæ diuinæ, constituit personam per se incommunicabiliter subsistẽtem. *In eodem etiam a.* ante prædictas conclusiones docet relationem originis primæ personæ ad secundam in re non habere nisi vnicam rationem formalem, & eam esse rationem paternitatis & generationis: ac proinde patrem sicut paternitate constituitur, ita & generatione à parte rei constitui. Deniq; *in cont. 23. a. 1.* statuit hanc conclusionem contra D. Th. & Caiet. Personæ diuinæ, non solum secundum quod à nobis concipiuntur, sed etiam secundum esse quod habent à parte rei, suis proprietatibus distinguuntur & constituuntur, & non seipsis. Quam probat quatuor argumentis inferius adducendis.

Gregor. Arimin. Præpositiuum sequutus *in 1. dist. 26. & 27 q. 1.* sentit diuinas personas seipsis per se primò distingui, cuius sentẽtiam esse veram

ram affirmat Cai. loquendo de diuinis personis secundum se, non autem vt sunt nobis notæ & significatæ. Quod prius etiam docuerat S. Th. *in 1. dist. 26. q. 2. a 1. ad 5.*

S. Bonau. *in 1. dist. 26. q. 3.* docet diuinas personas primò distingui, & constitui per origines. Eius sententiam *hic, & supra a. 2.* S.D. validis confutat argumentis.

Mol. *super hic, ar. disp. 2.* dicit quinq;. *Primum.* Sententia Cai. dicentis relationem paternitatis vt conceptã constituere personam patris in esse relatiuo, non tamen relatiuè exercito, non videtur probabilis. *Secundum.* Non congruit diuinis distinctio Ferrar. & Capr. nimirum paternitatem duobus modis posse spectari: Vno modo vt paternitas est apprehẽsa hoc conceptu relatiuo paternitas: Alio modo vt est hæc substantia incommunicabilis, nempè proprietas substantialis complens primum suppositum SS. Trinitatis in esse huius substantiæ indiuiduæ seu incommunicabilis, vt apprehenditur conceptu absoluto. *Tertium.* Paternitas in diuinis non fundatur super generatione actiua, nec filius super natiuitate siuè generatione passiua tãquam ratione formali fundandi, sed paternitas & generatio sunt idem prorsus, & similiter filius & natiuitas. Si quod autem in diuinis constituendum sit fundamentum generationis actiuæ & paternitatis, illud est essentia præconcepta ante omnem relationem. Ratio verò fundandi est intellectio essentialis, qua naturaliter seipsum & cætera omnia in se intelligit. *Quartum* est. Generatio tam actiua quàm passiua seu (quod idem est) paternitas & filiatio secundum esse relatiuum paternitatis & filiationis, vna cum essentia & cæteris attributis absolutis constituunt ac distinguunt suppositа patris & filij. *Quintum.* Promiscuè dici potest personas cõstitui & distingui abinuicem relationibus originis aut actibus notionalibus, originibusve ipsis: quandoquidem idem omnino sunt in re formaliter ac virtute: eodemque modo ab essentia & attributis distiguuntur virtute, vnaque cum essentia constituunt suppositum in esse substantiæ relatiuæ incommunicabilis ab alijs diuinis suppositis distinctæ, quamuis accommodatius dicantur distingui relationibus, quàm actibus notionalibus.

Valentia *in eodem articulo secundo* propositæ difficultati satisfacit quatuor assertionibus. *Prima* est. Si disputatio hæc instituatur absolutè & de re ipsa, sic personæ diuinæ, nec per relationes solas, nec per origines solas, sed tum per origines, tum per relationes personales constituuntur & distinguuntur. *Secunda.* Si respiciamus conceptum vltimum & peculiarem, quem nos oportet formare de persona & de relatione & de origine diuina: sic sanè dicendum est, sm etiam nostrum modũ concipiendi, personas diuinas constitui per relationes & origines personales, quatenus relationes & origines sunt formaliter. *Tertia.* Si præcisè respiciamus ad conceptum vniuersalem inadæquatum, quem de persona diuina, relatione & origine formamus, sic secundum nostrum modum concipiendi personæ diuinę non constituuntur per relationes & origines formaliter: sed oportet, vt concipiatur relatio quatenus est diuina & subsistens. *Quarta* & vltima assertio est. Si respiciamus ad conceptum communem, quo ipsi conpimus relationes & origines creatas, & relationes, & origines diuinas, itemque personam creatam & personam diuinam, sic quidem personæ diuinæ ad nostrũ concipiendi modum cõstituuntur per relationes & origines: non quatenus relationes & origines formaliter sunt, sed quatenus proprietates quędam sunt subsistentes.

Vasq. *disput. 158. cap. 5* affirmat personas sola relatione posse constitui & distingui. Disput. verò *159. cap. 1.* dicit quatuor. *Primum* est. Constitutio personarum per proprietates est solum per rationem. *Secundum* Si personæ conceptu distincto & expresso concipiantur à nobis, rectè intelliguntur relatiuis proprietatibus sub expressa & formali ratione relationis constitui, excepta persona patris. *Tertium.* Concipi potest persona patris antequam intelligatur actu generare: non quidem sub conceptu patris: id enim repugnat, quia paternitas fundatur super generatione: sed sub cõceptu innascibilis & fœcundi ad producendum. *Quartum.* Nihil obstat quo minus persona patris apprehendatur constituta, priusquam generet, ex essentia & proprietate illa seu notione innascibilis & fœcundi ad producendum.

Capr. *in 1. dist. 26. q. 1.* dicit quinque. *Primum.* Personæ diuinæ non distinguũtur abinuicem, nec constituuntur in esse personali per aliquod absolutum, nec per origines per se primò, sed per relationes. *Secundum.* Relatio realis, ex hoc quod est relatio, distinguit realiter, & cõstituit in esse relatiuo. *Tertium.* Relatio realis inquantum huiusmodi non distinguit sua extrema in esse suppositi, nec constituit ea in esse suppositi aut personæ. *Quartum.* Relatio, inquantum est diuina essentia, habet, vt illa quæ distinguit relatiuè distinguat tanquam duo suppositа, & vt illud quod constituit sit suppositum naturæ rationalis, & consequenter sit persona, adeo vt distinctio & constitutio conueniat relationi reali inquantum relatio realis; sed quòd illud distinctum per relationem sit subsistens vel suppositum aut persona, hoc facit relatio, inquantũ est diuina natura subsistens & intellectiua: & inquantum etiam talis relatio est incommunicabilis. *Vltimum.* Relatio subsistens, constituit suppositum, vt est quædam forma incommunicabilis multis suppositis, quasi gerens vicem omnium principiorum indiuiduantium. Eandem sententiam sequitur Sylu. addens rationis constituere personam, prout absolutè concipitur, id est in ordine ad suppositum. Iauell. hanc sententiam magis rationabilem esse pronunciat dicens à Cai. non fuisse perceptam, quamuis modum dicendi Cai. vt probabiliorem tueatur.

Ferrar. *4. cont. gent. cap. 26.* post medium dicit quatuor. *Primum.* Personæ diuinæ à parte rei sunt idẽ quod ipsæ relationes, & non constituuntur per ipsas, sed ex parte modi significãdi intelliguntur constitui. *Secundum.* Relationi conuenit constituere rem subsistentem, non ex aliqua sua propria ratione, qua distinguitur ab essentia, sed ex ratione essentiæ cui identificatur, & ex qua ipsa etiam habet vt subsistat. Constituere vero rem incommunicabilem, & relatiuè distinctam conuenit relationi ex sua propria ratione, qua distinguitur ab essentia. *Tertium.* Pater in illo priori quo concipitur à nobis vt præcedens generationem, & constitutus in esse hypostatico, non concipitur vt aliquod relatiuum, & vt positiuè distinctus à filio, sed intelligitur sub ratione absoluta. *Quartum.* Paternitas cum sit forma incomunicabilis, & relatio, si consideretur vt relatio, id est, vt dicens ordinem

nem ad filium, distinguit patrem à filio relatiuè, non tamen constituit ipsum in esse hypostatico subsistenti. Si autem consideretur sub ratione formę incommunicabilis gerentis vicem omnium principiorum indiuiduantium in rebus creatis, sic constituit hypostaticè, sed non distinguit à filio relatiuè.

Torres dicit sex. *Primum*. Personæ quo ad se non constituuntur per relationes, sed quo ad nos, quatenus concipimus relationes in abstracto, & personas in concreto. *Secundum*. Relationes quatenus relationes, & vt referunt vnam personam ad alteram, non constituũt personas. *Tertium*. Personæ constituuntur per relationes, vt sunt earum formæ & proprietates. *Quartum*. Dici potest cum Capreolo personas diuinas constitui per relationes, non vt concipiuntur per notitias relatiuas, sed absolutas. *Quintũ*. Dici potest personas diuinas non constitui per relationes vt relationes sunt, neque vt absoluta notitia concipiuntur, sed abstrahendo à modo absoluto & relatiuo; quandoquidem personæ diuinæ constituuntur per relationes, vt sunt formæ aut proprietates aut rationes personarũ: forma autem, proprietas & ratio, nec sunt absoluta, nec relatiua, sed communia vtrisq;. *Sextũ*. Melius dicẽdum est diuinas personas constitui per relationes formaliter, & inquantum diuinę relationes sunt, quatenus scilicet nomen relationis non significat actum referendi, sed essentiam relationis. In alijs sequitur Capreol.

Ban. supra ar. 2. dicit quinque. *Primum*. Diuinæ personæ neque distinguuntur, neque constituuntur proprietatibus absolutis. *Secundum*. Diuinæ personæ non distinguuntur seipsis, sed proprietatibus personalibus distinguuntur & constituuntur. *Tertiũ*. Diuinę personæ primò & per se nec constituuntur, nec distinguuntur per origines. *Quartum*. Personæ diuinæ distinguuntur per origines secundariò, & per ordinem ad nostram cognitionem. *Quintum*. Sententia eorum, qui dicunt proprietates constituere personas, vt abstrahunt à relatiuo & absoluto, est error vel errori proxima. *In hoc* autem *articulo* statuit quinque conclusiones. *Prima est*. Relatio diuina, verbi gratia paternitas, secundum quòd dicit in, personam patris constituit, qua ratione persona est in se subsistens. Eadem autem relatio prout dicit ad, constituit eãdem personam, prout persona est incommunicabilis. *Secunda*. Relatio diuina inquantũ dicit in, nõ distinguit vnam personam diuinam ab alia, distinguit autem inquantum dicit ad. *Tertia concl*. Proprietates constitutiuæ personarum vt sic non concipiuntur à nobis conceptu relatiuo, sed absoluto, id est non vt expresè cognita, vt relatio est, sed per modum formæ relatiuæ indifferenter se habẽtis ad hoc vt actualiter referatur. *Quarta*. Relatio diuina, prout est relatio concepta, non intelligitur, vt distinguit formaliter vnã personam ab alia. *Quinta concl*. Probabilis sentẽtia est, quod relatio diuina non constituit personam quatenus subsistẽs est in ratione relationis, & prout ratione distinguitur ab essentia, sed quatenus identificatur cum diuina essentia.

Zumell. dicit decem. *Primum*. Sententia Ferrar. & Capr. dicentium relationem absolutè conceptam, i. vt forma quædam est per se subsistens incommunicabilis præciso ordine ad terminum constituere personam, videtur falsa & difficilis valdè. *Secundum*. Illa sententia, quæ docet diuinas personas constitui relationibus, vt dicũt esse in, non autem vt dicunt esse ad, non videtur mihi satis probabilis. *Tertium*. Sententia Caiet. asserentis personas diuinas constitui relationibus formaliter, si tamen relationes accipiantur vt conceptæ, non vt exercitæ, non est improbabilis: sed tamen non satisfacit, neq; plenè dissoluit difficultatem huius quæstionis per distinctionem ab eo traditam. *Quartum*. Diuinę personæ constituũtur per relationes, vt relationes sunt, id est, vt exercent munus constituẽdi relatiuum, & referendi ad terminum. *Quintum*. Personæ diuinę constituuntur relationibus sub vna & eadem ratione formali relatiua. *Sextum*. Relationes, vt dicunt actum referendi, constituunt personas, prout sunt à parte rei, quomodocunq; à nobis concipiatur ipsa relatio. *Septimum*. Si diuinæ personæ concipiantur distinctè & formaliter secundum proprias rationes suarũ personalitatum, non possunt concipi vt constitutæ, quin simul concipiantur vt relatæ: atq; ita non præconcipiuntur suis terminis, nec originibus. *Octauum*. Prima persona potest à nobis concipi vt constituta prius, quàm vt producẽs vel generãs: ac proinde eius personalitas potest aliquo modo præintelligi origini, non tñ propriè & distinctè formaliter secundum propriã rationem suæ personalitatis, sed tantum nominaliter sub ratione diuinæ personæ: quæ licet in re sit relatiua, non tamen concipitur relatiuè. *Nonum*. Secundum hunc modum constitutionis diuinæ personæ præintelligimus personam constitutam origini, & constitutiuum rationem habet proprietatis indifferẽtis ad absolutum & relatiuum. *Vltimum*. Persona constituta præconcepta origine tantum concipitur sub conceptu primæ personæ, habentis aliquid in quo distinguitur à secunda & tertia: quod magis explicatur per negationem, quàm per positiuum: vt quòd sit persona de se subsistens, id est inproducta & fœcunda ad producendum.

Quidam Hieron. de la Rua *in sua controuer. 1. Scholastica* reiectis & pluribus argumentis impugnatis sententijs Capr. Ferrar. Caiet. & aliorum, suam tandem proferens sententiam tria dicit. *Primum*. Ad & existere intrinsecè includitur in relatione diuina, & in subsistentia diuina: solum autem differunt in diuinis relatio & subsistentia, quòd subsistentia magis exprimit existere, quàm esse, sed ad, & relatio diuina magis exprimit ad, quàm existere. *Secundum*. Personæ diuinæ constituuntur relationibus in quantum relationes sunt reduplicatiuè, vt magis exprimunt existere, quàm ad: distinguuntur autem eisdem relationibus, prout magis exprimunt ad, quàm existere. *Tertium*. Personæ diuinæ, origines & relationes simul sunt, ita vt nulla sit ibi prioritas, neque secundum naturam, neque secundum intellectum.

Cai. *in a. 2.* duo dicit. *Primum*. Persona diuina non constituitur proprietate absoluta incommunicabili. *Secundum*. Relatio constituit personam, inquantum est ipsa persona, prout dictio illa, *inquantũ*, non tenetur reduplicatiuè, sed specificatiuè. *In articulo* verò *tertio* docet paternitatem ponendo se constituere patrem, quia ipsa est pater: ita vt dictio, *inquantum*, accipiatur reduplicatiuè, prout scil. reduplicat modum constituendi in simplicibus. *In hoc* autem *articulo* dicit septem. *Primum*. Relationes personales infra latitudinem relatiuam constituunt personas. *Secundum*. Relationes constituunt personas, inquantũ sunt essentia diuina, id est, habent ab essentia diuina radicaliter, vt constituãt personas. *Tertium*. Relatio vt diuina formaliter con-

sonas. *Tertium*. Relatio vt diuina formaliter A constituit personam, ita vt dictio *diuina* exprimat conditionem formalem constituentis in cõmuni. *Quartum*. Relatio vt subsistens constituit personam, ita vt dictio *subsistens* exprimat conditionem constituentis in speciali. *Quintũ*. Relatio constituit personam, inquantum est ipsa persona, prout dictio *inquantum* specificat modũ constituendi in simplicibus. *Sextum*. Relatio, sub expressa ratione relationis vt cõcepta, præcedit generationem: & constituit vel distinguit hypostasim, vt exercet actum hypostaticæ fotmæ. *Septimum*. Relatio vt exercita consequitur actum generationis, & distinguit personam, non in esse hypostatico, sed in esse relatiuè exercito.

Suar. *lib. 7. c. 7.* reiecta sententia Capr. Ferrar. & Cai. duo dicit. *Primum*. Relatio diuina constituit personam sub ratione relationis. *Secundum*. Quando aliqua persona diuina concipitur à nobis non vt relata ad aliam, non concipitur proprio & distincto conceptu, nec secũdum expressam ac formalem constitutionem suam, sed conceptu confuso addita aliqua negatione vel connotatione: vt cum concipio patrem sub ratione primæ personę: sicque præintelligi potest persona constituta antequam relata, quod non obstat, quo minus per se ac propriè, per relationem vt relatio est constituatur; quod etiã existimat voluisse significare D. Th. cum dicit relationem vt formam hypostaticam C constituere personam. Quam sententiam clarius expresserat Zumel. *super hoc. a. disp. 2.*

Partitio cõtrouersiæ. QVATVOR sunt huius controuersiæ partes præcipuę. PRIMA est, *an personæ diuinæ constituantur per aliquod absolutum?* SECVNDA, *an constituantur seipsis?* TERTIA, *an constituantur per origines, prout à relationibus distinguuntur?* QVARTA, *an constituantur relationibus sub expressa ratione relationis, an sub aliqua ratione, vel modo absoluto?* Et hæc tot habet partes, quot ab opinantibus excogitati sunt in relatione diuina modi constituendi.

Resolutio primæ partis. Diuinas personas non cõstitui, neque distingui per absoluta probatur in dicendo loca Doctorũ, qui partem hanc diligẽter examinarunt. INITIVM itaq; sumendo *à 1. parte propositæ controuersiæ*, an. s. diuinæ personæ constituantur per aliquod absolutum, tria breuissimè dicimus. *Primum*. Sententiam Linconiensis, & Ioan. de Rippa, quæ non displicuit Scoto, nimirum diuinas personas per absolutas quasdam proprietates constitui atque distingui, non solum esse temerariam sed esse errorẽ in fide, præsertim quatenus affirmat personas per absoluta distingui; quidquid sit de eadẽ sententia, quatenus affirmat per easdẽ proprietates personas constitui. Probatur hoc dictum ex illis omnibus diuinarum litterarum locis, & sacrorum Conciliorum definitionibus, ac SS. Patrum dictis, quæ hoc loco plurima congerunt recenti ores; additis etiam efficacibus non minus pon- E dere, quàm numero Theologicis argumentis.

Secundum est. Quæstionem hanc vberrimè fuisse tractatã, & optimè definitam à Turriano *super art. 2. in 2. parte commentarij*, & melius ibidem à Ban. *dubio 1.* & plenius à Zumel. *disput. 1. ad eundem a.* & Mol. *ibidem disp. 2.* & Suar. *lib. 3. de Trinit. cap. 5.* & Rada *controu. 23. a. 2.* Breuius eam attingunt Vasq. *super eodem a. dispu. 168. cap. 3.* & *ibidem* Val. Argumenta quæ producit Scotus pro illa sententia refert & soluit Capr. *in dicta 26. distin. q. 1.* ex quibus plura proponunt & soluunt hic Zumel. & Mol. Videndus est etiam Cai. *in dicto a.*

Postremò dicimus opinionem illam siuè magis errorem efficaciter ex eo principio confutari, quòd impossibile sit vnum absolutum, quale est essentia, esse idem realiter cum tribus absolutis realiter distinctis. Cuius oppositum affirmat Val. negans prædictum principium: cuius falsitatem ait se demonstrasse superius: *q. 32. a. 2.* sed illud esse firmum probauimus in præcedentibus. *Val dictum reijcitur.*

DE SECVNDA *verò controuersiæ parte*, qua quæritur, *an seipsis diuinæ personæ constituantur?* paulò maior est difficultas: quam & sententiarum diuersitas, & scribentium pro eadem sententia varietas, & rei subtilitas simul copulata pepererunt. Affirmat enim Rada diuinas B personas, non solo nostro modo concipiendi siuè ratione constitui, atque distingui proprietatibus, sed etiam secundum illud esse quod habent à parte rei; arbitratur enim cum Scoto distingui proprietatem à persona ex natura rei. Alij proximè ad hanc sententiam accedentes constitutionem hanc arbitrantur esse realem, nec tamen actualem constituentis & constituti distinctionem esse necessariam existimant, sed virtualem illam distinctionem sufficere, quam statuit S. Tho. inter essentiam tribus communem, & quamlibet proprietatem personalem: suppositа vtriusque vera, reali ac propria existentia in ipsa persona constituta. *Propositiõ variis dicẽdi modis de secunda parte controuersiæ, enumerantur quatuor ad personæ constitutionem necessaria: ex quibus duo declarãtur, scilicet radix, & conditio formalis, tam in communi, quàm in speciali.*

Alij solius rationis siuè modi concipiendi, C & significandi constitutionem esse pronunciãt. Cuius sententię videtur esse D. Tho. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 5.* quem sequuntur omnes eius discipuli, & præsertim Cai. *a. 2.* & Ferrar *in 4. cont. gent. c. 26.* & post eos Torres, Ban. Zumel. & Vasq.

Alij nouam profitentes scin hac re proferre sententiam, in duas vltimas incidunt manifestè, vt Suar. *in dicto 3. cap. lib. 7.*

VT IGITVR in hac perplexa difficultate fiat perspicua veritas, & ad subsequentes etiam controuersiæ partes aditus patefiat, proferendæ sunt, & explicandę radices quædam, quas indicat D. S. & subtiliter aperit Cai. in hoc & duobus articulis præcedentibus.

ET PRIMO *considerandum* est ad diuinæ per- D *Quatuor in constitutione personæ.* sonæ constitutionem quatuor concurrere. *Primum* est ratio constituendi: *secundum* est radix: *tertium* est conditio formalis in communi, aut in speciali: *postremum* est modus.

Ratio constituendi est relatio: radix est essentia: conditio formalis in communi est esse diuinum: conditio formalis in speciali est subsistentia: modus constituendi est esse ipsam personam.

Relationem esse rationem formalem cõstituendi quatenus relatio formaliter est, ostenditur inferius in postrema parte controuersiæ: *Ratio constituendi est relatio.*

Essentiam autem esse radicem in diuina persona constituenda significauit A. D. *de pot. q. 8. ar. 3. ad 7.* dicens relationes constituere personas inquantum sunt essentia diuina. Quam propositionem ait Cai. intelligendam esse non formaliter, sed radicaliter; quia scilicet relationes non ea ratione, aut modo formaliter constituunt personas in diuinis, quia formaliter sint essentia: non enim est formalis prædicatio hæc, persona est essentia, sed identica: sed quoniam ex hac identitate, tanquam ex radice prouenit, vt relationes in Deo sint formaliter subsistentes, sicut & ipsa essentia per se primò subsistit, ideò quod relatio constituat personam, de cuius ratione formali est subsistentia, dicitur habe- *Radix constituendi est essentia.*

habere radicaliter ab essentia. Itaque sicut relatio diuina seipsa realiter & formaliter est subsistens (est enim res relatiua, non simpliciter siuè præcisè, sed hypostatica) sic seipsa formaliter, & non ratione essentiæ, aut alicuius absoluti, formaliter personam constituit: quamuis id habeat radicaliter ab essentia, vt explicat S. D. *de potentia q. 9. a. 5. ad 12.*

Conditio formalis cōstituendi in communi est esse diuinum.

Esse verò diuinum, quod significatur, cum dicitur *relatio diuina*, conditio formalis est in communi, quæ necessariò requiritur, vt relationi conueniat actus constituendi personam: Relatio namque etiam realis solitariè, siuè præcisè sumpta secundum solam rationem relationis etiam realis, neque diuina est, neque subsistens, sed inhærens tantum & assistens; sed quatenus ad increatum & supremum ordinem eleuatur, diuina est, non solum radicaliter; quia scilicet eadem est essentiæ diuinæ, sed etiam seipsa formaliter, ac proinde formaliter subsistens. Omne namque diuinum est per se & formaliter subsistens; cum nulla diuina res imperfectionem admittat inhærentiæ. Quamuis autē omne diuinum essentialiter sit subsistens, aliquid tamen exprimitur speciale nomine subsistentis, quod non significatur nomine diuini. Nam diuinum vt sic rem tantum significat ordinis supremi & increati: at subsistens talem exprimit in ea re modum essendi, cui repugnat inhærentia, & ratio partis. Et ideo bene dixit Cai. dictionem illā *diuina*, significare conditionem formalem in communi, illam autem scilicet *subsistens* eandem significare conditionem in speciali. Ex quo patet sensus dictorum S. Tho. tam *in 1. dist. 26. a. 2. ad 1.* vbi dixit relationem inquantum diuina est distinguere hypostasim, quàm *in 2. a. huius q. ad 4.* vbi dixit relationem, si sit subsistens, secum ferre distinctionem suppositalem: his enim loquendi modis prædictas voluit exprimere conditiones relationi ad hypostasim constituendam necessarias: tametsi verum sit relationem, puta paternitatem, illis etiam adiectis conditionibus personæ constituendæ non sufficere, nisi suppositata aut subintellecta paternitatis incommunicabilitate, & primitate, vt conditionibus maximè necessarijs ad personam patris constituendam: Incommunicabilitas enim ad intrinsecam rationem pertinet hypostaticæ formæ, prout à natura distinguitur. Primitas autem ob eam causam in hypostatica forma requiritur, quòd omne substantiale constituens præuenit vniuersa, quæ rei constitutæ superueniunt, aut superuenire intelliguntur. Quamobrem, licet spiratio soli conueniret personæ patris, vt eius proprietas incommunicabilis, non tamen constitueret personam patris; quia prima non est, sed aliam præexigit modo nostro intelligendi priorem, scilicet paternitatem. *Ex dictis sequitur* veram esse in bono sensu, sententiam Capr. Sylu. & Ferrar. dicentium relationes diuinas, prout absolutè concipiuntur, siuè sub ratione absoluta constituere personas, si dictio *vt* specificet conditionem ad constituendum necessariam secundum modum nostrum intelligendi. Cum enim diuinæ relationes constituant, vt diuinæ & subsistentes, & vt formæ hypostaticæ, quæ vt sic nullum dicunt ad terminum respectum, sed cōcipiuntur in ordine ad hypostasim constitutam, rectè dicitur relationes diuinas vt absolutè conceptas constituere personas, quatenus dictio *vt* denotat conditionem, siuè modum à nobis intellectum, & in re fundatum: quamuis ratio constituendi sit formaliter relatiua. Et hoc voluit significare Turrianus, cum dixit relationes diuinas constituere personas, vt abstrahunt ab absoluto & relatiuo: Nam subsistentia in diuinis abstrahit ab absoluta & relatiua; Et similiter forma hypostatica non exprimit magis relatiuum quā absolutum; dixit tamen Capr. & alij relationem vt absolutè concipitur constituere personam sumendo dictionem *absolutè* magis negatiuè, quàm positiuè, id est, vt negat conceptum relatiuum explicitum: vel quia secundum modum nostrum intelligendi rebus creatis conformem modus ille non est relatiuus, sed absolutus. Sed de hoc disseremus vberius in postrema parte controuersiæ.

Turriani sententia in bono sensu vera.

Conditio formalis in speciali est esse subsistens.

Sensus verborum D. Tho.

Conditiones subintellectæ &c.

Explicatur & approbatur sententia Capr. Ferrariēsis, & Syluestri.

Iam verò de quarto, quod diximus ad hypostasim constituendam requiri, disserendum est, hic autem est modus *in articu. 2.* ab A. nostro D. ea dicendi forma significatus, videlicet, *proprietates distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes: sicut paternitas est pater, & filiatio est filius, eo quòd in diuinis non differunt abstractum, & concretum:* quæ verba subtiliter explicat Cai. locis supra notatis: cuius expositio, si latius fuerit explanata, lucem afferet non exiguam ad propositæ difficultatis definitionem inuestigandam. Distinguendum est autem in primis cum D. Tho. *in 1. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 5.* & Caiet *sup. a. 2. circa respon. ad primum*, de personis diuinis nos dupliciter loqui posse; vno modo secundum se: alio modo prout à nobis cōcipiuntur & significantur. Si primo modo considerentur, dicendū est diuinas personas seipsis distingui, vt affirmarunt Præpositiuus & Arimin. Ratio vero est; quoniam à parte rei idem omninò est realiter & formaliter paternitas & pater; sicut deitas & Deus; siuè sermo sit de paternitate, vt dicit ad reale, siuè vt includens etiam existentiā, quæ idem est quod essentia & substantia, quæ in relatione diuina succedit loco in, siuè inhærentiæ, quæ conuenit relationi creatæ: Hæc enim omnia secundum se sunt vna res sub vna ratione formali simplicissima: ac proinde nulla ibi est differentia, siuè distinctio constituentis & constituti, quæ tamen iuxtà modum nostrum intelligendi omninò necessaria est, vt vnum officio fungatur constituentis, & aliud constituti. Si verò de personis diuinis loquamur, prout à nobis intelliguntur & significantur, sic, vt antè diximus, proprietatibus siuè relationibus constituuntur & distiguuntur, à quibus non differunt nisi modo nostro concipiendi & significādi; sicut Deus & deitas, vt affirmat S. D. *in 1. in d. respons. ad 5.* Quemadmodum ergo Deus, vt ibidem ait S. D. deitate constituitur; ita pater paternitate, & filius filiatione. Quomodo verò fiat hæc constitutio, docuit S. Tho. *in ar. 2.* dicens relationes, vel proprietates distinguere & constituere hypostases, vel personas inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes, eo quod in diuinis non differunt abstractum & concretum.

Relationem constituere personam, quatenus est ipsa persona, & prout habet modum formæ totius.

Ad cuius euidentiam aduerte particulam illam, *inquantum sunt ipsæ personæ*, denotare conditionem, & modum quo constituuntur diuinæ personæ. Differt enim proprietas, siuè relatio ab origine, quòd relatio ex sua ratione formali ineſt rei, cuius est relatio; origo verò non ineſt, sed ex sua ratione formali via est à re, vel ad rem. In diuinis autē nihil est vt accidens in subiecto, sed quidquid in rebus creatis habet

bet esse accidentale, in Deum translatum habet esse substantiale, & idem est quod substantia siue essentia Dei. Cum itaque relatio ex suâ ratione formali insit ei, cuius est relatio, consequens est relationē diuinam ex sua ratione formali habere identitatem subſtantialem cum eo, cuius est relatio, scilicet cum persona, vt paternitas cum persona patris: in quo differt ab origine, putà generatio, quæ significatur vt via. Cū igitur ait S. Th. relationes constituere personas, inquantum sunt ipsæ personæ, dictio illa *inquantum* non tenetur reduplicatiuè; alioquin omne, quod idem est personæ, esset eius constitutiuum; sed accipitur specificatiuè, prout scilicet determinat siue specificat conditionem ad constituendum necessariam, quæ relationi congruit, non autem origini. Sicut cùm dicitur homo crispus, inquantum est capillatus, dictio illa *inquantum* est specificatiua conditionis, siuè partis, secundum quam homini conuenit esse crispum, non autem reduplicat rationem propriam, siuè causam crispitudinis; sic enim oporteret omnes homines esse crispos, cum sint omnes homines capillati. Conuenit ergo relationi diuinæ personam constituere, *inquantum est ipsa persona*. id est, quatenus habet hāc conditionem, vt ex sua ratione formali sit in persona, non vt accidēs in subiecto; aut pars in toto, sed vt idem quod ipsa persona. Quam conditionem non habet origo: non quia sit accidens, aut pars, sed quia ratione habet vię ab alio, vel in aliud tendentis; & ideò non significatur vt aliquid intrinsecum personæ, sicut relatio: & consequēter eadem illa particula. *inquantum sunt ipsæ personæ*, dicitur denotare modum constituendi simplicibus proprium, quatenus contra composita distinguuntur. Vt enim aduertunt rectè Cai. *in 3. a. huius q.* & Ferrar. *in 4. con. gen. cap. 26.* hoc interest inter constitutiua compositorum, & constitutiua simplicium, quòd illa constituunt veluti partes formales, vel essentiales, aut integrales ipsius constituti; sicut ex anima, & corpore constituitur homo; hæc verò scilicet constitutiua simplicium, vt forma totius, quæ sit idem quod ipsum totum, constituunt ipsum simplex, vt deitas Deum, & Gabrielitas Gabrielem: in quo modo constituendi nō oportet constituens distingui realiter, aut ex natura rei ab ipso constituto, sed sufficit distinctio rationis cum fundamento in re virtualiter, & eminenter præhabente seclusis imperfectionibus, quicquid ad veram constitutionem requiritur ex parte constituentis & constituti. Quod insinuat S. D. per ea verba, *eo quòd in diuinis non differunt abstractum & concretū*: quasi diceret, in diuinis verè & realiter est abstractū, id est forma simplex significata, vt forma totius & concretum, id est res simplex subsistens, quę significatur vt totum, & vnum idem est ex sua ratione realiter alteri, virtualiter tantum ab eo distinctum. Igitur abstractum, i. simplex, constituit ipsum concretum, i. simplex subsistens, quatenus est ipsum simplex.

Quem etiam sensum breuiter attigit Cai. dicens D. Tho. ea loquendi forma nihil aliud intendere, nisi constitutiuum ponendo se constituere, idem enim est constituens constituere, inquantum est ipsum constitutum, quod ponendo se cōstituere; quia dictio illa *se* significat ipsum constitutum. Sicut autē dictio illa *inquantum* specificatiuè sumitur, cū determinat conditionē ad constituendum necessariam relationi, prout ab origine distinguitur: ita reduplicatiuè sumitur, cum designat modum constituendi simplicibus proprium, vt à cōpositis distinguūtur. Ratio namq; propria in simplicibus vt sic constituendi est, quia constituens est ipsum constitutum: alioquin constitutum nō esset simplex, si distinctionem haberet constituentis & constituti: Sic. n. verè compositum esset ex formali, siuè actuali, & materiali, siuè potētiali. Sicut ergo deitas admodū formæ totius Deum cō stituit, prout idem est, quod ipse Deus: ita paternitas ad instar formæ totius patrem constituit, prout est idem, quod ipse pater.

Quare non est audiendus Mol. qui supra *a. 2. disp. 1.* negat paternitatem constituere personam patris ad modum formæ totius; & ait personam cōstitui ex essentia & relatione siuè proprietate quatenus proprietas non includit essentiam, nec ab ea includitur, sed est ab ea præcisa, & quatenus vtrumque se habet ad modum partis: & esse maiorem distinctionem inter personam cōstitutam & proprietatem constituentē, quàm inter Deum & deitatem quoniam inter Deum & deitatem est sola distinctio rationis ratiocinantis: sed maiorem oportet esse inter paternitatē & patrem: quia paternitas rationem habet partis, pater verò totius. In quam sententiam descendit Suar. *in dicto 3. cap. li. 7.* dicens tamen non esse necessarium, vt essentia diuina omnino excludatur à relationibus, sed satis esse vt per conceptum relationis non exprimatur, siuè non expresè concipiatur. Ait ergo constitutionem hanc diuinæ personæ esse proportionalem illi, quam in creaturis inelligimus ex natura & suppositalitate: nec rectè dici proprietatem constituere personam vt forma est totius; quia non constituit essentialiter, sed tantum personaliter, adeò vt constitutio diuinæ personæ ex parte proprietatis sit tantum ad incōmunicabiliter subsistendum in diuina natura, ac proinde oportere, vt in hac constitutione includatur natura vt alterum constitutionis extremum.

Reijcitur sententia Molin & Suarez.

Sed quanquam verum sit diuinam personam constare ex essentia & proprietate, vt affirmat Ioan. Theologus *in Concilio Flor. sess. 19.* Neque negandum sit diuinam personam secundum modum nostrum intelligendi constitui ex natura & proprietate, eo modo proportionaliter quo suppositum in creatis constituitur ex natura & suppositalitate: rectè tamen & verè concipitur etiam diuinæ personæ constitutio, putà patris per paternitatem, vt forma totius; Paternitas enim in integro sui conceptu respectum includit & naturam, sicut & ipse pater, vt supra latè monstrauimus *q. 28. a. 2. contr. 1.* Nec verum est deitatem & Deum, & similiter paternitatem vt formam totius, & patrem sola ratione ratiocinante differre: deitas enim naturam præcisè significat, Deus autem significat naturam vt in habente, & consequenter vt subsistentem: similiter paternitas vt forma totius relationem diuinam formaliter significat intrinsecè includentem diuinitatem: Pater verò eadem significat vt in habente. Constat autem hæc non sola ratione ratiocinante differre, sed habere solidum in re diuina simpliciter infinita fundamentum, atque ideò distingui ratione ratiocinata; quamuis à parte rei sint vnum realiter & formaliter. Quare falsum est etiam paternitatem constituere tantum personaliter, & non essentialiter; paternitas enim vt relatio diuina est & subsistens patrem vt personam diuinam constituit

sub-

subsistentem: & vt incommunicabilis eam constituit incommunicabilem; sicut etiam eadem paternitas vt est deitas patrem Deum constituit; vt verò paternitas est, eundem constituit vt pater est, adeò vt nihil sit in constituto, siue illud sit essentiale & cõmune, siue sit personale & proprium, quod non habeat à constituente sic concepto (vt aduertit Capr.) & post eum Iauellus, immò & Caiet. cùm ait relationem diuinam puta paternitatem seipsa formaliter esse diuinam, & substantificæ naturæ, ac subsistentem, atque ideò personam diuinam subsistentem constituere.

Consonat autem hic constitutionis modus diuinæ rei longè melius, quàm illa constitutio per modum partis; primò quia diuinæ simplicitati maximè congruit, ratione cuius in Deo idem est abstractum & concretum, siue quò est, & quod est; è contra verò Deo repugnat ratione eiusdem simplicitatis omnis ratio partis & totius ex partibus constituti; quod enim partibus constat secundum rem, aut secundum modum compositum verè est, aut modum habet compositi; quorum primum Deo manifestè repugnat, secundum autem de illius celsitudine satis ineptè cogitatur, quamuis omnis ea imperfectio, quæ ad nostrum solum modum pertinet intelligendi, si Deo non cogitetur inesse, diuinæ non sit absona maiestati: qualem etiam existimo esse modum illum constitutionis ad modum partium. Quod autem intendimus, est longè nobiliorem ac diuinæ simplicitati magis congruentem esse modum hunc constituendi ad modum formæ totius, quàm illum ad modum formæ partis: in quo videtur etiam altera pars, nimirum essentia, vt potentialis respectu proprietatis intelligi. Quod quamuis ad nostrum concipiendi modum spectare videatur, vilem tamen ac diuina minimè dignam maiestate, à qua longè abest potentialitas & materia, seipsam vel primo aspectu hæc cogitatio videtur ostendere.

Soluuntur ex prædictis plures quæstiones, tam de re, quàm de modo loquendi, circa constitutiuæ personarum.

Ex Dictis *facilè est* pluribus hic moueri consuetis *quæstionibus* satisfacere. Prima est: *An relationes diuinæ personas constituant & distinguant, vt sola ratione differunt à personis & ab essentia?* Secvnda: *qualis sit hæc constitutio, an scilicet sit rationis, an realis?* Tertia *est*; *An solum dici congruè possit personam relatione constitui, & eadem distingui, an verò liceat etiam absolutè dicere personam seipsa distinguit?*

1. qu. fol.

Ad Primam *enim dicendum est* primò relationem diuinam constituere personam, vt est eadem realiter & formaliter à parte rei cum ipsa persona, quatenus dictio *vt* reduplicat modum proprium constituendi in simplicibus, vt ante diximus. Secundò dicendum est relationem diuinam constituere personam, prout est eadem essentiæ realiter & formaliter à parte rei, quatenus dictio *vt* specificat radicem, ex qua vim habet relatio constituendi personam. Tertiò dicendum est, relationem constituere personam, vt ratione ratiocinata distinguitur ab essentia, & ab ipsa persona constituta, quatenus dictio *vt* denotat siue specificat conditionem ex parte nostri, quæ est talis modus concipiendi, quo scilicet essentiam & relationem, & similiter personam & relationem concipimus vt distincta. Quartò dicendum est relationem constituere personam, vt à parte rei distinguitur virtualiter à persona, & ab essentia, quæ distinctio fundamentum habet in eminentia rei, quæ cùm vna sit & simplicissima, præhabet in se eminentissimè quidquid simplicitatis, subsistentiæ & perfectionis est in constituente & constituto, absque vlla imperfectione; atque ideò potest diuersas nostras cõceptiones terminare, & diuersas propositiones verificare, vt patet ex dictis *in q. 28. a. 2. contr. 1.* Quintò dicendum est in hac propositione, *relatio constituit personam*, duo significari, vnum ex modo concipiendi & enunciandi, & hæc est distinctio rationis, inter constituens & constitutum; & hæc nihil facit ad hoc, vt verè absolutè relatio personam constituat; aliud est quod ipsius propositionis verbis importatur, & hoc non est nisi formalis positio personæ: quæ formalis positio formaliter fit per relationem diuinam, quatenus seipsam formaliter ponit: nam, cum relatio diuina, puta paternitas, sit formaliter non solum relatio, sed etiam diuina, & subsistens incommunicabiliter in ipsa natura diuina, hoc ipso, quòd seipsam formaliter ponit, verè dicitur personam ponere: sicut animal rationale, hoc ipso, quòd seipsum formaliter ponit, verè & formaliter ponit hominem: & deitas seipsam ponendo Deum ponit: quem modum constituendi sæpè diximus cum Caiet. proprium esse simplicibus. Sicut ergo relatio diuina, puta paternitas, verè & realiter seipsam ponit, non effectiuè sed formaliter; quia seipsa formaliter est paternitas diuina: ita verè & realiter, nõ effectiuè, neq; vt forma partis à cõstituto distincta, sed formaliter ponit ac proinde cõstituit modo simplicibus proprio personã patris. Non est igitur actualis aliqua distinctio quærenda inter constituens & constitutum, aut inter partes aliquas ad idem constituendum confluentes, sed potius identitas, non solum realis, sed etiam formalis à parte rei: quamuis necessaria sit in re distinctio virtualis, vt excellenter hoc munus exerceat, & vt à nobis verè concipi & enunciari possit illa vna & eadem res ad modum duarum, quarum sit vna constituens & altera constituta. Quamobrem dici non incongruè posset constitutionem hanc esse realem virtualiter: quia non minus propria & vera est hæc constitutio, quàm si constituens & constitutum essent actualiter, vel etiam realiter distincta: est tamen vt dicemus alia ratione hæc constitutio realis formaliter. Fallitur autem omnium ferè recentiorum imaginatio, quia constitutionem hanc ad modum rerum compositarum considerant, existimantes constitutionem omnem vnius esse rationis, cùm tamen iuxta rerum diuersitatem sit etiam earum diuersa constitutio: Composita nãq; ex hoc ipso, quòd talis naturæ sunt, quę plurib. constat, per hoc cõstitui necesse est, quod vna entitas siue realitas adiungatur alteri, sicut materiæ adiungitur forma, vt corpori anima. Simplicia verò hoc ipso, quod talis naturæ sunt, quæ partium est expers, non alio possunt modo constitui, quàm sui cuiusque positione, vt ante diximus.

Hæc constitutio est realis virtualiter.

Et Ex His *patet solutio secundæ q.* qualis scilicet sit hæc constitutio, an scilicet sit realis, an rationis: est enim realis formaliter à parte rei, vt verò à nobis concipitur ad modum constitutionis rerum compositarum, est rationis ratiocinatæ, quæ fundamentum habet in re, & potest dici realis virtualiter ex parte rei sic obiectæ.

2. quæst. fol.

Ad Tertiam *verò quæst.* dico magnam esse differentiam inter has duas propositiones: *Personæ diuinæ distinguuntur, & constituuntur seipsis; & personæ diuinæ distinguuntur, & constituuntur*

3 quæst. fol.

tur seipsis à parte rei. Nam prima simpliciter A non est asserenda, quoniam, vt aduertunt recentiores ad veritatem propositionum intelligendam considerandas nobis est non sola res significata, sed modus etiam significandi per voces à modo nostro concipiendi proueniens; vt autem à nobis concipiuntur diuinæ personæ, proprietatibus constituuntur & distinguũtur, non autem seipsis. Quod etiam apertè docent patres & Concilia ab expositoribus relata, quando diffiniunt personas proprietatibus distingui aut figurari, vel constare ex essentia & proprietate: cuius propositionis falsitas adhuc erit apertior, si fiat sensus, personas esse primò diuersas & se totis distingui; nam fide certum est eas in vno aliquo communi conuenire, quod est essenia. Secunda verò propositio, vt ostendimus, est verissima. B

Mẽs D. Th. & Cai. Cum igitur affirmant S. Th. & Cai. personas diuinas secundum se distingui seipsis, vt autem sunt notæ nobis, distingui relationibus; non ita intelligendum est, quasi dicerent diuinas personas secundum se non distingui & constitui relationibus: iam enim ostendimus diuinas personas à parte rei constitui & distingui relationibus; sed hoc solum intẽdunt, quod supra diximus nimirum constitutionẽ diuinæ personę, prout à nobis cõcipitur ad modum rerum compositarum, esse per relationem, quatenus ratione distinguitur à persona; ita vt ratione distingui sit cõditio modo superius explicato; & sic omnia consonant, & Radæ sophismata corruũt, & enitet Catholica veritas à recentioribus non satis intellecta; quam tamen A. D. & Cai. paucis verbis expresserant. C

Personas nõ constitui per origines reẽ probat S. D. TERTIA PARS *controuersiæ* quærit, *an diuinæ personæ constituãtur per origines?* Cuius resolutio tota pendet ex dictis suprà *a. 2. dubio primo*, & partim ex dicendis *in postrema parte huius controu. & a. 1. seq. q.*

Obiectio. Hic tamen aduerte Suar. *lib. 7. cap. 6. num. 11.* carpere rationem S. Th. qua probat generationem actiuè sumptam non constituere personam patris; quia scilicet generatio significatur, vt via ab aliquo, scilicet à persona patris: ergo supponit eam iam constitutam. Sed ait Suar. rationem hanc supponere originem actiuam realiter esse idem cum passiua, & cum relatione personæ productæ, vt intelligitur quasi in fieri, & egredi à persona producente; quod (inquit) non est receptum, nec à nobis probatum. D

Solut. *At sine ratione* talis hic implicatur suppositio, quam actionis natura formaliter intellecta per seipsam euidenter excludit. Actio namque Metaphysicè sumpta, prout à passione distinguitur, ex sui ratione est propter perficiendum passum, atque ideò significatur vt egrediens ab agente, & in passum tendens: quamuis secundum rem sit agentis perfectio, & realiter à passione distinguitur. Dixi *Metaphysicè sumpta*, quia si Physicè sumatur actio in rebus materia constantibus, idem realiter est quod motus & passio; sed actio, de qua loquimur, scilicet generatio nõ est Physica, sed Metaphysica, & idem est quod generans, scilicet pater, sicut passio, scilicet generari, quæ non est propriè passio sed grammaticè tantùm, idem est quod genitum, scilicet filius. Sed de hoc latius quæstione sequenti. E

Zumel. *suprà a. 2. disput. 2.* multa superfluè congerit & replicat inutiliter, vt probet diuinas personas non constitui per origines, sed per relationes. De qua disserũt paulo restricti-

us Ban. *in eundem a. dub. 3.* Vasq. *cap. 4.* & Suar. *lib. 7. cap. 6.*

Relationib. formaliter à parte rei personas constitui. SVPEREST *postrema pars controuersiæ* omnium difficillima, quæ disputationem nobis affert valdè perplexam de relationibus, *an scilicet personas constituant, & sub qua ratione, an absoluta, an relatiua, an verò sub vtraque simul coniuncta, vel etiam abstrahendo ab vtraque.*

Pro cuius definitione *supponenda sunt primò*, quæ dicta sunt *in 2. P. controuersiæ*; ex illis enim facilè poterunt conciliari plures doctorũ sententię, & varia S. nostri D. asserta, quæ prima facie videntur opposita.

Secũdò præmittendũ est, quæstionẽ hanc de relationibus diuinarum personarũ constitutiuis duplicẽ sensum admittere. *Prior est*; an relationes à parte rei, siue secundum se constituant & distinguãt diuinas personas, quatenus sunt formaliter, & actualiter relationes: & in hoc sensu planam habet ex supradictis solutionem. Nã relatio, putà paternitas diuina subsistens, ponendo seipsam incommunicabiliter subsistentem constituit secundum se personam Patris, & eam ab alijs personis in eadem natura deitatis subsistentibus distinguit. Et in hoc sensu accipienda sunt Sanctorum dicta & Conciliorum definitiones: & hanc eandem partem probat hic Ban. *dubio primo*, & est prima eius conclusio: in cuius tamen explicatione & probatione diuertit à relatione secundum se, siuè à parte rei, ad eandem prout à nobis concipitur, & distinguitur in duas rationes formales. Ad cuius euidentiam considerandum est hæc tria idem esse realiter & formaliter & adæquatè à parte rei, videl. relationem personalẽ, ipsam personã & originem illi propriã, siuè sit actiua, siuè sit passiua; exempli gratia, idem est paternitas formaliter quod pater, & eius actiua generatio; & idem est filiatio quod filius, & eius natiuitas; ac proinde nullus est ordo inter relationem, personam & eius originem à parte rei, itaque simul omnino sunt paternitas, pater & generatio. Et quia relatiua sunt simul natura, simul etiam sunt pater formaliter vt relatiuus ad filium, & filius vt formaliter est patri correlatiuus. Et quia paternitas est ipsa actiua generatio, filiatio verò est ipsa natiuitas, simul esse necesse est natiuitatem & filium cum actiua patris generatione & cum ipso patre. *Ban. diuertit.*

Posterior quæstionis sensus est: an relationes, prout à nobis concipiuntur, constituant diuinas personas sub expressa & formali ratione relationis, an sub aliqua ratione absoluta; & hoc modo solet cõmuniter hæc difficultas à Theologis examinari. Pro cuius definitione. *Distinguuntur diuersi conceptus, siue rationes, & actus diuinarũ relationum, & explicatur ac sustineatur sententia Capr. Ferr. & aliorum.*

Notandum est primò, dupliciter posse diuinam relationem, puta paternitatem, à nobis cõcipi; Vno modo incompletè; & sic apprehendimus præcisè respectum eius realem ad filiũ, quo respectu ratione distinguitur ab essentia, & à cæteris absolutis: vel etiam apprehendimus eam secundum aliquem conceptum communem illi cum absolutis, sicut cum eam concipimus, vt est proprietas quædam, vel vt est hypostatica forma, vel vt est subsistens. Alio modo potest à nobis intelligi diuina relatio completè, & sic non solum eius ordinem ad terminum intelligimus, sed alia plura illi & absolutis communia, quę in eius integra & perfecta ratione quidditatiua clauduntur. Nam primò de ratione diuinæ relationis, puta paternitatis est, vt idem sit realiter cum essentia, & sit subsistens, sicut in ratione completa & formali creatæ relationis in-

cluditur, vt sit accidens. Et quia diuina relatio subsistens est, ideò non præsupponit, sed secũ fert suum fundamentum & hypostasim. Deinde quia constituit & distinguit hypostasim vnam ab alia, necesse est, vt sit incommunicabilis, & rationem habeat proprietatis, vim habens proportionalem principijs omnibus indiuiduantibus ad materialis indiuidui constitutionem concurrentibus. Et quoniam distinctio realis hypostasum in diuinis nõ fit nisi per oppositionem relatiuam, oportet relationem ita personam constituere, vt relatiuè distinguat ab alia.

Relatio actus duplex.

Secundò obseruandum est duos illos actus diuinę relationi personali conuenientes, scilicet cõ stituere & distinguere, relatiuè ad eandem relationis naturam pertinere, sed sub opposito modo; Nam constituere conuenit relationi, prout modum habet hypostaticæ formæ, quæ respicit personam constitutam, eo modo quo abstractum respicit suum concretum, & omne formale constitués suum constitutum. Hoc autem constat formis omnibus absolutis substantialibus esse commune, siuè sint partiales vt anima, siue totales vt humanitas. Propter quod dixere Capr. Ferrar. & alij diuinas relationes constituere personas sub absoluta quadam ratione siuè conceptu: cum tamen, si rectè loquẽdum sit, affirmari debeat diuinas personas constitui relationibus sub conceptu, siue potius modo abstrahente ab absoluto & relatiuo. Ad cui us euidentiam.

Cur plures dere simplici formemus conceptus.

Obseruandum est tertio ex imbecillitate nostri intellectus euenire, vt eandem rei quidditatem & rationem formalem simplicissimam, & indiuisibilem in plures conceptus diuidamus, priùs secundum vnum, deinde secundum aliũ cam intelligentes: & eidem secundum vnum conceptum actum aliquem atribuentes, qui secundum alium eidem non conueniret, adeò, vt in ea distinguamus non solùm plures rationes, sed etiam plures actus, & quasi operationes: cum tamẽ omnia in eiusdem rei quidditate ratione formali intimè claudantur. Sicuti Deum prius intelligimus vt subsistentem; secundò vt intellectu & voluntate præditum: tertiò vt intelligentem & volentem primò seipsum, deinde alia: & quædam illi tribuimus vt subsistenti, quædam vt intellectu & voluntate perfecto, quædam vt actu intelligenti, & volenti, & sic de singulis; cum tamen idem realiter & formaliter secundum se sint in Deo substantia, intellectus, voluntas, intelligere & velle. Sic igitur in proposito diuina relatio, puta paternitas, dupliciter, quod attinet ad rem præsentem, potest considerari; *Vno modo* vt forma quædam hypostatica incommunicabilis, viam habens principiorum omnium indiuiduantium; & sic patrem constituit vt hypostasim, nullo adhuc in ea considerato respectu ad eius correlatiuum, scilicet filium: atque ita constituit sub ratione communi sibi & absolutis. *Alio modo* potest considerari paternitas secundum eius rationem formaliter, expresè & exercitè relatiuam ad filium: & hanc rationem non intelligitur habere nisi post actum paternæ generationis. Nam primò intelligimus patrem in esse personali constitutum, deinde concipimus in eo actum generandi, tertiò respectum paternitatis ad filium ex actu generationis & natiuitatis resultantem, quo respectu distinguitur actu Pater à Filio, à quo non nisi virtute prius intelligebatur distingui. Quamuis enim vt ait S. D. suprà *artic. 2.* necesse sit, vt ipsa distinguentia constituant res distinctas: non eadem tamen ratione, neque eodem actu, aut ordine modo nostro intelligendi constituunt & distinguunt, vt modo diximus. *Et licet actus* generationis intelligatur prior actu relationis exercito; *relationi tamen* distinctio tribuitur, & non origini: primò, quoniam idem esse debet constitutiuum & distinctiuum: secundò, quia paternitas, verbi gratia, vt hypostatica forma constituens patrem, virtualiter ipsum distinguit à filio, quatenus personam constituit, cuius est generare, & consequenter à genito distingui per oppositionem relatiuam ad ipsam hypostaticam formam consequentem media generatione. Quare paternitas vt constitutiua patris, quasi per se primo distinguit, quamuis per accidẽs actu non distinguat, quia filius in illo priori non concipitur vt genitus, & ad patrem relatus, sed quasi generandus, & per consequens ab eo distinguendus: sicut Adam, antequam formaretur Eua, erat quidem suppositum incommunicabile per se subsistens, sed ab Eua non erat actu distinctũ, sed virtute tantùm quia sufficiens habebat in se principium, quo distingueretur ab Eua, postquàm fuisset à Deo producta. Denique distinctiuum, sicut & constitutiuum intrinsecum esse debet, quod origini minimè congruit, sed relationi, vt ante diximus.

Soluitur obiectio tacita.

Conceptus subsistentiæ personalis.

Quartò considerandum est, non solum in integro cõceptu diuinæ relationis includi simul ad & in, id est respectum & existentiam, substantialem, quæ est ipsamet essentia siuè subsistentia Dei, sed eadem etiam intrinsecè claudi in conceptu subsistentiæ personalis, quæ sine relatione non potest intelligi, prout ab essentiali subsistentia distinguitur: nec absque implicita relatione pluraliter de Deo diceretur; & multò minus concipi potest subsistentia personalis absque ratione absoluta substantiali; cum ipsa subsistentia formaliter ad se dicatur, sicut & persona: de qua S. D. supra *q. 29. a. 4.* dixit cum Aug. eam ad se dici; quia significat relationem per modum subsistentis siuè substantiæ. Vnde supra *in quæstione præcedenti* diximus personalem subsistentiam includere essentialem subsistentiam relatione modificatam, vt etiam affirmat Ban. *super hoc a.* Hoc tamen interest inter relationem & subsistentiam, quòd diuina relatio, puta paternitas, magis exprimit *ad*, siuè respectum, quam *in*, id est existere; subsistentia verò personalis magis exprimit substantiæ rationem absolutam, quàm respectum, siuè *ad*. Ait igitur Rua prædictus, personas diuinas per relationes constitui, in quantum relationes sunt reduplicatiuè, quatenus sunt magis exprimentes existentiam, quam esse *ad*: & hoc idem significasse D. Tho. cum dixit diuinas personas constitui per diuinas relationes, vt sunt formæ constitutiuæ & subsistentes. Secundò ait relationem inquantum relatio potius distinguere, quam vt est subsistentia; quia vt relatio magis exprimit esse ad aliud distinctum. Denique ait personas, relationes & origines simul esse, ita vt nulla ibi sit prioritas, neque secundum naturam, neque secundum intellectum. Et quoniam D. Th. *in hoc, & in 2. huius q. a.* statuit ordinem inter relationem & originem, & inter personam & originem, nititur eius dicta glossare: sed verè non assequitur eius mentẽ, sed magis trahit eum ad sensũ Scoti. Vt verò pateat quid veritatis habeat hic dicẽdi modus, proferẽda est & explicãda distinctio Cai.

Ordo rationum & actuũ in relatione personali.

Re-

Explicatur, & iustinetur sententia Caietani, & conciliatur plures doctorum sententiæ.

Relatio vna & eadem (inquit Cai.) dupliciter significatur; Vno modo vt concepta: Alio modo vt exercita. Relatio vt concepta significatur hoc nomine relatio in generali; huius enim vocis relatio significatum est quidditas relatiui: nominibus autem singularum specierum abstractis significatur in speciali, vt paternitate, filiatione &c. & sic cõceptè significata nõ dicitur ad aliud: non enim paternitas, aut filiatio ad aliud dicitur, vt aduertit Cai. *in comm. prædicamenti ad aliquid*, cum tamen essentia propria relationis consistat in esse ad aliud. Relatio verò vt exercita significatur in generali per vocem ad aliquid: tunc enim exercetur relatio, cum suum proprium terminum respicit; in speciali verò significatur nominibus concretis patris & filij, dupli, & dimidij, & aliorum omnum relatiuorum, quæ nuncupantur relatiua secundum esse, quæ scilicet primò relationem important, siuè realem, siuè rationis. Ait itaque Cai. diuinam paternitatem vt conceptam præcedere actum generationis, & significari vt exercet actum hoypostaticæ formæ, & constituere ac distinguere personam patris in esse hypostatico relatiuo realiter & formaliter, sed non relatiuè exercito: atque ideo vocari à D. Th. paternitatem non vt relatio, sed vt constitutiua; & eandē paternitatem vt exercitam consequi actum generationis, & constituere eandem personam patris, ac distinguere, non in esse hypostatico, sed in esse relatiuè exercito: & ideo vocari paternitatem vt relatio est.

Neque tamen hinc sequitur (ait Cai.) duo poni esse relatiua in patre, sed vnum tãtum datum ab vna, & eadem paternitate formaliter ante generationem vt hypostaticum, & post generationem vt exercitum: & eadem ratione vnica tantum est relatiua distinctio patris à filio, quæ dari prius intelligitur vt hypostatica, deinde vt exercita. Igitur secundum Cai. *Paternitas vt concepta est forma hypostatica.* paternitas vt concepta relatio quidem est formaliter, sed modum habet hypostaticæ formæ; hoc enim ipso, quòd in abstracto concipitur & significatur, intelligitur ad modum formæ totius, & vt qua pater est pater, non pure relatiuè, sed hypostaticè; quia diuina paternitas est subsistens, immo est ipsa substantia personalis. Cõstat autem prius nostro modo intelligendi esse hypostasim ante eius actualem relationem ad aliam hypostasim ex ea procedentem; cum hic actualis respectus processionem sequatur vnius ab alia. Prius ergo intelligitur paternitas vt constituens patrem, vt hypostasim subsistentem, antequam illum intelligatur constituere vt exercitè relatum ad filium. Vult igitur Cai. eandem paternitatis essentiam constituendo personam patris quendam quasi actum primum exercere, & eadem referendo illum ad filium actum quasi secundum exercere: Et prout exercet actum primum habere rationem, & modum hypostaticæ formæ, & præcedere generationem, & multò magis filium, ad quem generatio terminatur: vt autem exercet actum secundum consequi generationem, & simul esse cum filio.

Nota. Quamuis ergo relatio secundum suam essentiam sit ad aliud, si ratio sumatur relationis præcisè, & sic accepta nequiat esse sine termino, sed sit cum eo simul natura, vt ait Aristoteles *in prædicamentis*: si tamen sumatur relatio non præcisè, sed sub tali modo minimè relatiuo, scilicet vt hypostatica forma, concipitur ad modum absoluti, & vt præcedens respectum ad eandem pertinentem quatenus relatio est, id est vt rationem & modum habet relationis. Totam igitur habet relationis essentiam paternitas conceptè sumpta, ac proinde rationem habet etiam ad conceptè: sed hoc ipso, quòd conceptè sumitur, quidditas quædam est & forma totius, non quæcunque sed hypostatica; quia subsistens est, & consequenter seipsa tota cum omni eius respectu conceptè sumpto rationem induit hypostaticæ formæ modũ habens absolutum, saltem negatiuè, id est, non relatiuum: Propter quem modum præintelligitur generationi, & filio genito.

Conciliantur sententiæ Cai. Capr. & Ferrar. Ex quo patet nullam esse in rei veritate differentiam inter sententiam hanc Cai. & sententiam Capr. & Ferrar. quam sequuntur plures ex recentioribus: quamuis eorum aliqui in modo loquendi videantur esse differentes. Nam quod ait Cai. patrem hypostaticè distingui paternitate conceptè sumpta, non repugnat dicto Ferrariensis asserentis patrem constitui paternitate, prout est hypostatica forma distingui verò eadem quatenus est relatio: Loquitur enim Cai. de prima ratione distinguendi, & de distinctiuo patris. prout est hypostasis per se subsistens, quod tamen actu non distinguit, nisi genito filio: quãuis hoc ipso, quòd patrem constituit in esse personali incõmunicabili, sit per se sufficiens illius distinctiuum à filio, quo per actum generationis producto statim distinguit. Ferrar. autem loquitur de actuali relatiua distinctione, quæ non est, nec esse potest, aut intelligi, nisi posito in actu vtroque relationis extremo.

Quod autem ait Ferrar. cum Capr. patrem in illo priori, quo concipitur à nobis vt præcedens generationem, & constitutus in esse hypostatico, non concipi vt aliquid relatiuum, sed intelligi sub ratione absoluta, nõ repugnat sententiæ Cai. dicentis paternitatem constituere patrem in esse relatiuo formaliter. Nam Ferrar. loquitur de modo constituentis & constituti: Cai. autem de ratione formali constituendi, quæ est relationis: quam etiam affirmat constituere, prout habet modum hypostaticæ formæ, quæ est expressa doctrina. D. Tho.

Ad eũdem sensum reduci possunt aliæ quædam recentiorum sententiæ. Idem enim videtur significare voluisse Rua prædictus, cum ait personas diuinas relationibus constitui, quatenus sunt magis exprimentes existentiam, quàm esse ad; distingui verò eisdem relationibus vt relationes sunt, id est, vt magis exprimunt esse ad aliud, quam vt subsistentiæ sunt; quia distinctio diuinarum personarum est per relationes originis formaliter: vna siquidem est ratio constituendi & distinguendi, nimirum relatio formaliter sumpta. sed modus constituendi est illi cõmunis cũ absolutis, modus verò distinguendi est illi proprius ob dictam causam. Eundem dicendi modum minus aptè videntur illi recentiores attigisse, qui relationi attribuunt constituere ratione *in*, distinguere verò ratione *ad*. Nam si de modo constituendi sermo sit, constituit diuina relatio, puta paternitas ratione *in*. non præcisè, sed quatenus *in* dicit subsistentiam, vt modum relationi necessarium ad hypostasim constituendam. Eandem sententiam planius expressit Rada, & ante eum Tor. Ban. & Val. Nec aliud in veritate sentit Suar. post Zumel. quamuis antiquioribus

illis Thomistis se profiteatur aduersum. Idem voluit significare Vasq. dicens posse personam patris apprehendi vt constitutam, priusquam generet, ex essentia, & proprietate innascibilis, & secundi ad producendum: quam (inquit) Bonauen. appellat fontalem plenitudinem: existimat enim innascibilitatem non esse veram priuationem, sed positiuam proprietatem à paternitate distinctam; cuius oppositum latè superius ostendimus *q. 32. a. 3. & q. 33. a. vlt.*

Quod autem ait Zumel. diuinam personam, puta patrem, distinctè & formaliter cõceptam, secundum propriam rationem suæ personalitatis non posse intelligi vt constitutam, nisi concipiatur vt relata, & sic conceptam non prę- intelligi generationi, verum est considerata sola & præcisa ratione constituendi, quæ est paternitas: sed accepta paternitate, vt ratione constituendi sub tali modo, id est hypostaticæ formæ subsistentis, & proprietatis, sic præconcipitur generationi, & actuali respectui ad terminum; quoniam vt subsit tali modo communis est, & indifferens ad absolutum & relatiuum, & vtrumque præuenit; quia sub tali conceptu neutrum includit aut exprimit, quamuis verè secundum se sit relatiua: Sicut Petrus veniens, & à longè distans, verè est Petrus, sed à me statim non concipitur vt Petrus, sed prius vt animal singulare abstrahendo ab homine & bruto, deinde vt aliquis homo, postremò vt Petrus. Patebit autem euidentius hic sententiarum cõsensus, minimè ipsis opinantibus cognitus, ex argumentorum solutionibus, quę producentur inferius.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Personæ diuinæ non constituuntur, neque distinguuntur per absoluta.* Hanc conclusionem latè probant authores supra notati.

SECVNDA CONCLVSIO. *Diuinæ personæ secundum se consideratæ seipsis constituuntur.* Probatur. Quia à parte rei idem est realiter & formaliter relatio, quod persona; ergo relatio ponendo se constituit personam. Probatur consequẽtia; quia quodlibet simplex ponendo se constituit se ipsum.

TERTIA CONCLVS. *Si de personis diuinis loquamur, prout à nobis intelliguntur & significantur, non constituuntur seipsis, sed propriet atibus, siue relationibus à quibus differunt modo nostro concipiendi, & significandi cum fundamento in re.*

QVARTA CONCL. *Relatio diuina constituit personam, inquantum est ipsa persona, id est, quatenus hanc habet conditionem, vt ex sua ratione formali sit in persona, non vt accidens in subiecto, aut pars in toto, sed vt idem quod ipsa persona, & instar formæ totius. sola ratione in re fundamentum habente ab ea distinctæ.* Probatur. Nam si constitutum distinctionem habet à parte rei inter constituens & ipsum constitutum, iam non est simplex, sed verè compositum ex actuali & potentiali.

QVINTA CONCL. *Persona diuina intelligitur etiam à nobis constitui ex essentia & relatione, veluti ex natura & suppositalitate.* Probatur primò ex Concilio Flor. superius allegato. Secundò; quia diuinam personam concipimus ad modum personæ creatæ, in qua constituenda duo prædicta realiter inter se distincta concurrunt.

SEXTA CONCL. *Melius & congruentius intelligitur constitutio diuinæ personæ fieri per relationem ad modum formæ totius, quàm ad modum formæ partis.* Probatur; quia prior modus constituendi satis aptè congruit diuinæ simplicitati, alter autem eidem ex suæ conceptionis modo repugnat; quamuis hæc imperfectio rei non attribuatur, sed ex parte cognoscentis se teneat.

SEPTIMA CONCLVSIO. *Relatio diuina constituit personam, vt est eadem essentiæ realiter & formaliter à parte rei, quatenus dictio vt specificat radicem, ex qua vim habet relatio constituendi personam, non autem vt denotat rationem formalem constituendi.*

OCTAVA CONCLVSIO. *Relatio diuina constituit personam, vt ratione ratiocinata distinguitur ab essentia; & ab ipsa persona constituta, quatenus dictio vt denotat, siue specificat conditionem, non solum ex parte nostri, quæ est talis modus concipiendi, sed etiam ex parte rei, quæ est virtualis distinctio.*

NONA CONCLVSIO. *Constitutio diuinæ personæ per relationem non est tantum secundum rationem, sed est realis à parte rei.* Probatur; quia sicut deitas seipsam ponendo formaliter Deum ponit, ita paternitas seipsam ponendo formaliter patrem ponit siue constituit: at deitas secundum se nullo intellectu considerante seipsam ponit formaliter, quia seipsa formaliter est deitas; ergo. Maior patet ex supradictis; quoniam simplicibus proprius est hic modus constituendi.

DECIMA CONCL. *Eadem constitutio, vt à nobis concipitur ad modum rerum compositarum, est rationis ratiocinatæ, siue realis virtualis.* Hæc patet ex dictis.

VNDECIMA CONCL. *Non est absolutè dicendum personas diuinas seipsis constitui, & distingui, quamuis verum sit personas constitui & distingui seipsis à parte rei.* Hæc supra fuit probata.

DVODECIMA CONCL. *Personæ diuinæ non constituuntur per origines.* Hanc conclusionem probat efficaciter ratio D. Tho. supra *a. 2.* & intelligenda est de personis & originibus secundum modum nostrum concipiendi, non autem secundum se: quia sic idem est formaliter persona, relatio & origo.

TERTIADECIMA CONCL. *Personæ diuinæ secundum se constituuntur relationibus, quatenus formaliter & actualiter relationes sunt, id est, vt actu referuntur.* Hanc concl. probant argumenta Zumel. pro quinta eius conclusione.

QVARTADECIMA CONCL. *Si sermo sit de ratione formali constituendi, diuinæ relationes constituunt, & distinguunt in esse hypostatico personas sub expressa ratione relationis, conceptè tamen, & non exercitè.*

QVINTADECIMA CONCL. *Si loquamur de conditione, siue modo constituendi, diuinæ relationes constituunt personas, vt sunt subsistentes; & vt hypostaticæ formæ: qui modus sicut relatiuus non est, ita neque est absolutus propriè loquendo, nisi negatiuè, sed abstrahit ab absoluto, & respectiuo;* quia sicut neutrum exprimit: & in hoc sensu vera est sententia Capr. & Ferrar.

SEXTADECIMA CONCL. *Relatio paternitatis non concipitur vt actu distinguens patrem à filio, cum patrem constituit, sed tantum genito filio.* Hæc patet ex dictis.

DECIMASEPTIMA CONCL. *Persona patris non intelligitur antè filij generationem vt constituta ex essentia, & innascibilitate.* Probatur, quia innascibilitas est mera negatio.

CONTRA *primam concluſ.* sunt argumenta, quæ proferunt ex Scoto & soluunt Capr. *in dicta*

Argumenta & solutiones.

8ta dist.26.q.1. Ban.Zum.Mol.& alij recentiores A iudicatur parum tuta in fide,sic horum sententia Doctorum minus est fidei cõsentanea. Probatur antecedens:quia Greg.non negat concreta & abstracta in diuinis , atque adeo tantam distinctionem rationis ratiocinantis inter patrem & paternitatem, quanta est inter Deum & deitatem:& ideo censuit nullam esse admittendam compositionem in personis diuinis ex proprietatibus earum & essentia , sicut nulla est compositio inter Deum & deitatem:At maior(inquit)est distinctio inter personam constitutam& proprietatem constituentem,quàm inter Deum & Deitatem ; nec proprietas constituit personam , vt includit essentiam , sed vt præcisa ab essentia ; ergo non constituit personam , vt forma totius . *Et confirmatur* ; quia *Confir.* sicut essentia constituit personam,& tamen non est forma totius,cùm nõ dicat id,per quod persona constituta distinguitur à reliquis personis; ita proprietas , quæ cum eadem essentia constituit eandem personam , non erit forma totius , sed distinguetur à persona constituta, tanquam inclusum ab includente, non secus ac essentia distinguitur. *Resp.*falsum esse anteced. Ad cuius probationem nego primò maiorem *Solut.* esse distinctionem inter proprietatem constituentem,& personam constitutam, quàm inter Deum & deitatem . Deinde nego proprietatem constituere personam , vt proprietas præscindit ab essentia. De qua re satis diximus *supra q.28.a.2.contr.1.* Tertiò dico Greg.non reprehendi propter causam tactam in argumento , sed quia recedit à communi sensu . & modo loquendi sanctorum Doctorum , Patrum & Conciliorum dicentium tale concretum , puta patrem constitui & distingui per tale abstractum , scilicet paternitatem : sicut hoc concretum Deus constituitur per hoc abstractũ,quod est deitas . Nec vnquam fuit inter Doctores quæstio de compositione, quam vt maximam imperfectionem semper omnes à Deo negarunt . Deniq; *ad confirmationem* dico,essentiam *Ad confir.* non posse dici propriè constituere personam, sicut nec animal dicitur constituere hominem. Nam rei constitutio propriè & simpliciter loquendo attribuitur vltimo eius determinatiuo. Eodem enim res constituitur,quo distinguitur: fit autem distinctio per propria, non per communia.

Obi.1.contr. 2.& 3.cõcl.

CONTRA *secundam & tertiam* concl.argumentatur Rada. *Primò*.Concilia,cum asserunt personas diuinas distingui suis proprietatibus relatiuis,non vtuntur hac distinctione,sed absolutè loquuntur , dicendo eas suis relationibus distingui;ergo insinuatur,quòd à parte rei distinguuntur relationibus, & non solum prout à nobis concipiuntur.

Conf.

Et Confirmatur;quia in Concilio Toletano vndecimo definitur, quòd numerus personarum insinuatur per relationes & non per essentiam . Quod si dicas ibi sermonem esse de personis , prout à nobis concipiuntur,*sequitur*,quòd numerus personarũ non B est attendẽdus penes ea,quæ sunt à parte rei,secundum quod in se sunt,sed prout à nobis concipiuntur;quo nihil absurdius,aut periculosius dici potest. Nam tunc videtur esse concedendũ personas non esse plures , nisi per ordinem ad nostrum intellectum , quod est hæreticum.

Solut.

Resp. diuinas personas à parte rei relationibus distingui,vt supra diximus.Et quia relationes à parte rei sunt idem non solum realiter , sed etiam formaliter,quod ipsæ personæ: ideò hoc ipso, quòd à parte rei constituuntur relationibus,seipsis etiam constituuntur.Sed quia dicẽdo personas constitui relationibus , distinctio C quædam significatur inter relationes vt constituentes, & personas vt constitutas , quæ nulla est à parte rei , sed tantum secundum modum nostrum intelligendi & significandi : idcircò bene dixit A.noster D.diuinas personas secundum se distingui, & constitui seipsis, sed prout à nobis intelliguntur constitui relationibus, atque distingui : Et per hoc patet responsio *ad confirmationem* ;

Ad confir.

potest enim Concilium vtroque modo intelligi , sed melius secundo modo . Nec tamen sequitur numerum personarum esse solum secundum modum nostrum concipiendi, sed distinctionem constituentis à constituto esse tantum secundum rationem , vt bene aduertit Ban.& post eum Zum.

Obi.2.

Secundò. Omni actu nostri intellectus secluso D pater & filius sunt idem in essentia , & distinguuntur realiter per proprietates personales, vt de fide tenendum est;ergo à parte rei non distinguuntur seipsis totis . Patet consequentia; quia quæ seipsis distinguuntur,sunt primò diuersa in nullo conuenientia.

Solut.

Resp. admisso toto argumento nihil contra nos deduci. Aliud est enim personas distingui seipsis, id est per sua intrinseca & propria formaliter : & aliud est eas seipsis totis aut seipsis primò distingui. Ad primum enim satis est cuilibet aliquid proprium conuenire, quo distinguatur ab altero: ad secũdum autem requiritur,vt in nullo conueniat vna cum altero. Quamuis autem idem sint realiter , & formaliter à parte rei relatio siue persona & essentia, distinguuntur tamen virtualiter, & ita propria exercent , ac si realiter essent distincta: & ideo distinguuntur pater & filius relationibus,cõueniunt autem in essentia. Et per hæc patet etiam solutio ad vltimum eiusdem au thoris argumentum ; in quo etiam falsum assumitur,nimirum relationem &essentiam distingui ex natura rei.

CONTRA *tertiam concluſ.* sunt argumenta Greg.Arim.relata & soluta à Capr.& expositoribus D.Th.*in a.2.huius q.*

Ob.cont.4.& 6.concl.

CONTRA *quartam concl. & sextam* argumentatur Mol. Primò. Hæc sententia non differt ab opinione Arim.ergo sicut sentẽtia Greg.

Ob.cont.7. & 8. concl.

CONTRA *septimam & octauam* concl. argumentatur Rada. Primò.Quia aut dictio,*vt*,sumitur reduplicatiuè, aut specificatiuè . Si primum , vel reduplicat rationem formalem constitutiui personæ,aut quid consequens vel concomitans huiusmodi rationem formalem. Si rationem formalem reduplicat ; ergo relatio rationis est ratio formalis constituendi diuinam personam : quo nihil absurdius dici E potest.Probatur consequent.quia hoc,quod est differre sola ratione,dicit solam relationem rationis. Si verò reduplicat aliquid consequens in re,vel in intellectu rationem formalem constitutiuam;ergò illud supponit rationem personæ constitutiuam , quæ non est nisi entitas formalis relationis;ergo relatio in re constituit diuinam personam, & non vt differens ratione ab essentia. Si verò dictio *vt*,sumitur specificatiuè, sensus est, quòd relatio , quæ sola ratione differt ab essentia ; constituit personam subsistentem. Tunc sic. Præcisa ratione & intellectu, nulla est distinctio inter essentiam & relationẽ secundum sententiam aduersariorum ; ergo illa subsistentia non magis est à relatione , quàm ab

essentia. *Resp.* dictionem vt sumi specificatiuè, prout scilicet specificat conditionem necessariam ad personæ constitutionem, non secundum se, sed prout à nobis intelligitur, & significatur cum fundamento in re: argumentum autem procedit de constitutione personæ secundum se. Quo modo autem personæ secundum se constituantur, supra diximus cumulatè. Ex quo patet nos non omnia ad conceptus nostros referre, vt objicit Rada, sed ea tantum, quæ ad imperfectum modum nostrum intelligendi necessariò pertinent, qualis est diuinarum personarum constitutio, ad modum rerum compositarum considerata; cuius tamen considerationis solidum est in re diuina fundamentum.

Replica. *Sed hanc resp.* sic impugnat Rada. Ad veram constitutionem non sufficit distinctio habens fundamentum in re tantum; quia cum tali distinctione stat omnimoda identitas realis & formalis, ita vt secluso actu intellectus, nullo modo actu distinguuntur; sed sunt prorsus idem: At idem omninò non potest seipsum constituere; ergo. *Resp.* hoc argumento probari personas à parte rei non constitui relatione, vt distinguitur ab essentia, sed vt est eadem modo superius explicato. Non tamen probat, quin prout à nobis concipiuntur & significantur, constituantur modo dicto.

Reliqua argumenta, quibus nititur probare prædict⁹ author relationes vt formaliter ex natura rei distinctas ab essentia constituere personas vt subsistentes, nihil aliud probant, nisi subsistentiam incommunicabilem esse conditionem, siue modum relationi necessarium ad hypostasim constituendam, vt supra docuimus cum D. Th. & Cai. ad quod sufficit distinctio virtualis relationis sic subsistentis ab essentia vt essentia.

Contra easdem concl. sunt argumenta, quæ proferunt & soluunt Ban. *hic dubio 2.* & Zumel. *disp. 3.*

Obi. 1. com. 9. concl. CONTRA *nonam* concluſ. argumentatur Vasq. *disp. 158. cap. 2. Primò.* Quia D. Tho. *in primo sentent. dist. 26. q. 2. art. primo*, & Cai. *hic*, & Ferrar. *in 4. cont. gent. cap. 26.* dicunt personas diuinas re ipsa non constitui, sed ratione tantum, si de constitutione ex natura rei loquamur.

Solut. *Resp.* S. Th. & prædictos eius interpretes nihil de constitutione relationis meminisse, neque negasse personas diuinas seipsis realiter constitui ex natura rei, sed affirmasse primò diuinas personas secundum se distingui seipsis, quatenus personæ secundum rem sunt ipsæ relationes: ita D. Th. *loco allegato ad 5.* & Cai. *supra a. 2. circa resp. ad 1.* Secundò relationes seu proprietates constituere personas, inquantum sunt ipsæ personæ, vt supra latè declarauimus ex dicto D. Th. & expositione Cai. *a. 3. huius q.* quam constitutionem ostendimus esse realem.

Obj. 2. *Secundò.* Constitutio ex natura rei postulat distinctionem ex natura rei, inter id quod constituit, & id quod constituitur: vt autem sit constitutio per intellectum, satis est per intellectum quoque relationem à persona distingui; sed idem omninò sunt persona essentia & proprietas ex natura rei; ergo ex natura rei persona non potest essentia aut proprietate constitui, sed tantum secundum rationem. Maior probatur; quia idem seipsum non constituit.

Solutio. *Resp.* falsam esse maiorem in constitutiuo simplicis, vt suprà latè declarauimus cum Cai.

Tertiò. Nomine constitutionis non solum significamus rem conuenientem cum alijs, & distinctam ab eis, verùm etiam actum quendam & ordinem constituentis principij circa rem constitutam. Quare, si hic actus solum est per rationem, constitutio non realis, sed rationis dicenda est. Hunc autem actum in diuina persona esse rationis, si principium constituens non distinguitur ex natura rei à constituta, nemo est qui ignoret. *Resp.* nomine constitutionis in simplicibus significari actum simplicis, quo seipsum ponit; qui actus est ipsa simplicis essentia, vt est simplex actualiter & realiter; quod ei conuenit nullo intellectu considerante. Vnde ad argumentum negatur assumptum, quo significatur distinctio quædã rationis inter constitutiuum & constitutum. Eo tamen probatur optimè decima nostra conclusio. *Obiect. 3.* *Solut.*

CONTRA *vndecimam* concl. sunt argumenta Greg. Arim. à Capr. & recentioribus relata & soluta.

CONTRA *duodecimam* concl. argumentatur Val. Primò Conceptus vltimus, quem nos formare oportet de persona diuina, est, quòd ea sit quædam res subsistens & incommunicabilis, & distincta ab omnibus infinitè perfectiori modo, quàm hæc ipsa competant personæ creatæ, Et conceptus etiam, quem formamus de relatione diuina, est, quòd per illam res, quæ est persona, respiciat alteram correlatiuam infinitè perfectiori modo, quàm vnum relatiuum creatum respiciat alterum. Et similiter conceptus, quem formamus de diuina origine, est, quòd per illam infinitè vna persona producit aliam, aut ab alia procedit. At verò de re, quæ est persona diuina, non aliter cõcipimus eam esse subsistẽtem incommunicabiliter, & ab alijs distinctam, quàm vt concipimus eam per relationem personalem illo perfectissimo modo respicere alteram personam, & similiter habere ordinem originis ad illam; ergo sm̃ modũ nostrum concipiendi conceptu vltimo, quem nos oportet formare de persona, & de relatione, & de origine, persona diuina per relationem & originem formaliter constituitur. *Obi. 1. cont. 12. concl.* *Resp.* hoc argumento probari diuinas personas sic conceptas distingui, tam per relationes, quam per origines, non autem per vtrumque constitui. Nam origini, hoc ipso, quòd concipitur, & significatur vt via à persona, vel ad personam, repugnat constituere personam. Nec vnquam dixit D. Th. personas constitui per relationes, & origines, & principalius per relationes, minus autem principialiter per origines, vt ei imponit Val. *supra a. 2.* Sed de sola distinctione loquitur ibi S. Th. de constitutione verò dixit esse contra rationem originis, quod constituat hypostasim vel personam. Distinguit autem origo propriè loquẽdo magis radicaliter, quàm formaliter, quia scilicet est productio actiua, vel passiua personę, ex qua productione resultat relatio formaliter distinctiua. Et per hoc soluitur ea perplexitas, quæ torquet Val. *in dicto a. 2. in fine*: quomodo persona secundum D. Tho. constituatur per originem; suppositum enim quæsiti nusquàm asseruit S. D. *Solut.* *Impostura Valentia.*

Contra eandem concl. sunt argumenta, quæ profert & soluit Zumel. *supra a. 2. disput. 2.* & alij recentiores *ibidem & super hoc articulo.*

Contra eandem concl. argumentatur Molina. Relatio & origo idem omnino sunt in re formaliter ac virtute, eodemq; modo ab essẽtia *obi. 2.*

& at-

& attributis absolutis distinguuntur virtute, v- A
naque cum essentia constituit suppositum in
esse substantiæ relatiuæ incommunicabilis, &
ab alijs diuinis suppositis distinctæ; ergo pro-
miscuè dici potest personas diuinas constitui
& distingui ab inuicem relationibus origini-
busve ipsis. Secundò probat idem ex pluribus
Sanctorum dictis, videlicet August. *5. de Trin.*
cap 6.& 7. Fulgent. *de fide ad Petrum,* Damascen.
Solut. Ambr. Hilarij & Magistri *in primo dist. 26. Resp.*
primò falsum esse antecedens quoad particu-
lam illam *virtute*; quamuis enim realiter & for-
maliter sint idem à parte rei relatio, & actus no-
tionalis, puta paternitas & generatio; virtute
tamen ita distinguuntur, vt eadem res, quate- B
nus est relatio, puta paternitas, exerceat a-
ctum oppositionis relatiuæ respectu correlati-
ui, & eadem vt actio sit eiusdem termini, vt
subsistentis personæ generatio. Secundò di-
co Sanctos Patres sæpè distinctiua, & constitu-
tiua personarum per actus notionales vt nobis
notiores designasse; quia relationes siue pro-
prietates, sub ea ratione, qua personarum sunt
constitutiuæ, valde nobis occultæ sunt, vt
patet ex opinionum varietate. Tertiò dico ve-
rum esse, quod probat argumentum, si de con-
stitutiuo loquamur à parte rei, non autem se-
cundum modum nostrum intelligendi, vt pro-
bauit efficaciter S. D. *a. 2.* Ad authoritatem Ma-
gistri respondet S. D. *hic ad primum argumen-*
tum.

Obi. 1. contr. 14. concl. CONTRA 14. concluf. argumentatur Ferra-
riensis. *Primò.* Quod conuenit alicui secundùm
suam rationem formalem, conuenit illi in-
quantum huiusmodi; sed per Caietanum con-
stituere hypostasim subsistentem conuenit
paternitati secundum expressam rationem pa-
ternitatis; ergo hoc conuenit illi inquantum
paternitas est; sed hoc est contra mentem S.
Solut. Tho. dicentis quod relatio, vt relatio non con-
stituit; ergo. *Resp.* relationem constituere in-
quantum est relatio conceptè sumpta, id est, in-
quantum habet rationem & quidditatem rela-
tionis: non autem constituit, inquantum est re- D
latio exercita, id est, prout exercet actum rela-
tionis.

Replica. *Sed hæc responsio* (inquit Ferrarien.) nulla est:
Tum quia absolutè verum est dicere secundum
vsum Philosophorum, & præcipuè S. Thomæ,
hoc conuenit huic inquantum tale, quando
conuenit illi secundum eius rationem forma-
Replica 2. lem: *Tum quia*, quando aliqua causa causat
secundum aliquam rationem, tunc exercetur
actus illius rationis; exercere enim actum il-
lius rationis est ipsam ad operationem appli-
care: si ergo relatio secundum rationem rela-
tionis constituit, sequitur quòd exerceat actũ
Sol. 1. repl. relationis. *Respond.* duas perfectiones, & E
Duplex actus formæ. duos actus in qualibet forma considerari. Pri-
ma perfectio est essentia siue quidditas, cuius
actus primus est informare, siue dare esse seu
constituere rem in tali esse; sicuti animæ prima
perfectio est, vt sit forma, & eius actus primus
est informare corpus, & constituere animatum.
Secunda formæ perfectio est eius operatio,
quæ est eius actus secundus: sicut vegetare, sen-
tire & intelligere est animæ secunda perfectio,
& ipsa est operatio. Quas duas perfectiones
& actus possumus etiam in relatione contem-
plari, iuxta modum eius naturæ congruen-
tem; est enim relatio forma quædam & quid-
ditas, cuius esse est ad aliud in potentia saltem
proxima referri, eius verò actus primus est con-
stituere relatiuum, puta patrem, & ita sumitur
relatio conceptè. Perfectio verò relationis se-
cunda, quæ modum etiam habet operationis,
est actualis respectus ad terminum. Pertinet
autem vtraque prædicta perfectio, & actus eius
vterque ad formam, & relationem formaliter
sumptam; Animæ enim, vt anima est, non so-
lum conuenit informare corpus, & constitue-
re animatum, sed etiam vegetare, sentire &c. &
relationi, vt relatio est, puta paternitati, non so-
lum conuenit constituere patrem, sed etiam re-
ferre ipsum ad filium. Ex his ad primam obie-
ctionem patet responsio. *Ad secundam* dico pri- Sol. 2. repl.
mò, relationem constituendo exercere suum a-
ctum primum, non autem secundum. Dico se-
cundò, cùm simpliciter, id est sine addito, ser-
mo est de exercitio actus alicuius formæ, intel-
ligendum est de exercitio actus secundi: & ita
loquitur Cai. de relationis exercitio. Et in eo-
dem sensu vera est illa probatio Ferrar. Exer-
cere actum alicuius rationis est ipsam ad opera-
tionem applicare: alioquin ad exercitium vni-
uersaliter extensa falsa est. Et per hoc soluitur
aliud argumentum Ferrar.

Obi. 2. *Secundò.* Nihil aliud est formam proprium a-
ctum circa aliquid exercere, quàm dare illi suũ
effectum formalem. Sicut albedinem exercere
proprium actum circa parietem nihil aliud est,
C quàm facere ipsum formaliter album; sed effe-
ctus formalis relationis, inquantum est rela-
tio, est constituere aliquid formaliter in esse
relatiuo, & ipsum relatiuè distinguere; ergo re-
latio, quę hoc facit in aliquo, exercet actum suũ
circa illud; igitur paternitas constituendo pa-
trem exercet actum suum constituendo ipsum;
ergo vt exercita constituit. *Respond.* maiorem Solut.
intellectam de exercitio actus simpliciter, id
est de exercitio actus secundi falsam esse: ve-
ram autem de exercitio actus primi, de quo
procedit exemplum albedinis, cuius actus pri-
mus est facere album, secundus verò disgregare.
Minor autem duplicem habet sensum. Nam ea
particula *inquantum relatio*, iuxta mentem D.
D Th. prout exponitur à Cai. specificat rationem
formalem relationis quo ad actum exercitium,
id est, quo ad actualem respectum ad termi-
num: & ita falsa est minor proposítio. Si verò
sumatur ea particula, *inquantum relatio*, prout
specificat, siue reduplicat essentiam seu quidd-
tatem relationis, quæ est ipsa relatio conceptè
sumpta, vera est minor; sed inde nihil sequitur
contra Cai.

Obi. 3. *Contra eandem concl.* argumentatur Rua præ-
dictus. S. Thomas *supra artic. 2.* asseruit diuinas
personas constitui, & primò distingui non
per origines, sed per relationes: & *in hoc artic.*
4. docuit relationem patris consideratam vt est
E relatio, præsupponere secundum intellectum
actum notionalem generationis, quia fundatur
in illo. Vt autem est constitutiua personæ an-
tecedere actum notionalem generandi, quia
agens præintelligitur actioni. Ex quibus se-
quitur, vel D. Thom. sensisse diuinas personas
constitui per aliquid absolutum, vel patrem
intelligi prius constitutum, quàm intelligatur
filius: cùm tamen vtrumque sit alienum à veri-
tate & à doctrina S. Th. Ea verò ex dictis S. Th.
inferri probat; quoniam vel intelligit per pa-
ternitatem, vt constitutiua est, rem aliquam se-
cundum modum nostrum intelligendi forma-
liter absolutam; & ita sequitur personam di-
uinam constitui per aliquid formaliter abso-
lutum; Vel intelligit aliquid formaliter relati-

uum;& tunc cum asserat paternitatem,vt cõstitutiua est, antecedere generationem, per quam producitur filius, necessario sequitur patrem antecedere filium. Nam expresse confitetur hic S.Th.generationem precognosci ante proprietatem constitutiuam filij; igitur, cum generatio præsupponat patrem tanquàm personam generantem, satis clarè videtur colligi nos prius intelligere patrem constitutum, quam filium. *Solut.* *Resp.* ex dictis D. Th. neutrum sequi simpliciter, & vtrumque aliquo modo. Non enim sequitur patrem simpliciter constitui per absolutum, sed per relationem, vt modum quendam habet communem absolutis & respectiuis, quatenus scilicet est hypostatica forma; adeò vt ratio constituendi sit relatiua, modus verò siuè conditio sit abstrahens ab absoluto & respectiuo. Neque etiam sequitur patrem prius simpliciter esse constitutum, quàm intelligatur esse filius. sed tantum secundum eius conceptum incompletum, quo cõsideratur vt hypostasis prima. Nam, etsi constituatur pater paternitate formaliter vt ratione constituendi, non tamen ea constitui intelligitur in illo priori nisi sub tali modo, scilicet prout est hypostatica forma; secundum quem modum S. D. admittit concipi patrem, vt generatione & filio priorem.

Obi. 4. *Contra eandem* concl. argumentatur Mol. *Primò* sic. De essentia relationis, putà patris, est referri ad correlatiuũ, vt ex diffinitione secũda relatiuorum est manifestum: Diffinitur namque ab Aristot. esse id, cui hoc ipsum quod est esse, id est essentia, est ad aliud se habere; ergò non prius pater constituitur per paternitatem in esse relatiuo patris, quàm per eam respiciat filium; cum nihil denudari possit ab eo, quod est de ipsius essentia: immò verò non est aliud paternitatem constituere patrem in esse patris, quàm constituere eum in esse respicientis filium exercentis respectum ad filium. *Conf.* *Et confirmatur*; quia relatiua sunt simul natura & cognitione. Eodem ferè argumento vtitur Zumel. assumens in antecedente nomen relationis.

Solut. *Resp.* primò antecedens verum esse de relatiuo, & relatione secundum integrum eius conceptum, non autem secundum aliquam eius rationem siuè modum communem absolutis & relatiuis, vt in proposito. Secundum dico antecedens verum esse de relatiuo, puta patre, quo ad eius rationem relatiuam purè & præcisè, non autem vt stat sub modo absoluto, aut communi absolutis & relatiuis, prout scilicet consideratur vt hypostasis indiuidua. *Ad Conf.* Tertiò dico *ad confirmat.* relatiua à parte rei, & secundum eius integrum conceptum esse simul natura, non autem secundum omnem eorum conceptum.

Ob. 5. *Secundò.* Esse relatiuum patris, non solum vt terminatur ad filium, sed etiam in se, vt est effectus formalis paternitatis, tribuens illi formaliter vt sit pater consequitur generationem actiuam, tanquam rationem fundandi, vt patet in humanis: ergò vana est illa distinctio Cai. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. Nec eadem est ratio de humana paternitate; quia non est subsistens, sicut diuina, quæ ideò fert secum suum fundamentum, & hypostasim.

Obi. 6. *Contra eandem* concl. vrget vehementer Zumel. *super hoc a. disput. 1. concl. 4.* multis argumentis, quæ solum concludunt, vel magis nituntur concludere paternitatem vt conceptam præcisè sumptam respicere terminum, saltem conceptè sumptum, & vt sic non præcedere generationem quouis modo sumptam. *Solut.* *Nos autem dicimus* paternitatem sub expressa ratione relationis, vt rationem constituendi esse personæ constitutiuam, non tamen pure & præcisè, sed quatenus induit modum hypostaticæ formæ & proprietatis indiuidualis; secundum quem modum potest optimè concipi vt prior generatione & actu relationis, saltem exercito, vt ante diximus. In hoc enim differt relatione creata, quod subsistens est; & ideo secum fert ipsum fundamentum & hypostasim. Et ex eodem fundamento soluuntur argumenta Scoti, quæ refert Vasq. *disp. 159. cap. 1.* & aliud argumentum eiusdem Vasq. *c. 2.* quod est argumentum Zumell. & alia duo Suarez. *lib. 7. cap. 7.* quæ Zumel. ante formauerat.

Obi. 7. *Contra eandem concl.* argumentatur Val. Differentia actus signati, & actus exerciti in relatione, vt ex Cai. colligitur *in suo Logices com. cap. de relatione*, solum videtur pertinere ad diuersitatem nominum, quibus solemus significare relationem sub eodem etiam formali conceptu; ergo hæc distinctio non satis aptè videtur accommodari ad hoc propositum. Probatur antecedẽs; quoniam illic ait Cai. relationem in actu signato, esse relationem vt significatur hoc termino *relatio*: relationem verò in actu exercito, esse relationem vt significatur hoc termino *ad aliquid*; quia hic videtur significare munus eius ex ipso modo significandi. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. Ad cuius probationem negatur consequentia; nàm vocum diuersitatem Cai. expressit, non quòd ea sola sit inter prædicta duo distinctionis membra, sed vt ex vocum veluti signorum diuersitate, rationum significatarum distinctionem insinuaret.

Obi. 8. *Contra eandem concl.* argumentatur Rada. *Primò.* Secundum modum nostrum concipiendi imperfectum prius concipimus suppositum in esse suppositi, quam in esse generantis, aut patris; sed vt sic non concipitur conceptu relatiuo, nec absoluto; quia deciperemur; ergo indifferenti. *Resp.* in suppositio constituto *Solut.* duo considerari, scilicet rationem constituendi, & modum siuè conditionem. Ad maiorem dico suppositum patris in esse suppositi constitui vt ratione constituendi à paternitate vt concepta, quatenus modum habet hypostaticæ formæ, quæ vt sic præcedit generationem, quamuis ad eam sequatur vt exercita. Vnde falsa est minor de ratione constituendi, quamuis sit vera de modo, sub quo constituit.

Secundò vtitur argumentis Zumell. quæ ex eodem fundamento soluuntur, quod latè superius explicauimus.

Obiect 1. cont. 15. con. CONTRA *q. 15. argumentatur* Bannes. *Primò.* Concilia & SS. Patres definiunt personas relatiuis tantum proprietatibus distingui & numerari; ergo dicere diuinas personas constitui & distingui proprietatibus abstrahentibus à relatiuo & absoluto, non consentit diffinitioni Cõciliorum & Patrum. *Secundò.* Ex hac sententia sequitur diuinas personas nõ esse relatiuas simpliciter loquendo: sed consequens aduersatur doctrinæ Conciliorum & Patrum, quæ illas appellauit relatiuas: immò & doctrinæ Sacrarum litterarum, in qua personæ diuinæ explicantur nominibus relatiuis, quę sunt Pater & Filius & Spiritus S. *Tertiò.* Omne ens, vel est relatiuũ vel absolutũ, ergò figmẽtũ est asserere proprie-

proprietates diuinas abstrahere à relatiuo & absoluto. *Resp.* personas diuinas constitui relationibus formaliter, vt rationibus constituendi, quatenus tamen induuunt modum hypostaticę formæ, quæ vt sic abstrahit ab absoluto, & respectiuo. Et per hoc soluitur primum, & secũdum argumentum. Nam Concilia & Patres loquuntur de ratione constituendi, ex qua habent diuinæ personæ, vt sint simpliciter relatiuæ. Ad tertium autem dico omne ens esse absolutum vel relatiuum, si cõcipiatur conceptu integro, perfecto & proprio, non autem si concipiatur conceptu aliquo partiali imperfecto & minimè proprio; tunc enim poterit conceptus suppositi singularis esse indifferens ad absolutũ & respectiuũ. Sicut eminus videns venientem cognoscit illud esse suppositum animalis singulare, non tamen discernit, an sit homo vel equus, bos aut asinus; cum autem propius accesserit, iudicat esse hominem, & tandem esse Socratem. Sic itaque concipimus primò suppositum primæ personæ sub ratione siuè modo suppositi, non discernendo ipsum, vt stat sub tali modo, an sit absolutum vel relatiuum; quamuis secundum rem, & quo ad rationem constituendi sit relatiuum.

Obiect. 2. *Contra eandem* concl. qua ratione continet sententiam Capr. & Ferrar. argumentatur Molina: sed eius fundamenta quibus innititur, partim fuere superius confutata, scilicet *q. 27. a. 3.* & partim *in ar. 1. seq. q.* erunt oppugnanda. *Solut.* Falsum est enim ex essentia diuina seipsam intelligente resultare respectum paternitatis, & in ea se intelligente fundari. Sicut enim falsum est relationẽ filiationis resultare ex intelligere essentiali, & in eo fundari: Præterea falsum est origines siuè productiones à relationib. formaliter, siuè virtualiter non distingui, sed tantum penes intellectum concipientem; oppositum enim ostendemus esse verum *in articulo sequenti.*

Obiectio 3. *Contra eandem* concl. argumentatur Rua. *Primò.* Sententia Capr. & Ferrar. videtur conformis placito Ioan. de Rippa & aliorum, qui concedebant diuinas personas constitui per principia absoluta; quod à Theologis saltem tanquam errori proximum damnatum est, vt videre est apud Magistrum *in primo dist. 26. 27. & 33.* Sunt etiam plura Conciliorum verba ab Episcopo Canariensi relata & exposita, quibus aduersatur dicta sententia, quæ affirmat personam constitui in esse hypostatico & subsistenti per formam incommunicabilem, quæ dicit conceptũ absolutum; ac proinde simpliciter per aliquid absolutum constituitur. *Quod si dicatur* constitutionem non fieri per absolutum, sed per relationẽ sub conceptu absoluto, quia realiter relatio est, quæ constituit. *Contra* (inquit). In Deo omnia identificatur realiter, & solum inter diuina prædicata distinctionẽ rationis ratiocinatæ fatemur; concedimus enim patrem paternitate constitui, negamus verò eundem sapientia constitui: non quia sapientia realiter differat à paternitate, sed quia ratione distinguuntur. Cum ergò paternitas & forma incommunicabilis ratione distinguantur, & paternitatis nos habeamus cõceptum relatiuum, & formę incommunicabilis (vt inquit Ferrar.) conceptum absolutum, simpliciter dicendum erit constitui per absolutum, cum per formam incommunicabilem constituatur. Neque sufficiet identitas realis sapientiæ & paternitatis, vt concedamus patrem per sapientiam constitui. *Resp.* longè distare sententiam Capr. & Ferrar. ab errore Ioan. de Rippa. Nam hic rationem constituẽdi attribuebat absoluto, illi verò relationi, quamuis modum in ea intelligerent absolutum. Nec ideò dicunt personam per relationem constitui sub conceptu absoluto, & non per absolutum, quia relatio sit realiter ea, quæ constituit; sed quia relatio formaliter est ipsa ratio constituẽdi; quamuis sub modo quodam absoluto saltem negatiuo, vel magis vt diximus abstrahente ab absoluto & negatiuo. Et contra hoc non militat argumentum authoris prædicti.

Secundò. Omne absolutum in Deo est communicabile; ergo est implicatio in adiecto dicere formã in diuinis concipi sub conceptu absoluto tanquàm incommunicabilem. *Et confirmatur*; quia incommunicabilitas in diuinis prouenire debet ab aliquo, quod sit proprium rei constitutæ: sed in diuinis præcisa per intellectum relatione nihil est proprium; ergò nihil incommunicabile; igitur ante cõsiderationem relationis non potest assignari aliquid constitutiuum intrinsecum personæ diuinæ. *Resp.* cõstitutiuum diuinæ personæ non esse absolutum, sed relationem formaliter sub modo absoluto negatiuè: Secundò dico sic concipi incõmunicabile per relationẽ formaliter, sed sub tali modo. Tertiò dico, incõmunicabilitatem pertinere ad rationem personæ, secundum eius cõceptum integrum & completum, non autem vt concipitur secundum ea, quæ sibi & alijs communia sunt: quale est esse hypostasim, siuè subsistens, &c. Postremò addo rem illam subsistentem in illo priori à nobis concipi vt præscindit à communi & singulari; prius enim intelligimus rationem subsistentis, vt sic, quàm rationem communis vel singularis in aliqua re. Et quamuis actio soli conueniat singulari subsistenti, potest tñ actio subsistentis considerari præscindendo à singularitate; cum singularitas non sit agendi ratio, sed conditio tantum, sine qua subsistenti non conuenit operatio à parte rei. Quo fit, vt præcisè concipere possimus aliquid agere, non concipiẽdo an sit singulare; & in re proposita primam personam generare, non considerando an sit singularis.

Obi. 4. *Confir.* *Solut.*

Obi. 5. *Contra eandem* concl. possent produci argumenta relata & soluta à Zumel. *supra a. 2. disp. 1. & in hoc a. dis. 2.* ibi, *Sed restat difficultas:* vbi vult personam præconceptam origine concipi sub conceptu primæ personæ habentis aliquid proprium, quod distinguatur à secunda & tertia; quod tamen magis potest explicari per negationem, siuè per aliquid negatiuum, quàm per aliquod positiuũ; vt quòd sit persona de se subsistens, id est improducta. Et licet hoc conueniat illi ratione paternitatis, non tamen (inquit) consideratur ratio à qua illud habet, & hoc sufficit, vt illa persona concipiatur postea vt generans; quia eo posito, quod est improducta, intelligitur fæcũda ad producendum generationem; Nec tunc necessario concipitur vt absoluta aut relatiua; quia non concipitur conceptu integro, & completo, sed partiali, & confuso; & vt singulare vagum conceptu indifferenti modo dicto, vt patet in exemplo de animali à longè viso, quod supra posuimus. Qui modus dicendi non displicet, cùm sit valdè probabilis.

Contra eandem conclusion. sunt argumenta, quæ profert Vasq. *disp. 159. c. 3.* ex Scoto, Duran. & Marsilio, quæ facilem habent ex dictis solutionem.

Sol.

Con-

Obi 6. *Contra eandem* concl. argum. Suar. *lib. 7. c. 7. n. 7. Primò*, Forma illa, qua subsistens cõcipitur, aut est relatiua, aut absoluta, aut abstrahens ab vtraque ratione. Primum dici non potest, quia præcisa vltima differentia contrahente non manet forma in tali specie concepta; sed ipsum ad est quasi differentia vltima constituens; ergo præciso ad, non manet conceptus formæ relatiuæ. Secundum etiam non dicunt, quin potius in eo contradicunt Scoto. Tertium dici non potest; quia non potest dari particulare indiuiduum generis, abstrahens ab omnibus differentijs specificis; hic autem debet concipi personalitas, v. g. patris, vt constituens particulare, & indiuiduam personam; alioquin conceptus ille personę abstrahentis ab absoluta, & respectiua, de se communis esset omnibus personis etiam creatis. Quòd si ad diuina determinetur ex parte naturæ, communis est omnibus personis; si autem est determinatus ex parte personalitatis, necessarium videtur concipere subsistens relatiuum, & in tali relatione, vt sit conceptus huius personæ, & non alterius. *Resp.* tertium verum esse. Ad impugnationem, in illo priori concipi rem subsistentem in natura diuina præscindendo à communi & singulari; est enim conceptus ille partialis & imperfectus quo ad modum illum, sub quo persona concipitur: argumentum autem procedit de conceptu personæ perfecto.

Sol. B

Obi. 7. C *Secundò*. Vel dicunt relationem constituere subsistentem subsistentia essentiali, vel etiam personali. Non primum; quia in tali conceptu solùm relinquitur hic Deus communis tribus personis, qui non potest esse principium quod generat filium; quia & illo non distinguitur. Non secundum, quia subsistentia illa esset incommunicabilis; est autem incommunicabilis solum ratione oppositionis; ergo non nisi ratione relationis, quia oppositio non aliunde prouenit; ergo non potest condistingui à relatione sic subsistente propria ratio relationis. *Resp.* secundum Capr. & Ferrar. relationem in illo priori intelligi constituere subsistens abstrahendo à subsistentia essentiali & personali: sicut etiam concipitur constituere subsistens abstrahendo ab absoluto & respectiuo.

Solut. D

CONTRA *vltimam* argumentatur Vasquez *disput. 159. c. 5.* sed eius argumenta solum probant personam patris posse concipi ante generationem vt constitutam relatione tanquam forma hypostatica: cuius ratio non est denominatiua, vt ait Vasq. sed essentialis & quidditatiua abstrahens tamen ab absoluto & respectiuo, & idem concludunt argumenta Scoti, ab eodem expositore *cap. 1. eiusdem disputationis* producta.

E

QVAESTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de personis in comparatione ad actus notionales.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primò, Vtrum actus notionales sint attribuendi personis.

Secundò. Vtrum huiusmodi actus sint necessarij, vel voluntarij.

Tertiò. Vtrum secundum huiusmodi actus persona procedat de nihilo, vel de aliquo.

Quartò. Vtrum in diuinis sit ponere potentiam, respectu actuum notionalium.

Quintò. Quid significet huiusmodi potentia.

Sextò. Vtrum actus notionales, ad plures personas terminari possint.

Ratio ordinis huius quæstionis, & articulorum.

AD RELATIONES personarum constitutiuas sequuntur actus notionales, quibus in hac quæstione comparantur diuinæ personæ. Est autem triplex personarum ad actus notionales comparatio. Prima, sumendo personas, & actus secundum se: secunda, quatenus personæ principia sunt ipsorum actuum; tertia, quatenus eorum sunt termini. De prima comparatione differitur in primo articulo, de secũda verò in secundo, tertio, & quarto, de tertia autem in vltimo. Dicuntur autem, & sunt diuinæ personæ principia actuum notionalium, ratione principij, quo producunt prædictos actus, quod principium potest dupliciter considerari, scilicet in communi & in particulari. Comparantur primo diuinæ personæ ad actus notionales, quatenus continent eorum principium in communi consideratum in secundo articulo vbi quæritur, an persona sit principiũ per modum naturæ necessariò producens, an per modum voluntatis, non habens ad eos actus habitudinem necessariam. Secundò comparantur quoad rationem principij in particulari dupliciter; primò, vt est principium primũ in tertio articulo, vbi agit de primo principio consubstantiali actuum notionalium, quod est essentia: secundò, vt est principium primum, & proximum simul, quod est potentia eorundem actuum. De qua primò quęrit, an sit in quarto articulo, deinde quid sit in quinto.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum actus notionales sint attribuendi personis.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd actus notionales non sint personis attribuendi. Dicit enim Boet.* * *in libro de Trin. quòd omnia genera cùm quis in diuinam vertit prædicationem, in diuinam mutantur substantiam, exceptis relatiuis. e Sed actio est vnum de decem generibus. Si igitur actio aliqua Deo attribuitur ad eius essentiam pertinebit, & non ad notionem.* 214 Op 3. c. 65. * In med. lib. & a 166

2 Præterea. Aug. † *dicit 5. de Trin. quòd omne quod de Deo dicitur, aut dicitur secundũ substantiã, aut secundũ relationem. Sed ea quæ ad substantiã pertinẽt, significãtur per essentialia attributa: quæ verò ad relationem, per nomina personarum, & per nomina proprietatum. Non sunt ergo præter hæc, attribuendi personis notionales actus.* Li. 5. de Trin. c. 4. & 5. 10. 3.

3 Præterea. Proprium actionis est ex se passionem inferre. Sed in diuinis non ponimus passiones. Ergo neque actus notionales ibi ponendi sunt.

Sed contra est, quod August. * *dicit in lib. de fide ad Petr. Proprium quidem patris est, quod filium genuit. Sed generatio actus quidam est: ergo actus notionales ponendi sunt in diuinis.* Cap. 2. in princ. to 3.

Respondeo. Dicendum, quòd in diuinis personis attenditur distinctio secundum originem. Origo autem conuenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. e Ad significandum igitur originis ordinem in diuinis personis necessarium fuit attribuere personis actus notionales. 215

Ad Primum ergo dicendum, quòd omnis origo designatur per aliquem actum. Duplex autem ordo originis attribui Deo potest. Vnus quidem, secundum quod creatura ab eo progreditur; & hoc commune est tri-

tribus personis. Et ideo, actiones, quæ attribuuntur A *Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso, ad essentiam pertinent. Alius autem ordo originis in diuinis attenditur, secundum processionem personæ à persona. Vnde actus designantes huius originis ordinem, notionales dicuntur: quia notiones personarum sunt personarum habitudines adinuicem, vt ex dictis* Q.33.a.3. *patet**

Ad Secundum dicendum, quòd actus notionales secundum modum significandi tantùm, differunt à 211 *relationibus personarum, sed re sunt omnino idem.* e Parag. 2. circa fin. *Vnde Magister dicit in 1.sent.26.dist.* † *quòd generatio & natiuitas aliys nominibus dicuntur paternitas, & filiatio.*

Ad cuius euidentiam attendendum est, quòd primò B *oportet cognoscere originem alicuius ab alio ex motu. Quia enim aliqua res à sua dispositione remoueretur per motum, manifestum fuit hoc ab aliqua causa accidere. Et ideo actio, secundum primam nominis impositionem importat originem motus. Sicut enim motus prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio: ita origo ipsius motus secundum quòd incipit ab alio, &* D.39 34 b 239 a 167 a *terminatur in id quod mouetur, vocatur actio. Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis secundum quod à causa aliqua, vel principio procedit ad id quod est à principio. Vnde* 108 a 211 *cùm in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam quæ est à principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones. Quia tamen de diuinis & intelligibilibus rebus loqui non possumus, nisi secundum modum rerum sensibilium à quibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones & passiones inquantum motum implicant, aliud sunt à* C *relationibus, quæ ex actionibus & passionibus consequuntur: oportuit seorsum significari habitudines personarum, per modum actus, & seorsum per modum relationum. Et sic patet, quòd sunt idem secundum rem, sed differunt solum secundum modum significandi.*

Ad Tertium dicendum, quòd actio secundum quòd importat originem motus, infert ex se passionem: sic autem non ponitur actio in diuinis personis. Vnde non ponuntur ibi passiones, nisi grammaticè loquendo, D *quantum ad modum significandi, sicut patri attribuimus generare, & filio generari.*

Sensus quæsiti.

IN Hoc quæsito aduerte vnum tantum explicitè quæri, sed aliud etiam minimè expressum intendi; quæritur enim attributio notionalium actuum, sed quidditas etiam eorum intenditur; eam enim explicat accuratè S. D. *in corpore, & in resp. ad argumenta.* Quid autem interfit inter notionem & actum notionalem, supra diximus *q.32.a.2.in titulo.* Vnde verò dicatur actus notionalis, habes *hic in respons.ad primum.*

Forma Textus.

» CONCL. *Necessarium fuit ad significandum o-*
» *riginis ordinem in diuinis personis attribuere*
» *personis actus notionales.* Probatur. In diuinis personis attenditur distinctio secundum originem; sed origo non potest conuenienter designari nisi per aliquos actus; ergo necessarium fuit ad significandum originis ordinem in diuinis personis attribuere personis actus notionales. Assumptæ propositiones relinquuntur vt notæ, & minor explicatur *in resp. ad primum & secundum argum.*

Expositio Textus.

AFFIRMAT hic S D. diuinarum personarum distinctionem attendi secundum originem, quod intelligendum est secundariò iuxta supradicta *in a.2.*

Videnda sunt præterea, quæ supra notauimus *q.27.a.3.& 4.* de ratione originis & processionis & earum distinctione. De quibus etiam hic latè disserit Zumel. Ex dicendis tamen *in seq.controu.* perspicua tota fiet huius articuli doctrina.

Responsionem ad secundum explicauimus supra *qu.25.a.1. controu.vnica ad argumenta Ferrariensis.*

CONTROVERSIA VNICA.

Quæ sit identitas & distinctio notionalium actuum ab essentia & relationibus, & inter se?

Sententiæ Doctorum.

MOLINA *in quæst.præcedenti a.vltim.disp.2. membro 3.* affirmat paternitatem ab actiua generatione, & filiationem à generatione passiua, nullo modo distingui ex natura rei, tã realiter quàm formaliter, siue actu siue virtute: solumque distingui penes intellectum concipientem, siue ratione ratiocinante, non verò ratione ratiocinata: nullumque esse talis distinctionis fundamentum in re.

In alio extremo est opinio Scoti & Henrici: quam refert hic Zumell. dicentium originem tam actiuam quàm passiuam identificari conuertibiliter cum persona producta, & distingui realiter à persona producente & eius relatione. Quam sententiam non prorsus abijcit Suar. *lib.6.c.2.* dicens in hac opinione se nihil inuenire erroris, aut temeritatis; eò quòd nihil habeat, quod repugnet mysterio, quod per hanc sententiam commodè videtur explicari: cùm res hæc solum videatur ad modum concipiendi pertinere.

Media sententia est D. Th. quam in duas imerito distinxit Zumell. quæ sunt apud ipsum prima & tertia: Ait igitur S. Th. in hoc articulo primo actus notionales idem esse cum relationibus secundum rem, & ab eis solo modo significandi differre. Ex quo dicto bene perpenso colligitur responsio ad singulas propositæ controuersiæ partes. Ad cuius euidentiam.

Resolutio. Actus notionales idem esse realiter & adæquatè cum relationibus, inadæquatè verò cum essentia; & actiuos à passiuis oppositis distinguirealiter, à non oppositis autem virtualiter.

RECOLENDA *sunt primò ea,* quæ latè superius explicauimus *q.27.a.1.cont.3.* de distinctione & ordine actus intelligendi & dicendi, *& a.3. dubit.2.& a.4.controu.2.* de ratione & distinctione originum siue processionum, & *qu.31.ar.2..in expositione tituli* de differentia notionum & actuum notionalium qui re & ratione sunt idem prorsus quod origines, voce dũtaxat ab eis differentes. Sumitur enim origo dupliciter: Vno modo ex parte principij producentis, & ita nihil aliud est, quàm actiua productio, quæ in patre respectu filij est generatio; in spiratore verò, scilicet patre & filio respectu Spiritus sancti est spiratio. Alio modo sumitur origo ex parte personæ procedentis: & sic est processio, siue passiua productio, quæ in filio dicitur natiuitas, in Spiritu S. nuncupatur communi nomine processio. Hanc distinctionem significauit expressè S.D. *in q.præcedente, a.2.* cùm dixit originem significari vt viam quandam à re, vel ad rem: sicut generatio significatur vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante. Ex quibus etiam appa-

ret

ret idem esse formaliter originem, quod actus notionalis; constat enim generationē, quæ origo est, esse actum notionalem, quo specialiter innotescit persona patris, si generatio actiuè sumatur, prout est à patre. Si verò sumatur passiuè, prout idem est quod natiuitas, actus est quo persona filij specialiter innotescit. Quam etiam identitatem S. D. expressit in illis verbis; *Origo autem conuenienter designari non potest nisi per aliquos actus.*

Secundò obseruanda est diligēter doctrina præsentis articuli in responsionibus ad argumenta, in quibus accuratè & subtiliter explicatur identitas realis, & distinctio formalis siue virtualis actuum notionalium & relationum in diuinis. Nam in responsione ad primum negat actus notionales, cum de Deo prædicantur, in diuinam mutari substantiam; eo quòd ordinem originis significent personæ à persona: & ideo notionales dicantur, quia personarum habitudines significant quæ notiones vocantur. In responsione autem ad secundum affirmat actus notionales re idem esse cum relationibus, & secundum modum significandi solum differre. Denique in responsione ad tertium docet in diuinis non esse passiones, nisi grammaticè loquendo, & quantum ad modum significandi; sicuti patri attribuitur generare & filio generari. Vnde Capr. *in d. q. 1.* statuit hanc conclusionem secundam. *Generare, & generari potius habent modum relationum, quam actionum, & passionum*: quam probat; quia generare in diuinis non dicit actionem pertinentem ad prædicamentum actionis; nec generari dicit passionem, vt hic ait S. D. & *in 1. dist. 8. q. 4. a. 3.*

Quomodo verò intelligendum sit dictum illud in responsione ad secundum, videlicet actus notionales solo modo significandi differre à relationibus, colligitur ex D. Thom. *in 1. dist. 27. q. 1. a. 1. ad 5.* vbi sic loquitur: *Sicut in essentialibus idem est secundum rem operatio, & Deus, & diuinitas, sed distinguuntur secundum rationem fundatam in re: ita in personalibus idem est secundum rem operatio personalis, & persona, & proprietas constituens personam, sed tantum differunt secundum rationem, & modum significandi. Vnde dico, quòd eadem relatio significatur per hæc tria, pater, paternitas, & generatio: sed pater significat illam per modum hypostasis vel personæ paternitas per modum proprietatis, generatio per modum operationis.* Hæc ibi D. Tho. Ex quibus patet distinctionem actuum notionalium à relationibus quo ad modum significandi, non esse solius rationis concipientis, sed habere fundamentum in re; qualis est distinctio essentialium inter se. Ad cuius euidentiam.

Considerandum est tertio ex Capre. *vbi supra ad argumenta Aureoli*, in actione creata multiplicem esse imperfectionem, quæ ab eius actionis ratione præscindenda est, quæ Deo tribuitur. Nam præter motum, quem in agentibus sensibilibus habet actio, passionem efficit in producto, exitum significat de potentia ad actum, & realiter elicitur siue producitur ab agente, ac proinde realiter ab eo distinguitur, & fluxus quidam est & tendentia in extrinsecum; quas omnes imperfectiones ab actionibus diuinis separamus, siue sint essentiales siue notionales, idque solum quod perfectionis est, aut quod nullam in sui ratione claudit imperfectionem, in illis intelligimus. Vt autem ibidem aduertit Capreol. *in respons. ad 2. contra 3. conclus.* actus notionales longè perfectius habent esse secundùm se siue in re, quàm in intellectu nostro. Nam in re non solum est actio, sed etiam relatio, & substantia, & essentia, & omnipotentia &c. Sed in intellectu nostro dum concipitur sub ratione paternitatis, non intelligitur nisi vt relatio, & non vt actus potentiæ generatiuæ, nec vt essentia &c. Sicut enim ait S. D. *supra q. 28. a. 1. ad 2. & 3.* diuinæ essentiæ perfectio maior est, quàm significatione alicuius nominis comprehēdi possit. Quare non sequitur, si nomen relatiuum solum significat relationem, quæ secundum se nō est aliquid perfectum, esse in diuina natura aliquid imperfectum; plus enim in diuinę rei perfectione continetur, quàm aliquo nomine comprehendi possit.

Quomodo actio Deo tribuenda.

Cum itaque nomen actionis, operationis, emanationis, processionis, & originis de Deo prædicamus, nihil Deo imperfectionis attribuimus ex ipso nominis significato, quo non fluxus aliquis, aut eductio de potentia ad actum, aut aliquod medium inter principium & terminum, siue inter producentem & productum, sed vltima tantum potentiæ actualitas importatur, cum relatione ad illud cui communicatur, aut à quo recipitur actus. Neque nominis & conceptus nostri limitatiō, qua sub vna ratione tantum diuina res apprehenditur, aliquam in ea denotat imperfectionem, sed in intellectu nostro tantum, qui diuina non prout in seipsis sunt, sed iuxta modum suæ imbecillitatis intelligit.

Ex dictis & supra notatis, & alibi declaratis, *sequitur primò* originem actiuè sumptam idem esse adæquatè cum relatione principij; atque ita generationem idem esse cum paternitate: & spirationem, prout actiua origo est, idem esse cum relatione spiratoris constitutiua, quæ eodem scilicet spirationis vocabulo designatur: & natiuitatem idem esse cum filiatione: processionem, prout est origo passiua Spiritus sancti, idem esse cum relatione eiusdem personæ constitutiua. Nam, quæ solo modo significandi distinguuntur, eadem sunt adæquatè; sicut Deus & deitas, pater & paternitas. Et præterea, sicut paternitas solius est patris, ita & generatio; & sicut filiatio soli conuenit filio; sic & natiuitas; & eodem modo tam spiratio prout actio est, quàm spiratio, vt est relatio, spiratoris est propria, & amoris processio, ac eiusdem relatio, vni conueniunt Spiritui S. Sicut igitur relatio quælibet cum relatiuo per eam constituto est eadem adæquatè, sic eadem est adæquatè cum origine siue actu notionali, eidem constituto formaliter & adæquatè congruente. *Corollaria. Primum.*

Sequitur secundò nullum actum notionalem completè sumptum idem esse conuertibiliter cum essentia. Probatur primò; quia nulla relatio & nulla persona aut principium in diuinis idem est conuertibiliter cum essentia. Secundò; quia notionale proprium est, essentia verò cōmunis. Dixi autem completè sumptum; quia actus notionalis completè sumptus, puta generatio, includit essentiam, prout est intellectio, & paternitatem; & ratione essentiæ siue intellectionis cōmunis est, & idem adęquatè cū essentia, ratione verò paternitatis est patri proprius. Simpliciter autem soli conuenit patri, sicut intelligere exprimendo solius est patris. *Secundum.*

Sequitur tertiò actum notionalem actiuè sumptum distingui realiter ab actu notionali passiuè sumpto sibi correspondente; vt generare à generari, & spirare à spirari: sicut etiam distinguuntur realiter ab inuicem relationes realiter *Tertium.*

sibi

sibi correspondentes; vt paternitas & filiatio, spiratio & processio; quod apertè & frequenter significant SS. Patres distinguentes diuinas personas per actus notionales, actiuè sumptos; vt Ambr. *lib. primo de fide cap. 2.* Athan. *in dialogo primo de Trinit. contra Anomæos*, Fulgentius *lib. 1. de fide ad Petrum, cap. 1.* Richar. de S. Victore *lib. 4. de Trinit. c. 15.* & Bonauentura *in primo dist. 26. quæst. 2.* Vnde etiam Magister *in eadem dist. sic ait. Generatio & natiuitas aliis nominibus sunt paternitas, & filiatio.*

Quartum. *Sequitur quartò* origines actiuas, vt generationem & spirationem, idem esse realiter, sicut paternitas & communis relatio spirationis sunt idem realiter.

Quintum. *Postremò sequitur* malè dixisse Vasq. *super hoc a.* originem in diuinis mediam esse inter principium & procedentem à principio. Origo enim actiuè actualitas est & relatio principij: passiuè verò est actualitas & relatio procedétis à principio: modus autem ille, quo concipiũtur vt viæ, nullus est in re, sed in solo nostro modo concipiendi, quo diuina ad modum sensibilium intelligimus, & nominamus.

Conclusiones deductæ, & probatæ. PRIMA CONCL. *Actus notionalis incompletè sumptus, id est quo ad actum essentialem, quem includit, est idem realiter & adæquatè cum essentia.* Probatur; quia omne essentiale idem est alteri essentiali realiter & adæquatè: quodlibet enim est infinitum simpliciter.

SECVNDA CONC. *Actus notionalis completè sumptus, id est, vt includit essentiam & relationem, idem est essentiæ realiter inadæquatè.* Probatur; quia omne, quod est generare in diuinis, est essentia; non autem omne, quod est essentia, est generare; quia generari & filiatio est essentia, & tamen non est idem quod generare.

TERTIA CONCL. *Origo actiua & eius relatio sunt idem realiter & adæquatè; & similiter origo passiua & eius relatio.* Hæc patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *Origo, & relatio differunt modo significandi in re infinita fundamentum habente, non autem sola ratione ratiocinante.* Probatur; quia actio & relatio apud nos realiter differunt, & vtrique in Deo correspondet vna res relatiua simplicissima, correspondens duplici conceptui scilicet actionis & relationis.

QVINTA CONCL. *Origines actiuæ, scilicet generatio & spiratio, non distinguuntur realiter ab inuicem.* Hæc probata est.

VLTIMA CONCL. *Origo actiua & passiua ei correspondens, vt generare & generari, distinguuntur realiter.* Hæc patet ex dictis.

Arg. & sol. CONTRA *3. & 4.* concluſ. sunt multa argumenta Aureoli, quæ soluit Capreolus *in primo dist. 27. q. 1.* quæ tamen soluuntur ex dictis in tertio fundamento.

Ob. 1. cõt. 4. concl. CONTRA *4.* concluſ. argumentatur Molina. *Primò.* In diuinis generatio actiua non est actio, & generatio passiua non est passio: sed generatio actiua est verus respectus eius à quo alius per intellectum, & generatio passiua est verus respectus eius qui ab alio per intellectũ: & vtraq; non aliud habet fundamentum aut rationem fundandi, quam essentiam nostro more intelligendi cum fundamento in re intelligentem seipsam, & omnia scientia naturali; ergo. Soluit. *Respondetur* primò falsum esse antecedens quo ad illam partem, quæ negat generationem actiuam esse actionem. Iam enim supra diximus illam esse actionẽ quo ad id, quod perfectionis est in actione seclusis imperfectionibus. Secundò dico actionem esse verũ respectum realiter, sed non formaliter. Tertiò dico paternitatem & filiationem, prout sunt personarum constitutiuæ, nullum præexigere, sed secum ferre fundamentum; vt autem relationes sunt in actu exercito, fundari super actibus notionalibus, vt proximis rationibus fundandi.

Secundò. Actus notionales sunt veræ productiones actiuæ vel passiuæ, absque vlla mutatione: sed productio tam actiua quàm passiua, vbi nullus interuenit motus, nullaque interuenit mutatio, non est aliud quàm respectus à quo alius, & qui ab alio: ergo actus notionales, vt generare & generari, non sunt aliud quàm respectus, merissimæque relationes. Minor probatur ex doctrina D. Th. *hic ad 2. & 3.* Obi. 2.

Resp. falsam esse minorem propositionem. Ad eius probationem respondet Cai. hic D. Tho. loqui de actione vt actio est, non autem vt est substantia vel accidens; quam responsionem latè declarauimus supra *quæst. 25. artic. primò, controuersia vnica*, respondentes ad argumenta Ferrarienſis, vbi alias etiam addidimus responsiones ad huius loci doctrinam explicandam. Secundò dico talem productionem esse respectum realiter, sed actionem formaliter vt explicat hic S. T. *ad 2.* Soluit.

Tertiò. Generatio actiua & passiua, spiratio itẽ actiua & passiua, meræ sunt relationes; ergo si à paternitate & filiatione distinguerentur ex natura rei, etiamsi ea distinctio solum esset virtute, concedendum esset in Deo esse octo rationes formales relationum, esseque proinde octo relationes reales; quod neque cum communi Scholasticorum sententia, neque cum Patribus & Concilijs consentit. Consequutio probatur; quia ad pluralitatem relationum, numerumque earum satis est numerus rationum formalium, quæ virtute inter se distinguuntur, vt patet ex suprà dictis *q. 32. art. 3. Resp.* falsum esse antecedens; iam enim diximus origines simul esse actiones & relationes, vnde non sequitur esse octo relationes; non enim aliæ sunt relationes siue respectus originum, puta generationis & natiuitatis à respectibus relationum, puta paternitatis & filiationis; sed hoc solo differunt origines è relationibus, quòd non solum relationes, sed etiam actiones includunt in sui ratione, quas non includunt relationes. Obiect. 3. Soluit.

Alia eiusdem expositoris argumenta solum probant identitatem realem relationis & originis, non autem excludunt distinctionem virtualem.

CONTRA *vltimam concl.* sunt argumenta, quæ profert & soluit Zumel hic disp. 1. Obi. 1 cont. vlt. concl.

CONTRA *eandem* concl. argu. Suarez. *Primò.* In creaturis actio & passio non distinguuntur à termino producto, & consequenter nec inter se ob eam causam quia fieri ipsius termini duplicem habet respectum; vnum ad terminum in quem tendit, & sic vocatur passio siue fieri passiuum; alium à quo egreditur, & sic vocatur actio; ergo eadem proportione in diuinis eadem via ad filium habet vtrumque respectum; ergo eadem vt tendit ad terminum, erit natiuitas, & vt est à principio, erit generatio: ac proinde generatio non erit idem adæquatè cum paternitate, sed potius cum filiatione, cum qua natiuitas idẽtificatur. Probatur consequẽtia tum à paritate rationis; tum quia non accommodamus modum hunc concipiendi ad diuina, nisi ex creaturis, & secundum illam proportionem nullam Deo tribuimus imperfectionem. *Resp.* causam assignatam in antecedente soluit.

non esse propriam & legitimam; propria verò A causa est motus siue mutatio, quæ vtramque fundat relationem.

Replica. *Contra hanc* respõs. argumentatur Suarez. In creatione non est mutatio propriè, & nihilominus eadem via secundùm diuersos respectus dictos ad principium vel terminum est creatio actiua & passiua, quæ realiter identificatur cum termino; ergo etiam secluſa mutatione manet illa identitas.

Solut. *Resp.* falsum esse antecedens quo ad eam partem, quæ ait eandem viam secundum diuersos respectus esse creationem actiuam & passiuam, quæ realiter identificetur cum termino.

Replica. *Sed hanc respons.* reijcit Suarez, quam etiam se ait confutasse in Metaphysica. *Primò*; quia in creatura est dependentia realis à creatore. *Se-* B *cundò*, quia eadem res potest varijs actionibus creari. *Tertiò*, quia actus intellectus vel voluntatis diuinæ non potest esse actio, sed principium

Solut. creandi. *Resp. ad primum*, dependentiam illam realem dupliciter sumi posse; vno modo formaliter, & sic est relatio realis creaturæ, ad creatorem. Alio modo fundamentaliter, & sic est ipsum esse creaturæ, vt nunc primò pendens à Deo. *Ad secundum* negatur antec. Nam vna est actio Dei simpliciter, qua creantur vniuersa. *Ad tertium* negatur antecedens. Plenius autem huic difficultati satisfiet *infra quæst. 45. a. 3.*

Replica *Sed hanc* responsionem sic arguit Suarez. S. Thom. *in quæst. præced. art. 2.* dixit originem esse C viam ab vno in aliud: quod etiam affirmat de processione Ioannes Theol. in Concilio Flor. *sess. 18.* ergo hoc satis est, vt in illa via duplicem respectum debeamus concipere, scilicet à principio & ad terminum, vt ibidem D. Thomas fatetur; ergo hæc vna via, vt est à principio, est origo actiua, & vt ad terminum, passiua; tota verò identificatur cum termino producto secundum rem. *Respond.* productionem siue originem creatam aut increatam non dici viam

Solut. nisi metaphoricè, ad similitudinem scilicet viæ, in qua localiter mouentur corpora. Tria verò considerantur in via propriè dicta: Primum est tendentia siue extensio ex vno termino ad alium. Secundum est respectus conse- D quens ad talem tendentiam seu extensionem: Tertium est continuatio & identitas realis dictæ tendentiæ seu extensionis ex vtraque parte. Et in origine quidem creata, quæ est ex alia re creata, quia semper est cum mutatione, saluatur similitudo quo ad tria prædicta: vna enim & eadem est mutatio, qua agens producit effectum & quasi tendit in ipsum, & qua effectus procedit ab agente, & in eum reducitur tanquam in principium: & duplex resultat relatio, scilicet principij & procedentis à principio: sed in origine seu processione increata, in qua nulla interuenit mutatio, duplex tantum saluatur viæ similitudo: prima quo ad actionem quasi E tendentem in terminum, & emanationem passiuam, quasi ex principio procedentem simul cum termino: secunda, quoad relationes hinc & inde; Non saluatur autem similitudo quo ad viæ continuitatem & identitatem ex vtraque parte ob dictam causam; quia scilicet hic nulla interuenit mutatio. Est igitur hic duplex via. Vna ex parte principij, quæ nuncupatur via ad rem. Altera ex parte termini producti, quæ nominatur via à re. S. Thom. non dixit originem esse viam à re & ad rem, sed à re, vel ad rem, vt non vnam, sed duas hic esse vias ex ipso modo loquendi denotaret. Vna ergo via est origo actiua, vt generatio. Altera via est origo passiua, vt natiuitas. Quod etiam expressius significat S.D. *in eodem articulo* dicens: *Origo actiuè significata significatur vt via progrediens à persona subsistente, vnde præsupponit eam; origo autem passiuè significata, vt natiuitas, significatur vt via ad personam subsistentem, & nondum, vt eam constituens.* Qua loquendi forma duplicis viæ distinctionem aperte satis insinuat.

Secundò sic arguit ex eisdem verbis S. Tho. *Obiect. 2.* Origo significatur vt via à re vel ad rẽ; & generatio significatur vt via progrediens ad generantem; ergo in suo conceptu includit distinctionem realem à generante per quandam oppositionem originis, quod est esse ab alio; ergo non potest identificari cum propria relatione personæ producentis. *Resp* negando sequelam, *Solut.* si sermo sit de origine actiuè sumpta; progressus enim originis actiuè à principio in diuinis non est realis, sed rationis tantum, nisi ratione termini producti, de quo non est hic disputatio.

Tertiò. Actio vt actio non rectè concipitur, *Obiectio 3.* vt realiter distincta à termino producto, vt inductione patet in omnibus alijs actionibus; ergo neque origo actiua à suo termino realiter distincta est; ergo non est adæquatè idem cum relatione producentis. *Resp.* falsum esse antece- *Solut.* dens. Ad inductionem dico falsum esse assumptum; Actio enim vt actio Metaphysicè & realiter est in agente, quamuis Physicè sit in passo: loquendo de actione quæ est cum motu.

Quartò. Actio procedit à supposito; ergo *Ob. 4.* non potest esse idem adæquatè cum forma constitutiua suppositi. *Resp.* nullam esse conseq. lo- *Solut.* quendo de identitate reali, procedit autem de identitate formali, quam non asserimus. Secundò dico, falsum esse antecedens intellectum de processione reali.

Vltimò. Spiratio actiua; quatenus relatio est, *Obi. 5.* subsequitur productionem Spiritus S. ergo nõ est talis productio illamet relatio, alioquin supponeret seipsum. *Resp.* hoc etiam argumento *Sol.* probari distinctionem formalem siue virtualem, inter relationem & productionem, non autem realem. Vnde ad argumentum dico primò, relationem spirationis, prout constitutiua est spiratoris, præcedere actum spirandi, quamuis vt exercita illum sequatur. Secundò nego consequentiam. Ad probationem dico nullum esse inconueniens eandem rem secundum vnam rationem formalem præcedere seipsam, secundum aliam.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum actus notionales sint voluntarij.

AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quod actus notionales sint voluntarij. Dicit enim Hylar.* 1. lib. de Synod. Non naturali necessitate ductus, pater genuit filium.* 215 1. dist. 6. a. 1. 2. & 3. & pot. q. 2. a. 3. * In medio lib. & est diffin. 15. & etiam aliquantulum à med. lib.

2 Præterea. Apost. Col. 1. Transtulit nos in regnũ filij dilectionis suæ. Dilectio autem voluntatis est. Ergo filius genitus est à patre voluntate.

3 Præterea. Nihil magis est voluntarium quàm amor: sed Spiritus sanctus procedit à patre & filio vt amor, Ergo procedit voluntariè.

4 Præterea. Filius procedit per modum intellectus vt verbum: sed omne verbum procedit à dicente per voluntatem. Ergo filius procedit à patre per voluntatem, & non per naturam.

5 Præ-

5 Præterea. Quod non est voluntarium, est necessarium. si igitur pater genuit filium non voluntate, videtur sequi, quòd necessitate genuerit. quod est contra Aug.* in lib. ad Orosium.

Hic lib ad Orosium inscribitur Dialog 65, † Quæst. habetur to. 4. c. 4. in prin.

Sed contra est, quòd Aug. dicit in eodem lib. † quòd neque voluntate genuit pater filium, neque necessitate.

Respondeo. Dicendum, quòd cùm dicitur aliquid esse, vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi. Vno modo, vt ablatiuus designet concomitantiam tantum: sicut possum dicere, quòd ego sum homo meæ voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici, quòd pater genuit filium voluntate, sicut & est voluntate Deus: quia vult se esse Deum, & vult se generare filium. Alio modo sic, quòd ablatiuus importet habitudinem principij. Sicut dicitur, quòd artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundum hunc modum dicendum est, quòd Deus pater non genuit filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam. Vnde in libr. de Synod.* dicitur, quòd si quis voluntate Dei tanquam vnum aliquid de creaturis filium factum dicat, anathema sit. Et huius ratio est: quia voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnum: e sed voluntas non est determinata ad vnum. Cuius ratio est: quia effectus assimilatur formæ agentis per quam agit. Manifestum est autem, quòd vnius rei non est nisi vna forma naturalis, per quam res habet esse: e vnde quale ipsum est, tale facit. Sed forma per quam voluntas agit, non est vna tantum, sed sunt plures, secundùm quod sunt plures rationes intellectæ. Vnde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longè est à natura diuina: sed hoc pertinet ad rationem creaturæ, quia Deus est per se necesse esse creatura autem est facta est nihilo. Et ideo, Arriani volentes ad hoc deducere quòd filius sit creatura, dixerunt, quòd pater genuit filium voluntate, secundùm quod voluntas designat principium. Nobis aùt dicendum est, quòd pater genuit filium non voluntate, sed natura. Vnde Hil.* dicit in li. de Syn. Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit: sed naturam dedit filio ex impassibili, ac non data substantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit: filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis & Deus est.

Inter opera Hilar. in lib. de Syn. circ. med. in Synodo Sirmien. 118.

372.

In 2. fol. post med. lib.

Ad Primum ergo dicendum, quòd authoritas illa inducitur contra illos, qui à generatione filij etiam concomitantiam paternæ voluntatis remouebant dicentes, sic eum natura genuisse filium, vt tamen voluntas generandi ei non adesset, sicut & nos multa naturali necessitate contra voluntatem patimur, vt mortem, senectutem, & huiusmodi defectus. Et hoc patet per præcedentia, & subsequentia. sic enim ibi dicitur, *Non enim nolente patre, vel coactus pater, vel naturali necessitate inductus, genuit filium.

Loco in arg. citato

Ad Secundum dicendum, quòd Apost. nominat Christum filium dilectionis Dei, inquantum est à Deo superabundanter dilectus, non quòd dilectio sit principium generationis filij.

Ad Tertium dicendum, quòd etiam voluntas inquantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. e Et similiter Deus naturaliter vult & amat seipsum. Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad vtrumq; quodammodo, vt dictum est. † Spiritus autem sanctus procedit vt amor, inquantum Deus

117.

Incorp. ar. & q. 19. ar.

A amat seipsum vnde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat. 3. præcipuè

Ad Quartum dicendum, quòd etiam conceptionibus intellectualibus sit reductio ad prima, quæ naturaliter intelliguntur. Deus autem naturaliter intelligit seipsum. Et secundum hoc, conceptio verbi diuini est naturalis.

Ad Quintum dicendum, quòd necessarium dicitur aliquid per se, & per aliud. Per aliud quidem dupliciter. e Vno modo sicut per causam agentem & cogentem, & sic necessarium dicitur, quod est violentum. Alio modo sicut per causam finalem: sicut dicitur aliquid esse necessarium in his, quæ sunt ad finem, inquantum fine hoc non potest esse finis, vel bene esse. Et
B neutro istorum modorum diuina generatio est necessaria: Et quia Deus non est propter finem, neque coactio cadit in ipsum. Per se autem dicitur aliquid necessarium quod non potest non esse: & sic Deum esse est necessarium. & hoc modo patrem generare filium, est necessarium.

Sensus quæsiti.

INTELLIGENDVM est quęsitum de voluntario indistinctè, & expectanda est distinctio D. Tho. *in corpore*, vt hic admonet Cai. Vberiorem & scitu dignam expositionem affert Torres, quem lege si placet. Eius explicationem sequitur & amplificat Molina.

C Mouetur hæc quæstio tum propter Arrianos, de quibus in textu; tum propter varia Sanctorum dicta, & præsertim Hylarij, & Hieron. & Augustin. quæ prima facie videntur contraria. Affirmat enim Hilar. *in lib. de Synod.* Patrem voluntate genuisse filium: Hierony. autem *in ep. ad Eph. 1. c.* sic ait: *Nunquam, vt esset filius voluntas paterna præcessit*, & Aug. *in dial. 65. quæst.* interrogante Orosio, num pater filium genuerit voluntate vel necessitate, respondet *q. 4 c. 7.* neque voluntate, neq; necessitate patrem genuisse; quod idem affirmat *lib. 15. de Trin. c. 20.* Hanc igitur apparentem contrarietatem huius articuli discursu conciliat S. D.

Forma Textus.

D PRAEMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est Aliquid esse vel fieri voluntate potest intelligi dupliciter. Vno modo vt ablatiuus designet solam concomitantiam; sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate; quia scilicet volo me esse hominem. Alio modo sic quòd ablatiuus importet habitudinem principij; sicut dicitur, quòd artifex operatur voluntate; quia voluntas est principium operationis.

PRIMA CONCL. *Pater genuit filium voluntato concomitante.* Probatur; quia vult se esse Deum & se generare filium.

E SECVNDA CONCL. *Pater genuit filium natura, non voluntate principiante, sed sic produxit creaturam.* Probatur quo ad omnes partes: primò authoritate Hilarij *in libro de Synodis.* Si quis voluntate &c. Secundò ratione, Eorum voluntas est principium, quæ possunt sic, vel aliter esse: eorum autem quę non possunt nisi sic esse, principiũ natura est: At filius nõ potest nisi sic esse, creatura aũt potest sic vel aliter esse; ergo pater genuit filiũ natura &c. Maior probatur. Voluntas & natura sm̃ hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnũ, sed voluntas nõ est determinata ad vnum; ergo eorum voluntas est principium &c. Antecedens probatur. Effectus assimilatur formæ agentis, per quam ait: At vnius rei non est nisi vna forma naturalis, per quam res habet esse; forma ve-

rò per quam voluntas agit, non est vna tantum, sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectæ; ergo res siue agens naturale tale facit, quale ipsum est: agens autem per voluntatem non agit tale, quale ipsum est, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Ex quo sequitur differentia posita in antecedente, quòd natura sit ad vnum determinata, voluntas autem minimè. Minor autem principalis argumenti, quòd videlicet filius nõ possit nisi sic esse: creatura verò possit sic vel aliter esse, probatur; quia Deus est per se necesse esse: creatura verò facta est ex nihilo; igitur quod potest sic vel aliter esse, longè est à natura diuina, & consequenter à filio, & pertinet ad rationem creaturæ. Tertiò probatur conclusio ab opposita hæresi Arriana authoritate Hilarij confutata.

Expositio Textus.

ADVERTE *primò* cõclusiones non esse minus amplas quęsito, licet solum exprimãt filij generationem; id enim, non vt latè proposita limitetur materia factum est, sed vt in vno actu notionali, eoque priori secundum modum nostrum intelligendi, ac nobis notiori præsentis doctrinæ veritas patesceret euidentius: vt hic etiam obseruat Cai.

Secundò scito secundam conclusionem esse Catholicæ fidei confessionem aduersus Arrianam impietatem. Cuius conclusionis veritatem confirmant recentiores SS. Patrum dictis & Conciliorum definitionibus. Legendi sunt Ban. Zumel. Molin. & Vasq. *4. c.* & Suar. *lib. 6. de Trinit. c. 3.*

Tertiò obserua sensum maioris in argumento pro 2. concl. cum Cai.

Quartò vide apud eundem explicationem illius differentiæ inter agens naturale & agens voluntarium, siue inter rem naturalem & voluntatem: quod rei naturalis est vnica forma, voluntatis autem plures.

Respons. ad 4. explicat S. D. *infra qu. 82. ar. 4. ad 3.*

PRIMA DVBITATIO.

Quomodo sumatur voluntas, in prima & secunda conclusione?

Ratio dubitãdi ex Cai.

QVAERIT hic Cai. an voluntatis nomen in duabus articuli conclusionibus accipiatur vniuocè, an æquiuocè? Nam si sumatur vniuocè, sequitur patrem voluntatè concomitante ad vtrumlibet velle generationem filij. Probatur sequela; quoniam de tali voluntate sermo est in secunda conclusione: si verò sumatur æquiuocè, leuis ac friuola tota videtur hæc esse disputatio & differentia in secunda conclusione proposita inter filium & creaturam.

Solut. Caiet.

Cui dubitationi respondet sumi in vtraque conclusione voluntatem vniuocè, prout nomẽ voluntatis significat potentiam volitiuam, vel etiam actum volendi, non quomodocunque sed absolutè & indistinctè: & iuxta sensum hũc affirmat prima conclusio actum volendi absolutè siue indistinctè. i. non curando qualis sit, an naturalis vel liber, respicere vt obiectum generationem filij, & processionem Spiritus sancti. In secunda verò negatur velle habere rationem principij ad vtrumlibet respectu actuum notionalium, quodcunque siue qualecunque sit illud velle. *Sed hanc solutionem* impugnat Vasq. quoniam secundum eam vix possumus æquiuocationem & varietatem eiusdem nominis effugere. Ait autem facilius solui posse, si in vtraque conclusione voluntas accipiatur pro actu, non pro potentia; sic enim prior conclusio vera est; quia omnis actus notionalis placet Deo, ac proinde eum dicitur velle: hoc aũt modo (inquit) non est principium actus notionalis, sed illũ comitatur. Et eodem modo vera est altera conclusio: quia tam actus spirationis, quàm generationis, non est ab actu voluntatis vt à principio: quia pater non ideo generat aut spirat, quia velit generare vel spirare; ergo actus volẽdi non est principium, quãuis spiratio sit à voluntate vt potentia est. *Sed hæc non* aduersantur solutioni Cai. nisi quatenus insinuant posse voluntatem sumi pro potentia. Nam quoad voluntatem sumptam pro actu (quod magis placet Cai.) consonant hæc illius explicationi. Verùm accipiendo etiam voluntatem pro potentia, vera est solutio Caiet. Nam vt potentia voluntatis per actum suum respicit generationem filij, & processionem Spiritus S. concomitanter scilicet vt obiectum; & hoc affirmat prima conclusio. Et quamuis voluntas vt potentia per modum naturæ sit principium processionis Spiritus S. non tamen est principium per modum voluntatis, inquantum voluntas, id est, prout libera est se habens ad vtrumlibet: & hic est sensus primæ conclusionis. Potest igitur in vtraque conclusione sumi voluntas cum ordine ad actum absolutè & indistinctè, quomodo dicimus accipiendam esse voluntatem, vt stat pro actu. Nam quamuis per illa adiectiua, *concomitante & principiante*, contrahi videatur ad hunc & illum modum, remanet tamen eadem ratio voluntatis & actus eius absolutè sumpti: sicut si dicerem: intellectus circa principia habet actũ intelligendi, & non actum discurrendi: vel actus intellectus circa principia est actus intellectionis & non discursus: vtrobique enim sumitur intellectus absolutè & actus eius absolutè & consequenter vniuocè. Nam etsi per illa adiuncta, videlicet intellectionis & discursus, limitari videatur ad talem modum affirmatum & ad tale negatum, est tamen idem actus absolutè siue indistinctè, vel in communi sumptus, de quo vnum affirmatur & aliud negatur.

Obi. Vasq.

Diluitur obiectio.

Obiectionis tacitæ sol.

SECVNDA DVBITATIO.

Quo sensu accipienda sit illa propositio: Effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit.

Sent. Caiet.

PROPOSITAM dubitationem versat & definit subtiliter Caiet. dicens propositionem hanc esse veram, quo ad formam & modum per se illius, in quantum est agendi ratio. Quam explicat distinguendo modum per se agendi formę naturalis, à modo per se formæ voluntariæ, id est, quæ est ratio agendi voluntati. Neque hic necesse est perspicuum Caiet. discursum exactè referre, aut latius explicare, sed lectori sufficiet Scriptura Caiet. à qua tamen recedit Sylucster, qui duo dicit. *Primum* est, propositionem illam, effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit, intelligendam esse quantum ad essentiam, & rationem formæ; non autem quantum ad modum essendi, nisi causa sit vniuoca: quoniam illud consequens, agens naturale agit quale est, voluntarium quale vult, non infertur (inquit) ex hoc antecedente, effectus assimi-

Impugnatio Syl.

similatur formæ agentis: sed ex hoc, agens natu- A rale habet vnam formam tantum, voluntarium multas; quia naturale cum faciat simile, & nó nisi in illa forma qua est, cũ aliã non habeat, necessariò facit tale quale est, non autem voluntarium, quod habet multas, & est per vnam tantum: quia potest voluntariè assimilare sibi in forma qua est generando voluntariè, & in forma qua intelligit. *Secundum* est, posse dictam propositionem intelligi etiam quoad modum essendi formæ, si tamen modum essendi formæ appellemus determinationem suæ repræsentationis, prout repræsentat effectum talem vel talem: sed iste modus inquit pertinet ad essentiam vel rationem formæ. B

Confutatio *Sed hæc interpretatio* rudis est: vt enim patet ex forma textus suprapositа, illa propositio agens naturale tale facit, quale ipsum est; voluntarium autem, quale vult, ex duplici principio deducitur. Primũ est illud: effectus assimilatur formæ agentis per quam agit: secundum illud, vnius rei non est nisi vna forma naturalis per quam res habet esse: forma verò per quam voluntas agit &c. quæ propositio sine priori nullam haberet vim inferendi dictam propositionem, quæ primò dependet ex ratione similitudinis effectus ad causam secundum formam, quæ est agendi ratio: secundariò verò ex vnitate & pluralitate eiusdem formæ. Vnde ablata ratione similitudinis nihil ex vnitate & C pluralitate concluderetur. Quod autem ait posse agens voluntarium producere voluntariè sibi simile secundum formam qua est, falsum est formaliter loquendo de forma, prout est agendi ratio, vt modo loquimur. Nam quamuis homo voluntariè applicet membra ad generandum, illa applicatio non est agendi ratio, sed tantum conditio: ratio verò agendi est forma naturalis quæ naturaliter causat. Denique non satis aptè saluat dictam propositionem, quo ad modum essendi formæ: tum quia eam limitat ad vnum tantum modum, cum tamen sit vera simpliciter de omni modo, vt eam sustinet Caietanus: tum etiam quia vt ipsemet aduertit, ea determinatio pertinet non ad D modum essendi, sed ad rationem agendi formæ.

Vide etiam Ferrar. *in 2. contra gentes, cap. 16. ratione 5. & cap. 24. ratione 2.* vbi alio modo explicat illam propositionem, agens agit sibi simile.

Tertia Dvbitatio.

Quomodo prædicta vera sint de voluntario agente & de voluntate?

Ratio dubitandi. Sequitvr ex dictis tertia dubitatio, an scilicet supradicta de voluntario agente, & de voluntate intelligenda sint, quatenus producit E etiam ad intra: an verò solum, prout producit ad extra? Nam si hoc secundo modo sumenda sint, vanus & ad rem minimè pertinens erit totus hic discursus, quo ostenditur differentia inter agens naturale & agens voluntarium, quoniam non agitur in hoc articulo de productionibus ad extra, sed ad intra. Si verò sint accipienda de productionibus etiam ad intra, sequitur nihil intus à voluntate produci, nisi actu reflexo. Probatur sequela; quia ex prædictis omne voluntariè productum, est productum vt volitum: nihil autem est in voluntate volitum, nisi reflexè.

Cui dubitationi respondet Caiet. distinguens *Solutio Caietani.* dupliciter esse aliquid in voluntate volitum: Vno modo, vt rem quandam siue vt obiectum volitum: & sic omne quod est in voluntate volitum, est reflexè volitum: Alio modo, vt ratio volendi, siue vt tendentia in obiectum volitum, & sic est directè volitum eadem volitione, qua volitum vt res, siue vt obiectum, & ita voluntarium est ipsum velle, & liber ipse amor.

Sed hanc solutionem reijciunt Sylvest. & Vas- *Obiectio Syl. & Vasq.* quez. Ait enim Sylu. D. Tho. hic loqui de voluntate, vt productiua tantum est ad extra, quãuis prædicta locum habeant etiam in voluntate, prout producit ad intra. Nec tamẽ (inquit) hæc vane dicta sunt, cum non dicantur de agente voluntario ad extra ad concludendum sic esse in productione diuina, sed ad ostendendum sic non esse, immò si restringantur hæc ad productionem ad intra, vanè inducerentur; quia non haberent locum in omni agente voluntario; quia Deus ad intra non producit quale vult, & consequenter processus esset ex particularibus, & vlterius, Spiritus sanctus esset de ijs, quæ possunt esse & non esse.

Vasquez autem ait rationem D. Tho. probare illud omne esse voluntariè, id est liberè productum, quod est à voluntate, hoc est ab actu voluntatis, vt principio siue productum sit intra Deum, siue extra: & ex hoc (inquit) concludit nihil intra Deum esse hoc modo productum; quia nullus actus notionalis hoc modo producitur: de alijs verò operationibus liberis, quæ verè non producuntur, sed concipiuntur vt operationes, quales sunt voluntates liberæ Dei, non probat hæc ratio S. Th. liberas esse, sed alia ratione probari potest: Hæc ille.

Sed quanquam verum sit D. Tho. hoc solum intendere, nimirum nullum actum notionalem *Defensio Caietani.* esse voluntariè, hoc est liberè productum, propositiones tamen assumptæ, & differentiæ inter agens naturale & voluntarium, vniuersaliter intelligendæ sunt de qualibet voluntaria productione, tam ad intra quàm ad extra; si quidem liberæ productiones ad intra eadem ratione & ex eadem radice liberæ sunt, ex qua liberæ sunt productiones ad extra, quia scilicet forma, quæ ratio agendi est, est ratio agendi vt volita: immò, quia notionales actus sunt actiones ad intra, congruit assumptas propositiones de agente voluntario, prout distinguitur ab agente naturali, ad omne genus operationis extendi, vt scitè aduertit Cai. vnde etiam Sylu. & Vasq. admittunt eas esse veras de agente voluntario, siue de voluntate quo ad vtrumque genus operationis, scilicet ad intra & ad extra.

Nec verum est, quod ait Sylu. hæc non habere locum in primo agente voluntario, qui Deus est: Nam Deus etiam liberè vult creaturas; Quomodo verò sit liber actus diuinæ voluntatis ad creaturas, latè superius explicauimus *qu. 19. a. 10.* Nec sequitur processum esse ex particularibus, sed ex vna ratione voluntatis vniuersaliter sumpta; & quia Spiritus sanctus non est à voluntate secundum eam rationem, qua distinguitur ab agente naturali, ideo non sequitur illum esse de ijs, quæ possunt esse & non esse.

Vasq. autem incautè Cai. reprehendens, in eius sententiam incidit manifestè. *Vasq. incautus.*

Prima Controversia.

An voluntas concomitans, qua pater voluit generationem filij, præcedat secundum intellectum nostrum eandem filij generationem?

Sensus quæsti.

ANTEQVAM Doctorum sententias referamus propositæ difficultatis sensum & causam expedit aperire: Vt autem hic obseruat Cai. differunt voluntas concomitans & voluntas principians, quòd voluntas principians cõparatur ad volitum, vt causa seu principium ad suum effectum: Voluntas autem concomitans, cõparatur ad volitum vt ad obiectum præcisè. Et quoniam voluntatis obiectum vt sic potest esse non tantum præsens, sed etiam præteritum & futurum, idcircò voluntas concomitans potest intelligi vt antecedens, sicut cum desidero pluuiam futuram, & vt consequens, sicut cum placet pluuia quæ præsens est aut quæ iam præterijt: Est igitur sensus quæsiti. An prima conclusio affirmans patrem genuisse filium voluntate concomitante, sit intelligenda de voluntate concomitãte posteriori modo tantum, an etiam priori modo, ita vt pater secundum modum nostrum intelligendi, prius voluerit generationem filij, quàm filium genuerit.

Voluntas concomitans dupliciter.

Sententiæ Doctorum.

CAPR. *in 1. dist. 6. q. 1. concl. 6. & in responsionibus ad argumenta Scoti contra eandem conclusionem* negat voluntatem patris concomitantem respectu generationis filij esse antecedentem duratione vel intellectu: quàm sententiam plurimi sequuntur expositores D. Thom. Ferrar. *in 4. cont. gent. c. 11. §. Vtrum autem* &c. Torres *in 3. parte comm.* Bannes *dubio 1.* Zumel. *disp. 3.* Mol. *disp. 2.* & Suar. *lib. 6. de Trin. c. 4.*

Caietanus refert & sequitur opinionem Scoti *in primo sent. distinct. 6. quæstione prima* dicentis actum voluntatis, quo Deus pater vult generationem filij, priorem esse ipsa filij generatione, modo nostro intelligendi. Eandem sententiam sequitur Iauelius: quamuis non approbet Scoti fundamentum, in quo falsò existimat conuenire Caietanum, quem etiam sequitur Ripa & Ioannes Dominicus *super hoc articulo.*

Rada *contro. 12. a. 4.* latè refert & tuetur sententiam Scoti.

Valentia vtramque sententiam affirmat esse probabilem, & quæstionem hanc esse parui momenti: & addit discrimen esse inter filij generationem, & Spiritus sancti processionem: quòd filij generatio voluntaria est concomitanter voluntate, non tantum essentiali, sed etiam notionali; qua procedit Spiritus S. Processio autem Spiritus S. non est voluntaria concomitanter, nisi per actum voluntatis essentialem.

Vasquez *disp. 160.* sequens Henricum & Gotifredum à Scoto relatos, ait omnem actum voluntatis Dei, qui circa actus notionales, tanquam circa obiectum versatur, esse posteriorem ipsis actibus notionalibus secundum rationem: Ex quo deducit duo contra duas præmissas opiniones. Primum est contra sententiam Scoti & Caiet. Nullum huiusmodi actum voluntatis esse priorem actibus notionalibus. *Secundum* contra sententiam Capreoli & D. Thomæ: Nullum huiusmodi actum voluntatis comitari actus notionales, & esse simul cum illis, sed esse posteriorem secundum rationem.

Resolutio. Præmissa distinctione essentialiũ & ordine, ac eorũ multiplici cõparatione ad notionalia, & ordine ad propria personarũ, ostenditur eadem essentialia pluribus modis esse priora notionalibus, & quadam etiam ratione dici posse simultanea.

AD PROPOSITAE controuersiæ definitionem plurima supponenda sunt superius à nobis vberrimè declarata: Ex quibus primum est ordo inter intelligere & dicere, de quo supra disseruimus *quæst. 27. artic. 1. in 3. controuer.* Secundum est diuinum verbum, ex cognitione diuinæ essentiæ, relationum ac personarum omnium perfecta, & comprehensiua procedere, quæ licèt à parte rei sit visio, siue notitia intuitiua respectu essentiæ & personarum, secundum modum tamen nostrum intelligendi concipitur, vt aliqua ratione præcedens diuinas personas procedentes, vt explicauimus *supra q. 34. a. 3. controu. 1.* Denique supponenda sunt, quę supra diximus de personarum constitutiuis, *qu. præced. art. 4. controu. vnica:* Ex quibus tamen hic erunt præcipua quædam necessariò repetenda.

Secundò distinguenda sunt diligenter essentialia prædicata de Deo dicta. Nam quædã de Deo dicuntur per modum actus primi; vt esse immutabilem, æternum, omnipotentem, iustum, sapientem & bonum. Quædam per modum actus secundi vt intelligere, velle, creare, gubernare & iustificare: Ex quibus quædam sunt actiones immanentes; vt duo priora, scilicet intelligere & velle; alia sunt operationes transeũtes; vt creare &c. ad quas omnes actiones siue operationes consequitur necessariò respectus ad obiecta siue terminos circa quos versantur. Sed præterea distinguuntur essentialia prædicata in ea, quæ dicunt ordinem ad notionalia: vt naturam esse tribus communicabilem, & velle generationem filij: & ea quæ nullam ad notionalia dicunt habitudinem: vt esse bonum, iustum &c.

Ordo attributorum.

Tertiò obseruandum est valde differre hæc duo, nimirum aliquod prædicatum esse prius ratione alio & aliquod prædicatum posse prius à nobis concipi quàm aliud. Nam vt hic aduertit Zumel. possum ego rectè concipere Deum prius vt misericordem quã vt iustum: cùm tamen non sit in Deo prior misericordia quàm iustitia, neque è contra; neutra enim ab altera pendet aut eam præsupponit; & prius possum intelligere Deum vt creatorem quàm vt genitorem, cùm tamen à parte rei sit prius genitor quàm creator. Tunc autem vnum prædicatum est prius altero secundum rationem, cum in ordine ad intellectum nostrum alterius conceptionem, non necessariò præsupponit, sed quantum est ex vi conceptus possit esse sine alio, non tamen aliud esse valet sine ipso, quomodo prius in Deo est secundum rationem intelligere quàm amare.

Comparatio essentialiũ, & notionalium multiplex.

Quartò considerandum est subiectum, siue rem subsistentem, cui attribuuntur & cuius respectu comparantur prædicata essentialia & notionalia, posse multiplex à nobis considerari. *Primum* est Deus vt sic, qui dupliciter concipi potest: Vno modo vt abstrahit à tribus personis: & sic ei nulla conueniunt notionalia: ac proinde respectu Dei sic præcisè concepti nulla dictorum prædicatorum fieri potest comparatio. Alio modo concipi potest Deus abstrahendo ab eo vt hic Deus est, & vt pater est, id est, prout subsistens quoddam est, siue etiam hypostasis aut persona; & sic bene potest in eo fieri comparatio essentialium & notionalium actuum siue prædicatorum. *Secundum* quod à nobis concipi potest subiectum dictorum prædicatorum, est pater: cuius duplex etiam est consideratio, nimirũ vt Deus siue vt hypostasis quę-

dam

dam est, & vt pater est. Diximus enim *quæstione præcedenti artic. 4.* personam Patris prius intelligi paternitate constitutam vt hypostasis quædam est abstrahendo ab absoluto & respectiuo, quàm vt pater est.

Ordo communium & propriorum.

Quinto aduertendum est essentialia, siuè communia absoluta in Deo secundum modum nostrum concipiendi esse priora *proprijs* personarum; quoniam includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso: In intellectu enim persona patris intelligitur Deus, sed non è contra, vt asseruit supra S. D. *q. 33. a. 3. ad 1.* At ea communia, quæ respectum important ad creaturas, sunt in duplici differentia: Nam quædam sunt, quæ pure sunt actiones immanentes, vt intelligere aut velle creaturas, ad quas actiones sequuntur in Deo respectus rationis æternæ; & hæc etiam communia sunt priora proprijs personarũ, vt ibidem aduertit Cai. hæc enim etiam intellectu propriarum includuntur, vt perfectiones eorum naturales, non minus quam alia absoluta ad operationem minimè pertinentia: Et eadem, immo fortiori ratione hæc essentialia communia, prout significantur cum ordine ad notionalia, vt intelligere, aut velle generationẽ aut spirationem, erunt priora notionalibus, ad quæ veluti obiecta respiciunt intelligere & velle.

Ad cuius euidentiam considerandum est, aliud esse loqui de actu diuinæ voluntatis, prout est à parte rei & aliud prout à nobis iuxta modum imperfecte nostræ cognitionis intelligitur. Nam diuinę voluntatis actus prout in se est & actus notionalis nullum habent ordinem adinuicem, sed omnino simul sunt: sed idem actus prout à nobis intelliguntur, ordiné habẽt naturę virtualem, quo vnum aliud prę supponit, vt à quo non conuertitur consequentia; actus enim notionalis præexigit essentialem, à quo ad notionalem non conuertitur consequentia, vt euidentius patebit ex dicendis. Alia verò essentialia, quæ respectum important ad creaturas, sunt actiones transeuntes, de quibus loco superius allegato S. D. affirmat per posterius de Deo dici, quàm propria, quæ respectus significant personales: quia persona procedens in diuinis procedit vt principium productionis creaturarum, vt latius ibidem explicatur, & infrà *q. 45. artic. 6.*

Primus modus, siuè ratio prioritatis essentialium.

Ex his ad quæstionem DICO PRIMO. *non solum prædicata essentialia per modum actus primi significata, & ea quæ nullum dicunt respectũ ad creaturas, & quæ significant actiones immanẽtes, cũ relatione rationis ad creaturas, sed etiã ea, quæ dicũt habitudinem ad notionalia, esse eisdem notionalib. modo nostro intelligendi priora;* Nã eisdẽ sunt notionalibus cõmunia. Et præterea quãuis ea generandi volũtas, quę generationi prę intelligitur in persona patris, non sit per modum desiderij propriè loquendo, nec præcedat generationem à parte rei; modo tamen intelligendi nostro concipitur illa voluntas vt prior actu generationis, & vt respiciens ipsam quasi futuram, vt obiectum quoddam diligibile per amorem complacentiæ, quo necessaria omnia non solum præsentia, sed etiam certò futura, quatenus bona sunt, diliguntur à nobis. Considerandum est enim vnam & eandem Dei patris cognitionem, qua suam essentiam, personas & actus notionales intelligit, prius à nobis concipi vt notitiam simplicis intelligentiæ, quàm visionis: adeò vt primò Deus pater secundum modum nostrum concipiendi cognoscat simplici intelligentia personas & actus notionales nondum vt existentes, deinde completa generatione & spiratione, eosdem actus & personas per eos procedentes intueatur vt actu præsentes; sicut enim patrem generatione priorem intelligimus, sic essentialẽ eius intellectionem ac volitionem & reliqua essentialia paulò ante notata ad infinitã patris perfectionem pertinentia, vt priora cõcipimus eadem generatione & spiratione.

Secundus modus prioritatis.

SECVNDO *dico, prædicata essentialia quæ dicunt ordinem ad notionalia, esse priora notionalibus in Deo, prout abstrahit ab hoc Deo, & à patre, id est prout subsistens quoddam est vel hypostasis aut persona, siuè sit absoluta siuè respectiua.* Probatur. In conceptu Dei sic sumpti clauduntur omnia essentialia secundum omnem singulorum perfectionem: at absoluta perfectio voluntatis siuè volitionis diuinæ postulat ordinem ad omne naturaliter & necessario volitum, tales verò sunt actus notionale; igitur in conceptu Dei sic sumpti clauditur essentialis volitio actuum notionalium; & eadem ratione intellectio & quoduis aliud essentiale relationem habens ad notionialia. Secundò. Deus sic sumptus prius secundum modum nostrum intelligendi concipitur vt fæcundus ad generandum & spirandum, antequàm generet aut spiret: at Deus vt sic fæcundus ad generandum & spirandum potest à nobis intelligi, vt habens aliquem actum essentialem intellectus & voluntatis, respectu sui sic fæcundi, & consequenter respectu generationis quasi futuræ; igitur rectè prius concipitur à nobis vt intelligens & volens generationem antequàm generet, & spirationem antequàm spiret.

3. modus.

TERTIO DICO *in Deo sumpto, pro persona patris, non vt pater est, sed vt Deus, aut hypostasis, vel persona est abstrahens ab absoluto, & relatiuo, modo superius explicato in 4. a. qu. præcedent. essentialia, prædicata, etiam quæ dicunt ordinem ad notionalia, esse priora eisdem notionalibus.* Hoc dictum idem est formaliter cum præcedente & probatur eisdem argumenti.

4. modus prioritatis.

QVARTO DICO, *probabile esse in patre prout est relatiuè constitutus paternitate conceptè sumpta, quòd intelligere, ac velle essentiale præcedat actus notionales generationis & spirationis.* Probatur; quoniam pater antequam generet, concipitur à nobis vt intelligens & volens: non actu aliquo notionali, quoniam nullus talis est, aut esse cogitatur in patre ante generationem; ergo actu essentiali duplici, scilicet intellectus & voluntatis; ergo cognoscit & vult pater filij generationem, antequam generet. Probatur hæc vltima consequentia; quoniam actus illi essentiales in patre sunt vndequaque perfecti; igitur respiciunt omne, quod est à Deo naturaliter cognoscibile & amabile: constat autem actus notionales naturaliter esse à Deo cognitos & amatos.

Quæratur. simul sint essentialia & notionalia.

POSTREMO DICO, *longè probabilius esse patrem, vt relatiuè constitutum paternitate concepta, non intelligere, ac velle generationem antequam generet.* Probatur quoad intellectionem; quia intelligere patris vt sic proprium est patris, & sic idem est quod dicere seu intelligere exprimendo: Et quamuis simpliciter loquendo intelligere non dicatur notionaliter, sed tantum essentialiter, vt ait S. D. *supra q. 37. a. 1.* sumendo tamen intelligere prout est patris vel in patre, notionale est non essentiale præcisè; sic enim dicit habitudinem non solum ad rem intellectam, sed etiam ad verbum procedẽs, saltem im-

plicitè & virtualiter. Itaque licet cogitatione A nostra possimus in actu signato relationem patris constitutiuam separare ab actu intellectionis, & sic concipiatur intelligere patris non vt patris, sed absolutè & vt essentiale: nunquam tamen apprehendi poterit à nobis intelligere patris vt actu exercitum circa actum notionalem, qui est generatio, nisi vt idem est cum ipso actu notionali, qui est intelligere exprimendo, vt scitè aduertit Ferrar. quamuis non rectè idem asserat de patre, vt Deus est vel hypostasis, vt patet ex dictis. Cum autem volitio sit intellectione posterior, sequitur in patre sic constituto non prius esse volitionem generationis, quàm sit in eo generatio. Et ex his liquet etiam quid censendum sit de Ripæ sententia, cui fauet quartum nostrum dictum. B

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Non ea tantum essentialia prædicata, quæ nullum dicunt respectum ad creaturas, & ea quæ significant actiones immanentes cum relatione rationis ad creaturas absolutè, sed & multò magis ea, quæ dicunt habitudinem ad notionalia, sunt eisdem notionalibus modo nostro intelligendi priora.*

SECVNDA CONCLVS. *Prædicata essentialia, quæ dicũt ordinem ad notionalia, priora sunt eis in Deo, prout abstrahit ab hoc Deo, & à patre, siue prout subsistens quoddam est vel hypostasis, aut persona, non cogitando an sit absoluta vel relatiua.*

TERTIA CONCL. *Eadem essentialia prædicata priora sunt notionalibus in persona patris, vt Deus est, vel hypostasis, aut persona, abstrahens ab absoluto & relatiuo.* C

QVARTA CONCL. *Probabilis est ea sententia, quæ ait intelligere & velle essentiale præcedere actus notionales in patre, prout est relatiuè constitutus paternitate conceptè sumpta.*

VLTIMA CONCL. *Multò probabilius est patrem vt relatiue constitutum paternitate conceptè sumpta non intelligere ac velle generationem antequam generet.*

Obiect. 1. con. 1. concl.

CONTRA *primam concl.* argum. Zumel. *Primò.* Hæc essentialia includunt aliquo modo notionalia, non tanquam intrinseca ipsis, sed tanquam terminos suarum habitudinum; ergo impossibile est intelligere talia essentialia sine tali habitudine, & talem habitudinem D

Solut.

sine tali termino. *Resp.* hoc argumento solum probari, non posse vnum intelligi sine alio simul intellecto, non autem sine alio simul existente: alioquin intellectio, qua Deus intelligit ab æterno creaturas, non posset esse prior ipsis creaturis, ad quas vt ad obiecta secundaria terminatur.

Obi. 2.

Secundò. Impossibile est intelligere essentiam, vt communicabilem tribus personis, expresso conceptu, non intellectis ipsis tribus: & impossibile est intelligere relationem vt priorem suo termino; sicut etiam respectu visionis claræ Dei, impossibile est videre essentialia sine notionalibus, propter intrinsecam habitu E

Solut.

dinem ad illa. *Resp.* ad primam partem, sicut ad præcedens argumentum. Nam & si non possit essentia concipi vt communicabilis absq; hoc, quod intelligãtur personæ quibus est communicabilis: potest tamẽ intelligi vt prius existẽs, quàm existant personæ, quibus est communicabilis. Ad secundam partem dico communicabile tribus dicere relationem fundamentaliter & quasi transcendentalem, quæ prior est suo termino, quod etiam dicendum est de intellige re respectu notionalium. Ad tertiam dico non esse simile; quoniam visione beatifica cognoscitur Deus prout in se est, hic autem loquimur de cognitione secundum gradum intellectus nostri.

Obiect. 3. *Tertiò.* Illa voluntas generandi non est per modum desiderij, sed per modum complacentiæ in bono habito; ergo respicit ipsam generationem vt existentem. *Resp.* voluntatem illam

Solut.

etsi propriè & à parte rei non sit desiderij, concipi tamen à nobis admodum voluntatis desiderij, quæ non est de re præsenti, sed futura.

Obi. 1. contr. 1. & 2. cõcl. CONTRA *eandem concl. & secundam* simul argumentatur Molina. *Primò.* Actus diuini intellectus nostro intelligendi more cum fundamento in re antecedit diuinam volitionem, eo quòd nihil sit volitum, quin præcognitum: sed actum diuini intellectus consequitur immediatè, naturaliue quadam sequela generatio; ergo volitio qua Deus aut pater æternus vult generationem, non antecedit generationem ipsam.

Solut. *Resp.* primo argumentum probare conclusionem nostram. Nam si generatio sequitur ad actum diuini intellectus, ergo præcedit actus intellectus, quo intelligitur generatio, & eadem ratione actus voluntatis, quo est volita, cum vterque actus sit essentialis. Secundò dico intellectionem essentialem esse priorem generatione, non autem notionalem; hæc enim est ipsa generatio, & de hac sola procedit argumentum.

Obi. 2. *Secundò.* Prius est patrem generare per intellectum & filiũ generari, quàm sit volitio diuina naturalis; ergo volitio generationis nõ antecedit generationem, sed concomitatur. Antecedens probatur; quia naturali volitione pater & filius spirant Spiritum Sanctum, & non solus spirator. *Resp.* falsum esse antecedẽs. Ad proba-

Solut.

tionem dico patrem & filium per volitionem naturalem notionalem spirare Spiritum S. non autem per volitionem naturalem essentialem.

Obi. 3. *Tertiò.* Si res concipiantur vt se habent in Deo, non prius pater est pater, quàm sit generatio actiua; ergo non prius est patrem velle generare quàm generationem esse. Antecedẽs probatur; quia pater constituitur actiua generatione in esse patris. Conseq. pr. batur; quia pater vt pater vult generare. *Resp.* hoc argumento pro-

Solut.

bari in patre non esse prius à parte rei velle generare, quàm generare: quod non solum admittimus, sed docemus: sed conclusiones nostræ loquuntur de ordine dictorum actuum secundum modum nostrum intelligendi, secundum quem prius esse dicimus in patre velle generare, quàm generare; & patrem non constitui generatione, sed paternitate.

Obi. 4. *Quartò* adducit testimonium Concilij Toletani XI. & Aug. *in dialogo 65. quæstionum, q. 7.* quibus nihil aliud probatur, quàm filium non produci voluntate patris principiante, siue ad vtrumlibet se habente.

Obi. 1. cont. omnes conc. CONTRA *eandem concl.* & tres sequentes argumentatur Ferrar. *Primò.* Quia S. Tho. *de potentia q. 2. a. 3. ad 2.* expressè ait respectu generationis filij non esse voluntatem in patre præcedentem, nec tempore nec intellectu, sed tantum concomitantem. *Resp.* cum Caiet. nomine

Solut.

voluntatis præcedentis tempore vel natura D. S. ibi intelligere voluntatem vt principium. *Sed hanc respons.* reijcit Ferrariensis; quia sic non satisfieret argumento probanti patrem pro

Replica.

duxisse filium non tantum voluntate concomitante, sed etiam voluntate vt principio: hac ratione; quia quamuis voluntas non præcedat tem-

tempore generationem filij, præcedit tamen A intellectu; ergo potest poni principium filij. Si enim sensus responsionis esset, quòd respectu generationis filij non est voluntas præcedens tempore, nec intellectu vt principiũ, responderetur conclusioni negando scilicet posse poni voluntatem, vt principium generationis, non autem præmissis, quod est hominis inerudi-
Solut. ti. *Resp.* D. Tho. ibi argumento secundo impugnare illam responsionem, quæ dicebat patrem non genuisse filium voluntate præcedente neque consequente, sed concomitante. *Est autem argumentum.* Videtur, quòd hæc ratio sit insufficiens; cum enim quicquid est in Deo sit æternum, nihil quod est in Deo, potest tempore præcedere aliquid in Deo existens, & tamen inuenitur, quod aliquid habet ad a- B liud rationem principij, sicut voluntas Dei ad electionem, qua eligit iustos, ex hoc solo, quòd ab intellectu procedit; ergo quamuis voluntas generationem filij non præcedat, nihilominus vt videtur, potest poni principium generationis filij, ex hoc quòd procedit ab intellectu. *In respons.* autem S. Th. dicit quatuor. *Primum* est. Respectu nullius rei est in Deo voluntas antecedens, quia quicquid aliquãdo Deus vult, ab æterno vult. Concomitans verò est respectu omniũ bonorum, quæ sunt tàm in ipso, quàm in creaturis; vult enim se esse & creaturã esse. Vbi S. Th. videtur loqui de actu volũtatis, vt in Deo est sm̃ esse, conceditque primam partem argumenti vsque ibi, *& tamen inuenitur. Se-* C *cundum* est. Voluntas præcedens vel antecedens tempore non est nisi respectu creaturæ quæ ab æterno non fuit; & hoc est manifestum. *Tertium.* Voluntas præcedens intellectu est respectu actuum æternorum, qui significantur ad creaturas terminari: sicut dispositio, prædestinatio, & huiusmodi: quod dictum manifestè loquitur de voluntate præcedente in ratione principij. *Quartum.* Generatio filij, cum neque sit creatura, neque ad creaturam significetur terminari, respectu eius non est voluntas præcedens, neque tempore neque intellectu, sed voluntas concomitans. Et in huius dicti sensu tota posita est difficultas. Sed si diligenter con- D sideremus vim & intentionem argumenti, facilè percipiemus sensum responsionis. Hoc verò tantum probat argumentum, nimirum coæternitatem eorum, quæ in Deo sunt, non tollere rationem principij in vno respectu alterius, & consequenter ea non obstante posse poni volũtatem esse principium respectu generationis filij. Nam responsio, contra quam tendebat argumentum, videbatur inniti dictæ coæternitati. Vnde etiam præmisit; Videtur, quod hæc ratio sit insufficiens. Responsio autem in quarto dicto directè satisfacit, intendens voluntatem non sic esse præcedentem vt possit aut debeat habere rationem principij respectu generationis, quia neq; est creatura, neq; ad creaturam significatur terminari. Ex quo patet D. Thom. respondere præmissis, non autem conclusioni. E

Obi. 2. *Secũdò.* Non apparet quomodo actui indiuisibili à natura alicuius suppositi naturali necessitate prouenienti, & nullo modo impedibili, possit alius eiusdem suppositi illi præintelligi secundum verum modum intellectus; ergo. Probatur antece. quia nihil præintelligitur naturæ ipsius suppositi; ergo nec vllus actus potest huiusmodi naturali operationi præintelligi, sed bene possunt intelligi simul esse plures operationes naturales, & sic vnam alteri comitem esse. Et hoc eodem argumento vtitur Vasq. *Resp.* falsum esse antecedens. Nam supe- Solut. rius ostendimus plures posse concipi operationes ratione distinctas in eodem supposito, secũdum magis & minus communem eiusdem considerationem: ita vt vna sit alia prior secundum modum nostrum intelligẽdi. Ad probationem negatur consequentia; quoniam ab vno supposito, præsertim secundum rationes eius diuersas, plures possunt operationes naturales ordinatè procedere.

Tertiò. In ordine intellectus & voluntatis o- Obiect. 3. portet esse statim in aliquo actu intellectus ei naturaliter conueniente, qui à voluntate non proueniat; ergo si aliquis ordo inter huiusmodi actus poni debeat, magis debet dici, generationem filij præcedere voluntatem intellectu, quàm è conuerso. *Resp.* nullam esse consequen- Solut. tiam. Nam in patre vt Deus & vt hypostasis quædam est, actui intellectus notionali, qui est generatio, præintelligitur actus intellectionis essentialis, vt ante diximus.

Contra easdem conclusiones argumentatur Obi. 4. Torres, & post eum Vasq. *Primò.* Etiamsi non esset aliquis actus voluntatis circa actus notionales, nihilominus essent actus notionales; ergo actus voluntatis circa actus notionales non præcedit ipsos. Probatur consequentia; quia si præcederet eo ablato tolleretur etiam actus notionalis; quia ablato priori necesse est auferri id quod posterius est. *Resp.* falsum esse ante- Solut. cedens: sicut enim necesse est patrem prius esse Deum & hypostasim quàm sit pater, ita necesse est prius esse modo nostro concipiendi essentialia quàm notionalia: ac proinde intelligere & velle essentiale ante actum generationis.

Secundò sic arguit Vasq. argumento Grego- Obi. 5. rij. Patris notitia non potest esse perfecta antequam generet; ergo nec velle generare. Probatur consequentia; quia velle sine intellectione esse nequit: aut si prius fuit velle generare quàm generare, sequitur filium habuisse esse post non esse. *Resp.* notitiam patris duplicem Solut. esse secundum rationem: vnam vt Deus vel vt hypostasis quædam est: aliam vt pater est: De priori notitia negatur antecedens; sicut enim ante generationem concipitur vt perfectus Deus, & vt perfectè subsistens siue hypostasis abstrahendo ab absoluto & relatiuo: ita consideratur vt perfectè cognoscens & volens.

Tertiò. Si actus voluntatis præcedit genera- Obi. 6. tionem, aliter præcedere non potest quàm origine, sed hoc modo non potest esse prior; quia sequeretur actus notionales esse voluntarios voluntate vt principio; ergo nullo modo præ- Solut. cedit. *Resp.* falsam esse assumptam conditionalem euidenter; sufficit enim vt modo nostro intelligendi in re fundamentum habente præcedat.

Quartò sic arguit *in c. 3.* Actus voluntatis sim- Obi. 7. plicis quoq; complacentiæ, circa actum generationis aut spirationis futurum aut possibilem tantum, non est in Deo; ergo talis actus non potest esse prior aut origine aut etiam secundum rationem, quàm actus notionalis. Antecedens probatur; quia Deus non considerat vnquam suam generationem vt futuram aut vt possibilem tãtum, quasi per intellectus abstractionem: immo nec potest hoc modo illam considerare; nam Deus omne quod est in

ipso

ipso intelligit vt præsens, nec potest vnum intelligere sine alio; nam etsi nos in ipso intelligamus prius filium esse possibilem quàm esse actu, non tamen debemus considerare ipsum tãquàm intelligentem prius filium suum secũdum esse possibile, quàm actu existentem; hoc enim tribuere Deo figmentum est in ipso Deo, & nos ipsum considerare varijs modis figmentum est, manens solum in nostra intellectione; ergo &c. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. si sermo sit de esse in Deo non secundum rem aut formaliter & actualiter à parte rei, sed fundamentaliter & virtualiter, & secundum mòdum nostrum intelligendi formaliter. Ad probationé dico ex ea tantum deduci in Deo secundum se, non esse actu & formaliter illam actuum distinctionem, ordinem & abstractionem: nec huiusmodi à nobis debere tribui Deo, tãquam formaliter & actualiter in eo existentia; sed tamen rectè Deo tribuuntur à nobis, quatenus modo rerum creatarum à nobis intelligũtur: sicut etiam Deum intelligimus vt prius intelligẽtem, deinde volentem, vt prius eligentem deinde prædestinantem, & prius videntem & intelligentem vnum quàm aliud, vt latè superius explicauimus in materia prędestinationis: quorum actuum distinctionem, vt virtualiter in Deo existentem, Deus ipse cognouit infinitè perfectius quam homo: quamuis seipsum vnico actu minimè distincto cognoscat. Quamobrem non erit incongruens intelligentia nostra, si iuxta modum naturæ suæ diuersa concipiens, Deum etiam vt ita distinctè & ordinatè intelligentem apprehendat; hic enim modus Deo non attribuitur secũdum se, sed prout obijcitur intellectioni nostræ: Deo autem solum attribuitur infinita perfectio, quæ fundamentum est totius multitudinis, distinctionis & ordinis conceptionum nostrarum.

Obi. 3. *Contra easdem* conclu. & vltimam argumentatur Suar. *Primò.* Voluntas fertur in rem cognitam; Ergo Pater prius ratione intelligit generationem, quàm illam velit; Ergo etiam *Solut.* prius generat. *Respond.* nullam esse secundam conseq. sufficit enim vt essentiali notitia intelligat generationem.

Replica *Contra hanc* respons. sic replicat Suarez. *Primò.* Intelligere essentiale prout in Patre, non est distinctum etiam ratione à notionali; ergo. Antec. probatur; quia notionale intelligere vltra essentiale nihil addit nisi coniunctionem ad paternitatem.

Secundò eandem respõsi. sic arguit. Pater non vult generationem volũtate quasi desiderij, sed voluntate complacentiæ perfectissima, quæ est de bono existente iam possesso: sed voluntas supponit cognitionem eiusdem boni etiam vt existentis & possessi; ergo voluntas qua pater vult illam generationem, supponit ipsam generationem iam existentem & cognitam à patre eodem actu quo generat.

Tertiò. Si illud velle præconcipiatur in Deo vt sic, iam non concipitur vt determinatum ad patrem, nec in hoc Deo præconcipere possumus velle generare; cum ille vt sic non generet. Si autem concipitur in patre, iam concipitur pater, & consequenter etiam generatio.

Solut. *Resp. ad primum* falsum esse antec. loquendo de patre vt Deus aut prout hypostasis quædam est. Secundò dici posset falsum esse anteced. loquendo de patre vt pater est. Nam potest in eo ratione distingui intelligere à dicere.

Et ad probationem negatur antecedens; addit enim præcipuè ordinem expressionis ad verbum. *Ad secundum* falsam esse minorem, loquendo de modo quo nos actum in Deo volitionis contemplamur. Nam vt ait Suar. *lib. 9. ca. 5.* ad visionem intuitiuam non supponitur necessariò ex parte termini actualis existentia pro omni signo rationis, sed potest esse prior existentia visionis, quam rei visæ: & eadem ratione potest esse aut intelligi prior existentia volitionis, quàm rei volitæ etiam actu complacentiæ. Vnde etiam in fine illius cap. addit Suar. dici posse Spiritum S. in illo signo antequam spiretur, apprehendi instar futuri: quia imperfectè cognoscimus & apprehendimus illa signa &c. *Ad tertium* dico, licet hic Deus vt sic non generet, patri tamen conuenit generatio, non solum vt pater est, sed etiam vt hic Deus est; alioquin non generaret Deum: immo ratio generãdi est, quia Deus est: conditio verò quia pater est, quamuis vnum sine altero non sufficiat. Diximus autem supra, posse nos cõcipere personam generantem, non concipiendo pro illo tunc conditionem illi necessariam ad generandum.

Quid de voluntate antecedente respectu spirationis.

Et ex his patet solutio ad ea etiam argumenta, quæ militant contra voluntatem antecedentem respectu spirationis Spiritus S. quamuis enim à parte rei productio Spiritus S. sit voluntaria intrinsecè & per seipsam, vt explicat Suar. ex Cai. *lib. 6. c. 4.* secundum tamen modum nostrum intelligendi præcedit in Deo patre & filio volũtas essentialis, qua volunt spirationem Spiritus S. eo modo quo dictum est de voluntate generantis respectu generationis.

Et per hæc etiam soluuntur quædam argumenta Zumelli.

Secvnda Controversia.

An rectè dici possit Spiritum sanctum procedere liberè.

Sententiæ Doctorum.

Scotvs *in 1. dist. 10. q. 1. & quol. 16. a 2. & alibi* ait amorem & productionem Spiritus S. liberam esse, & non naturalem: quoniam est ex perfecta cognitione & intrinseca determinatione voluntatis, quæ seipsam mouet ad obiectum cognitum. Hanc opinionem cum eius fundamentis explicat Vasquez *disput. 161. cap. 2.* quam etiam sequitur & latius proponit & tuetur Rada *contr. 13.* & ascribit eam Richar. Gabr. Bonau. Ochamo, Marsilio & quibusdam Scoti expositoribus. Distinguit autem libertatem in eam, quæ est contradictionis, contrarietatis, complacentiæ, & eam quam nominat essentialem, quam affirmat ad omnes prædictas præsupponi & ab eis includi, sed præcisiuè sumptam ait ab eis distingui. Et addit Spiritum S. produci summè necessariò necessitate simpliciter: & tamen cum summa libertate essentiali. Nec tamen est hæc productio naturalis: quia voluntas, (inquit) quatenus potentia est, nequit considerari vt natura, prout natura est principium actiuum distinctum contra liberum, & potentia naturalis opponitur liberæ.

Oppositam sententiam habet hic A. D. *ad 3.* dicens voluntatem vt natura quædam est, aliquid naturaliter velle, & Deum naturaliter velle & amare seipsum, & Spiritum S. naturaliter procedere per modum tamẽ voluntatis. Quam sententiam sequuntur non solum Thomistæ, sed expositores etiam omnes exteri D. Th. & alij Scholastici communiter.

Pro-

Resolutio. Indicantur principia, & loca D. Thomæ, Caietani, & aliorum ex positorum, ex quibus petenda est resolutio.

PROPRIAM habet hæc controuersia sedem *infra q. 60. a. 1. & q. 82. a. 1. & 2.* sed definitionis eius prima fundamenta petenda sunt ex *1. 2. q. 10. a. 1.* Quæ verò magis huic loco videbantur opportuna, notauit hic interpres Cai. & post eum recentiores, ac præsertim Ban. & Zumel. Nobis itaque sufficiet capita quædam ritè disposita in proprijs fontibus legenda proponere, ne frustra vedeamur hic aliena transcribere.

Notanda est igitur primò causa, cur voluntas ad aliquid naturaliter moueatur, ex D. Tho. *1. 2. q. 20. a. 1.* quam ibi subtiliter explicat Cai. & ex eodem S. D. infra *q. 60. a. 1.* quam declarat egregiè Cai. ostendens quomodo ratio naturæ saluetur in voluntate.

Secundò obseruanda est trimembris illa distinctio voluntatis secundum tres eius rationes formales totidem in intellectu rationibus formalibus proportionales: quam hic proponit aduersus Scotum Cai. dicens voluntatem tripliciter sumi posse. *Primò* pro potentia volitiua, *secundò* pro eadem potentia, vt est determinata naturaliter ad aliquod obiectum, *tertiò* pro eadem potentia, vt est indeterminata ad vtrumlibet. Vbi etiam naturalem voluntatis determinationem distinguit in eam, quæ est secundum specificationem actus tantum, & in eam, quæ est etiam secundum eiusdem actus exercitium.

Tertiò notanda est triplex differentia naturaliter voliti, quam tangit S. D. *in 1. 2. loco superius allegato*, & latè declarat ibidem Cai.

Quartò aduertendum est, naturale & liberum, non esse differentias actuum, penes per se primò obiecta distinctiua potentiarum, sed esse tãtum differentias modi agendi, vt hic probat, & explicat Cai. *super hoc a.* sed melius & profundius *in 1. 2. q. 10. ar. 1. ad tertium* argum. D. Th.

Postremò lege si placet, quæ scribunt hic Ban. & Zumel. & Vasq.

Conclusio vnica. His prænotatis sit *vnica conclusio. Spiritus S. non liberè sed necessariò simpliciter, & naturaliter procedit à patre & filio, non tamen per modum naturæ, sed per modum voluntatis.* Probatur. Spiritus S. procedit per actum amoris, quo pater & filius amant essentiam & diuinas personas: sed hæc omnia amant necessariò, naturaliter & non libere; ergo. Secundam partem nostræ conclusionis, nimirum Spiritum Sanctum necessariò procedere, affirmat Scotus & probat eam Rada multis argumentis.

CONTRA *nostram concl.* quo ad primam & tertiam eius partem, sunt argumenta Scoti, quæ referunt & soluunt Capr. *in 1. dist. 6. q. 1.* Cai. & alij *super hoc a.*

Obi. 1. *Contra eandem* conclusionem producit Rada multa ex argumentis Scoti, iam à Cai. solutis: quibus etiam adiungit alia quædam exigui momenti.

Primum est. Voluntas vt natura, vel est eadẽ potentia cum scipsa vt potentia libera est, vel alia. Si eadem; ergo habet actionem & modum actionis eiusdem rationis, prout natura est, cum actione & modo actionis, quem habet prout est libera; quia vnius potentiæ vnica est actio vnius rationis, & vnicus operandi modus: sed prout libera liberè operatur; ergo & prout est natura. Si verò alia est potentia; ergo voluntas est duplex potentia. *Et confirmatur*; Quia voluntas vt natura non potest habere actionem *Confir.* per modum libertatis: nec voluntas vt libera, actionem per modũ naturæ elicitam; ergo sunt potentiæ omninò oppositæ & alterius rationis, &c.

Resp. in ea particula, *vt potentia libera est*, dictionem illam *vt* posse duplicitèr sumi: *Vno modo*, vt specificat potentiam sub ea ratione, qua libera est formaliter: & ita negamus voluntatem, vt natura est, esse eandem potentiam cum seipsa vt libera est: non quòd sint duæ potentiæ, sed quia sunt duæ rationes formales eiusdem potentiæ. *Alio modo* sumi potest dictio illa, *vt*, quatenus specificat voluntatem, siuè potentiam vt materialiter & identicè ac subiectiuè liberam: & ita dicimus, voluntatem vt *Solut.* natura est, esse eandem potentiam secundum rem, in qua veluti in vno communi subiecto conueniunt duæ rationes formales, naturæ scilicet & libertatis: & iuxta sensum hunc ad argumẽtum nego consequentiam. Ad probationem negatur assumptum: Falsum est enim vnius potentiæ secundum rem esse vnã actionem vnius rationis, & vnum operandi modum. Et per hoc diluitur etiam confirmatio: probat enim solum duarum rationum formalium distinctionem in vna potentia.

Contra hanc responsionem sic argumentatur Rada. Sicut implicat duas differentias idem genus diuidentes inesse eidem speciei: ita implicat idem principium specie & numero habere diuersos & oppositos modos operandi, quales sunt, agere liberè & naturaliter; ergo. Antec. probatur; quia tales modi ex æquo & immediatè diuidunt principium actiuum. *Rada repli-cat.*

Resp. nullam esse similitudinem assumptam in antecedente; quia liberum & naturale non sunt differẽtiæ per se diuidentes potentiam, sed modum potentiæ. Vnde ad probationem negatur antecedens. *Solut.*

Secundò principaliter. Omnis actus voluntatis est à voluntate, vt voluntas est; ergo vt libera est. *Resp.* nullam esse consq. quia voluntas vt voluntas, duplicem habet rationem formalem & modum, scilicet naturæ & libertatis. *Obi. 2.* *Solut.*

Tertiò prædictas responsiones sic arguit. Si modi illi specificè distinguuntur; ergo potentiæ quibus insunt, specificè etiam distinguuntur; ergo est alia potentia vt natura, à se vt libera est. *Resp.* nullam esse consq. vt patet ex dictis & notatis à Caietano. *Obiect. 3.* *Solut.*

Quartò. Summa necessitas stat cum summa libertate; ergo ob id, quòd Spiritus S. procedat necessariò, simpliciter non est negandum, quòd procedat liberè. Antec. probatur. *Primò*; quia voluntas diuina necessariò vult bonitatem suam, & tamen volendo eam est libera; ergo. Probatur hoc assumptum; quia voluntas diuina refert ad finem alia obiecta, quæ sunt volibilia propter finem; igitur ipsa sub eadem ratione potentiæ est operatiua circa vtrumque; sed circa ea quæ sunt ad finem operatur sub ratione potentiæ liberæ; ergo etiam circa finem operabitur sub ratione potentiæ liberæ. Probat primam consequentiam; quia potentia operans circa vnum obiectum non absolutè, sed in ordine ad aliud, eadem sub eadem ratione est operatiua circa vtrumque. Quod patet, *ex 2. de anima, text. 146.* vbi dicitur: quòd potentia illa, qua cognoscimus differentiam vnius obiecti ab alio, illam & sub eadem ratione potentiæ cognoscit vtrũque; ergo. Similiter in proposito: Potẽtia operans *Obi. 4.*

rans circa vnum obiectum in ordine ad aliud, ipſa ſub eadem ratione potentiæ operabitur circa vtrumque. *Et confirmatur*; quia alias oporteret conſtituere vnam potẽtiam, quæ verſaretur circa finem; & aliam circa media. *Secundò* probat idem antecedens. Libertas eſt conditio intrinſeca voluntatis abſolutè, vel in ordine ad actum volendi; ergo eſt compoſſibilis, cum conditione perfecta operationis perfectæ circa perfectiſſimum obiectum; ſed talis conditio in operatione perfecta eſt neceſſitas; ergo libertas eſt compoſſibilis cum neceſſitate. Antecedens eſt manifeſtum; quia voluntas natura ſua intrinſeca libera eſt. Conſeq. probatur; quia conditio intrinſeca potentiæ quæ ſecundum ſe nullam dicit imperfectionem, non poteſt eſſe contraria perfectioni operationis eiuſdem potentiæ. Quod autem talis conditio perfecta ſit neceſſitas, patet; quia perfectio voluntatis, vt voluntas eſt, eſt diligere Deum; ergo perfectionis eſt habere illam operationem firmiter & neceſſariò. Et confirmatur; quia poſſe non habere illam dicit imperfectionem; ergo neceſſariò habere illam, perfectionis eſt maximæ. *Tertiò* probatur idem antecedens. Actio circa vltimum finem, vt finis eſt, eſt perfectiſſima; ergo neceſſitas in tali actione non tollit, ſed magis ponit id, quod ad eius perfectionem per ſe pertinet: ſed libertas maximè eam perficit; ergo neceſſitas, quæ in tali actione reperitur, non tollit, ſed ponit potius libertatem. Probat aſſumptionem; quia actio libera ex natura ſua eſt perfectior cunctis operationibus. *Quartò* probatur idem antecedens. Quantò actio voluntatis circa finem vltimum eſt magis neceſſaria, tantò eſt liberior; ergo ſumma neceſſitas eſt compoſſibilis cum ſumma libertate. Antec. probatur. Quia ſecundum Anſel. & Aug. illa voluntas eſt liberior, quæ omnino à rectitudine deuiare non poteſt. Sed illa, quæ neceſſariò ſimpliciter diligit bonum infinitum, à rectitudine nullatenus deuiare poteſt; ergo illa eſt liberrima; ſed talis eſt diuina voluntas reſpectu dilectionis Dei & productionis Spiritus S. ergo eſt reſpectu earum liberrima. *Reſp.* ad argumentum principale falſum eſſe antecedens. *Ad primam probat.* negatur aſſumptum. Ad cuius probationem reſpondetur cum Cai. falſam eſſe conſequentiam. Ad cuius probationem dico potentiam operantem circa vnum obiectum in ordine ad aliud eſſe operatiuam circa vtrumque, ſub eadem ratione formali obiecti vt obiectum eſt, non tamen eodem modo: ſicut patet de intellectu operante circa principia in ordine ad concluſiones, ſub eadem ratione formali entitatis ſcilicet & veritatis, qui tamen circa vtraque non eodem modo operatur; quia circa principia intelligendo ſimpliciter, circa concluſiones aũt diſcurrẽdo. Similiter & voluntas fertur in finẽ, & in eaquę ſunt ad finẽ ſub eadẽ ratione formali bonitatis, non tñ eodem modo; quia finẽ appetit naturaliter, alia verò quæ non neceſſariam habent cum eo connexionem, appetit liberè: in finem fertur volitione, prout eſt formaliter intentio: ea verò quæ ſunt ad finem appetit eodem actu, prout eſt electio. Et per hæc patet ſenſus dicti Ariſtot. *in 2. de anima*: eadem enim potentia cognoſcit differentiam duorum, ſub eadem ratione formali obiecti vt obiectum eſt. *Ad Confirm.* autem dico non eſſe neceſſe conſtituere duas potentias, propter diuerſum modum operandi: vbi eſt eadem ratio formalis obiecti, vt obiectum eſt. *Ad ſecundam probat.* antecedentis negatur aſſumptum, loquendo de voluntate quoad omnem actum vniuerſaliter, ſeu quo ad eius actum abſolutè. Ad probat. dico voluntatem ſua natura intrinſeca liberam eſſe, non tamen quoad omnem actum. *Ad tertiam probat.* nego libertatem perficere actionem circa vltimum finem, vt finis eſt. Vt enim hic aduertit Caiet. Dei volitio & productio libera, licet ſecundum ſe, ſiue ex parte volentis aut producentis dicat perfectionem, dicit tamen imperfectionem in liberè volito & realiter producto: & ideò nulla poteſt in actu diuinæ voluntatis eſſe libertas circa vltimum finem. *Ad quartam* probat. negatur antec. Ad probationem ex Aug. & Anſelm. reſpondetur cum Caiet. dictos ſanctos loqui de actibus neceſſarijs ſola neceſſitate immutabilitatis, quæ non repugnat libertati. Secundò dico eos loqui de libertate, non ſimpliciter ſed à ſeruitute peccati, vel à coactione, quomodo S. D. *de potentia q. 10. a. 2.* dixit amorem Dei & proceſſionem Spiritus S. liberam eſſe; actus verò dilectionis, quo Deus amat ſuam bonitatem, & quo procedit Spiritus S. eſt neceſſarius ſimpliciter & ideo abſolutè & propriè loquendo non eſt liber, ſed naturalis & neceſſarius.

Sed inſtat Rada & probat D. Tho. aſſeruiſſe Spiritum S. liberè à Patre procedere, non prout liberum diſtinguitur contra violentum ſiue coactum; quia ſic D. Th. non ſatisfeciſſet argumento, quod loquebatur de propria libertate voluntatis: libertas autem quæ præcisè dicit non coactionem, non eſt propria voluntati; conuenit enim omnibus agentibus naturalibus, dum ſuos naturales producunt effectus: ignis namque cùm producit ignem non violenter & coactè producit: & lapis dũ tẽdit deorſum tendit non coactè. *Præterea.* Si per libertatem voluntatis intellexit D. Th. non coactionem: ergo in eadem ſignificatione, in qua concedit loco allegato productionem Spiritus S. eſſe per modum voluntatis & libertatis, concedit etiam quòd productio verbi diuini omni actu volũtatis præciſo erit per modum voluntatis & libertatis; quia ita Verbum procedit non coactè ſicut & Spiritus S. Sed hæc ibi expreſsè negat in toto illo articulo; ergo per libertatem non intelligit ibi præcisè non coactionem, ſed aliquem modum libertatis proprium ipſi voluntati, per quem in agendo diſtinguitur ab agente per modum naturæ. *Poſtremò.* Quia D. Th. in dictis verbis loquitur de libertate abſolutè, prout voluntati competit, cui neceſſitatem naturalem opponi negat, ſed ſolam violentiam & coactionem. *Reſp. ad primum* falſum eſſe rebus omnibus naturalibus conuenire non coactionem. Vt enim ait Dur. *in 2. diſt. 25. q. 4.* & Medin. *1. 2. q. 6. a. 4.* cogi ſolum animalia dicuntur in quibus inuenitur voluntarium: violentia verò conuenit etiam rebus inanimatis. *Ad ſecundum* negatur conſeq. quia generatio Verbi non eſt à voluntate, vt principio eliciẽte, & vt inclinatio ab inclinatione, reſpectu cuius affirmatur aut negatur coactio, ſicut proceſſio amoris, cuius principium elicitiuum eſt voluntas. *Ad vltimum* dico D. Thom. ibi loqui de libertate voluntatis, extenſo vocabulo ad libertatem etiam impropriè dictam.

Solut. — *Repl. Rad.* — *Solut.*

AR-

Articvlvs Tertivs.

Vtrum actus notionales sint de aliquo.

216. 1. dist. 5. q. 2. a. 1 & 2. & 3. dist. 11. a. 1. ad 1.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd actus notionales non sint de aliquo. Quia si pater generat filium de aliquo, aut de seipso, aut de aliquo alio. Si de aliquo alio, cùm id de quo aliquid generatur, sit in eo quod generatur, sequitur quod aliquid alienum à patre sit in filio. Quod est contra Hilar. * 7. de trin. vbi dicit, Nihil in his diuersum est, vel alienum. Si autem filium generat pater de seipso, id autem de quo aliquid generatur, si sit permanens, recipit eius prædicationem quod generatur: sicut dicimus, quod homo est albus, quia homo permanet, cùm de non albo fit albus. Sequitur igitur, quòd pater vel non permaneat genito filio, vel quòd pater sit filius, quod est falsum. Non ergo pater generat filiũ de aliquo sed de nihilo.

Lib. 7 de tr. non procul à fine lib.

2 Præterea. Id de quo aliquid generatur, est principium eius quod generatur: si ergo pater generat filium de essentia vel natura sua, sequitur, quod essentia vel natura patris sit principium filij. sed non principium materiale quia materia locum in diuinis non habet. Ergo est principium quasi actiuum, sicut generans est principium geniti. Et ita sequitur, quod essentia generet. Quod supra improbatum est *

q. 41. art. 3. 7. de tr. c. 7.

3 Præterea. Augustin. * dicit, quod tres personæ non sunt ex eadem essentia: quia non est aliud essentia, & persona. Sed persona filij non est aliud ab essentia. Ergo filius non est de essentia patris.

4 Præterea. Omnis creatura est ex nihilo: sed filius in scripturis dicitur creatura. Dicitur enim Eccles. 24. ex ore sapientiæ genitæ. Ego ex ore altissimi prodij primo genita ante omnem creaturam. Et postea ex ore eiusdem sapientiæ dicitur. Ab initio, & ante secula creata sum. Ergo filius non est genitus ex aliquo, sed ex nihilo. Et similiter potest obiici de spiritu sancto propter hoc quod dicitur Zacha. 12. Dixit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & creans spiritum hominis in eo. Et Amos 4. secundum aliam litteram. Ego formans montes, & creans spiritum.

e. 1. cir. fin. t. 3.

Sed contra est, quod Augustin. dicit ÷ in lib. de fide ad Pet. Pater Deus solus est de sua natura, sine initio genuit filium sibi æqualem.

Respondeo dicendum, quod filius non est genitus de nihilo, sed de substantia patris. Ostensum est enim

e. 27. art. 2. & q. 33. art. 2. & 3.

supra, * quòd paternitas, & filiatio, & natiuitas verè & propriè est in diuinis. Hoc autem inter est inter generationem veram, per quam aliquis procedit, vt filius, & factionem, quòd faciens facit aliquid de exteriori materia: sicut scamnum facit artifex de ligno: homo autem generat filium de seipso. Sicut autem artifex creatus facit aliquid ex materia,

q. 45. ar. 1.

ita Deus facit ex nihilo (vt infra ostendetur *) non quod nihilum cedat in substantiam rei, sed quia ab ipso tota substantia rei producitur, nullo alio præsupposito. Si ergo filius procederet à patre de nihilo existens, hoc modo se haberet ad patrem, vt artificiatum ad artificem: quod manifestum est nomen filiationis, proprie habere non posse, sed solum secundum aliquam similitudinem. Vnde relinquitur quod si filius Dei procederet à patre, quasi existens ex nihilo: non esset verè, & propriè filius. Cuius contrarium dicitur 1. Ioan. vlt. Vt simus in vero filio eius Iesu Christo. Filius igitur Dei verus non est ex nihilo, nec factus, sed tantum genitus. Si qui

A autem ex nihilo à Deo facti filij Dei dicantur, hoc erit metaphoricè secundum aliqualem assimilationem ad eum qui verè filius est. Vnde inquantum solus est verus & naturalis Dei filius dicitur vnigenitus, secundum illud Ioan. 1. Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit: inquantum vero per assimilationem ad ipsum alij dicuntur filij adoptiui, quasi metaphoricè dicitur esse primogenitus, secundum illud Roman. 8. Quos præsciuit & prædestinauit fieri conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus, in multis fratribus. Relinquitur ergo, quod Dei filius sit genitus de substantia patris, aliter tamen, quam filius hominis. Pars enim substantiæ hominis generantis transit in substantiam geniti, Sed diuina natura impartibilis est. Vn-

B de necesse est quod pater generando filium, non partem naturæ in ipsum transfuderit, sed totam naturam ei communicauerit, remanente distinctione solum secundum originem, vt ex dictis patet. *

q. 27. art. 2.

Ad Primum ergo dicendum, quod cum filius dicitur natus de patre, hæc præpositio, de, significat principium generans consubstantiale, non autem principium materiale. Quod enim producitur de materia, fit per transmutationem illius, de quo producitur in aliquam formam. Diuina autem essentia, non est transmutabilis, neq; alterius formæ susceptiua.

Ad Secundum dicendum, quòd cum dicitur filius genitus de essentia patris, secundum expositionem

C Magist. 5. dist. 1. sententiarum desinat habitudinem principij quasi actiui. Vbi sic exponit. Filius est genitus de essentia patris, id est, de patre essentia: propter hoc quod August. 15. lib. de Trinit. * dicit, Tale est quod dico de patre essentia, ac si expressius dicerem de patris essentia: Sed hoc non videtur sufficere ad sensum huiusmodi locutionis. Possumus enim dicere, quòd creatura est ex Deo essentia: non tamen quod sit ex essentia Dei. Vnde aliter dici potest, quod hæc præpositio, de, semper denotat consubstantialitatem. Vnde non dicimus, quod domus sit de ædificatore, cum non sit causa consubstantialis. Possumus autem dicere

Lib. 15. de tri. c. 13. in fi. to. 3.

quod aliquid sit de aliquo, quocunque modo illud

D significetur, vt principium consubstantiale, siue illud sit principium actiuum, sicut filius dicitur esse de patre: siue sit principium materiale, sicut cultellus dicitur esse de ferro, siue sit principium formale in his duntaxat, in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes, & non aduenientes alteri. possumus enim dicere, quod angelus aliquis est de natura intellectuali. Et per hunc modum dicimus, quod filius est genitus de essentia patris. inquantum essentia patris filio per generationem communicata in eo subsistit.

Ad Tertium dicendum, quòd cum dicitur filius est genitus de essentia patris, additur aliquid, respectu cuius potest saluari distinctio. Sed cum dicitur,

E quod tres personæ sunt de essentia diuina, non ponitur aliquid respectu cuius possit importari distinctio per præpositionem significata. Et ideo non est simile.

Ad Quartum dicendum, quòd cum dicitur, sapientia est creata, potest intelligi, non de sapientia, quæ est filius Dei, sed de sapientia creata, quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Eccles. 1. Ipse creauit eam, scilicet sapientiam spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera sua. Neque est incõueniens quòd in vno contextu locutionis loquatur scriptura de sapientia genita & creata, quia sapientia creata est participatio quædam sapientiæ increatæ, Vel potest referri naturam creatam assumptam à filio, vt sit sensus: Ab initio & ante secula

creata sum, id est, præcisa sum creaturæ vniri. Vel per hoc, quod sapientia creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo filius simul creatus & genitus: vt ex creatione accipiatur immutabilitas patris, & ex generatione vnitas naturæ in patre & filio. Et sic exponitur intellectus huius scripturæ ab Hil.† lib. de synodis. Auctoritates autem inductæ non loquuntur de Spiritu sancto, sed de spiritu creato: qui quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima vel quæcunque substantia inuisibilis.

† lib. de syn. in 2. f. post lib. princ.

Sensus quæsiti.

SVMVNTVR hic actus notionales, vt exercitè significantur per verba: vt cum dico, pater generat, pater & filius spirant. Igitur quærere, an actus notionales sint de aliquo, est quærere, an generatio filij sit de aliqua re, puta substantia patris: & similiter an processio Spiritus Sancti sit ex substantia patris & filij, aut ex aliqua alia re, vel ex nihilo. Et quoniam eadem prorsus est ratio, & eadem quæstio de personis procedentibus, quæ est de actibus notionalibus, immò propter personas proponitur quæstio de actibus, eo quod præintelligantur vt viæ ad personas ipsas procedentes, ideò in conclusione respondet de persona filij.

Forma Textus.

» CONCL. *est. Filius non est genitus de nihilo,*
» *sed de substantia patris.* Probatur hæc conclusio. Primò quoad priorem partem negantem. Si filius procederet à Patre, quasi existens ex nihilo, non esset verè & propriè filius: sed hoc est falsum: Ergo. Falsitas cõsequentis probatur dupliciter. Primò quia supra ostensum est paternitatem & filiationem & natiuitatem verè & propriè esse in diuinis. Secundò: quia *primæ Ioannis vltimo* dicitur, *vt simus in vero filio eius Iesu Christo*. Consequentia verò probatur. Si filius, procederet à patre vt de nihilo existens, hoc modo se haberet ad patrem vt artificiatum ad artificem: sed artificiatum non potest habere propriè nomen filiationis, sed solum secundum aliquam similitudinem: ergo si filius procederet à patre, quasi existens ex nihilo, non esset verè & propriè filius. Prima propositio conditionalis probatur. Hoc interest inter generationem veram per quam aliquis procedit vt filius, & factionem, quòd faciens creatum putà artifex facit aliquid de exteriori materia, vt scamnum ex ligno, & faciens increatum vt Deus facit ex nihilo; generans autem putà homo generat filium de seipso, ergo si filius procederet à patre vt de nihilo existens &c. Antecedens quoad eam partem, quæ ait Deum facere ex nihilo, manifestatur explicando legitimum eius sensum, vt patet in textu. Deinde probat S. Doct. aliam propositionem, videlicet artificiatum non posse habere propriè nomen filiationis, soluendo tacitam obiectionem, ibi *si qui autem ex nihilo* &c. Denique probatur altera pars conclusionis affirmatiua, scilicet Dei filium esse genitum de substantia patris, deducẽdo ipsam ex discursu seu probatione partis præcedentis. Nam si generans generat filium, non de exteriori materia, neque ex nihilo; igitur illum generat de substantia sua. Manifestatur eadem pars ostendendo quomodo differenter filius Dei, & filius hominis dicatur genitus de substantia patris, vt perspicuè patet in textu.

Expositio Textus.

CONCL. D. Thom. est Catholicæ fidei cõfessio aduersus Arrianam impietatem. Cuius conclusionis veritatem plurimis & euidentibus Sacrarum litterarum testimonijs latè probat & explicat August. à Magistro relatus *in 1. dist. 5.* & definiunt plura Concilia, quæ diligenter notauit Mol. *disput. 1.* Torres *in suo comm.* tribus eandem conclusionem probat argumentis, vbi etiam quibusdam in eam prolatis & solutis argumentis illius veritatem illustrat, & responsiones ad argumenta huius articuli declarat.

CONTROVERSIA VNICA.

Quo sensu verum sit filium esse de substantia patris.

CVM dicimus filiũ esse de substantia patris, dictione illa *de* principiũ cõsubstãtiale significamus, siuè illud sit actiuum sicut filius dicitur esse de patre, siuè materiale sicut cultellus dicitur esse de ferro; siuè sit principium formale, in ijs dumtaxat, in quibus formæ ipsæ sunt subsistentes: vt si dicam, Angelus Gabriel est de natura intellectuali. Dubitatur itaque quod, siuè quale principium significetur illa dictione *de*. *Sensus quæsiti, & Sententiæ Doctorum.*

REFERT Capr. *in 1. dist. 5. quæst. vnica* sententiam Dur. & Henrici dicentium particulam illam *de* significare principium quasi materiale, præcisa omni imperfectione: quemadmodum eadem particula significatur, cum dicimus cultellum esse de ferro. Eandem sententiam immeritò ascribunt D. Thom. Torr. Zumel. & Ban.

Vasq. dicit quatuor. *Primum*. Negari non potest id, quod ait Driedo, non esse veram regulam illam Augustini, videlicet dictionem illam *de* significare principium consubstantiale, cum nonnunquam significet efficiens, vt *Matth. primo: Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* & *in Symbolo: Qui conceptus est de Spiritu S. Secundum.* Illa particula *de* non significat principium quasi formale, vt rectè ait Bonau. contra D. Thom. *Tertium*. Dicta particula denotat formale principium siuè consubstantiale, si referatur ad essentiam: si verò referatur ad nomen patris, denotat simul principiũ originis. *Quartum*. Nihil videtur obstare, quo minus dicatur pater de substantia diuina, & omnes personæ similiter.

Valentia dicit tria. *Primum*. Si quæstio proposita sit de modo nostro concipiendi, dici potest personam productam esse de essentia tanquam de materia, attendendo solum ad aliquos conceptus inadæquatos & communiores, quos habemus de materia, & potest etiam dici personam esse productam de essentia tanquam de forma totali subsistenti. *Secundum*. Si quæstio sit de re, certum est filium nõ esse de substan-

stantia patris tanquam de materia, sed potest dici secundum rem filium esse de essentia tanquam forma, si per formam intelligamus quãcunque perfectionem quouis modo pertinentem ad substantiam, & actualitatem alicuius: & isto modo potest intelligi sententia D. Th. quamquam exemplum, quod ad explicandum petit ex natura Angeli, non satis accommodatum esse videtur ad propositum. *Tertium.* Magis propriè dicimus filium esse de essentia patris, tanquam de principio quo originis non adæquato, sed inadæquato.

Resolutio. Ex differentia præpositionum ex, & de ostenditur veritas multarũ enunciationum.

SCIENDVM *est primò* ex D. August. *in libro de natura boni*, quem refert Magister *in 1. dist. 36.* non hoc significare penitus ex ipso, quod de ipso: Nam omne quod de ipso est, potest dici esse ex ipso, sed non omne quod ex ipso est, potest dici esse de ipso; quia non est de sua substantia: *Ex ipso enim* (inquit August.) *sunt cœlum, & terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo, si generat filium, vel facit domum, ex ipso est filius, ex ipso est & domus: sed filius de ipso, domus verò de terra, & ligno non de ipso.* Hæc August. Cuius differentiæ rationem assignat S. D. *in 1. dist. 5. quæst. 2. art. 1.* eo quòd hæc præpositio de propriè designat principium, & consubstantialitatem: hæc autem præpositio ex designat tantum ordinem principij. Vnde quandoque notat ordinem temporis tantum, vt ex mane fit dies: quandoque ordinem principij agentis, sicut artificiata sunt ex artifice: quandoque principium materiale, vt cultellus fit ex ferro: sed *de* cum notet consubstantialitatem, semper notat vel principium materiale sicut cultellus est de ferro: vel agens consubstantiale sicut dicimus hominem filium generari de patre suo & de essentia patris, tamen de patre sicut de generante, & de essentia sicut de principio generationis communicato. Quod autem dicitur *Matth. 1.* & *in Symbolo* Dei filium esse conceptum de Spiritu Sancto, exponitur à D. Thom. *3. p. quæst. 32. art. 2.* dicente Christi conceptionem non atribui soli corpori Christi, sed etiam ipsi Christo ratione ipsius corporis. Duplicem verò habitudinem in Spiritu Sancto considerari respectu Christi: vnam consubstantialitatis ad filium Dei, qui dicitur esse conceptus: alteram efficientis ad eius corpus; quam duplicem habitudinem significat illa præpositio *de*, adeò vt cum dicitur Christus conceptus esse de Spiritu Sancto, efficientia referatur ad corpus assumptum: consubstantialitas verò ad personam assumentem. Quare, vt *ibidem* ait S. D. *ad 1.* corpus Christi, quia non est consubstantiale Spiritui Sancto, non propriè potest dici de Spiritu Sancto conceptum, sed magis ex Spiritu Sancto, vt ait Ambrosius *lib. 25. de Spiritu S. c. 5.* Ex quo patet Driedonem & Vasq. incautè, ne dicam temerè, reprehendisse dictarum vocum differentiam assignatam à D. Aug. & D. Thom.

Driedonis & Vasquezij censura reprehenditur.

Conciliantur varia dicta D. Thom. de habitudine causalitatis importatæ per præpositionẽ de, & satisfit quæsito principali.

Secundò Considerandum est ex D. Thom. *supra q. 39. art. 2. ad 5.* præpositionem *ex* vel *de* non designare habitudinem causæ formalis, sed magis habitudinẽ causæ efficientis vel materialis, quæ causęin omnibus distinguũtur ab ijs, quorum sunt causæ: nihil enim est sua materia, aut suum principium actiuum. Et *in 1. dist. 5. q. 2. a. 1. ad 1.* & *ad 4.* ait præpositionem *de* non significare tantum consubstantialitatem, sed etiam ordinem ad principium, qui ordo non saluatur dicendo, filius est de essentia, aut pater est de essentia filij. Et *hic in respons. ad 3.* ait: *Cum dicitur filius est de essentia patris, additur aliquid, respectu cuius potest saluari distinctio: sed cum dicitur, tres personæ sunt de essentia diuina, non ponitur aliquid, respectu cuius possit importari distinctio per dictam præpositionem significata.* In responsione autem *ad secundum* docet præpositionem *de*, semper significare principium consubstantiale, siuè actiuum, siuè materiale, siuè formale: & ita dici posse Angelum aliquem esse de natura intellectuali; & in eodem sensu verè dici filium esse de essentia patris, inquantum essentia patris filio per generationem communicata in eo subsistit.

Ex quibus triplex consurgit dubitatio. *Prima* est; quia S. D. supra negauit præpositionem *ex* vel *de* significare habitudinem causæ formalis, hic autem affirmat posse per dictam præpositionem significari habitudinẽ causæ, siuè principij formalis, in ijs in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes. *Secunda* est; quoniam hic & vbiq; negat dici posse vnam aut tres personas esse de essentia diuina: cum tamen eadem esse ratio videatur de hac propositione, *Pater vel filius est de essentia diuina*, sicut de hac, *Angelus Gabriel est de natura Angelica*, quam hic approbat S. D. Ex quibus emergit *tertia dubitatio.* Nam si verum est per dictam præpositionẽ *de* significari semper ordinem ad principium realiter distinctũ, incongruè & falsò diceretur Gabriel esse de natura Angelica.

Dubit. triplex.

Ad hæc dico primò præpositionem *de* non significare habitudinem causæ formalis præcisè, sicut nonnunquam significat habitudinem causæ materialis præcisè, sed semper cum habitudine causæ formalis; significat etiam habitudinem originis ad agens siuè producens; Quo fit, vt non rectè dici possit filium esse de essentia diuina, quia significaretur ordo ad eam, vt ad principium producens. Cum autem hic ait Angelum esse *de* natura intellectuali, locutio imperfecta est & supplenda hoc modo: Angelus hic à Deo productus est de natura intellectuali: sicut etiam rectè dicitur filius esse genitus de essentia patris. *Secundò dico* diuersam esse rationem de Angelo respectu suæ naturæ, & de filio Dei respectu naturæ diuinæ; Nam Angelus nõ est sua natura, cum in eo distinguatur realiter suppositum à natura, esse ab essentia, potentiæ habitus & operationes ab eius substantia: & ideo saluatur quædam realis causalitas formalis Metaphysica, & realis distinctio inter naturam Angeli & ipsum Angelum: ac proinde congruè dicimus Angelum esse de natura intellectuali vt principio formali, non autem filium Dei esse de natura, vel de essentia diuina. Et quia vbi non est realis distinctio, non est etiam verè & propriè causalitas, ideo S. D. supra dixit per dictas prępositiones non significari habitudinem causæ formalis, sed magis efficiẽtis aut materialis, quia forma nõ sẽper distinguitur à re producta, vt patet in Deo genito & spirato. Materia verò & efficiens semper distinguuntur ab effectu. *Tertiò dico* D. Th. supra negasse per dictas præpositiones significari formam, quia nõ possunt denotare quamcunque formam, sed tantum subsistentem, vt explicatur hic *ad secundum.* *Quartò dico* locutionem illam D. Tho. esse comparatiuam, non absolutam, sic enim ait: *Hæc præpositio ex, vel de, non designat habitudinem causæ formalis, sed magis habitudinem cau-*

1. Solut.

2. Solut.

3. Solut.

4. Solut.

sæ efficientis, vel materialis. Qua forma loquendi non videtur penitus excludere causam formalem, sed tantum insinuare minus propriè & in paucioribus illam denotari. *Vltima solutio.* *Postremò dico* per dictas præpositiones non denotari causam formalem formaliter loquendo, quia significatur ad modum, & similitudinem causæ materialis, vt patet ex immediatè dicendis.

Nota modū loquendi. *Tertiò notandum est* ex eodem S. D. *in 1. loco allegato* diuinam essentiam in generatione filij accedere ad similitudinem materiæ, siue vt ibidem dicitur secundum materiam, si à materia remoueatur totum, quod est imperfectionis, & remaneat hæc sola de conditionibus materiæ, quod est manens in re, & per eam res subsistit. *Reijcitur impostura quorundam.* Quibus verbis non affirmat. S. Doct. diuinam essentiam habere quouis modo rationē materiæ, aut esse principium quasi materiale, vt ei perperam imponunt prædicti expositores: sed ait accedere ad similitudinem materiæ: qua moderata forma loquendi nō affirmat simpliciter similitudinem ad materiam, sed accessum ad similitudinem; quia nimirum non assimilatur nisi in quibusdam cōmunibus, ex quibus vnum præcipuum ibidem exprimit D. Th. scilicet manere in re, &c.

Conclusiones deductæ, & probatæ. PRIMA CONCL. *De semper significat principium consubstātiale.* Hæc fuit satis probata & explicata contra Vasq.

SECVNDA CONCL. *Eadem præpositio quandoq; significat principium quasi formale, quamuis nō præcisè.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Falsa est hæc propositio, Pater est de essentia diuina, vel tres personæ sunt de essentia diuina.* Hæc etiam patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *Non rectè dicitur diuinā essentiam habere quouis modo rationem materiæ, aut esse quasi materiam, vel quasi principium materiale; quamuis rectè dicatur diuinam essentiam accedere modo superius expresso ad similitudinē materiæ, quo ad id, quod perfectionis est.*

VLTIMA CONCL. *Non sufficienter exponitur hæc propositio, filius est de essentia patris, dicendo cum Magistro, filius est de essentia patris, id est de patre essentia.* Hanc probat S. Th. in littera.

CONTRA *primam concluſ.* est argumentum Vasq. ex Driedone supra solutum.

Obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam* profert Vasq. argumētum D. Bonau. quod est argumentum D. Th. quartum, *in allegato superius a. ex primo sententiarum.* Eadem enim inquit ratione dici posset patrem esse de substantia filij, quia in vtroque eadem essentia est, quasi principium formale vtriusque. *Solut.* *Respondet* S. D. negando consequentiam. Ad probat. ait non notari ibi tantum consubstantialitatem, sed etiam ordinem ad principiū, qui non saluatur, si diceretur, pater est de essentia filij.

Ob. 1. cōt. 3. concl. CONTRA *tertiam argumentatur* Vasq. Dicimus Angelum esse de natura Angelica; igitur dicere possumus patrem esse de natura diuina, & tres personas similiter. *Confirmatur.* *Confir.* Quia suppositum dici solet esse de tali natura, cuius est suppositum. *Denique* particula *de* relata ad solam naturam absolutè, nō significat originem; ergo dici potest pater esse de natura diuina. *Solut.* *Resp. ad primum* nullam esse consequentiam. ob rationes superius allatas. *Ad confirmationem* negatur antecedens vniuersaliter; falsum est enim in natura, quæ sola ratione distinguitur à supposito. *Ad vltimum* negatur antecedens. Deinde negatur etiam consequentia, ob dictam causam; quia scilicet in Deo non distinguitur natura à supposito, sicut in creatis.

CONTRA *eandem* concl. argumentatur Valentia, & probat exemplum petitum ab Angeli natura non esse satis accommodatum. Quoniam intellectualis Angeli natura producitur vna cum ipso; ergo non videtur Angelus dici propriè esse, aut fieri de natura intellectuali. Consequentia probatur: Nam quia materia rerum à Deo creatarum per eandem creationem à Deo facta est, dici minimè potuerunt esse aut fieri de materia, vt in proposito loquimur. *Ob. 2.* *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem nego similitudinem; quia materia habet rationem patris & primi subiecti receptiui formæ; & ideo cum dicitur aliquid fieri ex materia, semper intelligitur præexistere materiam alia actione productam, vt patet in productionibus tā naturalibus quàm artificialibus apud nos. Forma verò subsistens nec rationem habet partis, nec intelligitur aut intelligi potest verè & realiter præexistens suo supposito: & ideò cum asseritur Angelus esse de natura intellectuali, non denotatur Angelicam naturam propriè & realiter præexistere vt alia actione productam, sicut denotatur dicēdo rem aliquam ex materia produci: sed denotatur consubstantialitas cum ordine ad principium productiuum. *Solut.*

CONTRA *quartam* sunt argumēta, quæ referunt & soluunt Capr. Caiet. Torres, Zumel. Mol. & alij.

CONTRA *vltimam* argumentantur Torres & Zumel. & probant in ea falsum imponi Magistro. Nam verba Magistri sunt: Filius est de substantia patris, id est à patre est, cum quo eiusdem substantia est, id est vt ex principio actiuo consubstantiali, quod idem affirmat S. D. *hic ad 1. Resp.* Magistrum *in fine discursus* suam explicare sententiam, & propositam difficultatem resoluere ex posita propositione in sensu prædicto, quem meritò insufficientem pronūciat S. D. *Ob. cont. vlt. concl.* *Solut.*

DIFFERT hic Vasq. de formali termino processionis, & Zumel. *a. 5.* & Suar. *lib. 6. cap. 6.* Sed Capr. omnium optimè *in 1. dist. 5. quæst. prima.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd in diuinis non sit potentia respectu actuum notionalium. Omnis enim potentia est vel actiua, vel passiua. Sed neutra hic competere potest. Potentia enim passiua in Deo non est, vt supra ostensum est.* * *Potentia verò actiua non competit vni personæ respectu alterius: cum personæ diuinæ non sint factæ, vt ostensum est.* * *Ergo in diuinis non est potentia ad actus notionales.* 217. 1 dist. 7. q. 1. a. 1. & po. q. 2. a. 1. Q. 25 ar. 4 art. præc.

2 Præterea. Potentia dicitur ad possibile. Sed diuinæ personæ non sunt de numero possibilium, sed de numero necessariorum: ergo respectu actuum notionalium, quibus diuinæ personæ procedunt, non debet poni potentia in diuinis.

3 Præterea. Filius procedit vt verbum, quod est conceptio intellectus: Spiritus autem sanctus procedit vt amor, qui pertinet ad voluntatem. Sed potentia in Deo dicitur per comparationem ad effectus: non autem

tem per comparationem ad intelligere, & velle, vt supra habitum est. * Ergo in diuinis non debet dici potentia per comparationem ad actus notionales.

q. 25. art. 1. ad 3. & 4. arg.

Sed contra est, quod dicit Augustinus. † contra Maximum hæreticum, si Deus pater non potuit generare filium sibi æqualem, vbi est omnipotentia Dei patris? Est ergo in diuinis potentia respectu actuum notionalium.

Lib. 3. cont. Maxi. c. 12. circa fi. t. 9.

Respondeo, dicendum, quod sicut ponuntur actus notionales in diuinis, ita necesse est ibi ponere potentiam respectu huiusmodi actuum: cum potentia nihil aliud significet quam principium alicuius actus. Vnde cum partem intelligamus, vt principium generationis, & patrem & filium, vt principium spirationis, necesse est quòd patri attribuamus potentiam generandi, & patri & filio potentiam spirandi. Quia potentia generandi significat id quo generans generat: omne autem generans generat aliquo: Vnde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut secundum actus notionales non procedit aliqua persona vt facta, ita neque potentia ad actus notionales dicitur in diuinis per respectum ad aliquam personam factã, sed solum per respectum ad procedentem personam.

Ad Secundum dicendum, quòd possibile secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passiuam, quæ non est in diuinis. Vnde neque in diuinis est aliquid possibile per modum istum, sed solum secundum quod possibile continetur sub necessario. Sic autem dici potest, quòd sicut Deum esse est possibile, sic filium generari est possibile.

Ad Tertium dicendum, quòd potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo cuius est principium. Consideratur autem duplex distinctio in his quæ dicuntur de Deo. Vna secundum rem, alia secundum rationem tantum: secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam à rebus, quarum est per creationem principium, sicut vna persona distinguitur ab alia, cuius est principium secundum actum notionalem. Sed actio ab agente non distinguitur in Deo, nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset accidens in Deo. Et ideo respectu illarum actionum, secundum quas aliquæ res procedunt distinctæ à Deo vel essentialiter, vel personaliter: potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij. Et ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi vel spirandi. Sed intelligere & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter. Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diuersimodè significatur in Deo intellectus & intelligere: cũ tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia non habens principium.

A mò. Potentia nihil aliud significat, quàm principium alicuius actus; sed in diuinis est principium actuum notionalium: ergo. Probatur minor. Quia in diuinis ponuntur actus notionales; ergo ponendum est etiam eorum principium. Secundò probatur conclusio & simul etiam dicta minor propositio. In omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi, sed patrem intelligimus vt principium generationis, & patrem & filium vt principium spirationis; ergo necesse est vt patri attribuamus potentiam generandi, & patri & filio potentiam spirandi.

B Probatur maior. Quia omne generans generat aliquo, & spirans spirat aliquo: sed id quo generans generat, est eius potentia; & similiter quo spirans spirat, est eius potentia; ergo in omni generante oportet ponere &c.

Sensus quæsiti.

QVAESITI sensum hic aperit Caiet. cuius vberior explicatio petenda est *ex art. 3. quæst. 25. & 5. Metaphys. text. 17. & lib. 9. à text. 1. vsque ad 11.*

Forma Textus.

» CONC. *Necesse est ponere in diuinis potentiam* » *respectu actuum notionalium.* Probatur pri-

Expositio Textus.

DE VERITATE & sensu conclusionis disputat latissimè Capreol. cum Aureol. *in 1. dist. 7. quæst. 1.* vbi refert ac diluit quatuordecim eius argumenta, & post eum Caiet. Torr. Zumel. Mol. & Vasq. *super hoc artc.* qui verba Capreol. Caiet. ac cæterorum expositorum perperam interpretatus existimat eos à legitimo Sanct. Doct. sensu longè distare: cum tamen eorum expositio sit textui quàm maximè consentanea, & formalibus ac proprijs verbis mentem eius edisserat: huius autem expositoris interpretatio non solum aliena sit à verbis & sensu D. Thom. sed absolutè redoleat falsitatem. Ait enim censere se multò probabilius esse & magis secũdum mentem Angel. Doct. ponendam esse potentiam producentem realem in Deo, non solum respectu personæ productæ, vt affirmat (inquit) Capreol. & Caiet. sed etiam respectu productionis & actus notionalis. Sed bene consideranti verba dictorum Thomistarum, luce clarius apparebit eos in Deo asseruisse potentiam respectu actuum notionalium, quamuis non omninò simpliciter, sed sub aliqua ratione tantum, nimirum ratione terminorum realiter emanantium, sic enim loquitur hic. Caiet. *Potentia ponitur in diuinis respectu actuum notionalium secũdum rem. Sed aduertendum, &c.* Et infrà. *Quando actus est elicitus, infert potentiam principium illius secundum se: quando verò non est elicitus, sed tantum effectus, seu terminus illius realiter productus, infert potentiam principium illius, non secundum se, sed secundum suum effectum, seu terminum. Et quoniam generatio non est actus elicitus à patre, sed ipse pater habet, quasi effectum, filium realiter distinctum, ideò in patre est potentia generandi, quæ est principium secundum rem generationis, non secundum se, sed secũdum quod ponit genitum.* Hęc ille. De Capr. nulla potest esse dubitatio, quia sententiam suam explicat per formalia verba D. Thom. hic & alibi quæ Vasq. interpretatur in eo sensu, quem multo clarius ante eum expresserat Caiet. Vnde Sanct. Doct. *in respons. ad 3.* ait non posse in Deo saluari rationem potentiæ secundum rem, sed tantum secundum modum intelligendi & significandi respectu intelligere & velle: eo quòd non sint tales actus, qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter. Reliqua ad hanc materiam pertinentia lege apud Capreol. Caiet. Canarien-

C

D

E

Vasq. censura, & expositio reijcitur.

sem, Mol. & Zumel. *super hoc art.* qui rem hanc explicat eruditè.

Molina sol. reijcitur.

Aduerte præterea Mol. hic proponere quoddam argumentum Aur. ex Capr. cui minimè congruam affert solutionem: eius legitimam solutionem habes apud Capr. quam etiam refert Zumel.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

218. 1. dist. 7. q. 1. art. 2. & 20. q. 2.

AD Quintum sic proceditur. *Videtur, quòd potentia generandi, vel spirandi significet relationem, & non essentiam. Potentia enim significat principium, vt ex eius diffinitione patet. Dicitur enim potentia actiua esse principium agendi, vt patet in 5.* Lib. 5. met. c. 17. t. 3. *Metaphys.* * *Sed principium in diuinis respectu personæ dicitur notionaliter. Ergo potentia in diuinis non significat essentiam, sed relationem.*

2 Præterea. In diuinis non differt posse, & agere: sed generatio in diuinis significat relationem. Ergo & potentia generandi.

3 Præterea. Ea quæ significant essentiam in diuinis communia sunt tribus personis: sed potentia generandi non est communis tribus personis: sed propria patri. ergo non significat essentiam.

Sed contra est, quòd sicut Deus potest generare filium, ita & vult. Sed voluntas generandi significat essentiam. Ergo & potentia generandi.

Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quod potentia generandi significat relationem in diuinis. Sed hoc esse non potest. Nam illud propriè dicitur potentia in quocunque agente quo agens ait. Omne autem producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam qua agit. Sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem. illud ergo est potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti, filius autem Dei similatur patri gignenti in natura diuina. Vnde natura diuina in patre est potentia generandi in ipso. Vnde Hilarius * *dicit in 2. de Trinit. natiuitas Dei non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam: nec enim aliud quàm Deus subsistit, quod non aliunde quàm de Deo subsistit.*

Lib. 2. de Tr. non procul à fine. Et lib. 5. etiam ad fin.

Sic igitur dicendum est, quòd potentia generandi principaliter significat diuinam essentiam, vt Magist. dicit 7. dist. primi sent. non autem tantum relationem. Nec etiam essentiam inquantum est idem relationi vt significet ex æquo vtramque. Licet enim paternitas vt forma patris significetur, est tamen proprietas personalis habens sead personam patris, vt forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat: alioquin Sortes generaret Sortem. Vnde neque paternitas potest intelligi, vt quo pater generat, sed vt constituens personam generantis: alioquin pater generaret patrem. Sed id quo pater generat, est natura diuina, in qua sibi filius assimilatur. Et secundum hoc Damasc.* *dicit, quòd generatio est opus naturæ non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat. Et ideò potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.*

Li. 1. orth. fid. c. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non significat ipsam relationem principij, alioquin esset in genere relationis: sed significat id, quod est principium: non quidem sicut agens dicitur principium, sed sicut id quo agens agit, dicitur principium. Agens autem distinguitur à facto, & generans à generato. Sed id quo generans generat, est commune genito, & generanti, & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Vnde, cum diuina generatio sit perfectissima, id quo generans generat, est commune genito & generanti: & idem numero non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quòd essentia diuina est principium quo generans generat, non sequitur, quòd essentia diuina distinguatur: sicut sequeretur, si diceretur, quòd essentia diuina generat.

Ad Secundum dicendum, quòd sicut est idem in diuinis potentia generandi cum generatione: ita essentia diuina cum generatione & paternitate est idem re, sed non ratione.

Ad tertium dicendum, quòd cum dico potentiam, potentia generandi significatur in recto, & generatio in obliquo, sicut si dicerem essentiam patris. Vnde quantum ad essentiam quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis. Quantum autē ad notionem quæ connotatur, propria est personæ patris.

Sensus quæsiti.

QVID nomen *potentiæ* significet, explicat S. D. *in c. & in resp. ad primum argum.* Est enim potentia id, quo agens agit, seu id quod est principium vt quo, non autem est ipsa relatio principij. Sumitur itaque potentia, non pro relatione principij, sed pro re cui conuenit ea relatio. Et quæritur, an sit essentia, siue intellectus, aut paternitas, vt hic aduertit Cai. cui concordat Sylu. dicens nomen potentiæ significare relationem secundum dici: significat enim formam per modum qualitatis, cum habitudine ad obiectum, puta visus ad visibile; sed nomen potentiæ dictam relationem significat in communi; nomen autem visus, vel intellectus eandem significat in speciali. Vel melius dicas hic absolutè sumi nomen potentiæ prout indifferens est ad vtrumque significatū: & quæri num in diuinis significet relationē an essentiam.

Forma Textus.

DVAS refert S. D. opiniones, & tres adversus eas statuit conclusiones.

Prima opinio fuit quorundam dicentium generandi significare relationem in diuinis, cuius fundamentum erat primum argumentum huius articuli, vt patet *in primo sent. dist. 7. quæst. 1. art. 2.*

Secunda opinio, quam tangit in medio corporis, est eorum qui dicebant potentiam generandi significare essentiam, inquantum est eadem relationi, ita vt ex æquo significet vtrumque.

PRIMA CONCL. *Potentia generandi in diuinis principaliter significat essentiam, non autem tantum relationem.* Probatur primò ratione. Illud est potentia generandi in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti: at filius Dei similatur patri gignenti in natura diuina: ergo natura diuina in patre est potentia generandi in ipso. Maior probatur. illud propriè dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit; ad id quo agens agit est forma, secun-

cundum quam agens siue producens per suam actionem producit sibi simile: ergo illud est potentia generatiua in aliquo generãte, in quo genitum similatur generanti. Minor probatur exemplo hominis geniti, qui similis est in natura humana generanti, cuius virtute pater potest generare hominem. Secundò probatur cõclusio authoritati Hylarij *lib. 2. de Tri.* ita scribentis. Natiuitas Dei non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam: nec enim aliud quàm Deus subsistit, quod non aliunde, quàm de Deo subsistit. Tertiò additur dictum Magistri *in septima distinctione primi sententiarum.*

A

SECVNDA CONCL. *Potentia generandi nõ significat essentiam, inquantum est idem relationi, vt significet ex æquo vtrumque.* Probatur. Paternitas nõ potest intelligi, vt quo pater generat, sed vt constituens personam generantis; natura autem diuina est id quo pater generat: ergo potentia generandi non significat essentiam, inquantum est idem relationi, vt significet ex æquo vtrumque. Antecedens quo ad priorem partem probatur. Licet paternitas vt forma patris significetur, est tamen proprietas personalis habens se ad personam vt forma indiuidualis ad aliquod indiuiduum creatum; at forma indiuidualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat, ergo paternitas non potest intelligi vt quo &c. Minor huius argumenti probatur deducendo ad impossibile, quia alioquin Sortes generaret Sortem. Posterior verò pars antecedentis, videlicet id quo pater generat, est natura diuina. probatur: quia filius assimilatur patri in natura diuina. Et confirmatur authoritate Damasceni dicentis generationem esse opus naturæ, non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat.

B

" TERTIA CONCL. *Potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.* Hæc conclusio vt notat Caiet. infertur ex dictis.

C

Expositio Textus.

D

DVo HIC sunt obseruanda diligenter, vt præmissi discursus appareat efficacitas. *Primum* est sensus illius propositionis: *Potentia in vnoquoque agente est id, quo agens agit*; quam examinat & explicat Cai. cuius interpretationem elucidant Torres & Val. & alij sequuntur expositores. *Secundum* est. D. Thom. hic supponere potentiam generandi claudere in se relationem, quod omnes communiter Theologi confitentur: atque ideo nullam huic probandæ suppositioni probationem adhibuisse, & elaborasse tantum in probando solam non includi relationem in ratione potentiæ, aut non ex æquo simul cum essentia.

E

Aduerte præterea Capr. *in 1. dist. 7. q. 1. a. 1.* & Cai. *hic* affirmare D. Thom. *in 1. dist. 7. q. 1. a. 2.* secutum fuisse secundam sententiam in textu relatam, nimirùm potentiam generandi significare essentiam, inquantum est idem relationi, vt significet ex æquo vtrumque. Quam opinionem existimant hic esse retractatam siuè correctam.

Sed Herueus *in primo dist. 13.* mentem Angel. D. interpretatus ait Magistros nonnunquam affirmare potentiam generandi dicere relationem in obliquo, quia dicit actum: quandoque autem essentiam esse dicunt, vt est paternitas, id est, vt est coniuncta paternitati: nonnunquã autem esse medium inter absolutum & relatiuũ; non quod sit neutrum, sed quia vnum dicit in recto, & aliud in obliquo.

Aegidius verò dictum illud S. D. *in 1. Potẽtia generandi est essentia, vt paternitas*, sic ait esse intelligendum, ac si dictum esset: Potentia generandi est essentia, non absolutè sumpta, sed vt est sub paternitate.

Denique benè posset exponi dicendo potentiam generandi esse essentiam, vt est paternitas realiter, & non formaliter. Nam sicut essentia, prout est in patre, relationem habet dicentis, quam non habet, vt est in filio, in quo relationem habet dicti, quam relationem dicti non habet in patre; sic in patre relationem habet paternitatis, & non in filio, atque ideò in patre solo est idem paternitati, id est, est habens respectum paternitatis, quem habet, vt est pater, vt explicat latè S. Doct. *in 1. in dicto a. 2. ad 3. & de potẽtia q. 2. a. 2.* vbi etiam affirmat potentiam generandi significare simul essentiã & relationem.

Hanc verò sententiam sic intellectam, vt exposuimus, non reijcit S. D. sed magis declarat per ea verba. *Nec etiam essentiam, inquantum est idem relationi, vt significet ex æquo vtrumque.* Hoc enim modo loquendi significat se non negare potentiam generandi significare essentiam, vt est eadem relationi: vel simul essentiam, & relationem, aut essentiam sub ratione relationis, id est sub relatione, vt dicitur *in 1.* sed eorum tantum sententiam reijcere, qui dicebãt potentiam generandi significare essentiam, vt est idem relationi, ita vt significet vtrumque ex æquo: quod nunquam asseruit S. Doctor.

PRIMA CONTROVERSIA.

De veritate & sensu secundæ & tertiæ conclusionis D. Thom.

Sententiæ Expositorũ.

VALENTIA sequens D. Bonau. Gabr. & Dur. *in primo dist. 7.* duo dicit. *Primum.* Potentia notionalis adæquatè & formaliter non continetur sola essentia diuina & intellectu aut voluntate: sed præterea constat etiam ex relatione, adeò vt potentia generandi adæquatè sit essentia & intellectus & paternitas; potentia verò spirandi sit essentia, voluntas & spiratio relatio. *Secundum.* Potentia generandi adæquatè est essentia, & intellectus, & relatio paternitatis, quatenus hæc relatio est etiam vis quædam vltima, per quã in diuinis est generatio; ac similiter potentia spirandi est essentia, & voluntas, & relatio spirationis, quatenus hęc relatio est etiam quædam vis vltima, per quam est actio spirationis.

Canar. Ban. Zumel. Mol. & Suar. *lib. 6. cap. 5.* dicunt potentiam seu principium formale producendi esse solam diuinam essentiam, postulare autem vt conditionem in persona producente relationem propriam, seu (quod idẽ est) quòd habeat ipsam naturam sub tali productione: quę fuit sententia Scoti *in primo dist. 7. quæst. 1.*

Sententia D. Thom. tribus *in articul.* propositis concl. continetur, quam explicant & tuentur Capreol. *in 1. dist. 7. quæst. 1.* Caiet. & alij expositores *super hoc art.*

Resolutio. Potentiam generãdi & spirandi secundum doctrinam D. Th constituit ex essẽtia & relatione, nõ vt mera cõditione aut ratione operãdi, sed vt modo operationis intrinseco ipsi potentiæ.

QVAESTIO hęc non est de essentia diuina; hanc enim statuit S. Doct. in prima concl. esse principale significatum potentiæ: sed tota difficultas est de relatione, quam in secunda & tertia conclusione docet non ex æquo simul significari cum essentia, sed in obliquo tantum connotari, an scilicet rationem habeat puræ conditionis, an verò pertineat ad potentiæ generatiuæ aut spiratiuæ conceptum, vt complens intimè rationem eius formalem quasi pars aut modus eius intrinsecus, vel viam vt vis quædã vltima. Expositores enim prædicti primum sequuntur dicendi modum : secundum autem manifestè complectitur S. Thom. *in 1. & de potentia quæst. 2. art. 2.* quem sequitur Capreol. *in dicta distin. 7.* verba D. Thom. *in quæst. 2. de potentia* sunt. *Quidam dixerunt, quod potentia generandi significat tantum essentiam; sed illud conuenienς non videtur. Actio enim quæ fit virtute naturæ communis, per aliquod sub natura communi contentum, modum accipit ex proprijs principijs; sicut actio, quæ debetur naturæ animalis, fit in homine secundum quod competit speciei humanæ. Vnde & homo perfectius habet actum virtutis imaginatiuæ, quam alia animalia, secundum quod competit eius rationalitati. Similiter etiam actio hominis inuenitur in hoc, & in illo homine, secundum quod competit principijs individualibus huius vel illius : ex quo contingit, quòd vnus homo clarius alio intelligit. Et ideo dicẽdum, si quod natura diuina quæ est communis, sit principium alicuius operationis, quæ solum patri competit, oportet quòd sit principium, secundum quod competit proprietati personali patris : & propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo paternitas, quantum ad illud quod est generationis principium: & propter hoc cum alijs dicendum est, quòd potentia generandi, simul essentiam, & notionem significat.* Hæc ibi D. Thom. Et *in respons. ad 5. ibidem* ait *proprietatem personalem patris non esse principium generationis principaliter, sed quodammodo & cointellectũ.* Et *in 1.* ita loquitur. *Principium cuiuslibet operationis est diuina essentia : sed ab essentia diuina egreditur aliquis actus, secundum quod est sapientia, & aliquis secundum quod est voluntas, & sic de alijs attributis. Similiter dico, quòd cum proprietas realiter sit ipsa essentia : secundum quod est ipsa paternitas, & principium huius actus, qui est generare: non sicut agens, sed sicut quo agitur. Vnde principium generationis est essentiale sub ratione relationis: vnde est quasi medium inter essentiale, & personale. Ex parte enim illa, qua potentia, quæ est media inter essentiam & operationem, radicatur in essentia, est quid absolutum: ex parte autem illa qua coniungitur operationi, est relatiuum.* Et *ibidem in responsione ad 3.* concludens ait. *Et ideò essentia in patre est principium operationis secundum proprietatem patris, & in filio, secundum proprietatem filij. Vnde eadem operatio est & naturæ communis, & formæ propriæ ipsius patris, & ideò potentia generandi, medium est inter absolutum & relatiuum.* Hæc ibi. Ex quibus apparet potentiam generandi, & similiter potentiam spirandi constitui ex essentia & relatione, sicut persona diuina constituitur ex essentia & relatione, vt etiam affirmat expresè S. Tho. *in 1. dist. 11. art. 2. & 3.* quem locum supra notauimus *quæst. 36. art. 4. controu. 2.* quamuis persona constituatur vt suppositum, vel vt principium quòd, potentia verò vt principium quo. Constat autem relationem constituere principium quod, puta patrem aut spiratorem, non vt est mera eius conditio, sed vt eius formale constitutiuum: quamuis ei non sit ratio formalis operandi. Igitur eadem relatio potẽtiam constituit, non vt eius mera conditio, nec vt conferens rationem formalem operandi, sed vt modus operationis intrinsecus. Modificatur enim operatio diuinæ naturæ secundum quod profluit ab alio & alio suppositio eiusdẽ naturæ diuinæ; quæ quidem suppositia quasi specie differunt, vt supra diximus *quæst. 27.* & ex D. Thom. *de pot. quæst. 10. art. 2. ad. 12.* Est ergo relatio de ratione potentiæ generandi, sicut modus intrinsecus principij, nõ sicut principium principale: tale enim est essentia, vt ait Capr. *in supra dicta q. a. 2. ad 3. & 4. argum. secundi ordinis.* Quod etiam significat S. Thom. dicens potentiam esse quasi medium inter essentiam & operationem; & ex ea parte qua radicatur in essentia esse quid absolutum, ex ea verò parte qua coniungitur operationi esse relatiuum. Nulla verò alia ratione potest dici medium, nisi quia ex vtroque constat extremo: sicut si diceremus personam esse medium inter essentiam & relationem, quia ex vtroque constituitur. Et hoc idem significat etiam illud dictum de potentia, videlicet proprietatem personalem patris esse principium generationis cointellectum; quod non ita intelligendum est, vt relationi vis aliqua tribuatur actiua; id enim illi denegat vbique S. D. sed quia notionalem vt sic potentiam constituit, quæ præcisa relatione, id solum haberet, quod essentiale est & tribus commune: & consequenter actionem ex potentia prodeuntem ita modificat, vt sit notionalis, quæ sine relatione esset essentialis, vt patet ex supra dictis *quæst. 27.* Ob has itaque duas causas proprietatem patris personalem & communem relationem spirationis meras negamus esse conditiones notionalis potentiæ, & rationem quandam principij minus principalem ei tribuimus cum D Thom. locis allegatis, quibus non repugnat doctrina præsentis articuli. Negamus autem in relatione formaliter vim actiuam, sicut etiam in ea formaliter sumptam nullam agnoscimus perfectionẽ, aut causalitatem respectu creaturarum, aut rationem similitudinis vnius personæ cum alia, vt sæpè repetit S. Th. & ratio in littera pro prima conclusione probat euidẽter nullam inesse relationi formaliter vim actiuam.

Notanda sunt præterea, quæ scribũt hìc Cai. & alij expositores Thomistæ, de ratione potentię generatiuæ post Capr. pro diluendis aduersariorum argumentis. Ex dictis sequũtur tres cõclusiones.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Relatio nõ est præcisè cõditio potentiæ notionalis.* In hac conclusione conuenit nobiscum Val. & eam quibusdam satis aptis cõfirmat argumentis.

SECVNDA CONCL. *Relatio nõ est vis quædã vltima potentiæ notionalis, per quam fit actio generationis, aut spirationis.* Probatur ratione D. Th. pro prima sua conclusione; quia illud est potentia & vis vltima generandi, in quo genitũ assimilatur generanti: sed in relatione genitum non assimilatur generanti; ergo. Probatur maior; quia omne agens producit sibi simile, quãtum ad formam qua agit: sed agens maximè agit per vim vltimam & perfectissimam suæ potẽtiæ; ergo in ea genitũ maximè assimilatur generãti. Minor verò probatur; quia alioquin pater generaret seipsum.

TERTIA CONCL. *Relatio est principium cointellectum essentiæ, simul cum ipsa potentiam constituens, & actionem eius modificans.*

Nota Corollarium.

CON-

Argumẽta, & solutiones.

CONTRA *primam concl.* argumentatur Suar. *Primò.* Ioan. Theologus *in Concil. Florent. sess. 18.* ita loquitur: *Dixi filium ex patre, & ex patris substantia generari: ita tamen, vt pater sit generans, principiũ autẽ, quo ipsa persona generat, est id, quod solum cõmunicabile est.* Quod idem repetit *sess. 19.* vbi eius sententia probari videtur. In qua (inquit Suarez) notanda est illa particula exclusiua *solum.* Item expositio illius orationis *Pater producit filium ex substantia:* quæ est communis apud patres. *Secundò* vtitur argumento D. Tho. quo probatur in textu prima concl. *Resp.* his argumentis probari primam cõclusionem D. Th. nimirum potentiam generandi significare principaliter essentiam & eam significare vt principium formale quo: nos autem asserimus hoc principium formale quo postulare relationem, non vt meram conditionem, sed etiam vt modificantem ipsam potentiam & eius operationem: cuius oppositum non affirmat prædictus Ioannes, neque patres, aut D. Thom. cuius sententiam ad verbum supra retulimus *ex 1. & 9. de potent.*

Obi. 1 cõt. 1. concl.

Obi. 2. Soluit. vtrique obi.

Contra eandem concl. est argumentum Scoti, quod refert & soluit Vasq.

Obi. 1 cont. 2. concl.

CONTRA *secundam concl.* argumentatur Valen. *Primò* S. Tho. supra *q. 36. a. 4. ad 1. & 2.* affirmat potentiam spirandi esse proprietatem; at in diuinis non est proprietas nisi relatiua; ergo.

Soluit.

Resp. falsam esse primam propositionem. Nam verba S. Doctoris ibidem sunt. *Si attendatur virtus spiratiua, Spiritus S. procedit à patre, & filio, in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate*; igitur non affirmat potentiam spirandi esse proprietatem, sed naturam cum proprietate, modo superius expositio in eodem articulo. Quod autem *ibidem ad secundum* ait, cum dicitur pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. designari vnam proprietatem, quæ est forma significata per nomen, non pertinet ad potentiã quæ est principium quo, sed ad principium quod, scilicet spiratorem, quem supra diximus constitui ex spiratione vt concepta & essentia diuina, sicut pater constituitur paternitate & essentia.

Obi. 2.

Secundò August. *lib. 5. cap. 5. de Trinit.* ait, eo ipso patrem dici & esse patrem, quo est ei filius; at est ei filius ex vi potentiæ generandi; ergo ab hac dicitur & est pater, & consequenter potentia generandi, vel est vel includit relationẽ paternitatis, à qua nimirum pater est pater.

Soluit.

Resp. hunc esse sensum verborum D. Augustini. Pater eo est pater formaliter & relatiuè, quo est ei filius. Si verò exponatur de quo etiam tanquam potentia, dicendum erit hunc esse sensum. Eo pater est pater fundamentaliter & causaliter, quo est ei filius; & sic sequitur patrem esse patrem fundamentaliter, & quasi causaliter ex potentia generatiua, quæ dicit essentiam in recto, & relationẽ in obliquo: qua potentia vt principio est ei filius.

Obi 3. Soluit.

Tertiò. D. Athan. *in Dial. de Trinit. contra Anomæos* ait patrem hypostasi sua gignere. *Resp.* patrẽ gignere hypostasi sua, vt principio quod, & potentia vt principio quo, quæ realiter idem est cum persona patris, propter quam identitatem dixit patrem hypostasi sua generare.

Obi. 4.

Vltimò. Si necesse est potentiam notionalem secundum suam vltimam & completam rationem esse propriam personæ producentis, vel personarum quæ producunt, necessariò constituere eam ex relatione quoque diuina cõsistere, vt relatio diuina est quędam vis vltima: at illud omninò necesse est; ergo & istud etiam confitendum est. Minor patet. Maior probatur. Quia in personis producentibus præter ipsas productiones actiuas, nihil est proprium nisi relatio, puta paternitatis in patre, & relatio spirationis in patre & filio; ergo si completa ratio potentiæ notionalis debet constare ex aliquo his personis proprio, oportet vt ea ratio sit ralatiua, per aliquam nimirum huiusmodi relationum, vt est quędam vis vltima. Probatur consq. ex simili. Quia productiones actiuas ideo oportet esse relatiuas, quia debent esse producentium personarum propriè; ergo sicut supra ob infinitatem illius relationis, quæ est paternitas, non fuit necesse ponere distinctam relationem in generationis actu, quæ esset actio respectiua: ita etiam neque iam oportet aliam relationem quærere, quæ sit potentia generandi, sed ea ipsa paternitas continet etiam sufficientem perfectionem, per quam, vt relatio est, eminenter respondet principio quo, siue potẽtiæ producendi quæ in creaturis cernitur. *Resp.* falsam esse maiorem propositionem. Ad probationem negatur consequentia; sufficit enim vt compleatur per relationem, vt conditionẽ simul & modum potentiæ. Ad eius probationem dico productiones debere esse relatiuas realiter adæquatè, non autem formaliter. Nam generatio est realiter & adæquatè paternitas, non tamen formaliter, vt latè superius ostendimus *a. 1. huius q.* Nec dicimus generationem vt actio est formaliter esse aliam aliquam relationem, quæ non sit paternitas. Nam vt est actio, nulla ratione est relatio: fit autem patri propria paternitate, cui adæquatè est eadem, & à qua rationem & modum habet actus notionalis vt sic. Et similiter dicimus paternitatem nõ esse potentiam generandi formaliter, sed eius conditionem & modum in eius ratione clausum intrinsecè: negamus autem paternitatem formaliter continere perfectionem illam eminenter principij quo, siue potentiæ producendi in creaturis. Nam relationi vt relatio est etiam realis, nulla conuenit agendi ratio.

Soluit.

Reliqua eiusdem expositoris argumenta militant contra secundam opinionem supra reiectam.

SECVNDA CONTROVERSIA.

An communicabilitas sit de essentia diuinitatis, id est, an sit prædicatum essentiale vel notionale?

Sententia Suarezij.

SEQVITVR hæc quæstio ex præcedente. Nã potentia generandi non ea ratione tantum conuenit essentiæ, quod sit primum generationis principium, sed ob eam etiam prẽcipuè causam, quod est genito communicabilis, in creatis eadem specie, in diuinis autem eadem numero. Itaq; communicabilitas ratio quædã est in potentia generatiua, & spiratiua necessariò clausa, & eius prima radix & fundamentum.

Suar. *lib. 4. c. 8. num. 4.* respondet quod esse communicabile tribus personis simpliciter loquẽdo, est prædicatũ essentiale diuinitatis, quo explicatur fęcunditas, & infinitas ipsius diuinitatis, quę essẽtialis illi est, eãq; habet vt præcisa à personis, & vt existẽs in omnib⁹ simul, eãdẽq; retinet in singulis. Nã licet (inquit) terminata sit per relationem vnius personæ, adhuc manet natu-

naturaliter communicabilis alijs personis, & hoc satis est vt tale prædicatum conueniat singulis personis; nec debet illis conuenire vt constitutis per suas relationes, sed vt habentibus talem naturam: & ideo (inquit) necesse non est, vt persona dicatur communicabilis, sed habere naturam communicabilem. Hæc ille.

Resolutio. Communicabilitatē formalē dicere perfectionē simpliciter connotando respectū ad personas, & conuenire essentiæ secūdum se, id est absolute sumptæ, non autem communicabilitatem effectiuā, aut cōmunitatem in actu.

COMMVNICABILE illud est, quod potest commune fieri. Cum autem dicimus aliquid commune fieri, dupliciter potest intelligi: *Vno modo* formaliter; & sic commune fieri idem est, quod nunc primò pluribus inesse, & de illis prædicari, sicut natura leonis in duobus individuis à Deo creata dicitur illis formaliter fieri communis, quia tunc primò pluribus cœpit inesse & de illis prædicari. *Alio modo* dicitur aliquid fieri commune effectiuè, quatenus scilicet per actionem agentis ad plura diffunditur & fit in eis existens: sicut in exemplo posito, natura leonis actione Dei creantis facta est in pluribus suppositis existens, quibus tamen seipsa formaliter fit communis. Itaq; cōmunicabile dupliciter dicitur: Vno modo formaliter, sic quælibet natura apta nata in pluribus esse suppositis vel indiuiduis dicitur seipsa formaliter communicabilis: & ita diuina natura dicitur seipsa formaliter pluribus diuinis personis communicabilis, quatenus apta nata est vna numero tribus inesse personis. Alio modo dicitur communicabile effectiuè: & sic communicabile dicitur per ordinem ad potentiam & actionem agentis siue principij, cuius virtute forma vel natura ad plura diffunditur indiuidua vel suppositа: sicut natura leonina per generantis potētiam & operationem est pluribus in infinitum suppositis: communicabilis: & diuina natura per Dei patris genitoris potentiam, & generationis actum, est filio communicabilis: & per vtriusque scilicet patris & filij vt vnius spiratoris virtutem, est S.S. cōmunicabilis.

Ex quo sequitur, vt natura diuina, prout est in Patre, sit communicabilis effectiuè siue originaliter; quia scilicet in patre est potentia, qua communicari potest, & in filium transfundi essentia illa eadem, quæ est in patre: quamuis non ita, vt sub eadem relatione, siue proprietate personali sit in eo, cui communicatur. Nec tamen, prout est in patre, est communicabilis formaliter; quoniam, vt hic ait Caiet essentia, prout est patris, vel in patre, solius est patris formaliter loquendo: sicut hoc quod dico, Deus generans; vt enim tali quid sit proprium nō requiritur vt sit sola proprietas, sed satis est si sit coniunctum ex essentiali & notionali.

Nota differentiam.

Prætereà obseruandum est valde differre diuinam essentiam esse in tribus, aut esse tribus actu communicatam, & diuinam essentiam esse communicabilem. Nam dicendo essentiam esse in tribus, vel esse actu tribus communicatam, significo essentiam esse terminatam tribus relationibus; atque ita non sola denotatur essentia, sed personales etiam adduntur relationes. Dicendo autem essentiam esse communicabilem, (intellige formaliter) sola significatur aptitudo diuinæ naturæ ad subsistendū in pluribus suppositis. Si verò communicabilem dicamus effectiuè, eiusdem naturæ fœcunditas designatur, quā habet non absolutè, sed vt est in principio cōmunicāte, puta in patre & spiratore.

Primum corollarium.

Ex quo sequitur primò, communitatē in actu, siue esse in pluribus actu, non esse prædicatum merè absolutum, & non conuenire diuinæ naturæ secundum se, id est omnino absolutè sumptæ; alioquin nunquam posset à nobis concipi, nisi vt est in tribus; Sicut, si esset de ratione humanæ naturæ esse in pluribus, nunquam posset à nobis concipi, nisi vt est in pluribus, & hoc, quod est esse in pluribus, in eius diffinitione poneretur, quod est absurdum. Et cum in quolibet naturæ supposito sit tota naturæ quidditas, consequens fieret naturam in vno supposito reperiri secundum eam rationem & modum, quo reperitur in pluribus; sicque vnum suppositum esset plura, & è conuerso, quod implicat.

Secundò sequitur communicabilitatem (in sensu formali) essentiæ diuinæ conuenire secundū se, id est absolutè sumptæ, non autem prout est in hoc aut illo supposito. Nam secundum se, id est absolutè sumpta, prædictam habet aptitudinem ad essendum in pluribus, quam non habet, vt est in hoc vno supposito, puta patre, aut Spiritu S. nam vt sic propria est huius; igitur vt sic non potest esse in altero. *Secundum.*

Sequitur tertiò communicabilitatem effectiuè sumptam non conuenire essentiæ diuinæ prout secundum se, siue absolute consideratur, hæc enim communicabilitas essentiæ conuenit, prout est in principio tantum communicante. Nā si conueniret essentiæ secundum se, id est præcisis personis, Deitas produceret Deitatē: vel si conueniret essentiæ absolutè sumptæ, vt potētia, sapientia, bonitas & cętera attributa, sequeretur etiam illā vt est in Spiritu S. esse cōmunicabilē; sicut in eo est sapientia, bonitas &c. quod est erroneum. *Tertium.*

Sequitur quartò. Cōmunicabilitatem formalem in Diuinis simpliciter esse perfectionē absolutam, & cōnotare respectum rationis ad tria suppositа, quibus & pōt esse & actu cōmunis est. *Quartum.*

Sequitur vltimò. Cōmunicabilitatem effectiuam in recto dicere perfectionem essentialem, siue magis esētiam, vt rem communicabilem, sed in obliquo connotare relationem principij communicantis in quo clauditur eius potentia notionalis, i. generatiua & spiratiua. Et prætera significare vel connotare respectū ad suppositа, quibus cōmunicatur essentia; Valde .n. assimilatur in significando nomē hoc, *cōmunicabile*, cū hoc nomine *donū*, de quo supra *q. 38. a. 2.* Sic etenim potest diffiniri. Cōmunicabile effectiue *est forma vel natura agentis, siue principij operantis, qua sibi simile potest producere.* Dixi *forma*, sumendo formā cōmuniter ad substantialē & accidentalē; vtriq; .n. primò conuenit cōmunicabilitas, sicut & cōmunitas, vt patet ex Met. Dixi *vel natura*; quoniā eadem rōe conuenit naturę cōmunicabilitas, qua cōuenit formę: siue natura sit ipsa forma subsistens, siue sit cōpositū ex materia & forma; ex forma namq; cōmunicabili redundat cōmunicabilitas in cōpositū, vt patet ex dictis supra *q. 3. a. 3.* Dixi *agētis, siue producētis*; quia cōmunicatio actiua, de qua loquimur, nō fit nisi per actionē, vel operationē agētis vel producentis; & ideò forma vel natura, nō est absolutè cōmunicabilis actiuè, sed tantū vt est in principio, quod operatione propria possit illā cōmunicare: Eius .n. est potentia, cuius est actio. Constat aūt operationē non esse formæ & naturæ vt sic tanquam agentis vt quod, sed ipsius suppositi, vel subsistētis, quod propriè dicitur operās. Dixi *qua sibi simile potest producere*; quia nō alia ratione cōmunicatur effectiuè ab agēte forma, vel natura, quā per eādē vt rationē agendi, vel operandi, producēdo rē aliā sibi similē secundū eā formā, qua operatur. Ex quib⁹ apparet cōmunicabile effectiue in cō- *Diffinitio communicabilis effectiuè.*

muni

muni dicere in recto formam vel naturam: in obliquo verò duplicem relationem rationis, vnam ad agens, siue principium, cuius est forma, alteram ad eum, cui potest communicari: sicut donum dicit rem donabilem, respectum ad donatorem, & respectum donabilitatis ad eum, cui est donabile.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. Cõmunicabilitas formalis siue esse communicabile formaliter, conuenit essentiæ diuinæ absolutè sumptæ, & non prout est in aliquo supposito, & dicit perfectionem absolutam, & connotat respectum rationis ad tria suppositа, quibus potest esse & est actu communis.

SECVNDA CONCL. Communicabile effectiuè, in communi loquendo, dicit formam vel naturam in recto, duplicem autem relationem in obliquo, scilicet ad agens siue principiũ cuius est forma, & ad eum cui potest communicari.

TERTIA CONCL. Communicabile in diuinis, dicit essentiam in recto cum duplici respectu, scilicet ad principium communicans, puta patrem vel spiratorem, & ad suppositũ cui potest communicari.

QVARTA CONCL. quæ sequitur ex prædicta est. Communicabilitas effectiua non conuenit essentiæ diuinæ secundum se, siue absolutè sumptæ, sed tantum, vt est in principio communicante, siue habente potentiam ad eam cõmunicandam.

VLTIMA CONCL. qua directè respondetur ad quæsitum. Communicabile formaliter in diuinis est prædicatum simpliciter essentiale: communicabile autem effectiuè, non est prædicatum simpliciter essentiale, sed magis notionale, sicut potentia generandi. Hæc conclusio patet ex dictis. Et probatur etiam quo ad secundam partem; quia communicabile, exempli gratia per generationem, non solum dicit respectum ad patrem generantem, sed etiam hoc ipso quòd dicit respectum ad generantem, connotat relationem paternitatis vt rei puta essentiæ communicabili cõiunctam; igitur sicut potentia est notionale, quia dicit essentiam sub relatione, ita cõmunicabile erit notionale, quia dicit essentiam sub relatione.

Ob. 1. cont. vlt. concl.

CONTRA *vltimam concl.* quo ad secundam partem argumentatur Suarez. *Primò.* Omne prædicatum conueniens diuinitati ratione sui, & non ratione relationis est essentiale; sed esse communicabilem tribus personis conuenit diuinitati ratione sui; ergo est prædicatum illi essentiale. Maior patet. Minor probatur. Primò; quia esse communicabile est prædicatum absolutum. Secundò; quia non est personale; ergo est essentiale. Probatur consequentia; quia non datur medium. Tertiò; quia conuenit essentiæ ratione suæ infinitatis, quæ essentialis est. *Resp.* falsam esse minorem propositionem loquendo de communicabili effectiuè. Ad primam probationem negatur assumptum; est enim absolutum cum respectu. Ad secundam nego consequentiam. Ad probationem negatur assumptum; nam inter essentiale & personale mediat notionale. Ad tertiam negatur antecedens præcisè loquendo; conuenit enim essentiæ cõmunicabilitas effectiua ratione infinitatis in tali persona, puta patre vel spiratore.

Solut.

Ob. 2.

Secundò. Cum dicitur diuinitas communicabilis tribus personis, nihil aliud explicatur quàm fœcunditas & infinitas ipsius diuinitatis; ergo esse communicabile est prædicatum essentiale. Consequ. probatur; quia diuina essentia habet infinitatem & fœcunditatem, prout præcisa est à personis, & vt existens in omnibus simul, & eandem retinet in singulis; ergo. Probatur hoc antec. quo ad vltimam partem; quia licet terminata sit per relationem vnius personæ, adhuc manet naturaliter communicabilis alijs personis. *Resp.* nullam esse consequentiam. *Solut.* Ad probationem negatur antecedens quo ad omnes & singulas partes; Nam essentia diuina neque est fœcunda, id est communicabilis effectiuè (id enim sonat nomen fęcundi) vt præcisa est à personis; alioquin deitas produceret deitatem: Neque vt existens in omnibus simul; quia non omnes simul producũt aliquam quartam personam: Neque prout est in singulis; quia deitas in spiritu sancto non est fœcunda; quia non est productiua; natura enim fœcunda dicit naturam, prout est principium quo productionis, & consequenter vt habet rationem potentiæ, qua suppositum producit sibi simile. Constat autem diuinam naturam in Spiritu S. non esse principium producendi personam aliquam in eadem natura.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

AD Sextum sic proceditur. *Videtur, quòd actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita quod sint plures personæ genitæ, vel spiratæ in diuinis. Cuicunque enim inest potentia generandi, potest generare: Sed filio inest potentia generandi. Ergo potest generare: Non autem seipsum. Ergo alium filium. Ergo possunt esse plures filij in diuinis.* 2 q. 1. dist. 7 q. 2. a. 2. & in lib. & po. q. 2. a. 1. ad 10. & a. 4.

2 *Præterea. Aug.* dicit contra Maxi. *Filius nõ genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit.* lib. 3. c. 12. cir. fi. to. 6.

3 *Præterea. Deus pater est potentior ad generandum quam pater creatus. Sed vnus homo potest generare plures filios. Ergo & Deus, præcipue cum potentia patris, vno filio generato, non diminuatur.*

Sed contra est, quòd in diuinis non differt esse & posse. Si igitur in diuinis possent esse plures filij, essent plures filij. Et ita essent plures personæ, quàm tres in diuinis. Quod est hæreticum.

Respondeo dicendum, quòd sicut Athanas. dicit in diuinis est tantum vnus pater, vnus filius, vnus Spiritus sanctus. Cuius quidem ratio quadruplex assignari potest. *Prima quidem ex parte relationum: quibus solum personæ distinguuntur. Cum enim personæ diuinæ sint ipsæ relationes subsistentes, non possent esse plures pariter, vel plures filij in diuinis, nisi essent plures paternitates & plures filiationes. Quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem eorum distinctionem, Formæ enim vnius speciei non multiplicantur nisi secundum materiam, quæ in diuinis non est. Vnde in diuinis non potest esse nisi vna tantum filiatio subsistens, sicut & albedo subsistens non posset esse nisi vna. Secunda verò ex modo processionum, quia Deus omnia intelligit & vult vno & simplici actu. Vnde non potest esse nisi vna persona procedens per modum verbi, quæ est filius: & vna tãtum per modum amoris, quæ est Spiritus sanctus. Tertia verò sumitur ex modo procedendi, quia personæ ipsæ procedunt naturaliter, vt dictum est.* In suo symbolo fidei. *Natura autem determinatur ad vnum. Quarta ex perfectione diuinarũ personarum. Ex hoc enim est perfectus filius, quod tota filiatio diuina in eo continetur, & quod est tantũ vnus filius. Et similiter dicendum est de alijs personis.* a. 2. huius quæst.

Ad

Ad Primum ergo dicendum, quòd quamuis simpliciter concedendum sit, quod potentiam quam habet pater, habeat filius, non tamen concedendum est, quòd filius habeat potentiam generandi, si generandi sit gerundiuum verbi actiui, vt sit sensus, quòd filius habeat potentiam ad generandum. Sicut licet idem esse sit patris & filij: non tamen conuenit filio esse patrem propter notionale adiunctum. Si tamen hoc quod dico, generandi, sit gerundiuum verbi passiui, potentia generandi est in filio, id est, vt generetur. Et similiter si sit gerundiuum verbi impersonalis, vt sit sensus, potentia generandi, id est, qua ab aliqua persona generatur.

Ad Secundum dicendum, quòd Aug. in verbis illis non intendit dicere, quòd filius posset generare filium: sed quod hoc non est ex impotentia filij, quod non generet, vt infra patebit. * q. 42. a. 6. ad 3.

Ad Tertium dicendum, quòd immaterialitas & perfectio diuina requirit, vt non possint esse plures filij in diuinis, sicut dictum est. Vnde quod non sint plures filij, non est ex impotentia patris ad generandum.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. quem alij sequũtur interpretes, ac præsertim Sylvest. Torres & Zumel.

Forma Textus.

„ CONCLVS. *est. In diuinis est tantum vnus pa-*
„ *ter, vnus filius, & vnus Spiritus S.* Probatur quatuor medijs. *Primò ex parte relationũ.* In diuinis nõ possunt esse plures patres, aut plures filij, nisi sint plures paternitates, & plures filiationes. At hoc est impossibile; ergo & illud. Maior probatur; quia personæ diuinæ sunt ipsæ relationes subsistentes. Minor verò; quia in diuinis nõ possent esse plures paternitates, & plures filiationes, nisi secundum materialem distinctionem. At hæc non est in Deo: ergo. Maior probatur, quia formæ vnius speciei non multiplicantur nisi secundum materiam. Minor verò; quia materia non est in Deo. *Secundò ex parte processionum.* Deus omnia intelligit, & vult vno & simplici actu: ergo non potest esse nisi vna persona procedens per modum verbi, quæ est filius, & vna tantum per modum amoris, quæ est Spiritus sanctus. *Tertiò ex parte modi procedendi.* Personæ procedunt naturaliter: ergo est tantum vnus pater, vnus filius, &c. Probatur consequentia: quia natura determinatur ad vnum. *Quartò ex perfectione diuinarum personarum.* Ex hoc est perfectius filius, quòd tota filiatio diuina in eo continetur; ergo tantum vnus est filius, & similiter de alijs personis.

Expositio Textus.

CIRCA secundam rationem lege, quæ scribit Ferrariens. *in 4. cont. gent. cap. 13. in princ.*

CONTROVERSIA VNICA.

De efficacia rationum Diui Thomæ.

Sententiæ Doctorum. SCOTVS *in 1. dist. 7. q. 2.* quatuor prædictas rationes reijcit vt falsas, vel insufficientes, cuius sententiam & argumenta refert, & approbat Rada *controu. 9. a. 2.* Eandem opinionẽ sequitur Val. liberè pronuncians primam rationem non esse valde firmam; secundam vtcumque congruentem, non tamen necessariã: tertiam, difficulter concludere: quartam denique ostendere aliquam congruentiam. Et addit concl. huius a. non nisi Theologicè probari posse, posito vt certo, quod in diuinis per actum intellectus vnica persona procedit, & similiter vna per actum voluntatis, quod etiam prius asseruerat Molina. Primam rationem acriter impugnant Scotus & Aureolus *in 1. dist. 7. q. 2. a. 1.* quorum argumenta numero plurima refert & soluit Capreol. *eadem dist. quæst. 2. art. 2.*

Resolutio. Rationes D. Th. fidei nõ innitũtur, & necessario concludere.

PRO defensione dictarum quatuor rationũ *supponenda sunt primò*, quæ de singularum sensu & efficacitate scribit Caiet. post Capr. quos sequitur Torres *super hoc artic.* & Ferrar. *4. cont. gent. c. 13.*

Secundo obseruandum est rationes prædictas propriè loquendo fidei non inniti, vt arbitratur Molina; non enim ex fide creditis robur trahunt, sed ex principijs tantum notis lumine naturali Metaphysico in re diuina, quibus accidit subiectam materiam esse naturalem vel supernaturalem. Nam prima procedit ex diuina immaterialitate, quam naturaliter nouimus Deo secundum omnia eius intrinseca conuenire. Secunda ex diuina simplicitate & perfectione in operando: quæ pluralitatem actuum intellectus & voluntatis non admittit: & similiter quarta. Tertia verò ex intrinseco primi entis modo, summa scilicet in intelligendo & amando respectu sui necessitate & naturalitate procedit; quæ omnia probat Philosophus naturali lumine Deo conuenire. Itaque suppositа duplici personarum in Deo processione, deducitur non ex fide, qua bina creditur in Deo processio, sed ex communibus iam dictis principijs rationi naturali perspicuis, plures quàm duas in Deo non emanare personas. Quamobrem, vt ante diximus, rationes istæ propriè loquendo non innituntur fidei, neque immediatè, neque mediatè, sed in materia fidei per accidens illis subiecta suæ robur efficacitatis exercent. Et quoniam singula in dictis rationibus assumpta Deo secundum eius intrinseca cõueniunt necessariò simpliciter; idcircò statuitur hæc vt certa.

CONCLVSIO. *Quatuor huius articuli rationes necessariò, & demonstratiuè probant actus notionales ad plures personas non posse terminari.* *Concl. vnica.*

CONTRA *concl.* argumentatur Val. *Primò* contra primam rationem. Possibile est formas subsistentes sine materia multiplicari numero; ergo. *Resp.* falsum esse antec. naturaliter loquẽdo. Constat autem omnia Deo ad intra siuè secundum se congruentia illi naturaliter & necessariò conuenire. Secundò negatur antecedens etiam de potentia Logica loquendo. *Ob. 1.* *Solut.*

Secundò contra secundam rationem. Actus ille est simpliciter infinitus; ergo non obstat quo minus esset intelligibile plures personas per eum produci. Probatur consequentia; quia non posset in pluribus personis maior esse perfectio, quàm sit in illo vno actu diuino. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem negatur sequela, cõmittitur enim fallacia secundum nõ causam vt causam. Ratio enim cur actus, verbi gratia generationis, non possit ad plures personas terminari, non est quia esset maior in personis procedẽtibus perfectio, quã in illo vno actu: sed ea est, quam affert Cai. quia scilicet vbi est vnum tantum intelligere & dicere adæ- *Ob. 2.* *Solut.*

adæquatum illi, ibi non est nisi vnum dicere& A vnum verbum; superflueret enim aliud dicere & aliud verbum.

Obiect. 3. *Tertiò* contra tertiam rationem. Quod agit ad vnum determinatè, potest nihilominus per vnã actionem plura numero producere, vt patet in animantibus aliquibus, quæ vna actione naturaliter quidem, sed plures filios generant; ergo. *Resp.* falsum esse antec. vniuersaliter sumptum. Quod si ad agentia creata limitetur, negatur sequela, eo quòd effectus siuè termini per actionem creaturæ producti materialiter possunt distingui, non autem terminus actionis diuinæ, vt prima ratio probat, quam præsupponit hæc tertia, cum explicatione Cai. Et B præterea singuli non adæquantur actui, sicut verbum diuinum.

Solut.

Obi. 4. *Quartò* contra vltimam. Si plures filij cõuenissent in eadem numero natura, sicut iam cõueniunt plures personæ: quilibet eorum potuisset esse perfectissimus, propter identitatem in tertio, & nihilominus distinctus ab alio; ergo. *Resp* non esse possibile plures filios in eadẽ numero natura conuenire, vt supponit arguẽs. Id autem esse impossibile conuincit hæc quarta ratio, cuius vim exprimit Cai.

Solut.

Obi. 5. *Contra eandem* concl. argumentatur Rada, & primò contra primam rationem affert argumẽta Scoti, iam antea à Capr. & Cai. soluta. Ex quibus hoc est principium. Si vera est illa maC ior, nimirum formam eiusdem rationis non multiplicari nisi per materiam, sequitur omnẽ formam immaterialem esse implurificabilem. Id verò falsum esse sic ostendit. Nam formam aliquam immaterialem non posse plurificari, potest ex duplici capite dimanare: primo; quia ipsa de se & ratione suæ quidditatis est vna numero & singularis, sicut Deus: secundò; quia ipsa forma singularis habet in se totam entitatẽ illius formæ intensiuè & extensiuè, sicut Sol. Primo modo non potest intelligi extra Deum; quia ex ipso sequitur repugnare omnino, & implicare contradictionem, quòd forma specifica in Angelis plurificetur realiter. Quod esse falD sum sic probat: Quia, tunc sicut non stat cum conceptu hominis, quod concipiatur irrationalis, vel cum conceptu Dei, quòd concipiatur tanquam indifferens ad plures Deos: ita nõ staret cum conceptu talis speciei, quòd concipiatur vt plurificabilis numero: quod non est probabile. Si verò detur secunda causa & intellectus propositionis, sequitur naturam specificam Michaelis de se non esse hanc & singularem: ergo non repugnat ei contradictoriè nõ esse hanc, vel non esse in hoc singulari; ergo per Dei potentiam poterit natura illius poni in alio singulari à Michaele, & ita maior erit falsa.

Solut. *Resp.* ex vtraque causa veram esse dictam maiorem. Ad primæ impugnationem admitE to implicare contradictionem naturam Angeli specificam plurificari realiter. Ad probationem in contrarium dico primò non esse simile, nec eandem esse rationem, quòd homo concipiatur irrationalis, & quòd Angelus concipiatur plurificabilis. Nam licet Angelicæ naturæ, prout in se est, & prout est in intellectu concipiente illam prout in se est, repugnet plurificari, sicut homini repugnat esse irrationale; quatenus tamen ab humana mente concipitur ad modum quidditatis rei sensibilis per abstractionem à conditionibus indiuiduantibus, specificam sortitur vniuersalitatem, & illi vt sic conceptæ non repugnat plurificari; cõstat autem ad hominem à quocunque & quomodocunq; conceptum non sequi irrationalitatem. Et ratio differentiæ est; quoniam vniuersalitas prædicationis est communis conditio cuiuslibet quidditatis, etiam diuinæ ab humana mente conceptæ, ob dictam causam; quia scilicet concipitur ad modum quidditatis rei sensibilis. De quare legendus est D. Thom. supra *q. 13. a. 9.* & Caiet. *ibi, & de Ente & Essentia cap. 5. q. 9.* Ex quo patet falsum esse quod ait Rada, non stare cum conceptu Dei, quòd concipiatur vt indifferens ad plures Deos. Ad impugnationem secundę causæ negatur consequẽtia. Nam, si forma singularis habet in se totã entitatem formæ intensiuè & extensiuè, & sit per se & naturaliter per se subsistens abstracta ob omni receptiuo, sequitur etiam illam esse de se hanc & singularem, & illi repugnare non esse hanc.

Obi. 6. *Contra secundam rationem* assumit cum Scoto propositionem falsam, & *in primo huius tractatus articulo* confutatam, nimirum per omne dicere exprimi aliquod intelligere; sed tamen (inquit) intelligere paternum, prius est quàm dicere, ex quo sic arguit. Cum vnitate prioris, stat pluralitas posterioris. Ergo ex vnitate actus intelligendi in formali consequentia, non sequitur vnitas actus dicendi. *Resp.* Solut. primò intelligere Patris vt sic esse idem quod dicere formaliter, quia sic est notionale. Secũdò falsum esse cum vnitate prioris stare pluralitatem posterioris, quãdo posterius est adæquatum priori, & eiusdem simplicitatis est, perfectionis & essentiæ cum priori, sicut in proposito, intelligere Patris & dicere sunt adæquata. Ferrar. alio modo soluit idem argumentum *in 4. cont. gent. cap. 13. circa principium.*

Obi. 7. *Secundò*. Intelligere paternum absolutè consideratum, prout est commune tribus, est forma quædam absoluta, & non actio alicuius termini productiua, sicut dicere est actio productiua verbi. Ergo non sequitur consequẽtia formali, quòd si est vnicum intelligere, sit vnicum & dicere. *Resp.* intelligere Patris idem Solut. esse adæquatè quod dicere, quia intelligere Patris vt sic non est intelligere absolute, sed intelligere exprimendo: & de intelligere sic sumpto, loquitur secunda ratio D. Th. quia loquitur de intelligere, per quod procedit verbum: hoc autem est intelligere patris vt sic.

Ob. 8. *Tertiò*. Non est bona & formalis hæc consequentia. Est vnica essentia; ergo vnica productione communicatur. Ergo similiter non est hæc formalis consequentia. Est vnicum intelligere; ergo vnicum dicere. Probatur sequela; quia sicut essentia, cum sit vnica, communicatur pluribus productionibus, ita & intelligere posset aliquis affirmare, quod communicaretur per plura dicere, & per illam rationem conuinci haud posset. *Resp.* falsam es- Solut. se sequelam. Ad eius probationem negatur antecedens: Nam productiones quibus communicatur essentia non sunt eiusdem rationis formalis, & ideò possunt esse plures: dicere verò vnius est rationis formalis, & ideo non potest multiplicari. Secundò dico intelligere, prout est patris, non esse commune sicut essentia, sed proprium patris.

Obi. 9. *Quartò* contra tertiam rationem argumentatur. Vna natura numero potest esse principium plurium productionum eiusdem rationis; ergo licet natura determinetur ad vnum,

non sequitur quòd ibi sit tantum vna productio. Antecedens probatur; quia idem homo plures producit filios, & vnicus sol plures effectus efficit. *Resp.* antec. verum esse de productionibus vniuocis in natura materiali, non autem in natura immateriali qualis est diuina.

Solut.

Obi. 10. *Quintò.* Naturam determinari ad vnum non est determinari ad vnicam productionem, & vnicum productum, sed non esse indifferentè ad oppositа: sed ex hoc non concluditur vnitas productionis vt patet; ergo. *Resp.* falsum esse antece. loquendo de vna productione, & vno producto formaliter secũdum vnum modum, vt hic explicat Caiet.

Solut.

Et ex his patet etiam responsio ad alias cauillationes eiusdem authoris contra aliam rationem allatam ex S. D. quia scilicet fœcunditas ordinata ad generationem filij, exhauritur in vnius filij generatione. Dicitur enim exhauriri patris fœcunditas in vnius filij generatione, ob supradictas causas; quia scilicet vnicum verbum, & filius adæquat diuinam intellectionem & generationem: & quia continet omnem rationem filiationis ob infinitam sui perfectionem &c.

QVAESTIO XLII.

De æqualitate & similitudine diuinarum personarum ad inuicem, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de comparatione personarum ad inuicem.

Et primò quantum ad æqualitatem, & similitudinem.

Secundò quantum ad missionem.

Circa primum quæruntur sex.

Primò, Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis personis.

Secundò, Vtrum persona procedens sit æqualis ei, à qua procedit secundum æternitatem.

Tertiò, Vtrum sit aliquis ordo in diuinis personis.

Quartò, Vtrum personæ diuinæ sint æquales secũdum magnitudinem.

Quintò, Vtrum vna earum sit in alia.

Sextò, Vtrum sint æquales secundum potentiam.

Ordo articulorum huius quæstionis.

DISSERIT A. D. *in 1. a.* de æqualitate diuina cõmuniter sumpta, de qua tres definit quæstiones, videlicet an sit, quomodo sit, & quid sit. Deinde quærit in speciali de æqualitate secũdum æternitatẽ personæ procedentis, respectu eius à qua procedit: tũ quia æternitas est esse Dei vt vniforme quod primò in Deo consideratur: tum etiam quia magis obuia & patẽtior est difficultas hæc, ijs quæ sequentibus tãguntur articulis. Tertiò excluso ordine durationis à diuinis personis consequenter quærit de ordine naturæ. Posita namque durationis æqualitate, statim occurrit dubitandum de ordine naturæ, quo vna persona est ab altera; hunc enim ordinem excludere videtur æqualitas æternitatis. Et quoniam hoc ordine magnitudinis siuè perfectionis æqualitas in natura videtur excludi, idcircò quærit in articulo quarto, an filius sit æqualis patri secundum magnitudinem. Et quia magnitudo diuinarũ personarum est naturæ perfectio, quæ in tribus est vna, & ab vna veluti principio deriuatur ad aliam, vt dicitur in articulo tertio: & secundũ hæc addito etiam relatiuo respectu originem cõsequẽte vna persona dicitur esse in alia: ideò consequenter quærit in articulo quinto, vtrũ filius sit in patre, & è conuerso. Postremò quærit de æqualitate secundum potentiam, quæ consequitur essentiæ perfectionem, & magnitudinem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd æqualitas non competat diuinis personis, æqualitas enim attenditur secundum vnum in quantitate, vt patet per Philosophum 5. Metaph.* * *In diuinis autem personis non inuenitur, neque quantitas continua intrinseca, quæ dicitur magnitudo: neque quantitas continua extrinseca, quæ dicitur locus & tempus: neque secundùm quantitatem discretam inuenitur in eis æqualitas, quia duæ personæ sunt plures quàm vna. Ergo diuinis personis non conuenit æqualitas.* 220. 3. q. 58. a. 2. & 1. di. 19. q. 1. a. 1. & 4. con. c. 9. * tex. 20. 1. 3

2 Præterea. Diuinæ personæ sunt vnius essentiæ, vt supra dictum est. † *Essentia autem significatur per modum formæ. Conuenientia autem in forma non facit æqualitatem, sed similitudinem. Ergo in diuinis personis est dicenda similitudo, & non æqualitas.* † q. 39. art. 2.

3 Præterea. In quibuscunque inuenitur æqualitas, illa sunt sibiinuicem æqualia: quia æquale dicitur æquali æquale. Sed diuinæ personæ non possunt sibi inuicem dici æquales. Quia vt Aug. * *dicit 6. de Trinit. Imago, si perfectè implet illud cuius est imago, ipsa coæquatur ei: non illud imagini suæ, imago autem patris est filius. Et sic pater non est æqualis filio. Non ergo in diuinis personis inuentur æqualitas.* * li. 6. de tr. c. 10 parum & prin. 10. 3.

4 Præterea. Aequalitas relatio quædam est: sed nulla relatio est communis omnibus personis, cum secundum relationes personæ ab inuicem distinguantur. Non ergo æqualitas diuinis personis conuenit.

Sed contra est, quod Athan. † *dicit, quod tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* † In suo symbolo fidei.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere æqualitatem in diuinis personis. Quia secundùm Philosophum in 10. Metaphy. * *æquale dicitur quasi per negationem minoris, & maioris. Non autem possumus in diuinis personis ponere aliquid maius & minus. Quia vt Boet.* * *dicit in lib. de Trinit. eos differentia, scilicet deitatis comitatur, qui vel augent vel minuunt, vt Arriani, qui gradibus numerorum trinitatẽ variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt. Cuius ratio est: quia inæqualium non potest esse vna quantitas numero. Quantitas autem in diuinis non est aliud quàm eius essentia. Vnde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, quòd non esset in eis vna essentia. Et sic non essent tres personæ, vnus Deus. Quod est impossibile. Oportet igitur æqualitatem ponere in diuinis personis.* * li. 10 metaph. tex 15. 16 & 17. 10. mo 3. * In lib. de trin. paulò à prin.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est quãtitas, Vna scilicet quæ dicitur quantitas modis, vel quantitas dimensiua, quæ in solis rebus corporalibus est. Vnde in diuinis personis locum non habet. Sed alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicuius naturæ, vel formæ. Quæ quidem quantitas designatur secundum quod dicitur aliquid magis vel minus calidum, inquantum est perfectius vel minus perfectum in tali caliditate. Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primò quidem in radice, id est in ipsa perfectione formæ, vel

Nihil ue-

naturæ, & sic dicitur magnitudo spiritualis: sicut dicitur magnus calor propter suam intensionem & perfectionem. Et ideò dicit Augustinus * 6. de trin. quòd in his quæ non mole magna sunt, hoc est, maius esse quòd est melius esse. Nam melius dicitur quod perfectius est. Secundò autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ. Primus autem effectus formæ est, esse. Nam omnis res habet esse secundum suã formam. Secundus autem effectus est operatio. Nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis, & secundùm esse, & secundum operationem. Secundùm esse quidem, inquantùm ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt maioris durationis. Secundum operationem verò, inquantũ ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur, vt Aug. *. dicit in lib. de fide ad Petrum. Aequalitas intelligitur in patre & filio & Spiritu sancto, inquantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

*li. 6 de trin. ca. 8. circa med, to. 5.

*ca. 1. ante med. to. 3.

Ad secundum dicendum, quòd vbi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus: quia excludit excessum. Quæcunque enim communicant in vna forma, possunt dici similia, etiam si inæqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aër esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si vnum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solùm vna est natura patris, & filij, sed etiam æquè perfectè est in vtroque: ideo non solum dicimus filium esse similem patri, vt excludatur error Eunomij, sed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arrij.

Ad Tertium dicendum, quòd æqualitas vel similitudo dupliciter potest significari in diuinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo. Filius enim est æqualis, & similis patri, & è conuerso. Et hoc ideo: quia essentia diuina non magis est patris, quam filij. vnde sicut filius habet magnitudinem patris, quod est esse eum æqualem patri: ita pater habet magnitudinem filij, quod est esse eum æqualem filio. Sed quantùm ad creaturas (vt Dionys. * dicit 9. cap. de diu. no.) non recipitur conuersio æqualitatis, & similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis inquantum habent formam causarum, sed non è conuerso, quia forma principaliter est in causa, & secundariò in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in diuinis, est tamen ibi accipere. Quia igitur filius accipit à patre, vnde est aqualis ei, & non è conuerso, propter hoc dicimus quod filius coæquatur patri, & non è conuerso.

*9. à med.

Ad Quartum dicendum, quod in diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur. æqualitas autem vtrumque importat, scilicet distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur æquale) & vnitatem essentiæ, quia ex hoc personæ sunt sibiinuicem æquales, quia sunt vnius magnitudinis & essentiæ. Manifestum est autem, quod idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem. Quia vtroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo æqualitas & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta à relationibus personalibus sed in suo intellectu includit & relationes distinguẽtes personas, & essentiæ vnitatem. Et propterea magister dicit in 31. distin. primi sent. quod in his appellatio tantum est relatiua

Sensus quæsiti.

EX Dictis circa ordinem articulorum patet sensus quæsiti, quòd sub forma quæstionis an est, aliarum duarum quæstionum materiam proponit, vide licet quomodo est, & quid est, & in responsionibus ad argumenta definit.

Forma Textus.

CONCL. *est. Necesse est ponere æqualitatem in diuinis personis.* Probatur. Aequale dicitur quasi per negationem maioris & minoris: At non possumus ponere in diuinis personis aliquid maius & minus; ergo necesse est ponere æqualitatem in diuinis personis. Maior probatur ex Aristot. *10. Metaph. tex. 19.* Minor autẽ probatur primo ex Boet. *in lib. de Trinit.* dicente eos differentia &c. Secundò ratione; quia, si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, nõ essent tres personæ vnus Deus: at hoc est impossibile: ergo. Probatur assumptum; quia si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, nõ esset in eis vna essentia; ergo non essent vnus Deus. Antecedens probatur: quia inæqualium non potest esse vna quantitas numero: at quantitas in diuinis non est aliud quàm eius essentia; ergo, &c.

Expositio Textus.

ADVERTE *primò* conclusionem esse de fide, vt latè probant hic recentiores, ac præsertim Ban. Zumel. *disp. 1.* Mag. Porr. Mol. & Suar. *lib. 4. de Trin. c. 15.*

Secundò obserua dictionem illam *quasi* positam in maiori; significat enim solam negationem excessus, non sufficere ad æqualitatem cõstituendam, sed quantitatem esse necessariam in extremis, quæ dicuntur æqualia. Nam, vt hic aduertit Cai. punctum neque maius est neque minus linea, cum nullam habeat quantitatem, nec tamen est æquale ob eandem causam, quia nimirum caret quantitate.

Tertiò lege si placet, quæ late scribit Mol. *disp. 1.* de multiplici ratione quantitatis, quibus explicatur responsio S. D. ad primum.

Quartò circa responsiones ad secundum, & tertium vide, quæ notat hic Cai. pro earum defensione aduersus Aureolum & Torres, *in 2. p. comm.* de relatione similitudinis, de qua multa diximus supra cum D. Thom. & Cai. *quæst. 4. art. 3.*

Easdem responsiones explicant *hic* Mol. *disp. 1.* & Vasq. *cap. 5.*

CONTROVERSIA VNICA.

An æqualitas, similitudo & identitas, sint relationes reales in diuinis.

SCOTVS *in 1. dist. 31. q. 1. & in quolib. q. 6.* docet prædictas omnes relationes inter diuinas personas esse reales. Cuius sententiam latè refert & tuetur Rada *contro. 26.* Comprehenditur autem eius sententia nouem propositionibus. *Prima.* Fundamentum remotum æqualitatis in diuinis est ipsa magnitudo, vel essentiæ, vel sapientiæ & similium: proximum verò est vnitas eiusdem magnitudinis, non qualiscunque, sed numeralis. *Secunda.* Ad relationem

Sententiæ Doctorum.

realem tria sufficiunt: Primum vt fundamentũ sit reale & terminus realis: secũdum vt extrema sint realiter distincta: tertiũ vt ex natura extremorum & fundaméti sequatur ipsa relatio absque opere intellectus. *Tertia eius propositio.* AEqualitas & similitudo præexigunt extrema realiter distincta. *Quarta.* Aequalitas diuina in suo conceptu formali, nec includit essentiã, nec relationes orginis, licet importet essentiã fundamentaliter, relationes verò originis personales præexigitiuè. *Quinta.* AEqualitas importat in suo conceptu relationem aliquam alterius rationis à relationibus originis, secundum quam personæ constitutæ per relationes originis referuntur. *Sexta.* Aequalitas, similitudo & idẽtitas, quæ est in diuinis inter diuinas psonas, est ibi ex natura rei; & est realis relatio inter psonas. *Septima.* Aequalitas, qua pater est æqualis filio, re ipsa distinguitur ab æqualitate, qua filius dicitur æqualis patri. *Octaua.* Istę relationes cõmunes non distinguuntur realiter à relationibus originis, sed solum formaliter; & similiter nec inter se, loquendo de illis quæ sunt in eadem persona. *Vltima propositio.* Relatio æqualitatis inter diuinas personas, quæ in æternitate fundatur vel in potestate, non est realis sed rationis.

Aur. apud Capr. tria dicit. *Primum.* Aequalitas aut similitudo non fundatur super vnitate quantitatis, aut qualitatis in creaturis. *Secundum.* Prædictæ relationes non sunt reales. *Tertium.* Aequalitas diuinarum personarum est relatio realis.

Dur. *eadem dist.* quamuis neget æqualitatem in diuinis esse relationem realem, affirmat tamen in creaturis esse realem.

Torr. *in 3. par. commentarij* affirmat relationes rationis, quamuis esse non possint sine ordine ad intellectum, esse tamen secluſa actu operatione intellectus creati: Et addit æqualitatem, qua filius est æqualis Patri & Spiritui S. esse quendam modum intellectualem, à quo denominatur eisdem æqualis: quo quidem modo sic se habet, vt possit concipi per istum conceptum relatiuum, æquale verè supponentem pro ipso ordine ad patrem & Spiritum sanctum & hunc modum esse extra intellectum. Quod idem affirmat de similitudine. Quam sententiam vt probabilem complectitur Mol. *disp. 2.*

S. Th. quem vniuersi sequuntur expositores, nedum nostrates, sed etiam extranei, negat hic & vbique relationes prædictas esse reales.

Resolutio. Dictæ relationes in diuinis non esse reales ostenditur ex communi ratione fundamenti relationis realis, ex propriaratione æqualitatis, ex conditionibus relationis realis, & ex fundamento æqualitatis in diuinis.

Tametsi cõmunis illa relationis doctrina, quam tradit Arist. & explicant eius expositores *in 5. Metaph. c. de ad aliquid*, sit à nobis in hac Theologica quæstione supponenda: necesse tñ erit quatuor præcipua capita propositæ controuersiæ definitioni necessaria summa breuitate perstringere.

Primum est, quamlibet realem relationem formaliter sumptam præexigere causam, siuè rationem in subiecto, ex quo dependeat, & naturali consecutione resultet posito in rerum natura termino, siuè re naturalem ordinem ad eam habente, quæ relatione refertur; exempli gratia, albedo niuis causa est, ex qua naturali sequela resultat in niue relatio similitudinis ad albedinem lactis, posita siuè existente lactis albedine cũ suo subiecto. Hãc vero relationis causã cõmuniter appellãt fundamentũ: Nã sicut ex eo nascitur, ita proximè in eo recipitur relatio, & eo durante manet, ac trãseunte deficit. Nõ esttũ omninò per se sufficiens hoc fundamentum, vt in re constituatur relatio: sed quædam in singulis relatiuorum modis conditiones sunt apprimè necessariæ, vt in similitudine conuenientia, siue vnitas extremorum formalis & specifica: in æqualitate vnitas, i. nõ excessus secundum quãtitatem: in paternitate & filiatione generatio & natiuitas: quas conditiones impropriè satis quidam appellant rationes fundandi; cum nullam videantur habere causalitatem, qualem importat ratio, nisi fortè generatio & natiuitas respectu paternitatis & filiationis, non in facto esse, sed tantum in fieri. Propter quod fundamenta nuncupantur à D. Th. *sup. q. 28. a. 4.*

Secundò obseruandum est ex D. Th. *1. dist. 31. q. 1. ar. 1.* de æqualitate dupliciter nos loqui posse. Vno modo quo ad vnitatem quantitatis, quæ causa est æqualitatis, (scilicet vt conditio causę) & sic ratio eius consistit in priuatione, sicut & ratio vnitatis. Quod expresse docet Arist. *10. Metaph. tex. 19. ducens, Est itaque æquale, quod neque magnum, neque paruum, & aptum natum est magnum, & paruum esse, & opponitur ambobus, vt negatio priuatiua.* Si verò consideretur æqualitas quantum ad relationem: sic æqualitas in creaturis aliquid realiter ponit in vtroque extremorum, sed in diuinis personis nihil, nisi secũdum rationem. Quod idem dicendum videtur de similitudine & identitate; horum enim omnium fundamenta necessariò postulant vnitatem, vt ait Philosophus in *5. Metaphys. in cap. de ad aliquid. Hæc enim* (inquit) *secundum vnum dicuntur omnia: eadem namque, quorum est vna substantia: Similia verò, quorum qualitas est vna: æqualia verò, quorum quantitas est vna.* Ad cuius textus intelligentiam sciendum est, substantiam dupliciter sumi posse. Vno modo strictè & propriè, prout dicit ens per se, distinctum contra ens in alio, vt in subiecto. Alio modo latè & minus propriè sumitur substantia, pro essentia cuiuscunq; rei, vt ait S. D. in *1. dist. 25. q. vnica, a. 1. ad 7. & alibi sæpè.* Nomen etiam quantitatis dicitur propriè de quantitate molis, siue dimensiua: minus verò propriè de quantitate virtutis: quæ multiplex est, vt hic aduertit S. D. *ad 1. & in 1. dist. 19 q. 3. a. 1. & alibi.*

Denique nomen qualitatis quatuor modis dicitur, vt ait Philos. *in 5. Metaph. c. de qual.* Ex quibus duo sunt præcipui: primus quo sumitur quale pro differẽtia substãtiæ: secũdus, quo passiones substantiarum vsu cõmuni dicũtur qualitates, vt calor & frigiditas, albedo & nigredo, grauitas & leuitas, & quæcunque talia, secundum quæ dicuntur permutari corpora, & virtus, & vitium, & bonum, & malum, quæ passiones quædam sunt, vt ibidem ait Philosophus. Cùm autem prædicta tria latè sumpta cuilibet enti conueniant (habet enim quælibet res essentiam, virtutem, & differentiam) sequitur etiã in quolibet ente alicui alteri cõparato posse reperiri tres supradictas relationes, videlicet identitatem, æqualitatem & similitudinem: quæ tamen non erunt transcendentes, vt affirmat Rada, sed in ad aliquid prædicamento concluſæ. Non enim consequuntur hæ relationes ad rationem entis, quatenus ens, sed quatenus tale ens contentum in tali specie, puta hominis, vel albi, aut bicubiti. *Rada dictã reijcitur.*

Cùm autem in diuinis triplex consideretur quantitas virtutis, vt ait *hic ad 1.* S. D. *& in 1. dist. 19. quæst. 3. a. 1.* scilicet secundum naturæ complementum, quæ est magnitudo: secũdum perfectionem ipsius esse, quæ est æternitas: & secũdum

dum perfectionem ad opus, quæ est potentia operatiua, vt ibi declarat S. D. (quam doctrinam extendit Rada *in dicta controu. a. 2.*) sequitur in Deo triplex esse fundamentum æqualitatis, nimirum essentiam, æternitatem & potentiam.

Relationis realis duæ conditiones.

Tertio notandæ sunt diligenter duæ conditiones relationis realis ex D. Th. & Cai. *circa respons. ad 4. Prima* verò est, vt fundamenta sint in extremis abinuicem distincta realiter. Cuius rationem affert D. Th. quoniam idem ad seipsum non refertur relatione reali. Vt autem hic aduertit Cai. fundamenta sunt, quæ primò referuntur; Nã esse æquale primò conuenit quãto, rei verò subsratæ, vel coniunctæ non conuenit, nisi ratione quanti: sicut albedini primò conuenit disgregare, subiecto verò ratione albedinis. Vbi aduerte æqualitatem primò conuenire quanto, non tantum vt quo, siuè vt ratio est & causa æqualitatis, sed etiam vt quod per se primò denominatur æquale; non minus enim æqualitas conuenit quantitatibus sub abstractione Matematica consideratis, quam eisdem sensibili materiæ concretis; diffinit enim Matematicus triangulum esse figuram tres angulos habentem æquales duobus angulis rectis; & multiplicem considerat inter lineas, superficies, & figuras, æqualitatem, vt patet in Euclide. Nec tamen dicimus omnia fundamẽta referri vt quod; scimus enim in relatiuis secundi modi, quæ scilicet habent fundamentũ in actione vel actiua potentia, hæc nunc dicta fundamenta non referri, nisi vt rationes sunt siuè causæ referendi; non enim potentia generatiua Petri, aut eius actio qua generat Paulum, refertur relatione paternitatis ad Paulum, aut ad aliquid existens in Paulo, tanquam pater ad filium: sicut linea refertur ad lineam, & figura ad figuram relatione æqualitatis, & primò denominatur æqualis: & similiter albedo refertur ad albedinem relatione similitudinis, & primò dicitur similis: Itaque fundamenta sunt, quæ primò referuntur, saltem vt rationes referendi, ac proinde non erit inter ea, nec inter extrema, quorum sunt fundamẽta, relatio realis, nisi fuerint distincta realiter.

Fundamenta primò referuntur.

Dicit Turrianus, & Zumelli reijcitur.

Ex quo sequitur Turrian. & Zumel. contra mentem A. D. concessisse Scoto vnam numero albedinem duobus subiectis (si fieri posset) inhærentem, causam esse sufficientem realis inter ea similitudinis relatiuæ. Ratio verò quàm affert Torres est leuissima; ait enim futura tunc diuersa alba, perinde ac si haberent diuersas albedines: at si diuersas haberent, vtriusque similitudo esset realis; ergo in data hypothesi est realis. *Resp.* enim futura tunc duo alba tantum adiectiuè, & ideò non æquialeret prorsus vnica albedo duabus: Nam cum fundamenta sint, quæ primò referuntur, & vnius ad seipsum non sit relatio realis, non erit vnius albedinis existentis in vno subiecto ad seipsam alteri etiam inhærentem subiecto realis relatio: quãuis hoc ipso, quod inhæret vtrique, denominaret vtrumque album & esset duo alba adiectiuè.

Vasq. obiectio diluitur.

Nec obstat id, quod objicit Vasq. relationes secundi generis fundari in vna & eadem actione, vt relationes paternitatis & filiationis in eadem generatione, & non in potentia ad actum redacta. *Nam* etsi ratio, siuè conditio fundamenti huiusmodi relationis sit actio, proprium tamen earum fundamentum est potentia, cum relicta dispositione vel habitu, quando post actionem denominatur, subiectum relatiuè, vt contingit in subiectis paternitatis & filiationis: secus autem cum nulla relinquitur denominatio, vt inter mouens & motum; nam cessante motu desinit esse relatio mouentis ad mobile, vt actu motum: & vniuersaliter actione cessante desinit esse relatio agentis ad passum. Vt enim ait Philos. *2. Physic. tex. 37. & 5. Metaph. in cap. de causa in fine.* Agentia singularia simul sunt, & non sunt cum his, quorum sunt causæ, vt hic ædificator cum hoc ædificio. Videndus est S. Thom. *in 1. dist. 8. quæst. 1. a. 5.*

Sed præterea falsum est relationes patris & filij in vna patris generatione fundari. Nã, vt superius ostendimus *q. 25. a. 1.* actio est in agẽte realiter à passione, quæ recipitur in patiente distincta: atque ideo sunt duæ rationes distinctæ realiter, siuè conditiones in duobus dictarum relationum fundamentis. Quæ verò Zum. aduersus hanc partem obijcit argumenta, diluentur inferius.

ALTERA *conditio est*, vt relationis fundamentum non sit alia relatio. Cuius rationem affert S. D. quia sic relatio multiplicaretur in infinitum. Vnde (inquit) cum dicimus paternitatem opponi filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem. Hæc conditio, vt hic aduertit Caiet. non tollit realitatem à relationibus, sed earum distinctionem à fundamentis. Vt enim iam dictum est cum D. Th. oppositio paternitatis & filiationis non est relatio media, sed idem est quod paternitas & filiatio, quæ seipsis opponuntur relatiuè, sicut & quælibet alia correlatiua.

Duplex respectus potest in relatione fundari.

Ad cuius euidentiam aduerte primò duplices in relationibus, puta paternitate & filiatione creata, posse fundari respectus. Sunt enim quidam in ipsis relationibus intimè clausi, vt oppositio & distinctio siuè diuersitas paternitatis & filiationis, à quibus non sunt hæ relationes etiam per primam operationem intellectus separabiles; Nam de ratione relationum adinuicẽ relatarum est oppositio, quæ distinctionem intimè claudit. Et de his respectibus videntur hic loqui D. Thom. & Cai. quamuis enim reales sint, non tamen realiter distinguuntur à relationibus, quæ secundum suas rationes eos intrinsecè claudunt: Paternitas enim seipsa opponitur filiationi, & ab ea distinguitur, & è contra; alioquin procederetur in infinitum: vt exempli gratia, si paternitas opponeretur filiationi per superadditam realem relationem, & oppositio paternitatis distingueretur realiter ab oppositione filiationis per aliam superadditam relationem, quæ esset distinctio: oporteret etiam distinctionem opponi distinctioni alterius extremi per aliam superadditam relationem, cuius oppositionis extrema distinguerẽtur realiter per aliam superadditam relationẽ, & sic in infinitum. Quidam alij sunt respectus, qui præexistentibus accidunt relationibus, & ab eis diuersos habent terminos, vt similitudo vnius paternitatis ad aliam; de quibus eadem est ratio, vt ex dicendis apparabit.

Ratio diuersa relationis, & fundamenti.

Secundò aduerte fundamentum omne relationis respicere subiectum, quod relatiuè denominatur & refertur, & relationem velut effectum ex eo promanantem & in eo receptum: Relatio verò etiam realis, vt relatio realis est, id est, prout dicit ad reale, nec respicit subiectum in quo est, nec vim habet productiuam, & multo minus alterius entitatis receptiuam;

respectus enim vt sic etiam realis importatus, A exempli gratia nomine paternitatis formaliter sumptæ, hoc ipsum quod est, ad alterum est, videlicet correlatiuum, qui est filiatio, vt correlatiuum est formaliter. Vis autem productiua productum respicit vt effectum: receptiua verò receptibile respicit, sicut potentia proprium actum, quæ secundum se conuenire relationi nullo modo possunt; cum ex omnibus entibus ad prædicamenta redactis relatio sit vltimum adueniens substantiæ, vt alibi docet S. D. Non esset autem vltimum relatio ex sui ratione formali, si ex relatione reali pullularet alia relatio, & reciperetur in ea; oportet enim id omni relationi conuenire, quod rationem B formalem relationis comitatur.

Ex his sequitur primò, nõ solum respectus prædictos in relationibus intimè clausos non esse realiter ab ipsis relationibus distinctos, sed nec etiam eos respectus, qui sunt ad alios terminos, & præexistentibus accidunt relationibus, vt respectus similitudinis vnius paternitatis ad aliam: cuius oppositum absque sufficienti ratione docet Suar. *disp. Metaph. 47. sectione 11. nu. 5. & sequentibus*, cuius argumentis satisfiet inferius.

Suarezij dictum reijcitur.

Sequitur secundò oppositionem in ratione relationis realis inclusam esse realem, vt hic affirmat Cai. quod tamen negat Mol. quem sequitur quidam modernus Thomista; nullum C enim ens reale claudit in sui ratione ens rationis in recto, vel tanquam genus, aut commune prædicatum, cuius sit ens reale pars subiectiua. Constat autem oppositionem de mutuo relatiuo respectu, veluti genus, aut generis instar prædicati, vt patet ex Arist. *in post prædicamẽt. capute de oppositis.* Et cõfirmatur hæc veritas; quoniam sola realis oppositio realem efficit distinctionem relatiuam; omnis enim distinctio fit per extremorum oppositionem, & qualis est oppositio, talis est eorum distinctio. Quamobrem SS. Patres, Concilia & Scholastici doctores affirmantes solam oppositionem relatiuam in diuinis distinguere, de reali, non verò secundum rationem tantum oppositione sunt intel- D ligendi. Et non leuem existimo lapsum contra fidei veritatem, solam confiteri rationis oppositionem inter diuinas relationes & realem negare. Hoc enim dicendi modo Sabellianus error, non occultè solum & tacitè, sed palam & ore pleno reuocatur ab inferis.

Molinæ opinio reijcitur.

Relationis rationis quatuor modi ex Capr.

Quartò Sciendum est ex Capr. in *dicta dist. 31. ad argumenta Aur. contra secundam partem tertiæ concl.* quatuor esse modos relationis rationis. *Quædam enim est* (inquit Capr.) *cuius nullum extremum aut fundamentum est actu in rerum natura: Quædam verò cuius extrema sunt actu in rerum natura, sed non realiter distincta: Quædam verò cuius extrema sunt realiter distincta, sed non possunt fundare relationem re- E lem: Quædam denique cuius extrema possunt fundare relationem realem, sed non adinuicem: Exemplum primi, vt prioritas præteritorum ad futura: Exemplum secundi, vt identitas Sortis ad se: Exemplũ tertij, vt oppositio quæ est inter duas relationes: Exemplum quarti, vt relatio scibilis ad scientiam.* Hæc ibi Capr. Vbi aduerte, non esse mentem Capr. oppositionem omnem relationum esse relationem rationis, sed eam tantum cuius fundamenta non sunt realiter distincta, vt patet in similitudine & æqualitate diuinarũ personarũ, & eã quæ aliã supponit oppositionẽ, & non est inter eadẽ extrema, aut eiusdem rationis est cum relatione, quæ supponitur vt eius fundamentum, vt duarum similitudinum similitudo. De modis relationũ rationis nonnihil diximus supra *q. 13. a. 7.* legendus est D. Th. *de pot. q. 7. a. 11.*

Turriani, & Molinæ opi. reijciuntur.

Quare noua est phantasia Turriani *in 3. parte comm.* & Mol. *disp. 1.* dicentium, quoties adest fundamentum & ratio fundandi relationem rationis, illam esse simpliciter & formaliter in obiecto, secluſa alia operatione intellectus, non autẽ eas quæ pẽdent ab operatione intellectus tanquam à ratione fundandi: vt pendent illæ, quæ secundæ intentiones vocantur. Ad prioris generis relationes dicunt pertinere diuinarum personarum æqualitatem & similitudinem. *Sed hæc vana* sunt omni prorsus soliditate destituta. Nam vt diuinæ personæ verè sint & propriè dicantur æquales ac similes, sufficit vnitas essentiæ & personarum distinctio, vt paulò post dicemus cum Cai. Et præterea implicat relationem rationis esse sine actu rationis.

Fundamentum æqualitatis diuinæ.

Quintò considerandum est æqualitatis diuinæ fundamentum esse vnitatem essentiæ, siuè essentiam vt maximè vnam, atque ideo iuxta prædicta diuinarum personarum æqualitas nõ potest esse relatio realis.

Ex quo sequitur falsam esse eorum opinionem, qui dicunt relationes Paternitatis & filationis in essentia vel in actu essentiali intellectus habere fundamentum: sic enim non posset realis inter eas esse distinctio. Fundatur igitur Pater- *Fundamenta paternitatis, & filationis diuinæ.* nitas in actu notionali, qui est dicere siue intelligere exprimẽdo, vel generare; Filiatio verò in ipso generari siue dici vel nasci; Nam etsi actus prædicti sint verè & realiter relationes, sunt tamen verè & realiter actus, & ad modum actus concipiuntur; & quamuis, vbi fundamenta relationum aliter distinguuntur, quàm relatiuè, distinctæ relationes requirant fundamenta prius, & aliter distincta, quam per relationes; vbi tamen fundamenta relationum non sunt aliud à relationibus, nec distinguuntur nisi relatiuè, non oportet fundamenta prius natura distingui, quàm relationes distinguantur, sed relationes distinguuntur sua fundamenta, vt ait Capr. *circa finem q. prædictæ* ex D. Th. *de pot. q. 8. a. 3. ad 12. & supra q. 40. a. 2. ad 4.* itaque distinctio generationis, & natiuitatis per eas ipsas fit relationes, quarum sunt fundamenta.

Sed præterea dici potest relationes distinguẽtes generationem & natiuitatem idem esse realiter quod paternitas & filiatio, sed ab eis ratione distingui; & prius esse easdẽ relationes, quatenus concipiuntur vt distinguentes origenes, quàm vt intelliguntur sub ratione paternitatis & filiationis; vt enim distinguunt origines siue actus, sunt formaliter ordines inter ipsos actus, qui sunt generatio & natiuitas, nec aliquo speciali gaudent nomine, sicut habent speciale nomen, cum considerantur vt tales relationes in dictis actibus fundatæ, quæ sunt paternitas & filiatio, quibus Pater & filius distinguuntur abinuicem; Quamuis igitur sint idem secundum rem paternitas & ordo generationis ad natiuitatem, & similiter filiatio sit eadem cum ordine natiuitatis ad generationem, prius tamen modo nostro intelligendi concipiuntur hæ relationes, vt ordines originum eas distinguentes, quam sub ratione paternitatis & filiationis: Cum itaque dicit S. D. & post eum Capr. & *Dictum D. Th. Explicatur.* Caiet. Diuinas relationes secum ferre sua fundamenta & eorum distinctionem, intelligendum est de relationibus Diuinis secundum rem; quod autem modo dicimus, accipiendum est

est quoad easdem relationes sub diuersa ratione conceptas.

Defect. Zumel. Val. & Molinæ. *Et ex his patet primò* lapsus Zumel. dicentis prædictas relationes fundari in actu essentiali intellectus, qui vnus est in patre & filio.

Secundò Val. Mol. & alios non plenè satisfeciſſe propositæ difficultati, de fundamento diuinarum relationum.

Æqualitas in diuinis dupliciter. *Postremò obseruandum est* cum Cai. æqualitatem in diuinis dupliciter sumi. Vno modo formaliter, id est, vt relatio est: & sic relatio rationis est, nec habet esse, nisi per opus intellectus. Alio modo fundamentaliter quo ad ea, quæ necessariò præexiguntur in diuinis, vt cõcipiatur in eis relatio æqualitatis, hæc verò sunt vnitas essentiæ, & distinctio personarum: & secundum hanc rationem æqualitas realiter est in diuinis ante omne opus intellectus, sicut in eis vna est essentia, & personæ distinctæ: quemadmodum etiam nullo intellectu considerante pater est idem sibi ipsi realiter, cum tamen relatio identitatis non sit realis sed rationis. Aequalitas autem hæc fundamentalis, cum essentiam & eius vnitatem includat, perfectio simpliciter est, non ratione vnitatis formaliter, quæ negatio est diuisionis, sed ratione essentiæ: sicut vnum ratione entitatis potest esse perfectio simpliciter, non autem ratione vnitatis formaliter, id est ratione indiuisionis, quæ negatio est. Aequalitas autem formaliter, cum sit relatio & ens rationis, nullam potest dicere perfectionem.

Quod sint relationes æqualitatis in diuinis. Torres *in 4. parte Comm.* recenset numerum relationum æqualitatis & similitudinis, vsque ad viginti secundum Scotum, secũdum nos verò vsque ad octo.

Conclusiones, deductæ & probatæ. PRIMA CONCL. *Vt sit realis relatio, necesse est fundamenta distingui realiter, & vt eadem non sint relationes.*

SECVNDA CONCL. *Oppositio relationis realis est realis relatio, quamuis non sit realiter ab ea distincta.*

TERTIA CONCL. *Nulla potest esse relatio rationis absq; opere intellectus, nisi fundamentaliter*

QVARTA CONCL. *Aequalitas, similitudo & identitas diuinarum personarum, non est relatio realis ob eam causam, quia non habet fundamenta distincta realiter.*

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta relata & soluta à Capr. *in dicta distinct.* & Cai. & alijs *Super hoc a.* Argumenta verò Suar. contra secundam partem eiusdem concl. facilem habẽt solutionem.

Obi. contr. 2. concl. CONTRA *secundã concl.* argumentatur Mol. Relatio patris ad filium est inæqualis comparationis; relatio verò oppositionis quæ inter vtramque personam cernitur, est æqualis comparationis, eo quòd oppositum relatiuo oppositio relatiuè sit oppositum: At relationes æqualis & inæqualis comparationis non possunt esse eiusdem speciei, nedum eadem prorsus relatio; ergo. *Resp.* minorem esse falsam in ijs relationibus, quarum vna intrinsecè clauditur in altera, vt in proposito. Nam, vt ante diximus, relatio oppositionis intrinsecè clauditur in ratione paternitatis & filiationis, & omnis relationis, vt commune superius in inferioribus partibus subiectiuis: sicut animal in homine & leone. Secundò dico relationes illas distingui formaliter, sed quandoque esse idem realiter.

Solut.

CONTRA *tertiam* concl. tãgit motiua quædam friuola Turrianus, quibus tantum probat esse posse relationem rationis fundamentaliter absque opere intellectus.

CONTRA *quartam* concluſ. sunt argumenta Scoti & Aureoli apud Capr. ab eo soluta, ex quibus præcipua referuntur hic & soluuntur à Cai. & alijs. Eadem argumenta frustra profert Rada. Contra eandem concl. quoad secundam eius partem continentem causam propter quam non sit æqualitas relatio realis, argumentatur Zumel. *Primò*. Fundamentum relationis verbi in nobis est actio intellectus, qua producitur; igitur in Deo fundamentum relationis verbi est actio intellectus paterni; sed actio intellectus in Deo reipsa est eadem cũ actione intelligendi essentiali in omnibus personis; ergo & relatio realis habet idem fundamentum secundum rem. Declaratur & *confirmatur* hoc. Quoniam relationes originis sunt reales in diuinis, & tamen fundamentum earũ non est distinctum ex natura rei in extremis; quia illud est essentia seu potentia generandi; ergo. *Resp.* falsum esse antec. Nam proximum fundamentum relationis verbi ad dicentem in nobis est ipsum verbum, quod in nobis non est relatio, sed qualitas absoluta. Secundo dico, actionem intellectus diuini, in qua fundatur relatio ad verbum, esse notionalem modo superius expresso, & potentiam generandi non esse essentialem, sed propriam personæ patris. Relatio verò verbi ad dicentem, siue filij ad patrem, fundatur in passiua generatione. Vnde *ad confirm.* negatur fundamenta relationum originis non esse distincta realiter, hæc enim sunt origines actiuæ & passiuæ, quæ distinguuntur realiter.

Obi. 1. cont. 4. conc. 1 *Confir.* *Solut.* *Ad confir.*

Sed hanc respons. sic arguit Zumel. *Primò*. Origines non sunt fundamenta, sed vt plurimũ sunt rationes fundandi; ergo. *Secundò* Relationes illæ sunt subsistentes; ergo non indigent ratione fundandi eas præcedente. *Tertiò*. In Deo origines non distinguuntur realiter, nec inter se, nec ab essentia, nisi in relationibus quas connotant, quæ sunt illæ de quibus nunc quærimus fundamentum. *Vltimò*. Vel origo fundat ratione absoluti, vel ratione respectiui: Non ratione respectiui; ergo ratione absoluti: Sed illud absolutum est idem in omnibus personis; ergo ex hoc sequeretur, quòd relationes omnes diuinæ sint relationes rationis, quod est contra fidem. *Resp. ad primum* nullam esse conseq. Deinde negatur antecedens in actionibus immanentibus, quæ simul durant cum relationibus ad eas consequentibus. *Ad secundum* negatur conseq. si loquamur formaliter, & secundum modum nostrum intelligendi in re fundamentum habente. Diuina enim intelligimus ad modum rerum creatarum: quamuis secundum se consideratæ diuinæ relationes nullo indigeant fundamento, vt sæpè docet S. D. sed ferant secum sua fundamenta. *Ad tertium* negatur relationes, quibus distinguuntur origines esse illas formaliter, quæ fundantur in eis; distinguuntur enim formaliter modo superius expresso, quamuis sint idem cum eis realiter. *Ad vltimum* dico origines fundare relationes ratione suæ integræ rationis, quæ dicit absolutum in recto, & relationem in obliquo: ita vt absolutum sit ratio fundandi præcipua, relatio verò secundaria vel conditio necessaria.

Replica 1. *2.* *3* *4* *Sol. repl. 1* *2* *3* *4*

CONTRA *eandem partem* argumẽtatur Rada. Actus notionales secundum rem, & secun-

Obi. 2.

dum proprias rationes formales sunt relationes à relationibus diuinis formaliter minimè distinctæ. Ergo relationes non fundantur super actus notionales. Antec. probatur. Quia generatio à parte rei formaliter est paternitas. Conseq. verò probatur. Quia tunc in seipsis relationes fundarentur. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. vt ostendimus *in q. proximè præcedente a. 1.* Ad probationem negatur antecedens.

Obi. 3. *Secundò.* Actus ipsi notionales sunt relationes, quarum fundamentum sola essentia potest constitui, quæ ob sui infinitatẽ relationes originis oppositas fundare potest. Ergo relationes *Solut.* originis fundantur in ipsa essẽtia. *Resp.* falsũ esse antec. formaliter loquendo. Quod si quæras fundamentum illius relationis quam in obliquo significat origo, dico esse actum ipsum non absolutè, sed vt est à persona, vel ad personam tali proprietate vt hypostatica forma constitutam; exempli gratia, generatio, quæ est origo, vt egrediens à persona Patris, includit ordinem originis ad natiuitatem; qui ordo fundatur in actu intelligendi Patris, non absolutè, sed prout est talis personæ constitutæ tali proprietate vt hypostatica forma, quæ est paternitas. Similiter ordo, quem includit natiuitas ad generationem, fundatur in actu intelligendi, non absolutè, sed prout est verbi productiuus, cuius constitutiua proprietas est filiatio, vt hypostatica forma: quę tamen vt relatio fundatur in ipsa natiuitate, sicut paternitas vt relatio in generatione.

Deinde profert idem author alia quædam argumenta, quæ vel assumunt propositiones manifestè falsas in doctrina D. Th. vel eadem sunt cum argumentis Scoti, quibus plenè respondẽt authores iam dicti.

Alia argumenta contra prædictas conclusiones, & præsertim vltimam, & eorum solutiones lege, si placet, apud expositores.

Argumenta pro sententia Dur. superius relata profert & soluit Capr.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum persona procedens sit coæterna suo principio, vt filius patri.

221. 4. cont. c 11. Et pot. q. 2. a. 3. cor. & q. 3. art. 13. Et opus. 3. c. 41.

AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quod persona procedens non sit coæterna suo principio, vt filius patri. Arrius enim duodecim modos generationis assignat. Primus modus est iuxta fluxum lineæ à puncto. Vbi deest æqualitas simplicitatis. Secundus modus est iuxta emissionem radiorum à Sole. Vbi deest æqualitas naturæ, Tertius modus est iuxta characterem, seu impressionem à sigillo. Vbi deest cõsubstantialitas, & potentiæ efficientiæ. Quartus modus est iuxta immissionem bonæ voluntatis à Deo. Vbi etiam deest consubstantialitas. Quintus modus est iuxta exitum accidentis à subiecto. Sed accidenti deest subsistentia. Sextus modus est, iuxta abstractionem speciei à materia: sicut sensus accipit speciem à re sensibili. Vbi deest æqualis simplicitas spiritualis. Septimus modus est, iuxta excitationem voluntatis à cogitatione. Quæ quidem excitatio temporalis est. Octauus modus est, iuxta transfigurationem, vt ex ære fit imago: quæ materialis est. Nonus modus est, motus à mouente, & hic etiam ponitur effectus & causa. Decimus modus est, iuxta eduxionem specierũ à genere. Qui non competit in diuinis: quia pater non prædicatur de filio, sicut genus de specie. Vndecimus modus est, iuxta ideationem: vt arca exterior ab ea quæ est in mente. Duodecimus modus est, iuxta nascentia: vt homo est à patre. Vbi est prius, & posterius secundum tempus. Patet ergo, quod in omni modo quo aliquid est ex altero, deest æqualitas naturæ, aut æqualitas durationis. Si igitur filius est à patre, oportet dicere, vel eum esse minorem patre, aut posteriorem, aut vtrumque.*

2 Præt. Omne quod est ex altero, habet principiũ: sed nullum æternum habet principium. Ergo filius non est æternus, neq; Spiritus sanctus.

3 Præt. Omne quod corrumpitur, desinit esse. Ergo omne quod generatur, incipit esse. Ad hoc enim generatur, vt sit. Sed filius est genitus à patre. Ergo incipit esse, & non est coæternus patri.

4 Præt. Si filius genitus est à patre, aut semper generatur, aut est dare aliquod instans suæ generationis. Si semper generatur (dum autem aliquid est in generari, est imperfectum: sicut patet in successiuis, quæ sunt semper in fieri, vt tempus & motus) sequitur quod filius semper sit imperfectus. Quod est inconueniens. Est ergo dare aliquid instans generationis filij. Ante illud ergo instans filius non erat.

*Sed contra est, quod Athanasius dicit, * quod totæ tres personæ coæternæ sibi sunt.* * in suo simbolo fidei.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere filium esse coæternum patri.

Ad cuius euidentiam considerandum est, quod aliquid ex principio existens posterius esse suo principio, potest contingere ex duobus. Vno modo ex parte agentis: alio modo ex parte actionis. Ex parte agentis quidẽ, aliter in agentibus voluntarijs, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem voluntarijs, propter electionem temporis. Sicut enim in agẽtis voluntarij potestate est eligere formam quam effectui conferat, vt suprà dictũ est: * ita in eius potestate est eligere tempus in quo effectum producat. In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agẽs aliquod non à principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed ei aduenit post aliquod tempus, sicut homo non à principio generare potest. Ex parte autem actionis impeditur ne id quod est à principio, simul sit cum suo principio, propter hoc quòd actio est successiua. Vnde dato quòd aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum est, non statim in eodem instanti esset effectus, sed in instanti ad quod terminatur actio. Manifestum est autem secũdum præmissa,* * quòd pater non generat filium voluntate, sed natura. Et iterum quòd natura patris ab æterno perfecta fuit. Et iterum quòd actio, qua pater producit filium, non est successiua: quia sic filius Dei successiuè generatus esset, & eius generatio materialis, & cum motu esset, quod est impossibile. Relinquitur ergo quòd filius fuit quandocunq; fuit pater. Et sic filius est coæternus patri, & similiter Spiritus sanctus vtrique.* q. 41. a. 2. q. præc. a. 1.

Ad Primum ergo dicendum, quòd sicut Aug. dicit in lib. de Verbis Domini, nullus modus processionis alicuius creaturæ perfectè repræsentat diuinam generationẽ. Vnde oportet ex multis modis colligere similitudinẽ: vt quòd deest ex vno, aliqualiter suppleatur ex altero. Et propter hoc dicitur in Synodo Ephesina. Coexistere semper coæternum patri filium splendor tibi denunciet. Impassibilitatẽ natiuitatis ostendet verbum, consubstantialitatẽ filij nomen insinuet. Inter omnia tamen expressius repræsentat processio verbi ab intellectu. Quod quidẽ non est posterius eo à quo procedit: nisi sit talis intellectus qui exeat de potentia in actum. Quod in Deo dici non potest.* * Ser. 38. pò tom. 10.

Ad Secundum dicẽdum, quòd æternitas excludit principium durationis, sed non principium originis.

Ad Tertium dicendum, quòd omnis corruptio est mutatio quædam. Et ideo omne quod corrumpitur incipit non esse. & desinit esse. Sed generatio

diui-

diuina non est transmutatio, vt dictum est supra.
q. 27. a. 2 * Vnde filius semper generatur, & pater semper generat.

Ad Quartum dicendum, quòd in tempore aliud est quod est indiuisibile, scilicet instans: & aliud est quod est durans, scilicet tempus. Sed in æternitate ipsum nunc indiuisibile est, & semper stans, vt supra
q. 10. a. 4. dictum est. * Generatio verò filij non est in nunc temporis: aut in tempore, sed in æternitate. Et ideo ad significandum præsentialitatem, & permanentiam æternitatis, potest dici quòd semper nascitur, vt Origenes dixit. Sed (vt Greg. & August. † dicunt) melius est quòd dicatur semper natus: vt ly semper, designet permanentiam æternitatis: & ly natus, perfectionem geniti. Sic ergo filius non imperfectus est, neq; erat quando non erat, vt Arrianus dixit.

† Hom. in c. 1. Ioan. à med. to. 2. Aug. in Ps. 2. supra id: hodie genui te: tomo 8. Greg. 29 li. mor. cap. 1.

Sensus quæsiti.

HIc aduerte non solum quæri, vtrum persona procedens fuerit ab æterno, sed an sit æqualis suo principio in æternitate, vt patet ex introductione quæstionis, quod altius est quæsitum. Nam si cælum fuisset ab æterno, non tamen esset æquale Deo in æternitate.

Forma Textus.

„ CONCL. est. Necesse est dicere filium esse coæ-
„ ternum patri. Probatur. Omne ex principio existens posterius illo, aut procedit ab illo voluntariè, aut à natura paulatim perfecta, aut actione successiua; at pater non generat filium voluntate, sed natura, & patris natura ab æterno perfecta fuit, & actio qua pater generat filium non est successiua; ergo filius fuit, quandoque fuit pater, quod est filium esse coæternũ patri: & eadem est ratio de Spiritu sancto, respectu patris & filij. Maior probatur distinguendo & ostendendo multiplicem causam posterioritatis eius, quod est à principio respectu sui principij, nimirum ex parte agentis, vel ex parte actionis. Et ex parte agentis aliter in agentibus voluntarijs, & aliter in agentibus naturalibus, vt perspicuè habetur in textu. Minor quo ad priores duas partes relinquitur vt nota; quo ad tertiã verò probatur; quia sic filius successiuè generatus esset, & generatio materialis esset, & cum motu quod est impossibile.

Aliam Torres adhibet formam, quem sequuntur Molina & Valentia.

Expositio Textus.

CIRCA probationem minoris aduertit Cai. consequentiam non pendere ex illa propositione: *Vbicunq; est materia, vbi est successio*; Est enim falsa; cum in intellectu Angeli sit successio, in quo tamen non est materia; sed infertur (inquit) ex hac, vbicunque est generatio successiua substantiæ, ibi est materia, quæ verissima est, & patet inductiuè in omni substantiali generatione successiuè facta.

De materia responsionis *ad quartum argumẽtum* vide Mag. *in 1. dist. 9.* & D. Th. *ibi q. 2. a. 2. & in 4. cont. gent. c. 11. & alijs locis ad marginem notatis.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ.

222. 1 dist 12. a. 1. & di 20. a. 3. & 2o. q. 10. art. 3, cor.

AD Tertium sic proceditur. *Videtur, quòd in diuinis personis non sit ordo naturæ. Quicquid enim in diuinis est, vel est essentia, vel persona, vel notio. Sed ordo naturæ non significat essentiam, neque est aliqua personarum, aut notionum. Ergo ordo naturæ non est in diuinis.*

2 Præterea. In quibuscunq; est ordo naturæ, vnum est prius altero, saltem secundum naturam & intellectum, sed in diuinis personis nihil est prius & posterius, vt Athan. * *dicit: Ergo in diuinis personis non est ordo naturæ.* *In suo symbolo fidei.

3 Præterea. Quicquid ordinatur, distinguitur: sed natura in diuinis non distinguitur. Ergo non ordinatur. Ergo non est ibi ordo naturæ.

4 Præterea. Natura diuina est eius essentia. Sed non dicitur in diuinis ordo essentiæ. Ergo neq; ordo naturæ.

Sed contra, vbicunq; est pluralitas sine ordine, ibi est confusio, sed in diuinis personis non est confusio, vt Ath. * *dicit. Ergo est ibi ordo.* *In suo symbolo fidei.

Respondeo dicendum, quòd ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Vnde sicut dicitur principium multipliciter, scilicet secundũ situm, vt punctus: secundum intellectum, vt principium demonstrationis, & secundum causas singulas: ita etiam dicitur ordo. In diuinis autem dicitur principium secundum originem absq; prioritate, vt supra dictum est. * *Vnde oportet ibi esse ordinem secundum originem absq; prioritate, Et hic vocatur ordo naturæ secundum August.* † *non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.* * q. 33. a. 1. ad 3. præcipuè. † ex lib. 4. sup. Gen. c. 34. & 35. to. 3. Et ex oratione de quib. hæresibus à medio 10. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd ordo naturæ significat notionem originis in communi, non autem in speciali.

Ad secundum dicendum, quòd in rebus creatis etiam cum id quod est, à principio, sit suo principio coæuum secundum durationem; tamen principium est prius secundum naturam & intellectum, si consideretur id quod est principium. Sed si considerentur ipsæ relationes causæ & causati, & principij & principiati, manifestum est, quòd relatiua sunt simul natura & intellectu, inquantum vnum est in diffinitione alterius. Sed in diuinis ipsæ relationes sunt subsistẽtes personæ in vna natura. Vnde neq; ex parte naturæ, neq; ex parte relationum, vna persona potest esse prior alia, neq; etiam secundum naturam & intellectum.

Ad tertium dicendum, quòd ordo naturæ dicitur, non quòd ipsa natura ordinetur, sed quòd ordo in diuinis personis attenditur secundum naturalẽ originẽ.

Ad quartum dicendum, quod natura quodammodo importat rationẽ principij, non autem essentia. Et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quàm ordo essentiæ.

Sensus quæsiti.

EX RESPONSIONE ad tertium argumentum colligitur sensus quæsiti, quem hic aperit Cai. & post eum Sylu. & Torres. Nam obliquus ille, *naturæ*, non determinatur per dictionem illam, *ordo*, ita vt significetur naturam ordinari, vel ordinem esse naturæ tanquam rei ordinatæ, sed ponitur ad specificandum ordinem de quo quæritur, & ad significandum quæstionem hic esse non de quocunque ordine, sed tantum de ordine naturæ, id est de ordine naturali, qui est ordo originis. Dicitur autem ordo naturalis, vt distinguitur contra liberum, qui .s. distinguitur contra liberum, quem Aug. in textu relatus dixit esse ordinem, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero. Vel dicitur ordo naturæ, quoniã essentiæ Dei cõuenit ex natura sua, vt ordine quodam sit in tribus suppositis, scilicet in patre ex se & absq; vlla processione, in filio per natiuitatem à patre, in Spiritu S. per processionem à patre & filio, vt hic etiã annotauit Zu. quẽ sequitur Suar.

For-

Forma Textus.

» CONC. *est. In diuinis personis est ordo naturæ,*
» *non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.* Probatur primò. In diuinis oportet esse ordinem secundum originem absque prioritate; at hic vocatur ordo naturæ secundum Augustinum, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero; ergo. Prima propositio probatur. Sicut principium dicitur multipliciter, scilicet secundum situm vt punctus, secundum intellectum vt principium demonstrationis, & secundum causas singulas, ita dicitur ordo. At in Diuinis dicitur principium secundū originem absque prioritate. Ergo oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate. Prima propositio huius argumenti probatur; quia ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium; ergo sicut dicitur principium multipliciter &c. Secunda verò propositio probatur ex dictis supra *quæst. 33. art. primo.*

Expositio Textus.

HVIVS art. concl explicat S. D. in respõsione ad secundum, vbi Cai. aliud eiusdem authoris dictum supra *quæst. 40. art. vltimo,* quod obijcit Scotus tanquam huic doctrinæ contrarium, aptè conciliat, quæ conciliatio videtur desumpta ex eodem A. D. *in 1. dist. 12. q. vnica a. 1.* Eandem concl. latius explicat author *in 1. dist. 20 q. 1. a. 3.* ex quo loco & alijs eiusdem S. D. assertis, Zumel. eiusdem conclusionis aperit veritatem, quæ sequentis controuersiæ disputatione & definitione reddetur illustrior.

Vide etiam quæ scribit Torres circa respons. ad primum argum. D. Th.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate conclusionis: an videlicet in diuinis personis sit ordo naturæ sine ratione prioris, & posterioris.

Sententiæ Doctorum.

SCOTVS *in 1. dist. 12 q. 2. & dist. 28. q. vlt. & in quolib. q. 4.* docet Patrem esse priorem origine filio, & patrem simul & filium Spiritu S. Quam sententiam explicat & tuetur Rada *contro. 5.* dicens ordinem originis non includere ordinem naturæ, nec illum præexigere, aut coexigere necessariò: nec prioritatem naturæ includere necessariò, vel præexigere, aut coexigere ordinem originis; quia inter species positas sub eodem genere est ordo naturæ essentialis eminentiæ sine ordine originis, quia vna nõ est ab alia. Dicit præterea in vno instanti naturæ posse esse plura instantia originis; quia prioritas originis compossibilis est cum simultate opposita prioritati naturæ. Postremò declarans mentem Scoti statuit duas conclusiones, quæ sunt apud eum septima, & octaua. Prior est. Cum Scotus affirmat vnam personam diuinam esse priorem origine alia, aut esse in aliquo signo, aut instanti originis in quo non sit alia, non intelligit quòd secundum aliquam permanentiam, aut durationem vna persona sit prior alia. *Posterior* est. Secundum mentem Doctoris subtilis prius origine est id, quod vel habet esse à se, vel agit à se; quia virtutem operādi à se habet: Posterius verò origine, quòd habet esse ab alio, vel quod agit ab alio; quia virtutem actiuam ab alio recipit. Hanc interpretationem colligit Rada ex varijs Scoticæ doctrinæ locis; quem sensum prius attigerat Caiet. & post eum Torres & Suarez, & quidam alij.

Sed Iauel. & Mol. contendunt Scotum in diuinis personis affirmasse non tantum prius à quo, sed etiam prius in quo, sequentes Arimínensem, Gabrielem & Bacconem, Scoto prædictam sententiam tribuentes. Et quamuis verba Scoti, quæ refert Mol. sensum illum planè satis præferre videantur, ea tamen Torres, Rada & Zumel. quamuis hic non satis sibi constet, in benigniorem partem, & magis Catholicæ veritati consentaneam interpretantur: adeo, vt non re significata, sed verbis & modo loquendi tantum Scotus ab A. nostro D. dissentiat, vt hic affirmat Cai. & alij.

Zumel. & Torres dicunt simpliciter, & absolutè loquendo nullam esse à parte rei in Deo, neque inter diuinas personas prioritatem, sed cum addito loquendo dici posse inter diuinas personas esse prioritatem originis, quæ prioritas originis eo modo (inquit) quo est prioritas, est à parte rei.

Eandem sentẽtiam sequuntur Vasq. & Suar. quam etiam dicunt non aduersari doctrinæ D. Thom.

Resolutio, Ex ratione formali, & differentijs siue modis prioris & posterioris ostenditur hac ordini diuinarum personarum non inesse.

EX VOCVM significatione bene perspecta præcipuè pendet propositæ controuersiæ definitio. Vt autem aduertit S. D. *in 1. dist. 20. q. 1. a. 3.* ex Arist. *5. Metaph. tex. 5.* nomen naturæ importat rationem originis: Ex quo sequitur, vt hæc duo nomina, *ordo, naturæ,* sumantur in vi vnius nominis ad significandum speciem ordinis: quę quidem species (inquit S. D.) saluatur in diuinis personis, quo ad rationem differentiæ, non quo ad rationem generis, quæ est ratio prioris & posterioris. Quod in alijs de Deo prædicatis ostenderat cumulatè *in eodem lib. dist. 4. q. 1. a. 1. & supra q. 13. a. 3. ad 1. & alibi* vbi communem hanc statuit regulam. *Quandocunq; aliquid secũdum suũ genus dicit imperfectionem, & secundum differentiam perfectionem, inuenitur in Deo, quantum ad rationem differentiæ, & non quantum ad rationem generis. Sicut scientia non est in Deo quantum ad rationem habitus, vel qualitatis: quia sic habet rationẽ accidentis, sed solum secundum id, quod complet rationem scientiæ, scilicet cognoscitiuum certitudinaliter aliquorum.* Hæc D. Th. *in 1.* Igitur in diuinis, vt etiam affirmat Aug. est ordo naturæ, quo aliquis est ex alio, in quo ponitur (inquit ibi S. D.) differentia originis, & non prior alius in quo remouetur ratio generis. Ex quo deducit non esse concedendum esse ibi ordinem simpliciter, sed ordinem naturæ. Vbi aduerte duo. *Primum* est, D. Tho. in toto illo a. sicut etiam in hoc, pro eodem formaliter accipere ordinem naturæ, & ordinem originis, & his nominibus vt synonimis indifferenter vti, vt perspicuè patet hic *in resp. ad 4. Secundum* est, nec ibi, nec alibi S. nostrum D. affirmasse prioritatem secundum originem in diuinis.

Obiectio Scoti. & Rada, diluitur à Cai. & Cap

Quod autem obijcit Scotus, & post eum Rada *ex q. 40. a. 4.* de prioritate personæ patris secundum intellectum, respectu generationis actiuę, & cõsequenter respectu filij, soluitur hic ab expositore Cai. & à Principe Thomistarũ Cap. *in 1. dist.*

distinct. 6. quæst. 1. ad 1. Scoti, contra 6. concl. De A qua difficultate copiosè disseruimus *in dicto articulo, in controuersia de constitutiuis personarum.*

Præterea sciendum est duplex esse prius & posterius natura, scilicet, in quo & à quo. Illud est prius in quo, quod præcedit mensura existentiæ rei, & ab eo, quod eo posterius est, non præceditur. Dixi *præcedit mensura existentiæ rei*, siuè illa sit tempus, siuè instans temporis, siuè instans naturæ. Nam pater in humanis prior est filio tempore, in quo non est filius, & substantia Solis lucem præcedit instanti naturæ, in quo est Sol, & nondum est lux. Dixi, *& non præceditur ab eo, quod posterius est*, vt per hoc distinguatur ab eo, quod dicitur prius à quo. B Nam quod ita prius est, admittit similem eius, quod posterius est, respectu sui prioritatem, vt patet in materia & forma, quæ sibi inuicem sunt causæ, quamuis in diuerso causandi genere, & consequenter altera prior & posterior est altera. Prius igitur à quo illud est, quod sola sua causalitate præcedit.

Prius natura dupliciter.

Quibus duobus prioritatis modis duo correspondent modi instantis naturæ, nimirum instans naturæ in quo, & instans naturæ à quo. De quibus satis egimus supra *q. 3. art. 2. controu. vnica, notabili 8.* Ex quibus patet Iauellum *super hoc articulo* non benè declarasse dictos prioritatis modos. Cum itaque nullum sit instans naturæ, in quo est pater, in quo etiam non sit fi- C lius, & Spiritus S. nec aliqua sit causalitas vnius diuinæ personæ ad aliam; quia trium personarum vna est essentia, & vnum esse, sequitur ex eis, nullam esse à parte rei, siuè secundum rè priorem altera, neque posteriorem: quidquid sit de modo nostro intelligendi.

Naturæ instans dupl.

Iauelli expositio reijcitur.

Quod autem ait Rada cum Scoto, in vno instanti naturę posse esse plura instantia originis, chimericum est. Nam vt ante diximus ex D. Th. idem est ordo naturæ & ordo originis: & similiter instans naturæ & instans originis. Cũ autem Scotus, vt hic aduertit Cai. & alij supra notati expositores, appellet prius origine id à quo alius, & præsertim quod est à se producens vt pater, posterius verò origine, quod ab alio D est: sequitur inter nos & Scotum nullam esse de re controuersiam, sed de vocibus tantum, vt admonet Cai. & alij. Est tamen modus loquendi D. Th. longè congruentior, & fidei confessioni in Symbolo Athan. ac Sanctorum dictis consonantior, ac proindè tenendus, & vsu loquutionis æmulandus. Vera est igitur.

Rad. & Sco. dictum reijcitur.

Conc. Caiet. Scot cum D. Thom.

Melius loquitur D. Thom.

Concl. Concl. S. D. *affirmaus in diuinis esse ordinem naturæ, siuè originis, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ex altero.*

Obi. 1. Contra *concl. argumentatur* Zumel. probans inter diuinas personas esse prioritatem originis. *Primò.* Per huiusmodi prioritatem originis solum explicamus idem, quod dixit Aug. *Solut.* per ordinem naturæ; igitur, &c. *Resp.* idem si- E gnificari, sed minus congruè.

Obi. 2. *Secundò.* Omnem ordinem concomitatur aliquis modus prioritatis sibi proportionatus, qualis est possibilis, & propter hunc ordinem admittimus primam & secundam personam; ergo. *Confirmatur*; quia vna persona est principium alterius, & alia est à principio: sed idem sunt principium & primum, & vtrumq; prioritatem quandam importat; ergo. *Respond.* falsum esse antec. quoad priorem partem, vt ostendimus ex D. Thom. quo ad secundam verò respondet S. Thom. *in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 3. ad 5.* dicens ordine sufficere, vt confusio non ponatur, & vt Spiritus Sanctus dicatur tertia persona. Et per hoc soluitur etiam simile argumentum Vasq. *Ad confirmat.* respondet supra D. Thom. *q. 33. a. 1. ad 3.* & negat minorem.

Confir.

Solut.

Tertio Qui producit alterum, & non producitur, habet esse sine origine & sine receptione: alter verò cum origine & recipiendo; ergo vnus intelligitur habere esse ante originem, id est sine illa, alter per illam: hæc autem vocatur prioritas originis; ergo. *Resp.* nullam esse con- *Solut.* seq. sumendo *ante* in proprio significato. Vnde malè exponitur *ante*, id est sine illa, quo sensu currit consequentia, & verum est consequens, sed propositio subsumpta falsa est, hanc nimirum esse prioritatem originis. Secundò dico hoc argumento probari prioritatem secundũ modum nostrum intelligendi, nõ autem à parte rei.

Obi. 3.

Quartò aduersus eandem conclusionem mi- *Obi. 4.* litant dicta quorundam Patrum, ab eodem Zumel. relata in fauorem Scoti. Hi verò sunt, Damascenus, Basilius, Aug. Vgo de S. Victore, & alij, quos etiam afferunt Vasquez & Rada: *Resp.* *Solut.* primò D. Aug. in textu relatum apertè negare prioritatem in diuinis personis: vnde alia eiusdem dicta sunt exponenda de prioritate quoad modum nostrum intelligendi, quo diuinas personas imperfectè cognoscimus. Et eodem modo interpretanda sunt quædam alia Patrum pronunciata. Damasc. autem de sola causalitate meminit, qua patrem ait esse maiorem & superiorem filio: quod eo sensu accipiendum est, quo dictum illud Hylarij: Authoritate donãtis pater maior est, sed non est minor filius, cui vnum esse donatur.

Contra eandem concl. argumentatur Vasq. *Obi. 5.* In Trinitate negari nequit prima, secunda & tertia persona, non solum numerante nostro intellectu, sed ex natura rei secundum ordinẽ realem; ergo. Antec. probatur, primò; quia prima persona est pater, & secunda filius, & tertia Spiritus S. vt aliter esse non possit. Si autem solo numero intellectus esset prima, secunda & tertia, posset dici prima Spiritus S. secunda pater, & tertia filius; qui enim numerat, ita ab hac vnitate, sicut ab illa potest incipere, & in hanc, sicut in illam desinere. Secundò; quia hunc ordinem primæ, secundæ & tertiæ personæ affirmant S. & præsertim Nazian. & Basilius. Tertiò; quia ordo est habitudo ad vnum primum, vel ad vnum principium; idem enim videtur esse vnum principium & vnum primũ, quia omne principium in aliquo ordine primũ est à quo reliqua procedunt: sed in diuinis est ordo realis & naturalis vt omnes fatentur Scholastici; ergo ex natura rei, est prima, secunda & tertia persona *Resp.* nullam esse conseq. Nam, *Solut.* vt diximus ex D. Thom. sufficit ordo originis vt in diuinis personis sit à parte rei vna prima, alia secunda, & alia tertia; adeò vt dictiones illæ, prima, secunda & tertia, solum significent ordinem originis, non autem prioritatis & posterioritatis. Cur autem illis vocibus ordinem originis Patres illi significarint, nulla ratio afferri videtur posse melior, quàm imperfectio intelligentiæ nostræ, quæ ordinem originis personarum nequit aptè concipere nisi sub ratione primi, secundi & tertij. Secundò dico in illis vocibus prima, secunda & tertia duo considerari: Alterũ est ordo originis, quo vna persona est ab alia, quẽ dictis nominibus primò intendimus significare, & secundũ hoc verũ est

an-

antecedens. Alterum est ratio prioris & posterioris, quas rationes ex prima sui impositione prædictæ voces important, & hæ rationes non in re ipsa, sed in solo sunt intellectu nostro concipiente & numerante. Postremò dico prædictas voces non esse multum à Patribus & Scholasticis vsitatas, sed quandoque ad confusionem intelligentiæ minus perspicacium euitandam fuisse prolatas, & ob eandem causam communiter à concionatoribus vsurpari.

Contra eandem concl. eadem argumenta producit Rada, quæ eisdem solutionibus diluuntur. Aduersus eandem conclusionem sunt alia quædam argumenta, quæ proponunt & soluunt Iauel. Torr. Zumel. Mol. & Valentia.

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum filius sit æqualis patri secundum magnitudinem.

2. dist. 9 q. 1. art. 1 & 4 cont. 1. 7. ratione 11 & c. 21 col. 7. 3 p. q. 2. a. 3. cor. fi. & q. 10. a. 4. cor. 1. & Bo. de Trin. q. 3 art. 4.

AD *quartum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit æqualis patri in magnitudine. Dicit enim ipse Ioan. 14. Pater maior me est. Et Apost. 1. Corinth. 15. Ipse filius subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia.*

2 Præterea, Paternitas pertinet ad dignitatem patris: sed paternitas non conuenit filio, ergo non quicquid dignitatis habet pater, habet filius. Ergo non est æqualis patri in magnitudine.

3 Præterea. Vbicunque est totum & pars, plures partes sunt aliquid maius, quam vna tantum, vel pauciores, sicut tres homines sunt aliquid maius quam duo, vel vnus. Sed in diuinis videtur esse totum vniuersale & pars. Nam sub relatione, vel notione plures notiones continentur: cum igitur in patre sint tres notiones, in filio autem tantum duæ, videtur quòd filius non sit æqualis patri.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.

Respondeo dicendum, quòd necesse est dicere filium esse æqualem patri in magnitudine. Magnitudo enim Dei non est aliud quàm perfectio naturæ ipsius. Hoc autem est de ratione paternitatis & filiationis, quod filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ quæ est in patre, sicut & pater. Sed quia in hominibus generatio est transmutatio quædam exeuntis de potentia in actum, non statim à principio homo filius est æqualis patri generanti, sed per debitum incrementum ad æqualitatem perducitur: nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis. Manifestum est autem ex dictis, q. 33. ar. 2. & 3. *quod in diuinis est propriè & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neq; quod Dei filius succesiuè, & per transmutationem ad perfectionem peruenerit. Vnde necesse est dicere quod ab æterno fuerit patri æqualis in magnitudine. Vnde &* Hilar. * Lib. de Syn. in 3 f. ante fin. lib. *dicit in lib. de Synod. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, & omnem humanam necessitatem: omnis filius secundum naturalem natiuitatem æqualitas patris est, quia est & similitudo naturæ.*

Ad Primum ergo dicendum, quod verba illa intelliguntur dicta de Christo secundum humanam naturam, in qua minor est patre, & ei subiectus. Sed secundum naturam diuinam æqualis est patri, & In suo simbolo fidei. *hoc est quod Athanas.* * Lib. 9. de Trin. inter med. & fi. lib. *dicit, æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Sed secundum Hilar.* * *in 9. lib. de Trinit. donantis auctoritate pater maior est, sed minor non est cui vnum esse donatur. Et in lib. de Syn.* † Parum à med. illius. Habetur hic liber inter opera Hil. *dicit, quod subiectio filij naturæ pietas est, id est recognitio auctoritatis paternæ. Subiectio autem cæterorum, creationis infirmitas.*

Ad Secundum dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in diuinis significat perfectionem naturæ (vt dictum est *) *& ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in diuinis, & similitudo secundum essentialia attenditur: nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Vnde* Aug. † *dicit contra Maximinum. Originis quæstio est quid de quo sit, æqualitatis autem qualis aut quantus sit. Paternitas igitur est dignitas patris, sicut & essentia patris. Nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in patre est paternitas: in filio est filiatio: ita eadem dignitas quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio. Verè ergo dicitur, quod quicquid dignitatis habet pater, habet filius: nec sequitur, paternitatem habet pater, ergo paternitatem habet filius. Mutatur enim quod in ad aliquid. Eadem enim est essentia & dignitas patris & filij. Sed in patre est secundum relationem dantis, in filio secundum relationem accipientis.*

* An 1 ho. in q. ad 1. arg.

† Lib 3. contra Maxim. c. 8. post medium 10. 6.

Ad Tertium dicendum, quod relatio in diuinis nõ est totum vniuersale, quamuis de similibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes sunt vnum secundum essentiam & esse. Quod repugnat rationi vniuersalis: cuius partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona (vt supra dictum est *) *non est vniuersale, in diuinis. Vnde neque omnes relationes sunt maius aliquid quam vna tantum: nec omnes personæ maius aliquid quam vna tantum: quia tota perfectio diuinæ naturæ est in qualibet personarum.*

* q. 30. art. 4. ad 3.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *Necesse est dicere filium esse æqualem patri in magnitudine.* Probatur. Magnitudo Dei nihil est aliud quam perfectio naturæ ipsius: at de ratione paternitatis & filiationis est, vt filius pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ est in patre, sicut & pater; ergo.

SECVNDA CONCL. *Necesse est dicere quod filius ab æterno fuerit æqualis patri in magnitudine.* Probatur primò ratione. Ideò non statim à principio homo filius est æqualis patri generanti, sed per debitum incrementum ad æqualitatem perducitur (nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis) quia in hominibus generatio est transmutatio quædam exeuntis de potentia in actum; at in diuinis vbi est propriè paternitas & filiatio, nec potest dici quod virtus generantis fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius succesiuè & per transmutationem ad perfectionem peruenerit: ergo necesse est dicere &c. Secundo probatur authoritate Hylarij vt in textu.

Expositio Textus.

CIRCA responsionem ad primum lege quæ scribit Mol. Responsionem autem ad secundum explicat Ban. de qua re legenda sunt, quæ diximus supra *quæst. 28. art. 2. in 2 controu.*

AR-

Articvlvs Qvintvs.

Vtrum filius sit in patre, & è conuerso,

224 8 dist. 19. q. 2. a. 2. Et 4. con. c. 9. fin. & 65 & 10. 10. lib. 6. col. 2 fi. & c. 16. lib. 7. col. 2. *tex. 23. 10. 2.

AD Quintum sic proceditur. *Videtur, quòd filius non sit in patre, & è conuerso. Philosophus enim in 4. Phys.* ponit octo modos essendi aliquid in aliquo, & secùdum nullum horum filius est in patre, aut è conuerso: vt patet discurrenti per singulos modos. Ergo filius non est in patre, nec è conuerso.*

2 Præterea. Nihil quod exiuit ab aliquo, est in eo, sed filius ab æterno exiuit à patre secundum illud Micheæ 5. Egressus eius, ab initio à diebus æternitatis. Ergo filius non est in patre.

3 Præterea. Vnum oppositorum non est in altero. Sed & filius & pater opponuntur relatiuè. Ergo vnus non potest esse in alio.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

Respondeo dicendum, quòd in patre & filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem, & secundum quodlibet istorum filius est in patre, & è conuerso. Secundùm essentiam enim pater est in filio, quia pater est sua essentia, & communicat suam essentiam filio non per aliquam suam transmutationem. Vnde sequitur quòd cùm essentia patris sit in filio, quòd in filio sit pater. Et similiter cùm Li 5 de tri. in vlt. folio lib. *filius sit sua essentia, sequitur quòd sit in patre, in quo est eius essentia. Et hoc est, quod Hilar.* dicit 5. de Trinit. Naturam suam (vt ita dicam) sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus cùm in Deo Deus insit. Secundùm etiam relationes manifestum est, quòd vnum oppositorum relatiuè est in altero secundum intellectum. Secundùm originem etiam manifestum est, quòd processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spir. S.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd ea, quæ in creaturis sunt, non sufficienter repræsentant ea quæ Dei sunt. Et ideo secundum nullum eorum modorum quos Philosoph. enumerat, filius est in patre, aut è conuerso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille, secundùm quem aliquid dicitur esse in principio originante: nisi quòd deest vnitas essentiæ in rebus creatis inter principium, & id quod est à principio.

Ad secundum dicendum, quòd exitus filij à patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit à corde, & manet in eo. Vnde exitus iste in diuinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundùm essentialem aliquam distantiam.

Ad Tertium dicendum, quòd pater & filius opponũtur secundùm relationes, non autem secũdum essentiam, & tamen oppositorum relatiuè vnum est in al- In cor. art. *tero, vt dictum est.**

Sensus quæsiti.

EXISTENTIAM alicuius in altera diuina persona mutuam quidam ex antiquis, & plures ex recentioribus Theologis circumincessionem appellant; quoniam in tribus quasi circulo quodam agitur, & completur existẽtia: hæc vnius, alia diuina persona, adeò, vt in vnaque sit existendi ratio triplex in qualibet alia, vt perspicuè patet, tam ex huius articuli doctrina, quàm *ex 1. dist. 19. q. 3. a. 2. ad 1.*

Forma Textus.

CONCL. est. *Pater est in filio, & è conuerso, secundum essentiam, & relationem, & originem.* *Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.*

A Probatur primò, quo ad primam partem. Essentia patris est in filio. Ergo pater est in filio. Antecedens probatur; quia pater communicat suã essentiam filio absque transmutatione. Conseq. verò probatur; quia pater est sua essentia; & eadem arguendi forma probari potest filium esse in patre hoc modo. Essẽtia filij est in patre; ergo filius est in patre. Anteced iam probatum est. Consequentia verò probatur, quia filius est sua essentia. Deinde probatur eadem pars ex Hilario *in 5. de Trin.* Secunda verò pars probatur; quia vnum oppositorum relatiuè est in altero secundum intellectum. Ergo vna persona diuina est in alia secundum relationem. Tertia B demum pars. Quia processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente, & id quod verbo dicitur in verbo continetur. Ergo vna persona est in alia secundum originẽ.

Expositio Textus.

PRo concluſ. lege dicta patrum apud Magistrum *in 1. dist. 19.* Turrianus hic ait Caiet. explicare verba præsentis articuli contra intentionem S. Th. & aliorum Sanctorum, cuius censuræ quamuis grauissimæ nullum in toto suo commentario producit argumentum.

Circa tres partes prædictę conclusionis plura sunt dubia & aduersariorum argumenta, quibus C Caiet. noster satisfacit egregiè, & ante eum Capr. *in 1. dist. 19. q. 1.* quem sequuntur Iauell. & Vasq. *super hoc a.* & Suarez *lib. 4. de Trinit. cap. 16.* qui non satis aptè tres inexistendi modos in textu positos nititur ad mentem (vt existimat) D. Th. tribus illis modis accommodare; quibus ait S. D. sup. *q. 8. a. 3.* Deum esse in omnibus rebus, scilicet per præsentiam, potentiam & essentiam seclusis imperfectionibus Nam quicquid sit de secundo & tertio, primus quo dicitur esse Deus in omnibus per præsentiam, nihil habet commune aut simile cum secundo præsentis articuli, quo dicuntur esse inuicem diuinæ personæ; quia correlatiuæ sunt. Dicitur D enim Deus in omnibus esse per præsentiã, quatenus *omnia nuda & aperta sunt oculis eius,* quorũ virtute cognoscitiua & intuitiua penetrat vniuersa. *Pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoq; ac medullarum, cogitationũq; & intentionum cordis,* vt *Hebr. 4.* dicitur de sermone Dei, qui eius intellectus est signum. Iuxta secundum verò modum hic in textu positũ dicitur vna persona esse in alia secundum relationem; quia vnum oppositorum relatiuè est in altero secundum intellectum: non quia alterum relatiuum vt sic intelligat alterum, sed quia neutrum potest ab intelligente cognosci sine altero. Quantum igitur hæc duo distant, videlicet vnum ab altero cognosci, & vnum sine altero non cognosci, tantum dissident mo- E dus ille primus & hic secundus.

Circa primum modum quo vna persona dicitur esse in alia, vide si placet apud Mol. exemplum de vna & eadem anima rationali per Dei potentiam duas materias inter se diuisas informante; quod tamen verè & simpliciter est impossibile.

Secundum modum explicat S. D. *in 1. dist. 19. q. 3. a. 2 ad 1.* dicens filium esse in patre, sicut originatum in originante, & patrem in filio sicut originans in originato.

Obijcit multa huic doctrinæ Ioannes Rada, quæ, vt etiam aduertit Ripa, Capr. & Cai. iam ante dissoluerant. *Rad. obiecta, soluta.*

Articvlvs Sextvs.

Vtrum filius sit æqualis patri secundum potentiam.

225 1. dist. 20. a. 2.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit æqualis patri secundum potentiam. Dicitur enim Ioan. 5. *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Pater autem à se potest facere.* Ergo pater maior est filio secundum potentiam.

2 Præterea. Maior est potentia eius qui præcipit & docet, quàm eius qui obedit, & audit: sed pater mandat filio, secundum Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Pater etiam docet filium secundum illud Ioan. 5. c. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit. Similiter & filius audit, secundum illud Ioan. 5. Sicut audio iudico,* Ergo pater est maioris potentiæ quam filius.

3 Præt. Ad omnipotentiam patris pertinet quod posit filium generare sibi æqualem. Dicit enim Aug.* in lib. contra Maximinum. *Si non potuit generare sibi æqualem, vbi est omnipotentia Dei patris? Sed filius non potest generare filium, vt supra ostensum est.* † Nō ergo quicquid pertinet ad omnipotentiam patris, potest filius. Et ita non est ei in potestate æqualis.

Lib. 3. cont. Maxim. c. 7. circ. fin. to. 6. † q 41. a. 6. ad 1.

Sed contra est, quod dicitur Io. 5. *Quæcunque pater facit, hæc & filius similiter facit.*

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod filius est æqualis patri in potestate. Potētia enim agendi consequitur perfectionem naturæ. *Videmus enim in creaturis, quòd quanto aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo.* Ostensum est autē supra,* quod ipsa ratio diuinæ paternitatis, & filiationis exigit quòd filius sit æqualis patri in magnitudine, id est in perfectione naturæ. Vnde relinquitur, quòd filius sit æqualis patri in potestate. Et eadem ratio est de Spiritu sancto respectu vtriusque.

Art. 2. & 4. huius q.

Ad Primum ergo dicendum, quod in hoc quod dicitur filius, non potest à se facere quicquam, non subtrahitur filio aliqua potestas, quam habeat pater cum statim subdatur, quòd quodcunque pater facit, filius similiter facit: sed ostenditur, quod filius habet potestatem à patre, à quo habet naturam. Vnde dicit Hyl. de Trin. Naturæ diuinæ hæc vnitas est, vt ita per se agat filius, quod non à se agat.

* Li. 2. de tri in 2 f. posit med. lib.

Ad Secundum dicendum, quòd in demonstratione patris, & auditione filij non intelligitur, nisi quòd pater communicat scientiam filio, sicut & essentiam. Et ad idem potest referri mandatum patris, per hoc, quòd ab æterno dedit ei scientiam, & voluntatem agendorum, eum generando. Vel potius referendum est ad Christum, secundum humanam naturam.

Ad Tertium dicendum, quòd sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio: ita eadem est potentia qua pater generat, & qua filius generatur. Vnde manifestum est, quòd quicquid potest pater, potest filius: non tamen sequitur quòd posit generare, sed mutatur quid in aliquid. Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiam quam pater, sed cum alia relatione. Quia pater habet eam vt dans. Et hoc significatur, cum dicitur quòd potest generare. Filius autem habet eam vt accipiens. Et hoc significatur cum dicitur, quòd potest generari.

Forma Textus.

„ CONCL. est. *Necesse est dicere, quòd filius est æqualis patri in potestate.* Probatur. Potentia „ in agendo consequitur perfectionem naturæ: at filius est æqualis patri in potestate, & eadem ratio est de Spiritu sancto. Maior probatur à simili in creaturis, in quibus quantò aliquid habet perfectiorem naturam, tantò est maioris virtutis in agendo. Minor verò probatur ex dictis supra *a. 1. & 4.* quia sc. ipsa ratio diuinæ paternitatis & filiationis exigit, vt filius sit æqualis patri in magnitudine, quæ est perfectio naturæ.

Expositio Textus.

ADVERTE propositionem illam: *Quantò aliquid habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo*: non esse intelligendā de maiori virtute ad omne genus operum siue actionum perfectius producendum, quàm ab eo produci valeat, quod minus perfectam habet naturam: sic enim homo cuius natura perfectissima est naturarum omnium animalium, leonem in fortitudine, aquilam in visu, ceruum in cursu, & vulturem in odoratu superaret. Intelligitur ergo dicta propositio de maiori virtute ad operationē absolutè perfectiorem: siue sit eiusdem generis & ordinis cum operationibus ignobilioris naturę, siue sit altioris generis & ordinis; sicut homo qui perfectissimam habet naturam inter animantia, maiorem habet virtutem in agendo: cùm intellectum habeat & voluntatem, quibus nobilissimas omnium simpliciter exercet operationes intelligendi, discurrendi, amandi, eligendi & fruendi.

Controversia Vnica.

An potentia generandi sub omnipotentia comprehendatur?

PROPONIT hoc quæsitum & definit A. D. *de poten. q. 2. a. 5. & 6.* Sed quia Vasq. supra *disp. 166.* & Suar. *lib. 4. c. 10.* sententia longè dissident à D. Th. necesse est eorum opinione propositā, ex eiusdem D. Th. doctrina, iniectas argumentorum sordes abluere. Dicunt ergo tres personas esse æquè omnipotentes respectu creaturarum extra Deum; quia omnipotētia solum dicitur respectu creaturarum, & habet pro obiecto ens creabile, & ita communiter vsurpatur. Et hanc sententiam tribuunt D. Th. & Cai. quem etiam Zumel. affirmat supra *q. 41. a. 4.* dixisse potentiam generandi non importare potentiam simpliciter, sed secundum quid, quæ manifesta est impostura. Dictorum expositorum sententiam sequitur Rada *contr. 9. in resp. ad 9. arg.* *Sententia Expositorū.*

HIC EA supponenda sunt, quæ supra *q. 41. a. 4. & 5.* cum S. D. diximus. Quibus addendum est *ex q. 2. de pot. a. 5.* potentiam generandi pertinere ad omnipotentiam patris, non autem ad omnipotentiam simpliciter. Nam paternitas est diuina essentia, prout est in patre, non prout est in filio; cum nō eodem modo sit in patre & filio; sed in filio est vt ab altero accepta, in patre autem non; ergo similiter generatio significat actionem Dei, sed prout est patris tantum, & potentia generandi est Dei omni potentia, sed prout est Patris tantum. Antecedēs probatur ibidem; quoniam relationes, quibus personæ adinuicem distinguuntur, sunt ipsa diuina essentia secundum rem: quæ quamuis tribus sit communis, non tamen relatio vnius personæ cōmunis est tribus propter oppositionem relationum adinuicem; nam paternitas est diuina essentia: Nec tamen paternitas filio inest pro-

Resolutio. Potentiam generandi pertinere ad omnipotentiam nō simpliciter, sed patris: & omnipotentiam esse commune nomen analogicè dictum, de potentia creādi, & de potentia generādi & spirādi: ut per hæc conciliari dicta Patrum & Scholasticorum.

propter oppositionem paternitatis & filiationis. Potest ergo dici paternitatem esse diuinam essentiam prout est in patre, non prout est in filio. Conseq. verò probatur; Quia generatio significat actionem cum aliquo respectu, & potentia generandi significat potentiam cum respectu. Cum itaque duo considerentur in potentia generandi, scilicet ipsa potentia & respectus, vel ordo ad id, quod potentiæ subiacet vt obiectum: potentia generandi, vt potentia est, vna est in Deo tribus communis, sicut essentia: & idem est cum potentia creandi: hac sola inter eas existente differentia, quòd vtrique potentiæ cointelligitur alius & alius respectus secundum diuersos actus, ad quos potentiæ referuntur; vt ait S.D. *in dicta q. a. 6.*

Deinde considerandum est potentiam aliquam eo minus obiectorum diuersitate distingui, quo fuerit gradus nobilitate sublimior. Sicut sensus communis, aut imaginatio vna potentia est respectu omnium sensibilium, respectu quorum distinguuntur sensus proprij. Constat autem diuinam potentiam infinito suæ dignitatis gradu supra cæteras omnes potentias eleuari; nulla potest igitur esse actuum differentia, quæ diuinam potentiã quo ad ipsam (vt ita loquamur) substantiam, seu quantum ad id, quod est in seipsa, distinguat, vt ibidem ait S. D. *ad secundum.* Sed quia diuersus cointelligitur respectus in vtraque potentia, scilicet generandi & creandi: idcircò secundum hanc rationem dicitur analogicè potentia, de potentia generandi & creandi: & prior est potentia generandi qeã creandi, vt ait *ibi* D. Th. *ad 3. & 4. & in primo dist. 7. q 1. a. 3.* Et quemadmodum nominibus analogis communibus Deo & creaturis triplex consideratur impositio; Nam primò impositum est nomen ad significandam perfectionem in creaturis primò cognitam: secundò eleuatâ mentis acie, ac simili proportionaliter in Deo cognita perfectione, ad eam significandam fuit idem nomen accommodatum: denique fuit idem nomen impositum ad significandam vtramque perfectionem, scilicet creatam & increatam, vt similes proportionaliter: Exempli gratia, nomen *scientiæ* primò impositum est ad significandam certam & euidentem cognitionem intellectus humani: secundò simili proportionaliter in Deo cognitione perspecta eodem fuit nomine designata: tertiò ad vtramque scientiam, vt proportione similem significandam, fuit idem nomen impositum: ita, vt primò scientiæ nomen fuerit vniuocum ad scientiam omnem humanam, secundò diuinam vnam specie & numero scientiam significauerit, tertiò factum fuerit analogum vtrique commune. Sic in proposito nomen *omnipotentiæ* primò fuit impositum ad significandam Dei virtutem ad solius entis creati siue creabilis rationem extensam; deinde, cognita per fidem in Deo personarum emanatione per actiones intellectus & voluntatis, idem nomen impositum est ad significandam vim seu facultatem aut potentiam infinitam diuinæ personæ productiuam, quæ duplex est scilicet potentia generandi & potentia spirandi: postremò, quoniam hæ duæ potentiæ similitudinem habent proportionalem cum potentia creandi, impositum est hoc nomen potentia & omnipotentia ad prædictas potentias significandas vt proportionaliter similes: adeò vt prima sui impositione potentiæ siue omnipotentiæ nomen in Deo sit vniuocum, & secunda similiter, tertia verò factum sit analogum, ob supradictam causam.

Nominis analogi impositio triplex.

Nomen omnipotentiæ analogum.

His adde obiectum omnipotentiæ esse illud omne, quod non implicat contradictionem, siue illud sit contingens ab intrinseco aut ab extrinseco, siue sit absolutè necessarium, siue liberè, siue necessariò, & naturaliter producatur, vt filius & Spiritus sanctus.

Doctorum mens & cõsensus, & solutio argumentorum Vasq. Suar. & Radæ.

Et ex hoc fundamento bene perspecto patet Sanctorum & Scholasticorum mens & consensus, & vniuersa dilui facile possunt argumenta, quæ nobis obijciunt & veritati, Vasquez & Suarez & post eos Rada. Nam quod ait Augustinus *in Enchiridio, cap. 96.* Deum dici omnipotentem, quia potest omnia, quæ vult: intelligendum est de omnipotentia secundum eius primam nominis impositionem, prout scilicet extenditur ad creaturas, vt ait S.D. *in dicto ar. 5. ad 2.* Et in eodem sensu accipienda sunt verba Fulgentij *lib. de fide ad Petrum, cap. 3.* dicentis in eo intelligi omnipotentiam Dei, quòd omnem creaturam visibilem de nihilo fecit; quamuis etiam dici possit per ea verba non totum obiectum omnipotentiæ, sed signum aliquod indicari, vt ait S. D. *in dicta responsi. ad 2.* Et eodem modo plura alia sunt exponenda Patrum & Conciliorum dicta, quæ trium personarum vnam esse decernunt omnipotentiam; de ea enim dumtaxat sermo eorum est, vt respicit creaturas. Cum autem ait supra Caiet. *q. 41. a. 4.* potentiam generandi non affirmare potentiam, sed potentiam sic, id est, potentiam respectu talis actus, sc. notionalis; nõ per hoc affirmat potentiam generandi esse potentiam secundum quid, vt accepit Zumellus; est enim potentia simpliciter, quamuis analogicè ad potentiam creandi: sed designat specialem modum potentiæ sub communi analogo nomine diuinæ potentiæ comprehensum, ad quod significandum fuit secundò potentiæ nomen impositum.

Zumelli intelligentia reijcitur.

Conclusio

Statuamus igitur, vt firmam hanc ex prædictis illatam CONCLVSIONEM. *Potentia generandi ad omnipotentiam Dei Patris pertinet.* Nec oppositum intendit S.D. *in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 1.* vbi sic loquitur: *Potentia operandi est, sicut potentia rationalis in Deo: & secundum istam potentiam attenditur Dei omnipotentia in Deo: persona enim diuina, quæ procedit per potentiam quasi naturalem, non est aliquid connumeratum omnibus. Vnde potentia generandi non continetur sub omnipotentia.* Hæc ibi. Quæ prædictis non aduersantur, sed maximè congruunt; loquitur enim de omnipotentia secundum primam & magis vsitatam ac vulgatam nominis impositionem.

Obi. 1.

CONTRA *concluſ.* argumentatur Vasquez. *Primò* authoritate Fulgentij superius explicata.

Solut.

Secundò. D. Thom. *quæst. 25. art. 3. in hoc artic.* significat omnipotentiam solum dici respectu creaturarum, & sic communiter vsurpari. *Respondetur* in hoc articulo nihil tale significari: supra verò, scilicet *q. 26. a. 3.* de Deo loquebatur quoad absoluta: & ob eam causam vtitur etiam nomine omnipotentiæ, quoad primam tantum impositionem, & magis vsitatam significationem.

Obi. 2.

Tertiò. Eodem modo nunc Deus dicitur omnipotens, sicut dicebatur antequam reuelare-

Obi. 3.

tùr mysterium Trinitatis : sed ante huius re-
uelationem dicebatur omnipotens respectu
creaturarum, & nulla cognoscebatur potentia
respectu actuum notionalium ; ergo nunc eo-
Confirm. dem modo dicitur. *Et confirmatur*; quia, si om-
nipotentia acciperetur pro potentia omni pro-
ducendi aliquid tam intra Deum, quàm extra,
non apparet, qua ratione possemus dicere om-
Solut. nipotentiam esse in tribus personis; ergo. *Resp.*
falsam esse maiorem propositionem simpliciter
loquendo. Secundò dico veram esse, si ser-
mo sit de prima nominis impositione, & vulga-
ta significatione, non autem de tota & adæqua-
Ad confir. ta significatione. *Ad confir.* negatur assumptum;
nam dicimus omnipotentiam esse tribus com-
munem quo ad primam nominis impositio-
nem, & vulgatam significationem, non au-
tem quo ad secundam vel tertiam impositio-
nem.

Vbi. 4. *Contra eandem concl.* profert Suar. dicta
Conc. Tolet. 6. & 11. & SS. Patrum, Fulg. & A-
than. significantia Deum intelligi & nuncupari
omnipotentem, eo quòd omnem creaturam de
Solut. nihilo produxit, & vnam esse trium personarũ
omnipotentiam. Sed hæc, vt sæpè repetiuimus,
intelligenda sunt de prima nominis impositi-
one, & conceptione virtute nostri intellectus
naturali formata.

Ex dictis patet dictos expositores perperam
interpretari verba D. Aug. vt etiam aduertit
Ripa.

Circa *respons. ad 3.* disputant hic Torres &
Zumel. *an in filio sit potentia generatiua?* Lege, si
vacat Zumel. qui de hac difficultate præ omni-
bus cumulatè disseruit.

Quaestio XLIII.

*De missione diuinarum personarum in octo arti-
culos diuisa.*

Deinde considerandum est de missione diuina-
rum personarum.

Et circa hoc quæruntur octo.

*Primò, Vtrum alicui diuinæ personæ conueniat
mitti.*

*Secundò, Vtrum missio sit æterna, vel tempora-
lis tantum.*

*Tertiò, Secundum quod diuina persona inuisibili-
ter mittatur.*

Quartò, Vtrum cuilibet personæ conueniat mitti.

*Quintò, Vtrum inuisibiliter mittatur tam filius
quàm Spiritus sanctus.*

Sextò, Ad quos fiat missio inuisibilis.

Septimò, De missione visibili.

*Octauò, Vtrum aliqua persona mittat seipsam vi-
sibiliter, aut inuisibiliter.*

*Ratio ordinis huius Quæstionis, & Articu-
lorum eius.*

Missio diuinæ personæ temporalis tantũ
est, vt dicitur *in a. 2. huius q.* & ideò com-
paratio diuinarũ personarum adinuicem quo
ad missionem posterior est earundem compa-
ratione secundum intrinseca & æterna, tam ab-
soluta quam relatiua : de qua disseruit S.D. *in
præcedenti q.*

Huius q. quinque sunt partes præcipuè. In
prima tres primos articulos complectente agi-
tur de missione in cõmuni. In secunda, duobus
articulis sequentibus sc. quarto & quinto com-
prehẽsa, tractatur in specicali de missione quo-
A ad singulas diuinas personas. In tertia, quę sex-
to continetur art. disputatur de termino mis-
sionis extrinseco. In quarta, quæ vno etiam ab-
soluitur articulo, agitur de missione visibili.
In vltima denique examinatur difficultas ex
prædictis emergens, & ad sui definitionem prę-
cedentium requirens doctrinam articulorum.

Prima pars in duas distinguitur; in prima de-
claratur, an sit & quid sit diuina missio. scil. in
1. artic. in secunda, duo præcipua ad quiddita-
tem missionis pertinẽtia, scilicet processio origi-
nis à mittente, & nouus modus existendi in
creatura; quæ duo explicat in communi in 2. a.
sed in 3. differit in speciali de nouo modo ex-
B istendi in creatura.

Articvlvs Primvs.

Vtrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

Ad Primum sic proceditur. Videtur, quòd perso-
næ diuinæ nõ conueniat mitti. Missus enim mi-
nor est mittente. Sed vna persona diuina non est, mi-
nor alia. Ergo vna persona non mittitur ab alia. 226
1. dist. 15. q. 1. a. 1. & 4. cont.

2 Præterea. Omne quod mittitur, separatur à
mittente. Vnde Hier. dicit super Ezech. Quod coniun-
ctum est, & in corpore vno copulatum, mitti non po-
test. Sed in diuinis personis nihil est separabile, vt Hi-
lar.* dicit. Ergo vna persona non mittitur ab alia. 6. 23. cor. 2. & 6. 24. ratione 2.
Hil. 7. de Tri. non procul à fine lib.

C 3 Præterea. Quicunque mittitur ab aliquo loco
discedit, & ad aliquem locum de nouo vadit. Hoc au-
tem diuinæ personæ non conuenit, cùm vbique sit. Er-
go diuinæ personæ non conuenit mitti.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 8. Non sum ego
solus, sed ego & qui misit me manet.

Respondeo dicendum, quòd in ratione missionis duo
importantur : Quorum vnum est habitudo missi ad
eum à quo mittitur. Aliud est hæbitudo missi ad ter-
minum ad quem mittitur. Per hoc autem, quòd
aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi à
mittente: vel secundum imperium, sicut Dominus mit-
tit seruum: vel secundum consilium, sicut consiliarius
mittere dicitur regem ad bellandum: vel secundum o-
riginẽ, vt si dicatur quòd flos emittitur ab arbore. O-
D stenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mit-
titur, vt aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi
omnino non erat. quo mittitur: vel quia incipit ibi a-
liquo modo esse, quo prius non erat. Missio igitur diui-
næ personæ conuenire potest secundum quod importat
ex vna parte processionem originis à mittente, & se-
cundum quòd importat ex alia parte nouum modum
existendi in alio. Sicut filius dicitur esse missus à patre
in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per
carnem assumptam : & tamen ante in mundo erat,
vt dicitur Ioan. 1.

Ad Primum ergo dicendum, quòd missio importat
minorationem in eo qui mittitur, secundum quod im-
portat processionem à principio mittente, aut secundũ
imperium, aut secundum consilium : quia imperans
est maior, & consilians est sapientior. Sed in diuinis
E non importat nisi processionem originis, quæ est secun- In cor. ad.
dum æqualitatem, vt supra dictum est.*

Ad Secundum dicendum, quòd illud quod sic mitti-
tur, vt incipiat esse vbi prius nullo modo erat, sua mis-
sione localiter mouetur. Vnde oportet quòd loco sepa-
retur à mittente. Sed hoc non accedit in missione di-
uinæ personæ, quia persona diuina missa, sicut non in-
cipit esse vbi prius non fuerat, ita nec desinit esse vbi
fuerat. Vnde talis missio est sine separatione, sed ha-
bet solam distinctionem originis.

Ad Tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit
de missione, quæ sit secundum motum localem, quæ
non habet locum in diuinis.

Sed

Sensus quæsiti.

IAM dictum est *in hoc ar.* non solum definiri, an insit missio diuinæ personæ, sed etiam quid sit, vt hic etiam aduertit Cai. ex eius enim quidditate cognoscitur esse. Et cum ex scripturis *Ioan. 6. 8. & 15.* certa fide constet missionem alicui personæ conuenire, sequitur hic præcipuè missionis quidditatem inquiri.

Forma Textus.

CONCL. *est. Alicui diuinæ personæ conuenit mitti.* Probatur. Missio includit duo, primum est habitudo processionis à mittente, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem: secundum est habitudo ad terminũ, ad quẽ mittitur, vt aliquo modo esse ibi incipiat, vel quia prius ibi omninò non erat, vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat; at vtrumq; conuenit alicui diuinæ personæ; ergo missio diuinę personę cõuenire potest &c. Maior quo ad singulas partes declaratur exẽplis, vt patet in textu. Minor probatur; quia alicui diuinæ personę conuenit origo ex alia, vel alijs personis, & nouus modus existendi in alio, scil. in creatura, vt patet in filio, qui dicitur esse missus à patre in mundum. &c.

Expositio Textus.

COLLIGVNT *ex hoc & sequentibus articulis* Torres, Bannes & Zumel. & alij expositores diffinitionem missionis, tam in communi quàm in speciali, prout est missio diuinæ personæ: quarum examen ad subsequentem immediatè pertinet controuersiam. Vide præterea apud Bannesium argumenta contra conclusionem & eius solutiones.

CONTROVERSIA VNICA.

De ratione propria, & quidditatiua missionis diuinæ personæ.

Sententiæ Doctorum.

VASQ. *disput. 170.* duo dicit. *Primum.* Cai. *in hunc a.* & Ferrar. *in 4. cont. gent. cap. 23.* docent dupliciter vsurpari posse missionem, tum præsse & propriè pro æterna processione connotato nouo modo existendi in creatura: tum etiam latiori significatione pro sola manifestatione temporali. *Secundum* est. Omnia, quę de missione diuinarum personarum in scriptura & Patribus traduntur, facilius constant, si dicamus missionẽ solũ capi priori modo; quia de ratione missionis diuinæ personæ est, vt illa quæ mittitur, procedat substantialiter à mittente: ex quo deducit personam missam semper distingui realiter à mittente.

Suarez *lib. 12. cap. primò* dicit quinque. *Primum.* Magister *in primo dist. 15.* ait missionem nihil aliud esse, quàm externam operationem alicuius temporalis effectus: & hanc sentẽtiam (inquit) secutus est S. Th. *ibi q. 3, a. 1.* cum hac limitatione, vt missio dicat temporalem actionem, quatenus est à persona procedente ab alia, vel eam vt sic manifestat. Quæ sententia vel in rigore est falsa, vel diminuta saltem est. *Secundum* est. Missio diuinæ personæ est processio eius cum habitudine, seu connotatione temporalis effectus. *Tertium in cap. 3.* Omnis persona producens potest etiam mittere, atque illa sola, & ita pater & filius possunt mittere, Spiritus S. autem non potest mittere. *Quartum,* Non quælibet persona producens potest mittere quamlibet, sed solum eam, quam producit. *Quintũ.* Distinctio illa duplicis significationis verbi mittendi, qua vtitur D. Th. *in ar. 8.* huius q. non habet sufficientem causam, nec est in vsu scripturæ admittenda; vel quia verbum mittendi inuoluit distinctionem, & aliquam processionẽ realem missi à mittente; vel quia altera significatio impropria est: & Scriptura cum proprietate est intelligenda, vbi aliud non constat.

Resolutio. Explicatur ex doctrina D. Th. quid sit missio, mitti, & mittere, & quibus personis conueniant: & cõfutantur opiniones Vasquezij, & Suar.

AD HVIVS controuersiæ definitionem satis nobis erit ea colligere, quæ docet *hic* Sanctissimus præceptor, *& art. 8. & in primo* de ratione missionis diuinæ personæ, addita veterum Thomistarum, scilicet Capreol. Caietan. & Ferrariẽsis explicatione. *Hic* igitur ait S. Doctor in missione cummuniter sumpta duo importari, scilicet processionem missi à mittente, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem & nouitatem, vel nouum modum essendi in eo loco, vel re ad quam mittitur. Missio verò diuinæ personæ duo hic etiam dicitur importare, scilicet processionem originis à mittente, & nouum modũ existendi in alio. *In articulo* autem *vltimo huius quæstionis,* ita loquitur. *Si mittens designetur vt principium personæ, quæ mittitur: sic non quælibet persona mittit, sed solum illa cui conuenit esse principium illius personæ: & sic filius mittitur tantum à patre, Spiritus S. autem à patre & filio. Si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam.* Hæc ibi. Sed *in primo dist. 15. q. 3. a. 1.* sapientiæ suæ thesaurum aperiens, perspicuè dictæ veritatis radicem ostendit dicens, sibi non probari sententiam Præpositiui & Altisiodorensis, asserentium missionem sumi aliquando propriè, & aliquando impropriè siuè communiter: & propriè sumptam importare distinctionem missi à mittente, communiter autem & impropriè sumi pro influentia vel datione: atque ita dicunt Spiritum S. mittere se, quia dat se, vel quia inspirat se. Sed illis inquit S. D. consentiendum est, qui dixerunt propriè dici Spiritum S. mittere se; quoniam, vt ante diximus, missio duo importat, scilicet missum esse ab alio ratione authoritatis quam importat, & effectum secundum quem nouo modo in aliqua creatura dicitur esse Spiritus San. Quapropter huius propositionis Spiritus S. mittitur, sensus est. Spiritus S. est ab aliquo, & fit nouo modo in aliquo, nulla tamen mutatione, facta circa ipsum.

Spiritus S. propriè mittit se.

Duo præterea notat *ibidem* S. D. *Primum* est discrimen illius propositionis seu locutionis, in qua prædicatur aliquod coniunctum de aliquo secundum esse: ab ea, in qua prædicatur sm fieri. Nam ad prioris veritatem oportet cõiunctum secundum vtramq; partem in esse subiecto: vt si dicam, Petrus est homo albus, oportet Petrum esse hominem, & esse album, nisi alterum diminuat rationem alterius, vt cum dicitur, Sortes est homo mortuus. Ad posterioris aũt propositionis veritatem, in qua prædicatur coniunctum secundum fieri, sufficit alteram totius coniuncti partem in fieri de subiecto prædicari: Nam vt vera sit hæc propositio, Petrus est nunc factus homo albus, satis est nunc esse factum album, quamuis non sit factus homo. *Secundum quod ibidem* notatur, est habitudo duplex, & valde differens eius compositi, quod prædicatur de aliquo secundum fieri. Altera est ad factum de quo necesse est vtram-

Nota differẽtiam propositionum ex D. Tho.

que partem compositi prædicari ad minus se- A
cundum esse, quamuis alterum tantum prædi-
cetur secundum fieri: vt si dicam, Petrus factus
est homo albus, oportet Petrum esse hominem,
& esse album, nisi alterum sit diminuens, vt dic-
tum est; non autem est necesse Petrum fieri ho-
minem, sed satis est fieri album. Altera verò ha-
bitudo compositi prædicati est ad facientem,
de quo non est necesse prædicari tale composi-
tum secundum vtramque sui partem, sed satis
est, vt prædicetur secundum alteram, quia fa-
ciens non refertur ad factum, nisi secùdum id,
quod fit in ipso; vt si dicam, pictor facit pari-
etem album, non oportet vtramque partem hu-
ius compositi quod est paries albus, à pictore B
fieri, vt scilicet faciat parietem, esse parietem,
& esse album, sed sufficit, si parietem præexi-
stentem faciat album.

Quid sit per-sonã mitti. Ex his deducit ibi S. D. ad hoc, vt persona
dicatur missa, oportere vt sit ab alio, & fiat in
aliquo secundum nouam habitudinem; quia
missio denotat missum esse in aliquo, eo modo,
quo prius non erat: ac proinde fieri in illo se-
cundum illum modum importat quandam fa-
ctionem secundum rationem: adeò, vt dicẽdo
Spiritus S est missus, fiat sensus, Spiritus S. fa-
ctus est ens ab alio, existens in creatura per gra-
tiam. Vnde quia pater à nullo est, non potest
Quid sit per-sonam mit-tere. dici missus. Vt autem persona dicatur mittens,
satis est, vt faciat personam existentem ab alio, C
esse in aliquo secundum nouam habitudi-
nem: atque ideò cuicunque personæ conuenit
facere alterum duorum, videlicet hoc quod est
esse in aliquo secundum nouam habitudinem,
dicetur mittere, quamuis non sit principium
Tota Trin. mittit. personæ missæ. Et quia tota Trinitas (inquit)
ibi S. D.) facit Spiritum S. esse in aliquo secũ-
dum nouam habitudinem propter donum to-
tius Trinitatis collatum: ideò tota Trinitas di-
citur mittere Spiritum Sanctũ, & ipse seipsum
mittere.

Et ex hoc eodem principio deducit *in arti-culo ibidem seq.* Spiritum S. & totam Trinitatem
mittere filium, secundum quamlibet missionẽ.
Et *in articulo primo* proponit hoc argumentum D
ibi tertium. *Missio ponit exitum missi à mittente: sed nulli personæ conuenit exire à seipsa; ergo nulli personæ conuenit mittere se.* Cui sic respon-
det. *Dicendum, quòd missio non ponit tantum exitũ, sed cum hoc aliquid aliud, scilicet esse in creatura se-cundum nouam habitudinem: & quamuis secundum alterum, scilicet exitum non referatur ad se sicut ad principium, tamen secundum vtrumq; coniunctum refertur ad se sicut ad principium; ipse enim facit se existentẽ ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo, ratione perfectionis quam illi confert.*

Ex hac D. Tho. doctrina hucusque propo-
sita Capr. *in 1. dist. 15. q. vnica* duas statuit con-
clusiones. *Prior* est. Soli Patri in diuinis repu-
gnat missio. *Posterior* est. Mittere personam di- E
uinam propriè conuenit patri, & filio, sed mi-
nus propriè conuenit Spiritui S. quam probat;
quia mittere dicit rationem principij in mit-
tente: vbi ergo mittens est principium pluriũ
pertinentium ad missionem, verius videtur ei
competere ratio mittentis: sed sic est de patre &
filio, non autem de Spiritu S. qui dum mittit
filium, non est eius principium, sed effectus
missionis.

Cai. autem *in vltimo huius quæst. articulo* pau-
cis mentem D. Thom. complexus, nodum pro-
positæ difficultatis attingit, ac planè soluit di-
cens, missionem esse nomen multiplex, multas
habens intentiones siuè significationes: quem-
admodum nomina de quibus agitur *in quinto Metaph.* Nam primaria dicti nominis intentio
est processio missi à mittente secundum se, &
secundum nouum modum essendi: secundaria
verò eiusdem nominis intentio est processio
missi secundum se ab aliquo, siue sit mittens, si-
uè quæuis alia persona &c. & hæc intentio re-
ducirur ad primam, tanquam ad potiorem. De
primaria loquitur D. Thom. *in hoc art.* de secũ-
daria verò *in vltimo*, cum ait totam Trinitatem
mittere personam missam. In quo sensu intel-
ligenda sunt verba illa *Isaiæ 48. Dominus misit me, & Spiritus eius*, vt exponit ibi Hieron. &
Amb. *lib. 2. de Spiritu S. c. 1.* Chrys. *in Hom. de tS. & adorando Spiritu*, Aug. *2. de Trinit. c. 6.* Eusеb.
lib. 5. de demonst. cap. 6. & Concil. Tol. 11. *in cõ-fess. fidei.*

Sed ait Suarez dominum ibi introduci loquẽ-
tem vt hominem, & sic meritò dicere se esse *Obiectio Suarezij.*
missum à Spiritu S. quia Spiritus S. illum san-
ctificauit & vnxit oleo diuinitatis, quando in
Virginem superuenit, & illud quod ex ea na-
tum est Sanctum, de purissimis eius sanguini-
bus formauit, & ad redimendos & illuminan-
dos homines misit, iuxta illud *Isaiæ 16. Spiritus domini super me, eo quòd vnxerit me: ad euangeli-zandum pauperibus misit me*; ita, vt quẽadmodum
verbum vt homo à Spiritu S. procedit, quia de
Spiritu S. est, iuxta illud *Lucæ primo. Quod in ea natum est, de Spiritu S. est*: sic etiam sit ab eo mis-
sum. Sed hæc missio (inquit Suarez) non est ea
de qua nũc loquimur; quia non cadit in diuinã
personã, vt diuina est; cũ nõ fiat sine mutatione
aliqua eius, qui mittitur; nos autem loquimur
de missione diuinæ personæ, vt diuina est: & sic *Conf.*
nunquam legitur in Scriptura, quòd Spiritus
S. aliquam personam mittat. Hæc ille. *Sed hoc ipso*, quòd filius persona est ab alio, scilicet à pa-
tre existens, & opere Spiritus S. concipitur in
vtero virginis, & consequenter nouo modo fit
existens in creatura, dicitur missus iuxta secun-
dariam huius nominis significationem superius
explicatam. Neque necesse est, vt missio cadat
in diuinam personam, vt diuina est, id est quo-
ad intrinseca diuinitatis essentialia vel persona-
lia, ad hoc vt vna persona dicatur ab alia mitti:
sed satis est missionem cadere in diuinam per-
sonam quoad ea, quæ illi conueniunt per ordi-
nem ad extrinsecum, siuè illud sit assumptio,
aut terminatio creatæ naturæ, quæ personæ filij
conuenit vt diuina est: non tamen secundum
se, id est secundum intrinseca præcisè sumpta,
sed prout hypostasis est: non diuinæ tantum,
sed etiam humanæ naturæ, vt expresè docet
Aug. *lib. 4. de Trin. cap. 20.* dicens: *Non tantum dicitur missus filius, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, vt caro fieret.* *Repl. Suar. diluitur.*

Sed ait Suarez se non videre sufficiẽtem cau-
sam significationis dictæ vocis multiplicandi.
Nam reuera (inquit) non potest præscindi à
persona mittente. *At nulla* dictarum significa-
tionum præscindit à persona mittente, vt patet
ex discursu D. Thomæ *in 1. supra notato.* Dein- *D. Thomæ modestia.*
de congenita D. Thomæ Patrum reuerentia di-
stinctionem illam intentionum seu significa-
tionum necessariò postulabat, vt plana in di-
ctis eorum veritas saluaretur, vt etiam aduer-
tit Caiet. *in vltimo huius q. articulo*; quem in vsu
terminorum sequitur Ferrariensis *in dicto cap.* *Impostura Vasq. dilu.*
23.

Ex dictis perspicuè constat primò male Vasque-
zium imposuisse Caiet. & Ferrar. distinctio-
nem

nem missionis presè & latè sumptæ; distant enim hæc duo membra à prædictis plusquam cœlum à terra, nam secundaria missionis significatio ad propriam eius significationem pertinet, lata verò significatio impropria est, quam S. D. *in 1.* excluſit, sustinens eam etiam esse propriam quam secundariam esse diximus.

Suar. defectus. *Secundò constat* Suar. minus fideliter retulisse sententiam D. Th.

Denique patet tam secundum dictum Vasquezij quàm omnia illa quinque pronuntiata Suarezij esse manifestè falsa, excepto fortasse secundo, si intelligatur vt iacet; nam si intendat Suarez missionem diuinæ personæ esse processionem eius à mittente, vt videtur intendere, falsa est propositio vniuersaliter loquendo.

Conclusiones deductæ, & probatæ. PRIMA CONCL. *Missio in genere est processio quædam ab aliquo principio ad aliquem terminum, vbi prius non erat, vel vbi nouo modo incepit esse, quomodo prius ibi non erat.* Missionem sic acceptam distinguit S. D. in tres modos, quos hic singulis accommodatis illustrat exemplis.

„ SECVNDA CONCL. *Missio diuinæ personæ,*
„ *quo ad propriam & primariam nominis significa-*
„ *tionem est processio eius secundum se per originem*
„ *à mittente vt à suo principio, & secundum no-*
„ *uum modum essendi in creatura quam sanctifi-*
„ *cat.*

„ TERTIA CONCL. *Missio diuinæ personæ quo*
„ *ad propriam, sed secundariam eius significationem*
„ *est processio missi secundùm se ab aliquo, siue sit mit-*
„ *tens, siue quæuis alia persona, & secundum no-*
„ *uum modum essendi in creatura quam sanctifi-*
„ *cat.*

„ VLTIMA CONCL. *Quælibet diuina persona*
„ *mittit personam missam, loquendo ne missione iuxta*
„ *sensum tertiæ conclusionis.*

Argum. & Solut. CONTRA *primam* concl. & eius distinctionem & explicationem sunt argumenta Aureoli apud Capr. *in 1. dist. 15. q. vnica a. 1. & 2.* ibidem soluta.

CONTRA *tertiam, & vltimam* concluſ. sunt argumenta Scoti à Capr. relata, & soluta *in eadem q. a 2.*

Obiect. 1. CONTRA *easdem duas* concl. profert Vasq. dictum Hylarij *in 9. de Trinit.* & Greg. *in Homil. 26. in Euang.* & Bedæ *lib. 2. Homil. Hom. 2.* quæ secundam nostram concl. confirmant: tertiam autem & quartam non destruunt. Et per hoc satisfit alijs Sanctorum dictis, quæ producit Suar. *in 1. cap.*

Obi. 2. *Secundò* sic arguit. Si de ratione missionis nõ esset ipsa processio, etiamsi mitti solum esset personæ procedentis, non rectè probaretur cõtra Græcos Spiritum S. à filio procedere, quia à filio mittitur. Quo etiam argumento vtitur Suar. *in 3. c. n. 9.*

Solutio. Huic argumento *respondet* S. D. *de pot. q. 10. a. 4. ad 14.* in hæc verba: *Non excluditur* (scilicet per dictas duas conclusiones) *ratio probans spiritum Sanctum à filio procedere per distinctionem ipsorum per hoc quòd proprietatibus distinguuntur; quia proprietates illæ relatiuæ sunt, & distinguere non possunt nisi adinuicem opponantur.* Hæc ibi. Significans probationem ex missione desumptam non esse efficacẽ, nisi sumendo missionem in primario sensu, vel potius excludendo secundariam eius significationem cum Athan. & alijs, vt ibidem significat S. D.

Obiect. 3. *Tertiò.* Ratio missionis non postulat, vt is qui mittitur, procedat substantialiter ab aliquo; ergo. Probatur antec. Nam etiamsi aliquis homo intelligeretur à nullo substantialiter procedere, posset nihilominus intelligi ab alio per imperium mitti, & esset vna missio illius; ergo. *Resp.* primo argumentum militare contra authorem *Solut.*

Secundò dico missionem diuinæ personæ necessariò postulare, vt persona missa procedat substantialiter ab alia; quia in diuinis non potest esse ordo ad personam vt principium, nisi secũdum originem. Omne autem missum necessariò habet aliquem ordinem ad aliquid, vt ad principium, vt patet in textu.

Obi. 4. *Quartò.* Omnis missio est exitus, & processio eius qui mittitur à mittente, vt hic ait S. Th. in diuinis non potest esse exitus nisi secundùm originem; ergo. *Resp.* cum D. Th. *in 1. dist. 15. q. 1. a. 1. ad 3.* quòd missio non dicit tantum exitum, sed etiam esse in creatura secundum nouam habitudinem. Et quamuis secundum alterum scilicet exitum non referatur ad se, neque semper ad mittentem sicut ad principium: tamen secundùm vtrumq; coniunctum semper refertur ad mittentem, qui facit personam missam existentem ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo ratione perfectionis, quam illi confert. Secundò dico maiorem esse veram de missione secundum primarium eius significatum. *Solut.*

Obi. 5. *Contra eandem* concl argumentatur Suarez. *Primò.* Hæc sententia nec saluat accomodatè Metaphoram missionis neque explicat egressum missi à mittente, quem verbum mittendi importat; ergo vel est falsa, vel diminuta. Antec. quo ad primam partem probatur; quia sic potius effectus productus diceretur missus, quàm diuina persona. Quo ad secundam verò; quia sequeretur secundum hanc sententiam quamcunque personam mittere se, & aliam, eo ipso quo talem effectum producit. *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem primæ partis negatur illatio. Nam, vt dictum est persona mittens facit personam missam existentem ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo. Ad probationem secũdæ partis admitto consequentiam cũ consequente deducto, quod est D. Th. *in ar. vltimo huius q.* *Solut.*

Obi. 6. *Secundò.* Missio debet esse notionalis; ergo necesse est, vt includat æternam processionem. Antec. probatur; Quia alias non distingueretur ab attributis communibus. *Resp.* missionem includere æternam processionem sub disiunctione, scilicet, vel à mittente, vel ab alquo alio, & hoc sufficit, vt si notionalis. *Solut.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd missio posit esse æterna. Dicit enim Greg.* eo mittitur filius, quo generatur. Sed generatio filij est æterna. Ergo & missio.* 1. dist. 15. q. 1. a. 2. *Hom. 26. in Euang.

2 Præterea. Cuicunque conuenit aliquid temporaliter, illud mutatur. Sed diuina persona non mutatur. Ergo missio diuinæ personæ non est temporalis, sed æterna. Quòd posit primo.

3 Præterea. Missio processionem importat. Sed processio diuinarum personarum est æterna. Ergo & missio.

Sed contra est, quod dicitur Galat. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.

Respondeo dicendum, quòd in his, quæ important

originem diuinarum personarum, est quædam differẽ tia attendenda. Quædã enim in sui significatione important solam habitudinem ad principium, vt processio, & exitus. Quædam verò cũ habitudine ad principium determinant processionis terminum. Quorum quædam determinant terminum æternum, sicut generatio, & spiratio. Nam generatio est processio diuinæ personæ in naturam diuinam. Et spiratio passiuè accepta importat processionem amoris subsistentis. Quædam verò cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio & datio. Mittitur aliquid ad hoc vt sit in aliquo, & datur ad hoc vt habeatur. Personam autem diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Vnde missio & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantum. Generatio autem & spiratio solum ab æterno. Processio autem & exitus dicuntur in diuinis & æternaliter & temporaliter: nam filius ab æterno processit vt sit Deus: temporaliter autem, vt etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam vt sit in homine secundum inuisibilem missionem.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Greg. loquitur de generatione temporali filij, non à patre, sed à matre. Vel quia ex hoc ipso filius habet quòd possit mitti, quòd est ab æterno genitus.

Ad Secundum dicendum, quòd diuinam personam esse nouo modo in aliquo, vel ab aliquo haberi temporaliter: non est propter mutationem diuinæ personæ, sed propter mutationem creaturæ, sicut & Deus temporaliter dicitur Dominus propter mutationem creaturæ.

Ad Tertium dicendum, quòd missio non solum importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem. Vnde missio solum est temporalis, vel missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum. Habitudo enim diuinæ personæ ad suum principium non est nisi ab æterno. Vnde gemina dicitur processio, æterna scilicet & temporalis: non propter hoc quòd habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis & æterni.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. *hic*, & S. Tho. *in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 4.*

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione trimembri respondet S. D. ad quæsitum tribus conclusionibus.

Distinctio est. Ex nominibus significantibus originem diuinarum personarũ, quædam in sui significatione importãt solam habitudinem ad principium, vt processio & exitus: quædam verò cum habitudine ad principium determinant processionis terminum: & hæc sunt in duplici differentia: Nam quædam determinant terminum æternum, sicut generatio & spiratio: quod probatur; quia generatio est processio diuinæ personæ in naturam diuinam, & spiratio passiuè accepta importat processionem amoris subsistentis. Quædam verò cum habitudine ad principium important temporalem terminum. Probatur hoc; quia mittitur aliquid ad hoc, vt sit in aliquo, & datur ad hoc vt habeatur; at personam diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quoddã temporale; ergo quædam nomina, quæ sunt missio & datio, important cum habitudine ad principium terminum temporalem.

„ PRIMA CONCL. est: *Nomina, quæ cum habitu*
„ *dine ad principium importãt terminum temporalem,*
„ *dicũtur temporaliter tantũ.* Probatur eodẽ modo, quo probatũ fuit vltimũ mẽbrũ distinctionis; quia mittitur aliquid ad hoc, vt sit in aliquo, &c.

SECVNDA CONCL. *Nomina, quæ cum habitu* „
dine ad principium determinant terminũ æternum, „
sicut generatio & spiratio, dicuntur solum ab æterno. „
Hæc patet ex terminis. Nam totum quod significant, vel important, est æternum, sc. principiũ & terminus; ergo solum ab æterno dici possunt.

TERTIA CONCL. *Nomina, quæ in sui significa-* „
tione important solam habitudinem ad principiũ, „
vt processio & exitus, dicuntur in diuinis, & æterna- „
liter, & temporaliter. Probatur. Nam filius ab æterno processit, vt sit Deus, temporaliter autẽ vt etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam vt sit in homine secundum inuisibilem missionem.

Expositio Textus.

OBSERVA *primò* radicem siue fundamentum cui nititur probatio *primæ concluſ.* ex D. Th. *in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 5.* quod erat tale. *In processione temporali, quæ etiam missio dicitur, includitur intellectus processionis æternæ secundum Augustinum. sed denominatio fieri debet à digniori; igitur, & si in processione sit aliquod temporale, non debet dici temporalis, sed æterna.* Cuius solutio ibidem est. *Aliquod coniunctum non potest affirmari nisi pro vtraque parte: sed negari potest pro altera parte tantum, sicut patet in veritate, & falsitate copulatiuæ propositionis. Et quia temporale claudit in se quandam negationem cum affirmatione, scilicet aliquando esse, & prius non fuisse: æternum autem importat tantum affirmationem essendi, ideo coniunctũ non potest dici æternum, nisi vtrumque æternum sit: temporale autem dici potest, etiamsi alterum sit tantum temporale; sicut creator importat diuinam operationem, & connotat effectum in creatura actualiter, ratione cuius Deus non dicitur creator ab æterno, sed ex tempore.* Hæc ibi. Cui fundamento nititur regula illa de diuinis nominibus dictis de Deo ex tempore quam tradit supra D. Th. *q. 13. a. 7. ad 1.* videlicet omnia nomina diuina quæ important habitudinem ad creaturam, siue principaliter, siue consequenter, ex tempore de Deo dicuntur quantum ad habitudinem, non autem quantum ad hoc, quod significãt essentiam, vel directè, vel indirectè. Quæ regula intelligenda est de habitudine consequente actionem Dei transeuntem, vt explicatur ibidem ad 3. vbi dicitur absolutè prædicta nomina dici de Deo ex tempore.

Quòd si quæras, cur non possit coniunctum affirmari pro altera, ac præsertim præcipua parte tantum; ac proinde, cur dici non possit missio æterna ratione originis æternæ per eam significatæ? *Dico* rationem coniuncti ex partibus simul acceptis coalescere, & non existere nisi positis, ac simul copulatis eius partibus. Et quemadmodum vna pars quantumuis præcipua non est totum ipsum coniunctum; ita vna, tali parte tantum existente, non dicitur totum ipsum existere. Sic itaque missio contemplanda est, vt quoddam totum constans ex originis æterna processione, & nouo ac tẽporali modo existendi in creatura: cùm aũt æternæ processioni adiũgitur ac temporalis ille modus, consurgit missio simpliciter temporalis; quia non est eius completa ratio nisi in tẽpore: sicut, si fingamus animam rationalem esse præexistentem ab æterno, & materiæ in tempore copulari, totũ ex ea consurgens, sc. homo, nõ diceretur æternũ, sed temporale, quia non nisi in tempore suum habet esse. His adde nomen missionis importare

Quæsitum.

Responsio.

tare principaliter ordinem ad effectũ missionis, secundum quem est essentiale, & ex consequenti relationem originis, secundum quam est notionale, vt ait S.D. *in dicta d.15.q.1.a.2.* Ex quo sequitur, missionem simpliciter esse temporalem.

Et ex his patet solutio dubitationis hic motę à Canar. quem sequuntur Zumel. & Mol. eadem enim est cum illa, quam excitat & soluit S.Th. *loco paulo ante relato.*

Lege præterea, si palceet, duas difficultates hic à Iauello motas & solutas, & explicationem responsionis ad tertium apud Caiet. quam Sylu. amplificat.

Articvlvs Tertivs.

Vtrum missio inuisibilis diuinæ personæ sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis.

228 1.di.14.q.2.art.1. AD Tertium sic proceditur. *Videtur, quod missio inuisibilis diuinæ personæ non sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis. Diuinam enim personã mitti, est ipsam donari. Si igitur diuina persona mittitur solum secundum dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipsa persona diuina, sed solum dona eius. Quod est error dicentium Spiritum S. non dari, sed eius dona.*

2 Præterea, Hæc præpositio, secundum, denotat habitudinem alicuius causæ, sed persona diuina est causa quòd habeatur donum gratiæ gratum facientis, & non è conuerso secundum illud Rom.5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. Ergo inconuenienter dicitur, quod persona diuina secundùm dona gratiæ gratum facientis mittatur.

li.4.de tri c.20.in medio. tom. *3 Præterea Aug.* dicit 4.de Trin. quòd filius cuus ex tempore mente percipitur, mitti dicitur. Sed filius cognoscitur, non solum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, sicut per fidem & per scientiam. Non ergo persona diuina mittitur secundùm solam gratiam gratum facientem.*

4 Præterea, Rabanus dicit, quòd Spiritus sanctus datus est Apostolis ad operationem miraculorum. Hoc autem non est donum gratiæ gratum facientis, sed gratiæ gratis datæ. Ergo persona diuina non solum datur secundùm gratiam gratum facientem.

Ex li.3.c.1. circa finem vsque to. 3. *Sed contra est, quòd Augustin.* dicit 3.de Trin. quòd Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam. Missio autem est temporalis processio. Cùm igitur sanctificatio creaturæ non sit nisi per gratiam gratum facientem, sequitur quòd missio diuinæ personæ non sit nisi per gratiam gratum facientem.*

Respondeo dicendum, quòd diuinæ personæ conuenit mitti, secundum quod nouo modo existit in aliquo: dari autem, secundum quod habetur ab aliquo: neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam & præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Præter istum autem modum communem est vnus specialis, qui conuenit naturæ rationali: in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente: & amatum in amante. Et quia cognoscendo & amãdo creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum ipsum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Vnde secundum solam gratiam gratum facientẽ mittitur & procedit temporaliter per-

A *sona diuina. Similiter illud solũ habere dicimur, quo liberè possumus vti, vel frui. Habere autem potestatem fruẽdi diuina persona est solum secundum gratiã gratũ facientem. Sed tamen ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem. Vnde ipsemet spiritus sanctus datur & mittitur.*

Ad primum ergo dicendum, quòd per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis; ad hoc, quòd liberè nõ solum ipso dono creato vtatur, sed vt ipsa diuina persona fruatur. Et ideo missio inuisibilis sit secũdum donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipsa persona diuina datur.

Ad secũdum dicendum, quod gratia gratũ faciẽs B *disponit animam ad habendam diuinam personam, & significatur hoc cum dicitur, quod Spiritus sanctus datur secundum donum gratiæ. Sed tamen ipsum donum gratiæ est à Spiritu sancto. Et hoc significatur, cum dicitur quòd charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum.*

Ad tertium dicendum, quod licet per aliquos effectus filius cognosci possit à nobis, non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur à nobis.

Ad quartum dicendum, quòd operatio miraculorum est manifestatiua gratiæ gratum facientis, sicut & donũ prophetiæ: & quælibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. Gratia gratis data nominatur manifestatio spiritus. Sic igitur Apost. dicitur datus Spiritus C *S. ad operationem miraculorum: quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiæ gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter spiritus S. nisi fortè cũ aliqua determinatione, secundũ quod dicitur quod alicui datur spiritus prophetiæ vel miraculorum, inquantum à spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.*

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicant Cai. & Sylu. quoad particulã illam *missio inuisibilis*; quos sequitur Zumell. & Mol. Quo ad vltimam autem declaratur à Canar. ex *1.2.q.111.*

Forma Textus.

D PRIMA CONCL. *Diuina persona mittitur inuisibiliter secundum solam gratiam gratum facientem.*

SECVNDA CONCL. *Persona diuina datur etiam secundum solam gratiam.* Probantur ambæ simul. Diuinæ personæ conuenit mitti, secundum quod nouo modo existit in aliquo: dari autem secundũ quod habetur ab aliquo: at neutrũ horum est, nisi secundum gratiam gratum facientem; ergo. Minor probatur primò quoad priorem partẽ, s. nouum modum existendi. Deus solũ dicitur esse in creatura rationali, & habitare in ea sicut in tẽplo suo, quatenus est in ea sicut cognitũ in cognoscẽte, & amatũ in amãte: E ergo hic solus effectus, qui est gratia gratũ faciẽs, potest esse ratio, quòd diuina persona sit nouo modo in rationali creatura. Cõsequentia patet. Quia cognoscere & amare Deũ pertinet ad gratiã gratum facientẽ. Antecedens probatur. Duo sunt modi quibus dicitur esse Deus in aliquo. Primus est cõmunis, quo Deus est in omnibus reb. per essentiã, potentiã & præsentiã, sicut causa in effectibus participãtibus bonitatem ipsius. Secũdus est specialis, qui cõuenit naturę rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitũ in cognoscẽte, & amatũ in amãte, & secundũ hunc solũ specialem modũ creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deũ: secundũ hunc solũ modum dicitur Deus esse in creatura rationali,

nali, & habitare in ea, sicut in templo suo. Posterior verò pars minoris, videlicet diuinam personam haberi solum secundum donum gratiæ gratum facientis probatur. Illud solum habere dicimur, quo liberè possumus vti, vel frui. At habere potestatè fruendi diuina persona, est solum secundum gratiam gratum facentem: ergo.

TERTIA CONCL. *Persona diuina in ipso gratiæ dono simul datur & mittitur.* Probatur. In ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem; ergo ipse Spiritus S. datur & mittitur.

CONTROVERSIA VNICA.

Quid sit diuinam personam inuisibiliter mitti, dari & haberi à nobis, & in quonam præcipuè sit posita ratio missionis, & dationis?

Sententia Doctorum.

DVAE contrariæ fuerunt veterum Scholasticorum sententiæ, siuè potius errores. *Vnus* dicentium cum sanctificatur homo non mitti personam Spiritus S. aut filij, sed dona tantum creata communicari. *Alius* fuit Magistri *in 1. dist. 17.* nulla nobis conferri dona creata, sed ipsum Spiritum S. fieri in nobis charitatem, qua Deum diligimus; ipse enim Spiritus S. (ait Magister) est amor siuè charitas, qua nos diligimus Deum, & proximum: quæ charitas, cum ità est in nobis, vt nos faciat diligere Deũ & proximum, tunc Spiritus S. dicitur mitti vel dari nobis. Hanc opinionem confutat ibi S. Th. & *secunda secundæ. q. 23. ar. 2.* Priorem autem *in hoc art.* Ad opinionem Magistri proximè accedit Arimin. *in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. concl. 3.* dicens possibile esse dari Spiritum S. homini, absque hoc quòd detur ei aliquod donum creatum. Quam sententiam refert Capr. *in 1. dist. 14. q. 1.*

Dur. *eadem dist. q. 3.* affirmat Spiritum S. dari aliquando creaturæ rationali solum cum donis naturæ, sed imperfectè: cum donis verò gratiæ perfectius, sed cum donis gloriæ perfectissimè.

Aureolus *apud Capr. in dicta dist.* ait missionem inuisibilem Spiritus S. in hoc non consistere, vt Deus sit in creatura rationali, tanquam obiectum cognitum & amatum, vt affirmat hic S. Doc.

Vasq. imponit Cai. quòd dixerit de mente D. Tho. inuisibilem missionem, non solum fieri per donum gratiæ gratum facientis, sed etiam per donum fidei informis, & per cogitationem, & dilectionem Dei quamcunque.

Suarez etiam *lib. 12. cap. 5. num. 6.* ait Cai. docere mitti etiam personam filij, per donum fidei informis: quorum nihil simile sonant verba Cai. sed ait missionem diuinę personæ inuisibilem attendi secundum quartum modum in littera positum, quo Deus speciali modo dicitur esse in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante; quia missionem excellentem oportet attendi secundum proprium & supremum rationalis creaturæ: hoc verò supremum est non actus primus, aut habitus, sed actus secundus quo Deus ipse per actus gratiæ cognoscitur & amatur, notitia nimirum supernaturali, quæ per fidem est & dona Spiritus S. & per charitatem; sic enim Deus rationalẽ creaturam vt templum inhabitat. Hic itaq; modus excellens, quo Deus inhabitat creaturam, species quædam secundum Cai. est illius quarti modi, quo Deus esse dicitur in rationali creatura veluti cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Quem dicendi modum alij communiter sequuntur interpretes.

Zumel. *disp. 1.* docet existentiam diuinæ personę in rationali creatura per gratiam cõtinere quatuor illos modos eminenter, quos ponit in littera S. D. sicut lumen Solis continet eminenter esse reale & intentionale. Quam sententiam sequitur, & explicat Suarez *lib. 12. cap. 5. nu. 12.*

Sylu. ait ipsum quartum modum esse, secundum quem attenditur missio diuinæ personæ, & non aliquã speciem quarti modi: quia secundum quartum modum Deus non est in creatura, nisi per dona gratiæ gratum facientis: Nam carẽtes gratia, non diligunt Deum simpliciter, quia non diligunt eum tanquam vltimum finẽ, sed habent finem in creatura: vnde non habent dilectionem Dei simpliciter, quæ est amicitiæ: & sic secundum istum modum non est Deus in eis, nisi imperfectè & secundum quid.

NIHIL existimamus addendum ijs, quæ post Magistrum & D. Thomam, aduersus priorem sententiam scribunt hic Bannes *dubio vnico*, Zumel. *disp. 1.* Torres *in 3. p. comm.* & Suar. *in dicto cap. 5. nu. 8. & seq.* De sententia verò Magistri disputat hic Torres *in 2. p. sui comm.* Sed locus proprius est *in 2. 2. q. 23. artic. 2.* ad quem lectorem remittimus. Quod hic negotium faceſſit, est proposita difficultas, in quo scilicet posita sit ratio missionis inuisibilis diuinæ personæ: an in eo excellenti essendi modo, quo dicitur esse Deus in creatura rationali, vt obiectum cognitum per fidem & dona Spiritus S. in cognoscente, & vt amatum amore charitatis in amante: quem modum asserit Cai. esse speciem perfectissimam quarti modi in littera numerati: an in alio aliquo communiori, vt existimauit Durandus, vel potius in vno aliquo modos omnes in textu positos supereminenter præhabente, vt affirmat Zumel.

Resolutio. Diuinam personam inuisibiliter mitti, dari, & haberi secundum gratiam, & perfectiones supernaturales quibus Deum cognoscimus, & amamus, qui est quartus modus intexus positus, vel perfectissima species quatuor modorum: vel vnus modus eminenter continens vniuersos modos esse Dei in re; bus.

Ad cuius euidentiam considerandum est primò, diuinas personas secundum rationem suæ processionis habere causalitatem respectu creationis rerum: & esse rationes productionis creaturarum quatenus includunt essentialia attributa, vt ait S. D. infra *q. 45. artic. 6.* quia Deus pater operatus est creaturam per suum verbum quod est filius, & per suum amorem qui est Spiritus S. Operatur autem Deus per verbum & amorem, non ea tantum, quæ sunt ordinis naturalis, sed quæ sunt etiam ordinis supernaturalis, vt gratiam & gloriam, secundum quæ attenditur reductio creaturæ rationalis, siuè intellectualis in Deum. Igitur respectu collationis donorum supernaturalium rationem habebunt causalitatis diuinæ personæ, secundũ rationem suæ processionis; ac proinde duplex erit modus processionis diuinæ personæ in creaturam: alter secundum exitum creaturæ à Deo, vt in prima rerum institutione, & quauis noua rei aut perfectionis naturalis productione: alter secundum reductionem creaturæ rationalis in Deum. De priori modo processionis non est hic sermo, nec secundum illum attenditur missio diuinæ personæ ad creaturam: sed loquitur hic S. D. de processione diuinæ personæ in creaturas, quatenus eis est ratio in Deum, vt finem vltimũ supernaturalem redeũdi, cui per gratiã & gloriam proximè copulamur; atque ideò secun-

& datio diuinæ personæ, vt perspicuè probatur in textu, & expressè docet S. D. *in 1. dist. 15. q. 2. a. vnico ad 3. & q. 4. a. 1.*

Gratiæ significatio hic.

Secundò aduertendum est, in hoc articulo nomen gratiæ, non sumi pro sola illa diuini ordinis qualitate, quæ est participatio quædam diuinæ naturæ, in essentia animæ nostræ immediatè recepta: sed accipitur etiam pro donis & perfectionibus habitualibus, ex ea ad intellectum & voluntatem deriuatis, quibus Deum vt obiectum supernaturale cognoscimus & amamus: qualia sunt dona sapientiæ, scientiæ & intellectus, & charitas: & pro eorum actibus, vt manifestè patet in littera, quæ ex modo essendi Dei in creatura rationali vt obiectum est cognitum & amatum, concludit solam gratiam gratum facientem esse rationem quod persona diuina sit nouo modo in rationali creatura, ac proinde ad eam mittatur. Et præterea ex hoc, quòd potestas fruendi diuina persona est solũ secundum gratiam gratum facientem, concludit secundum eam solam nobis dari diuinam personam: Constat autem fruitionem esse actũ voluntas per charitatem elicitum; igitur hic sumitur gratia prout extenditur ad prædicta. Ad cuius maiorem explicationem.

Considerandum est tertiò tria prædicta hic accipi, vt partes vnius perfectæ gratiæ ex eis veluti perfectionum gradibus consurgentis: quemadmodum etiam in rebus naturalibus vt vnum cumulatè perfectum accipimus hominem, in humanitate, potentijs, & habitibus, ac operationibus exornata subsistentem. Vt enim ab animæ natura potentiæ, & ex his actus emanant: sic à diuina gratia in animæ nostræ essentia residente pullulant in intellectu dona ad excellẽtem Dei cognitionem, & in voluntate charitas ad Deum supernaturale bonum præ omnibus diligendum. Et quoniam excellentissima est hæc Dei missio, idcirco debet attendi secundũ id, quod supremum & excellentissimum est: non solum in rationali creatura, sed etiam in ipsa gratia prædicto modo sumptã. Gratiæ verò sic acceptæ suprema perfectio, siue gradus in actuali Dei contemplatione & dilectione cõsistit; ad hæc enim ordinantur vt ad finem qualitas illa supernaturalis animæ nostræ naturam informans & habitus ex ea deriuati. Cum vnũquodque sit propter suam operationem. Quo fit, vt quælibet res sit longè perfectior in actu secundo, quàm in actu primo: & eadem ratione gratiæ in anima existenti summum ex actu cognitionis & dilectionis Dei culmen accedat: sicque Deus longè nobiliori modo sit in anima per actus contemplationis & charitatis, quàm per solam gratiæ qualitatem & habitus ex ea deriuatos. Et hæc videtur fuisse ratio propter quam D. Th. cognitionem & amorem in huius articuli discursu, cum gratia gratum faciente coniunxit, vnum ex altero concludens, quia nimirum pro vno & eodem sumuntur absolutè perfecto.

Huius difficultatis aliam solutionem adduximus cum Cai. supra *q. 8. a. 3. in secunda dubitatione*: sed hæc magis videtur ad mentem D. Th. & facilius conciliat eius doctrinam cum communi SS. Patrum & Scholasticorum sentẽtia dicentium Deum esse in creatura rationali per gratiam, quia Deus in illis operatur gratiã & virtutes, eleuans eos ad consortium naturæ diuinæ. Quod dictum intelligẽdum est de gratia & virtutibus secundum earum absolutissimè perfectionis gradum, ac per hoc in actu secundo cognitionis & amoris.

Conciliatio sententiæ.

Et ex hoc etiam modo dicendi conciliari facilè potest expositio Zumel. & Suar. cum interpretatione Cai. & cum littera D. Th. quamuis Zumel. suam proponat expositionẽ vt Cai. & authori contrariam. Ad cuius euidentiam.

Differentia diuini amoris à nostro ex D. Tho.

Quartò obseruandum est ex D. Th. *supra q. 20. a. 2.* differentiam esse inter amorem nostrum & Dei: quòd amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed è conuerso, bonitas eius vera vel æstimata prouocat amorem, quo ei volumus, & bonum conseruari quod habet, & addi quod non habet. Sed amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus. Cum autem amor, quo Deum diligimus super omnia, sit amicitia quædam inter nos & Deum, vt S. D. *2. 2. q. 23. a. 1.* amicitia verò sit amatio mutua super aliqua communicatione fundata: necesse est, vt amorem nostrum, quo Deũ diligimus, præcedat in nobis aliqua boni cõmunicatione, cum ipso Deo fonte bonitatis primæuo. Hæc verò est diuinæ naturæ participatio per gratiam, per quam hic in spẽ diuinæ sumus participes beatitudinis, re autem in patria. Hanc verò communicationem multiplici rerum similitudine Sacræ litteræ declararunt. Nam *ad Ephes. 4.* vtitur Apostolus similitudine ciuium & domesticorum, dicens: *Estis ciues Sanctorum & domestici Dei.* Alibi verò ad eandem communicationem exprimendam vtuntur diuinæ litteræ metaphoris sociorum, fratrum, sponsi & sponsæ, viri & vxoris: sed omnium proprijssima videtur expressio, qua filij Dei nuncupamur, & ille pater noster: per hanc enim naturæ consortium, nostra ad Deũ inæqualitas & reuerentia, iustitiæ proportio, & amoris excellentia, & relatio ad alios diligẽdos iudicatur apertius. Fũdatur igitur amor nostræ ad Deũ amicitia in participatione diuinę naturæ ex ipsius Dei in nos beneuolentia deriuata: hæc verò diuinæ naturæ participatio gratia est gratũ faciens: ex qua mirifica charismatum germina superius expressa pullulãt in intellectu & volũtate, quibus Deum summã veritatẽ, ac bonum nostrum excellẽter cognoscimus & amamus. Cùm itaque S. D. modum essendi Dei in creatura rationali specialem affirmat esse per modum obiecti cogniti & amati, charitatis nimirum amore, quæ nostra est ad Deum amicitia: fundamentum eius, scilicet gratiam & dona, ac virtutes insinuat rationali creaturæ ex Dei beneuolentia communicatas, & consequẽter etiam indicat cæteros omnes communes in rebus essendi Dei modos eminenter in hoc vno contineri. Si namque Deus sua erga nos dilectione & amicitia tantæ nobilitatis in nos effundit, & seruat gratiarum charismata; igitur in nobis est per essentiam vt agens in nobis esse diuinum, id est diuini ordinis immediatè immediatione suppositi. Et cum id efficiat per infinitæ suæ virtutis potentiam, quæ à nullius agentis potestate dependet, sequitur Deum in rationali creatura sic operantem esse per potentiam immediatè agentem in ea, quam sibi subditam & humiliter obsequentem reddit: Et quoniam in rationali creatura dictos effectus non solum operatur vt agens, sed vt singulariter amans, & amoris effectus est inhæsio mutua tã quo ad apprehensionẽ, quam quo ad effectum, quatenus scilicet amans, non est contentus superficiali apprehensione amati, sed singula nititur intrinsecùs ad amatum pertinentia disquirere, & sic ad interiora eius in-

Amicitia nostra ad Deum.

gre-

greditur,& per affectus complacentiam intimè radicatam eius appetit bonum, vt ait S.D. *1.2.q. 28.a. 2.* idcirco sequitur Deum etiam in eadem esse creatura per præsentiam. Cum autem Dei ad nos amicitia sit vt inæquales, vt patris ad filios, aut patrisfamilias ad domesticos eius: benè dixit Torres, & post eum prædicti, Deum in nobis esse vt protectorem, tutorem, rectorem ac pastorem, speciali prouidentia gubernantem: è contra verò, cum nostra ad Deum amicitia sit vt ad principē vniuersi, cuius est infinita dignitas & maiestas, cui summus debetur honor & cultus: dixit optimè S. D. Deum in nobis habitare, sicut in templo ab eodem dispositio & exornato ad supremam exhibendam illi per nos adorationem.

Ex his apparet prædictum essendi modum vi sua postulare, realem ac personalem & intimam Dei præsentiam; adeò vt si per impossibile non esset alias diuina persona prę sens animæ rationali secundum substantiam & potentiam, ac intuitiuum suę cognitionis aspectum, per modū essendi prædictum fieret absolutissimè præsens.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Missio, vel datio diuinæ personæ non attenditur secundum dona siue perfectiones naturales, neque secundum actu cognitionis aut amoris naturæ viribus eliciti: neque secundum cognitionem fidei informis, aut prophetiæ præcisè sumptæ, aut amoris supernaturalis ex gratia minimè procedentis.* Hæc patet ex dictis & probat eam Suar. *libro 12. cap. 5. num. 7.* pluribus Sacrarum litterarum testimonijs.

SECVNDA CONCL. *Missio diuina personæ attenditur secundum donum gratiæ gratum facientis, prout scilicet creatura rationalis cognoscendo & amando attingit ad ipsum Deum, secundum quem modum dicitur esse Deus in ea, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, & in ea habitare sicut in templo suo.*

TERTIA CONCL. *Prædictus modus continet & exprimit modum perfectissimum, quo Deus est in creatura rationali per gratiam.*

QVARTA CONCL. *Modus prædictus secundum vnam rationem est perfectissima species quarti modi, vel potius ipse quartus modus est species perfectissima, siue modus ab aliys essendi modis distinctus, vt aut Syl. secundum aliam verò rationem continet eminenter omnes quatuor modos.* Declaratur vtraque pars. Nam sumendo dictum essendi modum secundum cognitionis & amoris actus præcisè, species est quarti modi, vel inter quatuor modos perfectissima, vt supra *q.8.a.3.* Accipiendo verò eundem modum non secundum se tantum siue formaliter, sed etiam radicaliter, siue quo ad eius principia, quæ sunt gratia & habitus donorum & charitatis continet eminenter, vt ostendimus, quatuor illos essendi Dei modos in rebus.

VLTIMA CONCL. *Non est possibile mitti, aut dari diuinam personam, absque hoc, quod detur et aliquod donum creatum.*

Argum. & solut. Obi.1. cōt.2. 3 & 4.cōcl.

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta, quæ refert & solut Zumel. *disput. 2.*

CONTRA *secundam, tertiam, & quartam* concluſ. argumentatur Zumell. & post eum Suarez. *Primò.* Obiectum cognitum & amatum duplici ratione dicitur esse præsens in amāte & cognoscente: vno modo secundum esse repræsentatiuum, quod habet in verbo, quo cognoscitur, & secundum impulsum in voluntate per amorem: Alio modo tantum obiectiuè; at neutro horum modorum Deus inhabitat corda hominum per gratiam & charitatem; ergo secundum dictū modū non attenditur missio diuinæ personę. Probatur minor quoad priorem partē. Quia Deum sic esse in anima, vt obiectum cognitum & amatum, nihil aliud est, quàm fieri in homine conceptū quēdam supernaturali modo repræsentātem Deū, ratione cuius dicitur Deus esse intra hominem, sicut cognitū in cognoscente: & in voluntate fieri supernaturalem quendam impetum amoris in Deum, ratione cuius & homo ipse dicitur esse in Deo tanquam in termino suæ inclinationis, & Deus in eo tanquam trahēs ipsum: at verò totum hoc non excedit existentiam Dei in homine per dona creata cognitionis & amoris; nam ab illis extrinsecè denominatur Deus sic existens in homine; id enim quo in homine verè & realiter existit, non est aliud quàm conceptus mentis & impulsus voluntatis. Quo ad alteram verò partem probatur eadem minor. Quia Deum esse sic obiectiuè est sola extrinseca denominatio, quæ non requirit vi sua existentiam Dei intra hominem; ergo. Probatur antec. Quia sic etiam obiectum longissimè distans esse potest in me tanquam cognitum & amatum, & si Deus per immensitatem suam non esset intra hominem, sed in cælo tantum, & in homine fieret cognitio & amor Dei, esset Deus in homine vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante; ergo non est illa ratio sufficiens, vt dicatur Deus ipse, quoad suam personam & substantiam dari homini. *Confir.* Quia homo in puris naturalibus existens, si Dei cognitionem & amorem naturalem acquireret, diceretur habere Deum, vt obiectum cognitum & amatum, & tamen non diceretur Deus ipse quoad substantiam suam dare se tali homini, aut esse in illo proprio ac speciali modo. *Resp.* hoc argumēto probari missionem & dationem diuinæ personæ non attendi præcisè secundum modum essendi Dei in intellectu & voluntate vt obiectū cognitum & amatum, quod etiam affirmat quarta nostra conclusio. Nos autem dicimus attendi missionem secundum illum modum, non præcisè sumptum, sed cum radice gratiæ & habituum supernaturaliū intellectus & volūtatis; & D. Th. in actibus cognitionis & amoris, vt in summa & absolutissima perfectione gratiæ gratū facientis, gratiā ipsam cum habitibus cōsequentibus insinuasse, imò & expressisse in ipsa cōclusione dicendo secūdum solā gratiam gratum facientem mitti, & procedere temporaliter diuinam personam. Quam conclusionem ex dicto essendi modo deduxit, qui necessariam ac naturalem habet connexionem cum gratia, & habitibus prædictis, vt eius radicibus ac principijs. Et cum prædicta cognitio & amor, vocabulo gratiæ nuncupentur. S. D. à nobilissima gratiæ parte, totum quod gratiæ est in homine, designauit.

Conf. *Solut.*

Contra eandem concl. argumentatur Zumel. *obi.2.* Differentia contractiua generis non debet esse extra rationem illius, sed debet in illo contineri, sicut in potētia: immò verò debet esse eiusdē ordinis, vt docet Arist. *in 7. Metaph.* dicens omnes species constitui differentia per se sui generis, & non differentia per accidens; at esse vt obiectum cognitum in cognoscente est esse intētionale, esse verò secundum existentiam realem, est esse in esse reali, qui duo essendi modi sunt diuersissimi ordinis, nec subordinantur; ergo. *Resp.* eadem responsione; procedit enim argumentum sumendo modum illum essendi in cognitione & amore præcisè.

Solut.

CON-

Contra vltimam concl. sunt argumenta Greg. Arimin. relata & soluta à Capr. *in 1. dist. 14. qu. vnica*, quæ refert etiam & soluit Iauell. *super hoc art.*

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum patri conueniat mitti.

229 1. dist. 15. q. 2. artic. vnico.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd patri etiam conueniat mitti. Mitti enim diuinam personam est ipsam dari, sed pater dat seipsum (cùm haberi non possit nisi seipso donante) ergo potest dici quòd pater mittat seipsum.

2 Præterea. Persona diuina mittitur secundum inhabitationem gratiæ. Sed per gratiam tota Trinitas inhabitat in nobis, secũdum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ergo quælibet diuinarum personarum mittitur.

3 Præterea. Quicquid conuenit alicui personæ, conuenit omnibus, præter notiones & personæ. Sed missio non significat aliquam personam, neque etiam notionem, cùm sint tantum quinque notiones, vt supra dictum est; ergo cuilibet personæ diuinæ conuenit mitti.

q 32. art. 3.

Lib 2. de Trin. cap. 5 paulo post pri.

Sed contra est, quòd Augustin. † dicit in secundo lib. de Trin. quòd solus pater nunquam legitur missus.

Respondeo dicendum, quòd missio in sui ratione importat processionem ab alio: & in diuinis secundum originem, vt supra dictum est. * Vnde cùm pater non sit ab alio, nullo modo conuenit sibi mitti, sed solum filio & Spiritui sancto, quibus conuenit esse ab alio.

Art. 1. & 2. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quòd si dare importet liberalem communicationem alicuius, sic pater dat seipsum inquantum se liberaliter communicat creaturæ ad fruendum. Si verò importet auctoritatem dantis respectu eius quod datur, sic non conuenit dari in diuinis, nisi personæ quæ est ab alio sicut nec mitti.

Ad secundum dicendum, quòd licet effectus gratia, sit etiam à patre, qui inhabitat per gratiam, sicut & filius & Spiritus sanctus: quia tamen non est ab alio, non dicitur mitti. Et hoc est quod dicit Aug. * 4. de Trinit. quòd pater cùm in tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.

Libro 4. de Trin. cap. 20. post med. to. 3.

Ad tertium dicendum, quòd missio inquantum importat processionem à mittente, includit in sui significatione notionem non quidem in speciali, sed in generali, prout esse ab alio est commune duabus notionibus.

Forma Textus.

CONCL. est: *Patri nullo modo conuenit mitti, sed filio & Spiritui sancto.* Probatur. Missio in sui ratione importat processionem ab alio, & in diuinis secundum originem: at pater non est ab alio, filius autem & Spiritus S. sunt ab alio; ergo patri nullo modo conuenit mitti, sed filio solum & Spiritui sancto.

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli tractat Suar. *lib. 12. c. 2.* vbi negat filium propriè seipsum mittere; quia non procedit à seipso: & eadem ratione docet patrem non posse seipsum mittere. Sed difficultatem hanc superius absoluimus *in controuersia ad primum articulum.*

Articvlvs Qvintvs.

Vtrum filio conueniat inuisibiliter mitti.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quòd filio non conueniat inuisibiliter mitti. Missio enim inuisibilis diuinæ personæ attenditur, secundum dona gratiæ, sed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum sanctum secundum illud 1. Cor. 12. Omnia operatur vnus atque idem spiritus. ergo inuisibiliter non mittitur nisi Spiritus sanctus. 230 1. dist. 15. q. 4. art. 1 & 4 con. c. 8. & co. 9. & ca. 23 eo. 2.

2 Præterea. Missio diuinæ personæ fit secundùm gratiam gratum facientem. Sed dona quæ pertinent ad perfectionem intellectus, non sunt dona gratiæ gratum facientis, cùm sine charitate possint haberi, secundùm illud 1. ad Cor. 13. Si habuero prophetiam, & no. myst. o. & omnem scientiam, & si habuero omnem fi. ita vt mon. transf. charitatem autem non habeam, nihil sum. Cùm ergo filius procedat, vt verbum intellectus, videtur quòd non conueniat sibi inuisibiliter mitti.

3 Præterea. Missio diuinæ personæ est quædam processio, vt dictum est. * Sed alia est processio filij, alia Spiritus S. Ergo & alia missio, si vterque mittitur. Et sic altera earum superflueret, cùm vna sit sufficiens ad sanctificandam creaturam.

Art præc. & artic. 1. huius q.

Sed contra est, quod Sap. 9. dicitur de diuina Sapientia. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ.

Respondeo dicendum, quòd per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secundum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Mitti autem personam diuinam at aliquem per inuisibilem gratiam, significat nouum modum inhabitandi illius personæ, & originem eius ab alia. Vnde cùm tam filio quàm Spiritui sancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio esse, vtrique conuenit inuisibiliter mitti. Patri autem licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen sibi conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet omnia dona inquantum dona sunt, attribuantur Spiritui sancto (quia habet rationem primi doni secundum quod est amor; vt supra dictum est) aliqua tamen dona secundum proprias rationes attribuuntur per quandam appropriationem filij, scilicet illa quæ pertinent ad intellectum. Et secundùm illa dona attenditur missio filio. Vnde Aug. * dicit 4. de Trin. quòd tunc inuisibiliter filius cuiquam mittitur, cùm à quoquam cognoscitur atque percipitur.

li. 4. de tri. ca 20. circa med. to. 3.

Ad Secundum dicendum, quòd anima per gratiam conformatur Deo. Vnde ad hoc quòd aliqua persona diuina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet quòd fiat assimilatio illius ad diuinam personam, quæ mittitur per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus sanctus est amor, per donum charitatis anima Spiritui sancto assimilatur. Vnde secundum modum charitatis attenditur missio Spiritus sancti. Filius autem est verbum, non qualecunque, sed spirans amorem. Vnde Aug. dicit in * 9. lib. de Trin. Verbum autem quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. Non igitur secundùm quamlibet perfectionem intellectus mittitur filius, sed secundùm talem institutionem, vel institutionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris, vt dicitur Ioan. 6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Et in Ps. In medi. mea exardescit ignis. Et ideò signanter dicit Augusti. * quod filius mittitur cùm à quoquam cognoscitur atq; percipitur. Perceptio autem experimentalem quandam notitiam significat. Et hæc propriè dicitur sapientia, quasi sapida scientia, secundùm illud Eccl. 6. Sapientia doctrinæ secundùm nomen eius est.

li. 9. de tri. c. 10. cir. fi. to. 3.

loc. cita. in solu. 1. arg.

Ad Tertium dicendum, quòd cum missio importet originem personæ missæ, & inhabitationem per gratiam (vt supra dictum est) si loquamur de missione quantum ad originem, sic missio filij distinguitur à missione Spiritus sancti, sicut & generatio à processione. Si autem quàtum ad effectum gratiæ, sic communicant duæ missiones in radice gratiæ, sed distinguuntur in effectibus gratiæ: qui sunt illuminatio intellectus, & inflamatio affectus. Et sic manifestum est, quòd vna non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec vna persona separatur ab alia.*

In cor. art & ar. 1. huius q.

Sensus quæsiti.

QVAMVIS proponatur quæsitum de solo filio, intentio tamen est etiam quærere de Spiritu S. vt patet conclusione vtramq; personam complectente: sed solius filij nomen præfert titulus, quia prima est in diuinis persona procedens, & vna est missionis ratio vtrique procedenti personæ communis. Aliam rationem reddit Iauel. non satis congruam.

Forma Textus.

CONCL. *est. Tam filio, quàm Spiritui S. conuenit inuisibiliter mitti.* Probatur. Diuinã personam mitti ad aliquem per inuisibilem gratiam significat nouum modum inhabitandi illius personæ, & originem eius ab alia: sed tam filio, quàm Spiritui S. conuenit inhabitare per gratiam, & ab alio esse; ergo tam filio quam Spiritui sancto conuenit inuisibiliter mitti. Maior declaratur ab opposito ex tota Trinitate & persona patris: quibus licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen conuenit mitti ob defectum alterius conditionis in maiori posite, quæ est origo ab alio: quæ nec toti simul Trinitati, nec patri conuenit.

Expositio Textus.

AD HVIVS articuli intelligentiam recolenda sunt dicta superius *in 1. artic.*

Responsionem ad secundum argumentum explicat latius author *in 1. dist. 15. q. 4. ar. 1.*

De distinctione verò missionum filij, & Spiritus S. disserit S. D. *eadem dist. & q. ar. 2.* & quædam notat Suarez. *lib. 12. cap. 5. nu. 19.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

231 1. dist. 15. q. 5. ar. 1. q. 2, 3. & 4.

AD *Sextum sic proceditur. Videtur, quòd missio inuisibilis non fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ. Patres enim veteris testamenti, gratiæ participes fuerunt. Sed ad illos non videtur fuisse facta missio inuisibilis. Dicitur enim Ioannis septimo. Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus. Ergo missio inuisibilis non fit ad omnes, qui sunt participes gratiæ.*

2 Præt. Profectus in virtute non est nisi per gratiam. Sed missio inuisibilis non videtur attendi secundum profectum virtutis: quia profectus virtutis videtur esse continuus, cùm charitas semper aut proficiat, aut deficiat. Et sic missio esset continua: ergo missio inuisibilis non fit ad omnes participes gratiæ.

3 Præter. Christus, & beati plenissimè habent gratiam. Sed ad eos non videtur fieri missio, quia missio fit ad aliquid distans. Christus autem secundum quod homo, & omnes beati, perfectè sunt vniti Deo.

A *Non ergo ad omnes participes gratiæ, fit missio inuisibilis.*

4 Præterea. Sacramenta nouæ legis continent gratiam, nec tamen ad ea dicitur fieri missio inuisibilis. Non ergo ad omnia, quæ habent gratiam, fit missio inuisibilis.

Sed contra est, quod secundum Augustinum missio inuisibilis sit ad sanctificandam creaturam. Omnis autem creatura habens gratiam sanctificatur. Ergo ad omnem creaturam huiusmodi fit missio inuisibilis.* li. 3. de tri. c. 4. & li. 15 c. 27. inmittur. to 3.

Respondeo. Dicendum, quòd (sicut supra dictum est e *) missio de sui ratione importat, quòd ille, qui* 116
mittitur, vel incipiat esse vbi prius non fuit (sicut accidit in rebus creatis) vel incipiat esse vbi prius fuit,
B *sed quodam modo nouo, secundum quod missio attribuitur diuinis personis. Sic ergo in eo* d *ad quem fit* D 902
missio, oportet duo considerare scilicet inhabitationem gratiæ, & innouationem quandam per gratiam. Ad omnes ergo fit missio inuisibilis, in quibus hæc duo inueniuntur.

Ad Primum ergo dicendum, quòd missio inuisibilis est facta ad patres veteris testamenti. Vnde dicit Augustinus 4. de Trinitate, quòd secundum quod filius mittitur inuisibiliter, fit in hominibus, aut cum hominibus. Hoc autem antea factum est in patribus,* li. 4. de tri. ca. 20. parũ ante med. to. 3.
& prophetis. Cùm ergo dicitur, Nondum erat datus spiritus, intelligimus de illa datione cum signo visibili, quæ facta est in die Pentecostes.

Ad Secundum dicendũ, quòd etiam secundum profectum virtutis, aut augmẽtum gratiæ fit missio inuisi-
C *bilis. Vnde Augustinus dicit* quarto de Trinitate, quòd tunc cuiquam mittitur filius, cùm à quoquam cognoscitur, atq; percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis animæ in Deũ, vel perfectæ animæ rationalis in Deo. Sed tamen secũdum illud augmentum gratiæ præcipuè missio inuisibilis attenditur, quãdo aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiæ: vt puta, cùm aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ: vel in hoc, quòd ex feruore charitatis exponit se martyrio, aut abrenunciat his, quæ possidet, aut quodcunque opus arduum aggreditur.* li. 4. de tri. c. 20. ante med. to. 3.

Ad Tertium dicendum, quod ad beatos est facta
D *missio inuisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio inuisibilis, non secundum intensionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis reuelantur de nouo. Quod est vsque ad diem iudicij: Quod quidem augmentum attenditur secundum extensionem gratiæ ad plura se extendentis. Ad Christum autem fuit facta inuisibilis missio in principio suæ conceptionis:* e *non autem postea,* f
cum à principio suæ conceptionis fuerit plenus omni 232
sapientia, & gratia.

Ad Quartum dicendum, quòd gratia est in sacramentis nouæ legis instrumentaliter, sicut forma artificiati est in instrumentis artis, secundum quendam discursum ab agente in patiens. Missio autem non dicitur fieri nisi respectu termini. Vnde missio diuinæ
E *personæ non fit ad sacramenta, sed ad eos, qui per sacramenta gratiam suscipiunt.*

Sensus quæsiti.

DE OMNIBVS quocunque modo gratiam participantibus hæc quæstio proponitur, vt patet ex argumentis, & præsertim tertio & quarto, quo tangitur continentia gratiæ in Sacramentis.

Forma Textus.

CONCL. *est. Missio inuisibilis fit ad oẽs participes gratiæ.* Probatur. In eo, ad quẽ fit missio,

oportet duo considerare, scilicet inhabitationẽ gratiæ,& innouationem quandam per gratiam: ergo ad omnes fit missio,in quibus hæc duo inueniuntur. Antecedens probatur. Missio de sui ratione importat, quòd ille, qui mittitur, vel incipiat esse vbi prius non fuit (sicut accidit in rebus creatis) vel incipiat esse vbi prius fuit, sed quodam nouo modo secundum quod missio attribuitur diuinis personis: ergo in eo ad quem &c.

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli & præsertim argumenti secundi, tertij & quarti, latè disserit S.D. *in 1. sent. dist. 15. q. 5. a. 1. in qua tuor quæstiunculas diuiso*. Vide etiam quæ notat hic Cai.& Iauel.& Suarez *in dicto 5.c.n.17.* vbi tamen absque sufficienti ratione negat fieri missionem inuisibilem ad beatos, in noua mysteriorum reuelatione: cuius oppositum docet author hic ad tertium.

Aduerte præterea Vasquez. hic leuiter impugnare D.Tho.affirmantem *hic ad secundum* cum D. Aug. secundum virtutis profectum aut augmentum gratiæ fieri missionem inuisibilem diuinæ personæ.Eius argumentum satis puerile & falsum assumens soluunt Suarez *in dicto c. 5. n.17.*& Ripa *super hoc a.* Falsum est enim in intensione gratiæ diuinam personam non incipere esse nouo modo in creatura: sicut affirmat Vasq. secundum eam intensionem gratiæ,quæ fit virtute Sacramenti personam esse nouo modo in creatura. *Sed ait* Vasq eam gratiam dari ad peculiarem effectum. *Sed cùm* hic effectus non sit extra latitudinem effectuum immediatorum gratiæ vt patet, non apparet, cúr magis secundum hanc, quàm secundum quamlibet aliam gratiæ intensionem fiat missio diuinæ personæ.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Spiritui sancto conueniat visibiliter mitti.

232 *Locis sup. a. 6. inductis.*

AD *Septimum sic proceditur. Videtur,quod Spiritui sancto non conueniat visibiliter mitti. Filius enim secundum quod visibiliter missus est in mundum,dicitur esse minor patre. Sed nunquam legitur Spiritus S.minor patre. Ergo Spiritui S.non conuenit visibiliter mitti.*

2 Præterea. Missio visibilis attenditur secundum aliquam creaturam visibilem assumptam, sicut missio filij secundum carnem. Sed Spiritus S.non assumpsit aliquam creaturam visibilem. Vnde non potest dici,quòd in aliquibus creaturis visibilibus sit alio modo quàm in alijs,nisi fortè sicut in signo: sicut est etiam in Sacramentis,& in omnibus figuris legalibus.

Non ergo Spiritus S. visibiliter mittitur: vel oportet dicere,quòd secundum omnia huiusmodi,eius missio visibilis attenditur.

3 Præterea. Quælibet creatura visibilis est effectus demonstrans totam Trinitatem.

Non ergo per illas creaturas visibiles magis mittitur Spiritus S.quàm alia persona.

4 Præterea.Filius visibiliter est missus secundum dignissimam visibilium creaturarum, scilicet secundum naturam humanam.

Si igitur Spiritus S. visibiliter mittitur, debuit mitti secundum aliquas creaturas rationales.

lib.3.de tri. c.4.5.& 9. to3.

5 Præterea. Quæ visibiliter fiunt diuinitus,dispensantur per ministerium Angelorum, vt Aug. dicit * *3. de Trin. Si ergo aliquæ species visibiles apparuerunt, hoc factum fuit per Angelos. Et sic ipsi Angeli mittuntur,& non Spiritus S.*

6 Præterea.Si Spiritus S.visibiliter mittatur,hoc non est nisi ad manifestandum inuisibilem missionem, quia inuisibilia per visibilia manifestantur.

Ergo ad quem missio inuisibilis facta non fuit, nec missio visibilis fieri debuit:& ad omnes ad quos fit missio inuisibilis, siue in nouo,siue in veteri testamento, missio visibilis fieri debet. Quod patet esse falsum.

Non ergo Spiritus S.visibiliter mittitur.

Sed contra est, quod dicitur Matth.3. quòd Spiritus S.descendit super Dominum baptizatum in specie columbæ.

Respondeo. Dicendum, quod Deus prouidet omnibus secundùm vniuscuiusque modum.

Est autem modus connaturalis hominis,vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur, (vt ex supradictis patet.) Et ideo inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari.* 9.13. 6.12.

Sicut igitur seipsum Deus, & processiones æternas personarum,per creaturas visibiles,secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstrauit: ità conueniens fuit,vt etiam inuisibiles missiones diuinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur.

Aliter tamen filius,& Spiritus S.Nam Spiritui S. inquantum procedit vt amor, competit esse sanctificationis donum: filio autem inquantum est Spiritus S.principium, competit esse sanctificationis huius authorem.Et ideo filius visibiliter missus est tãquam sanctificationis author, sed Spiritus S. tanquam sanctificationis indicium.

Ad Primum ergo dicendum, quod filius creaturam visibilem in qua apparuit, in vnitatem personæ assumpsit:sic,vt quod de illa creatura dicitur, de filio Dei dici posit. Et sic ratione naturæ assumptæ,filius dicitur minor patre. Sed Spiritus S. non assumpsit creaturam visibilem,in qua apparuit, in vnitatem personæ, vt quod illi conuenit, de illo prædicetur. Vnde non potest dici minor patre, propter visibilem creaturam.

Ad Secundum dicendum, quòd missio visibilis Spiritus S. non attenditur secundùm visionem imaginariam,quæ est visio prophetica:quia,vt Augustl.dicit 2. de Tri.visio prophetica,non est exhibita corporeis oculis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales corporum imagines. Columnam verò illam & ignem, oculi viderunt, quicunque viderunt. Neque iterum sic se habuit Spiritus S. ad huiusmodi species, sicut filius ad petram, quia dicitur, Petra erat Christus. Illa enim petra,iam erat in creatura,& per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat. Sed illa columna & ignis, ad hæc tantum significanda repentè extiterunt. Sed videntur esse similia flammæ illi, quæ in rubo apparuit Moysi, & illi columnæ quam populus in eremo sequebatur, & fulgoribus ac tonitruis, quæ fiebant cùm lex daretur in monte. Ad hoc enim rerum illarum corporalis extitit species, vt aliquid significaret, atque prædicaret. Sic igitur apparet, quòd missio visibilis, neque attenditur secundum visiones propheticas, quæ fuerunt imaginariæ, & non corporales, neque secundum signa sacramentalia veteris & noui testamenti, in quibus quædam res præexistentes assumuntur ad aliquid significandum. Sed Spiritus S.visibiliter dicitur esse missus, inquantum fuit monstratus in quibusdam creaturis, sicut in signis ad hoc specialiter factis.* lib.2.de tri. c.6.parum à med.to.3.

Ad Tertium dicendum, quòd licet illas creaturas visibiles tota Trinitas operata sit, tamen factæ sunt ad demonstrandum specialiter hanc,vel illam personam. Sicut enim diuersis nominibus significatur pater, & filius, & Spiritus S.ita etiam diuersis re-

bus significari potuerunt: quamuis inter eos nulla sit separatio, aut diuersitas.

Ad Quartum dicendum, quòd personam filij declarari oportuit, vt sanctificationis authorē (vt dictū est.*) Et ideo oportuit, quòd missio visibilis filij fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere, & cui potest competere sanctificari. Indicium autem sanctificationis esse potuit quæcunque alia creatura. Neque oportuit, quòd creatura visibilis ad hoc formata, esset assumpta à Spiritu Sancto in vnitatem personæ, cùm non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam non oportuit, quòd duraret, nisi quamdiu perageret officium suum.

In cor. art.

Ad Quintum dicendum, quòd illæ creaturæ visibiles formatæ sunt ministerio Angelorum: non tamen ad significādum personam Angeli, sed ad significandam personam Spiritus S. Quia igitur Spiritus S. erat in illis creaturis visibilibus, sicut signatum in signo, propter hoc secundum eas Spiritus S. visibiliter mitti dicitur, & non angelus.

Ad Sextum dicendum, quòd non est de necessitate inuisibilis missionis, vt semper manifestetur per aliquod signum visibile externus, sed sicut dicitur primæ Corinth. duodecimo. Manifestatio spiritus datur alicui, ad vtilitatem scilicet Ecclesiæ. Quæ quidem vtilitas est, vt per huiusmodi visibilia signa fides confirmetur, & propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum, & per Apostolos, secundum illud Hebræor. secundo. Cùm initium accepisset enarrari per dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est. Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus sanct. ad Christum, & ad Apostolos, & ad aliquos primitiuos Sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur: ita tamen, quòd visibilis missio facta ad Christum, demonstraret missionem inuisibilem: non tunc, sed in principio suæ conceptionis ad eum factam. c Facta autem est missio visibilis ad Christum, in baptismo quidem, sub specie columbæ, quòd est animal fœcundum, ad ostendendum in Christo authoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem (vnde vox patris intonuit, Hic est filius meus dilectus) vt ad similitudinem vnigeniti, alij regenerarentur. In transfiguratione verò, sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ. Vnde dictum est. Ipsum audite. Ad Apostolos autem sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerij in dispensatione Sacramentorum. Vnde dictum est eis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ. Vnde dicitur, quòd cœperunt loqui varijs linguis. Ad patres autem veteris testamenti, missio visibilis Spiritus Sancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis filij quàm Spiritus Sanct. cùm Spiritussanct. manifestet filium, sicut filius patrem. Fuerunt autem factæ visibiles apparitiones diuinarum personarum patribus veteris testamenti. Quæ quidem missiones visibiles dici non possunt: quia non fuerunt factæ (secundum Augustin *) ad designandum inhabitationem diuinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum.

231 c

li. 2. de tri. c. 17. cir. fin. to 2.

Sensus quæsiti.

SOLA dictio *visibiliter* indiget explicatione, quæ tamen habetur ex littera, & ex notatis supra artic. tertio in titulo. Eandem explicat Torres *super hoc articulo.*

Formæ Textus.

» PRIMA CONCL. Cōueniens fuit vt inuisibiles
» missiones diuinarum personarū, secundum ali-
quas visibiles creaturis manifestarentur. Probatur. Inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari; ergo. Probatur antecedens dupliciter. Primò ex communi ratione diuinæ prouidentiæ; Deus prouidet omnibus secundum vniuscuiusque modum; at modus naturalis hominis est, vt per visibilia ad intelligibilia manu ducatur; ergo inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Secundò probatur ex simili manifestatione Dei & processionum; quia Deus seipsum & processiones æternas personarum per creaturas visibiles demonstrauit, quibus imaginis aut vestigij similitudinē impressit.

SECVNDA CONCL. *Filius origine manifestatus* »
& missus est visibiliter tanquam sanctificationis au- »
thor: sed Spiritus sanctus tanquam sanctificationis in- »
dicium. Probatur. Quia Spiritui S. inquantum procedit vt amor, competit esse sanctificationis donum: filio autem inquantum est Spiritus S. principium, competit esse sanctificationis huius authorem.

Expositio Textus.

DISSERIT latè S. D. de materia præsentis articuli *in primo sent. dist. 16. quæ vnica quatuor articulos continente: & 3. par. q. 39. a. 6. 7. & 8.* ad quem locum pertinet quæstio hic à recentioribus mota: An columba in qua apparuit Spiritus S. fuerit verum animal, & vniuersaliter, an quatuor signa visibilis missionis Spiritus S. fuerint veræres, an similitudines earum.

Difficultatem hanc versant hic Torres, Zumel. & Mol. & Suar. *lib. 2. cap. 6.* Nos eius definitionem proprio loco reseruamus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

AD Octauum sic proceditur. Videtur, quod nulla persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter. Quia sicut dicit Augu. * 4. de Trin. Pater à nullo mittitur, quia à nullo est. Si ergo aliqua persona diuina mittitur ab alia, oportet quòd sit ab illa.

233 1. dist. 15. q. 3. Et pet. q. 10. ar. 4 ad quartum. * li. 4. de tr. c. vl. in to 3.

2 Præt. Mittens habet authoritatem respectu missi: sed respectu diuinæ personæ non potest haberi authoritas, nisi secundum originem. Ergo oportet, quòd diuina persona, quæ mittitur, sit à persona mittente.

3 Præt. Si persona diuina potest mitti ab eo, à quo non est, nihil prohibebit dicere, quòd Spirit. sanctus detur ab homine, quamius non sit ab eo. Quod est contra Aug. * 3. de Trin. Ergo diuina persona non mittitur, nisi ab ea, à qua est.

li. 15. de trin. c. 26. to 8.

Sed contra est, quòd filius mittitur à Spiritu S. secundum illud Isa. 48. Nunc misit me Dominus Deus, & spiritus eius. Filius autem non est à Spiritusancto. Ergo persona diuina mittitur ab ea, à qua non est.

Respondeo. Dicendum, quod circa hoc inueniuntur aliqui diuersimodè locuti esse. Secundum quosdam enim, persona diuina non mittitur nisi ab eo, à quo est æternaliter Et secundum hoc cùm dicitur, filius Dei missus à Spiritu sancto, referendum est hoc ad humanam naturam, secundum quam missus est ad prædicandum à Spiritu S. Augustin. autem dicit * 2. de Trinita. quòd filius mittitur, & à se, & à Spiritu S. & Spiritus S. etiam mittitur, & à se, & à filio, vt sic mitti in diuinis non conueniat cuilibet personæ, sed solum personæ ab alio existenti: mittere autem conueniat cuilibet personæ. Vtrumque autem habet

li. 2. de trin. c. 5. per tot. tum to 3.

bet aliquo modo veritatem: quia cùm dicitur aliqua A persona mitti, designatur, & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut inuisibilis, secundum quem missio diuinæ personæ attenditur. Si igitur mittens designetur vt principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solum illa, cui conuenit esse principium illius personæ. Et sic filius
D.901. mittitur tantum à patre, d Spiritus S. autem à patre & filio. Si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. Non d
D.430. autem propter hoc, homo dat Spiritum S. quia nec effectum gratiæ potest causare. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

Forma Textus.

RELATIS duabus oppositis opinionibus, pro vtraque respondet duabus conclusionibus.

PRIMA CONCLVSIO est pro priori sententia. *Si mittens designetur vt principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solum illa, cui conuenit esse principium illius personæ: & sic filius mittitur tantum à patre, Spiritus sanctus autem à patre & filio.*

SECVNDA CONCL. pro sententia D. Augustini est. *Si persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personã missã.* Probatur vtraq; simul. Cùm dicitur aliqua persona mitti, designatur & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis aut inuisibilis, secundum quem missio diuinæ personæ attenditur; ergo si mittens. &c.

Expositio Textus.

B PRO HVIVS a. intelligentia legenda sunt ea, quæ supra diximus *in contr. ad 1. a. huius q.* quibus consonant ea quę notat Iauel. *super hoc a. Difficultatem* tactam in tertio argumento tractat S. D. *in 1. dist. 14. a. vnico.*

ET HAEC sufficiant pro Commentarijs huius tractatus, ad laudem & gloriam SS. Trinitatis, & Catholicæ fidei exaltationem, & doctrinæ D. Th. Aq. D. A. & diuinæ voluntatis interpretis amplitudinem.

TRACTATVS DE CREATIONE.

C ratio causæ efficientis, ex hoc quòd est ipsum esse per essentiã, per se subsistens & maximè ens. Deinde vt effectus quilibet à Deo productus determinatam formam consequatur, necesse est in diuina mente præexistere rationes omnium rerum, quas ideas & formas dicimus exemplares. Denique, quoniam omne agens agit propter finem; postremò quæritur, num Deus sit causa finalis omnium. Cõstat autem naturalem agentis perfectionem & virtutem in eo præcedere rationem idealem, & quod vtrumque præcedit rationem finis secundum esse: quamuis omniũ prima sit finis causalitas in intentione; sed qm̃ Deo absolutè & simpliciter conuenit ratio efficientis & exemplaris, ratio verò finis, id est, ad finem ordinari, non conuenit Deo
D absolutè considerato, sed solum quantum ad eius actionem: non vt res est, sed vt actio formaliter est: ideò postremo loco de finali causa disseritur. His adde notiorem nobis esse rationem efficientis causæ, quàm finalis: Hanc enim ex efficienti notificamus. Agit itaque S. D. primò de Deo, prout est rerum omnium causa in primo articulo: deinceps in *a. 2.* quærit, vtrum materia prima sit à Deo creata, ob singularem de eius esse & productione difficultatem.

QVAESTIO XLIV.

De processione creaturarum à Deo, & de omnium entium prima causa, in quatuor articulos diuisa.

POST *considerationem diuinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum à Deo. Erit autem hæc consideratio tripartita, vt primò consideretur de productione creaturarum. Secundò, de earum distinctione. Tertiò, de conseruatione, & gubernatione. Circa primum tria sunt consideranda. Primò quidem, quæ sit prima causa entium. Secundò, de modo procedendi creaturarum à prima causa. Tertiò verò de principio*
D *durationis rerum.*

Circa primum quæruntur quatuor.

Primò, Vtrum Deus sit causa efficiens omnium entium.

Secundò, Vtrum materia prima sit creata à Deo, vel sit principium ex æquo coordinatum ei.

Tertiò, Vtrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sint alia exemplaria præter ipsum.

Quartò, Vtrum ipse sit causa finalis rerum.

Ordo quæstionis, & articulorum.

QVONIAM vt ait S. D. infra *q. 45. a. 6.* diuinæ personæ secundùm rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum: ideo considerata processione diuinarum personarum, & omnibus ad earum rationem ac notitiam pertinentibus, agit de processione creaturarum à Deo. Bannes aliam reddit rationem ex differentia Theologiæ ac Metaphysicæ, de qua diximus supra *in introductione secundæ quæstionis.*

Distinguit autem tractatum hunc de rerum creatione in tria præcipua capita, quorum ordo quanquam satis euidens, explicabitur in singulorum exordio. Huius verò quæstionis articulorum series est. Nam primò conuenit Deo

ARTICVLVS PRIMVS.

E *Vtrum sit necessarium, omne ens esse creatum à Deo.*

AD *Primum sic proceditur. Videtur, quòd non sit necessarium omne ens esse creatum à Deo. Nihil enim prohibet inueniri rem sine eo, quod non est de ratione rei: sicut hominem sine albedine. Sed habitudo causati ad causam non videtur esse de ratione entium, quia sine hac possunt aliqua entia intelligi: ergo sine hac possunt esse. Ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata à Deo.* 234 2. dist. 1 q 1. a 2. & 3. & dist 17. q. 1. a. 2. Et 2. cont. c. 6. 15. & 16 Et 0. pus. 3 c. 68. & 69 & 0pus. 15. c 9.

2 *Præterea. Ad hoc aliquid indiget causa efficiente, vt sit. Ergo quod non potest nõ esse, non indiget cau-*

sa efficiente. Sed nullum necessarium potest non esse: quia quod necesse est esse, non potest non esse. Cùm igitur multa sint necessaria in rebus, videtur quòd non omnia entia sint à Deo.

*3 Præterea. Quorumcunque est aliqua causa, in his potest fieri demonstratio per causam illam. Sed in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem, vt per Philosophum patet in * tertio Metaph. Non igitur omnia entia sunt à Deo, sicut à causa agente.*

3.Metap. lect.4. to.3.

Sed contra est, quod dicitur Rom.11.cap. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

*Respondeo. Dicendum, quòd necesse est dicere, omne quod quocunque modo est, à Deo esse. Si enim aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est, quòd causetur in ipso ab eo, cui essentialiter conuenit: sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra, * cùm de diuina simplicitate ageretur, quòd Deus est ipsum esse per se subsistens. Et iterum ostensum est, * quòd esse subsistens, non potest esse nisi vnum, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi vna, cùm albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quòd omnia alia à Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur, quòd omnia quæ diuersificantur secundum diuersam participationem essendi, vt sint perfectius, vel minus perfectè, causari ab vno primo ente, quod perfectissimè est. Vnde & Plato dixit, quod necesse est ante omnē multitudinem ponere vnitatem. Et Aristot. dicit in 2.* Metaphysicorum, quòd id, quod est maximè ens, & maximè verum, est causa omnis entis, & omnis veri: sicut id, quod maximè calidum est, est causa omnis caliditatis.*

B

q.3 a.4.

*q.11.a.3. & 4.

34

333

2. Metap. lect.4.to.3.

C

Ad Primum ergo dicendum, quòd licet habitudo ad causam non intret diffinitionem entis, quod est causatum: tamen sequitur ad ea, quæ sunt de eius ratione: quia ex hoc, quòd aliquid per participationem est ens, sequitur, quòd sit causatum ab alio. Vnde huiusmodi ens, non potest esse, quin sit causatum, sicut nec homo quin sit risibile. Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc, inuenitur aliquod ens non causatum.

Ad Secundum dicendum, quòd ex hac ratione, quidam moti fuerunt ad ponendum, quòd id, quod est necessarium, non habeat causam, vt dicitur in 8. Physic. Sed hoc manifestè falsum apparet in scientijs demonstratiuis, in quibus principia necessaria sunt causæ conclusionum necessariarum. & ideo dicit Arist. in 5. Metaph. quòd sunt quædam necessaria, quæ habent causam suæ necessitatis. Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens, quia effectus non potest esse, sed quia effectus non esset, si causa non esset. Hæc enim conditionalis est vera, siue antecedens, & consequens sint possibilia, siue impossibilia.*

D

5.Metap. lect.6.to 3

Ad Tertium dicendum, quòd mathematica accipiuntur vt abstracta secundum rationem, cùm e tamen non sint abstracta secundùm esse. Vnicuique autem competit habere causam agentem secundum quod habet esse. Licet igitur ea, quæ sunt mathematica, habeant causam agentem: non tamen secundum habitudinem quam habent ad causam agentem, cadunt sub consideratione mathematici. Et ideo in scientijs mathematicis non domonstratur aliquid per causam agentem.

27 d

E

Sensus quæsiti.

Caiet. interpretatio reiicitur.

TRES SVNT in titulo termini declarandi. *Primus* est dictio illa, *omne ens*, qua Caiet. existimat non significari rem omnem aliam à Deo, sed omnem rem, quæ propriè dicitur ens, cuius propriè est subsistere & esse: siue illud sit compositum ex materia & forma, siue sit sola forma per se subsistens, vt Angelus. Ratio eius est: quia si priori modo sumeretur, *omne ens*, superuacaneus esset articulus sequens, in quo de materia quæritur, quæ vnum est ex entibus. Quam interpretationem sequitur Ripa. *Sed quia conclusio* loquitur manifestè de omni quod quocunque modo est: & ratio qua probatur conclusio, procedit euidenter de omni re à Deo diuersa: siue illi cōueniat esse per se, siue in alio tanquā pars, aut accidens, aut alio quocunq; modo: & in tertio argumento & eius responsione tractatur de Mathematicis, quorum non est esse, nec fieri per se, sed in alio: propterea cēseo, quæsitum esse vniuersaliter & absolutissimè intelligendum de omni re à Deo distincta. *Nec tamen* redundat sequens articulus. Nam singularem habet materia prima difficultatē: Tū propter varias antiquorum sentētias: Tum propter eius merè potentialem naturam, omni esse & actualitate carentem, quæ singularem affert difficultatem. Nam etsi per singula veterum errata nō sint articuli multiplicādi, vt bene probat Ripa: distinguendi sunt tñ articuli, iuxta peculiares ac præcipuas rationes dubitādi, ex rerum naturis præsertim emergentes. Quod valdè frequens ac familiare est A. nostro D. vt vel mediocriter in eius doctrina versatis elucet.

Secundus terminus est, *creatum*, qui non propriè sumitur, vt idem significat quod ex nihilo productum, sed vt idem est quod effectiuè productum, vt hic aduertit & probat Cai. quem sequitur Mol. & consentit Vasq. licet in principio sit aduersus.

Tertius terminus est, *necessarium*, quo significatur necessitas, non ex parte Dei, qui liberè producit ad extra, sed ex parte entis creati, quod esse non potest, nisi vt à Deo dependens.

Forma Textus.

CONCL. est: *Necesse est dicere omne, quod quocunque modo est à Deo esse.* Probatur. Necesse est omne, quod inuenitur in aliquo per participationem, causari ab eo cui essentialiter conuenit. Sed esse inuenitur in omnibus alijs à Deo per participationem, & in Deo per essentiam; ergo necesse est dicere, &c. Maior declaratur exemplo ferri, quod fit ignitum ab igne. Minor quo ad Deum probatur ex dictis supra *q.3.a.4.* vbi probatum est Deum esse ipsum esse subsistens. Quo ad alia verò à Deo; quoniam omnia alia à Deo non sunt suum esse, ergo diuersimodè participant esse à Deo. Antec. probatur; quoniam esse subsistens nōn potest esse nisi vnum; ergo alia à Deo non sunt suum esse. Assumptum patet *ex q. 7.a.1. ad 3. & a. 2. & q. 11. a. 3. & 4.* Et manifestatur exemplo albedinis. Denique probatur idem assumptum ex dicto Platonis asserentis ante omnem multitudinem oportere ponere vnitatem; quo etiam probatur conclusio addito clariori dicto Philosophi *ex 2. Metaph.* Id quod est maximè ens &c.

Expositio Textus.

REFERVNT hic recentiores, scilicet Bann. & post eum latius Mol. Val. & Vasq. plurimas de primò rerum efficiente principio veterum hæreticorum ineptas & sordidas fabulas, Simonis Magi, Saturnelli siue Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Cerinti, Nicolai, Gnosticorū, Apellis, Cerdonis, Manichæi, & Albigensium. Ad quorum confutationem producunt diuinarum litterarum oracula, Sacrorum Conciliorum definitiones, & Patrum, Ecclesiæ Doctorum sententias, quæ lege si placet. Vide etiam

tiam apud Valent. opinionem Durandi cum suis fundamentis ab eo confutatam.

Aduerte præterea Cai. hic exponere verba illa cõclusionis, *Omne quod quocunque modo est*, vt per ea significetur omnis modus entis constitutiuus cuiuscunque generis, non autem modus communis siuè transcendens, quo ens distinguitur in actum & potentiam: ita vt sit sensus. Omne quod est quale vel quantum, &c. non autem: Omne quod est actu vel potentia. Cuius expositionis rationem affert ab ipso in expositione quæsiti positam; quia scilicet materia prima sequenti reseruatur articulo: & de actu essendi verificari non potest id, quod in minori vel eius probatione sumitur de omni a- B lio à Deo, videlicet quod non sit suum esse. Sed iam supra diximus materiam primam distinctum articulum postulare ob singularem sui difficultatem, licet sub communi ei, & cæteris entibus ratione, hoc primo comprehendatur articulo. De actu verò essendi negat Bannes esse suum esse; quia non subsistit, sed est quod essentia creata subsistit, & est actus à Deo participatus, & in essentia creata veluti in potentia receptus. *Sed melius dici* potest minorem propositionem, & eius probationem loqui de rebus, quibus aliquo modo conuenit esse, siuè per se subsistant, siuè non, sed insint alteri, vt C pars essentialis vel integralis, vel etiam vt accidens: quibus omnibus ait S. D. esse conuenire per participationem: ac proinde ipsum esse, nihil aliud esse, quàm participationẽ ipsius esse per essentiam ad vniuersa creata diffusam. Et ideò vis probationis non exigit, vt Cai. existimat, quòd esse creatum non sit suum esse; satis est enim, vt esse creatum sit participatio ipsius esse per essentiam, qua participatione alia dicuntur esse, vt actualitate realiter ab eis distincta.

Cajetani & Bannesij interpretatio reijcitur.

Tertiò nota vim & artem huius discursus cum Cai. ibi. Circa vim rationis &c.

Postremò diligenter obserua, ex hac Angelici nostri Doctoris demonstratione probari totã D entis finiti latitudinem, secundum omnes eius modos, tam vniuersales quàm particulares, specificos & indiuiduales, ab ipso primo ente per essentiam Deo effectiuè ac Physicè deriuari: ac proinde singulos creatæ voluntatis actus bonos, & omnem eorum determinationem ad exercitium, & speciem, & indiuiduum obiectum, cum omni libertatis modo, ab eodem ente per essentiam, vt prima causa producente, ac entitatis omnem communem, & specialem, ac indiuidualem participationem, ac essendi modum efficacissimè largiente procedere; alioquin non omne, quod entis naturam ac modum participat, ab ipso esse per essentiam vt totius entitatis fonte dimanaret: sed aliud primum oporteret assignare principium, quod lumen E resputt naturale, & vniuersæ reijciunt Philosophorum Academiæ, & Ecclesia Catholica semper exhorruit.

Controversia Vnica.

An ratio Diui Tho. pro conclusione sit efficax?

Sententiæ Doctorum.

Valentia relato discursu D. Thom. ait rationem eius videri non satis euincere, quod vellet dictus expositor, nimirum res omnes esse à Deo, non quomodocunque, sed etiam tanquam à causa efficiente immediata: sed probare solum res omnes esse à Deo tanquam A à causa efficiente mediata, vel immediata. Deinde affert ipse rationem ad probandum res omnes esse à Deo, vt ab efficiente immediato: in qua maiorem hanc assumit formaliter falsam. Effectus aliquis hoc ipso producitur à Deo immediatè, quod, cum ipse alioqui sit factibilis, & aliquando actu existat, Deus immediatè cognoscit & vult voluntate consequente vt talis effectus actu existat. Nec eius probatio aliquid valet, vt ostendi facilè posset. Sed inanem ac prorsus inutilem de huiuscemodi re disputationem existimamus. Si namque sol esset animatus, & immediatè cognosceret aurum producibile in viscеribus terræ, & vellet ipsum producere voluntate consequente, non ob id produceret aurum immediatè, sed mediatè; sicut modo producit. Quod etiam euidenter elucet in intelligentia motrice, quę generabilia motu cæli causata cognoscit immediatè, & vult voluntate consequente, & tamen ea mediatè causat.

Vasq. *cap. 2.* ait S. Th. inde colligere ipsum existere esse de essentia Dei, & Deum esse suum existere; quia est idem omnino essentia Dei, & eius esse: & *q. 7. a. 1.* deduxisse Deum esse infinitum per essentiam, eo quòd non habet esse receptum in essentia, sed eius essentia est suũ esse: è contra verò *arti. 2.* probare omne ens C præter Deum non esse infinitum secundum essentiam, quia non est suum esse, sed habet esse receptum. Ait autem ipse non ita facilè probari posse existentiam distingui ab essentia, & in ea recipi, & oppositum non minus esse probabile. Affert autem ipse rationem, quam existimat efficacem ad probandam conclusionem D. Th. de qua ratione satis supra diximus *q. 7. a. 1. in secunda contr.* & confutat eam latè Suar. *libr. 2. de attributis diuinis. cap. 1.*

Resolutio. Contra Valentiam declaratur interpretio D. Th. & efficacitas argumẽti. Contra Vasquesiũ autem verè ostenditur medium, quo probatur hic Deo conuenire esse per essentiam.

Sciendvm *est primò* ad hunc articulum minimè pertinere modum causandi, productionem tantum omnium entium à Deo, quocunq; modo fiat; proprias enim habent modi causandi difficultates, distinctis quæstionibus examinandas. Quamobrem tota quæstio sequens expenditur in explicando modo emanationis rerum à primo principio per creationem: & infra *q. 104. & 105.* latissimè disserit S. D. de modo quo res à Deo mediate, vel immediatè causantur, & cõseruantur: Quod si considerasset Val. rationem hic à D. Tho. quæ modum euinceret immediate causandi, non requireret. Et nihilominus hoc eodem medio, quo probat hic S. D. omne ens effectiuè à Deo produci, vtitur etiam infra *q. 104. a. 1.* ad probandum creaturas omnes à Deo conseruari: & *q. 105. a. 5.* ex hoc, quod Deus est causa ipsius esse vniuersalis in rebus, quod inter omnia est magis intimũ rebus, probat Deum esse intimè vt operantem in E omnibus rebus; & supra *q. 8. a. 1.* ex hoc, quòd Deus est ipsum esse per suam essentiam, & esse creatum est proprius eius effectus, probat Deũ ad esse rebus omnibus intimè, & vt agens immediatum illis coniungi, non solum immediatione virtutis, sed etiã immediatione suppositi, vt ibidem ostẽdimus cumulatè cum Cai. & Ferrar. Igitur ex medio præsentis articuli deducitur efficaciter, non solum intenta conclusio de productione totius entis à Deo, sed modus etiam immediatè producendi concluditur.

Secundò obseruandum est D. Th. *sup. q. 3. a. 4.* non probare existentiam esse de essentia Dei, & Deũ ipsum esse suum existere, quia est idẽ omnino

nino essentia Dei & esse, vt illi falsò Vasq. imponit: sed colligit ibidem S. D. essentiam Dei esse suum existere, quia non est ens per participationem, sed est ipsum esse per essentiam. Nec *in q. 7. ar. 1.* probatur immediatè Deum esse infinitum per essentiam, eo quòd non habeat esse receptum in essentia, sed eius essentia sit suum esse, vt ait Vasquez: sed ex hoc primo & immediato principio, quia Deus est ipsum esse subsistens, deducitur esse diuinũ non esse receptum in aliquo, & consequenter esse infinitum simpliciter. Et hoc eodem medio probatur minor in hoc art. quia scilicet Deus est ipsum esse subsistens, quod non põt esse nisi vnum: sicut albedo, si esset subsistens, non posset esse nisi vna. Constat autem hæc duo valde differre, Deus est ipsum esse subsistens, & Deus est suum esse: Nã in secũdo exprimitur sola realis identitas essentiæ & esse, in primò verò significatur quidditas, & pelagus infinitum diuinæ substantiæ, quod scilicet Deus est ipsa essendi & existẽdi natura incircumscriptè subsistens, ac pro hoc eminenter continẽs omnes, non solum existentes, sed etiam quomodocunque possibiles essendi modos, vt ait S. D. supr. *q. 4. a. 2. & q. 13. a. 1.* ex Dionysio & Damasceno.

A

B

Distinguitur & explicatur, quid sit esse tale per essentiã, & esse tale per participationẽ: & ostenditur, quo sensu dicatur Deus ens per essẽtiam.

Tertiò vt eluceat sensus maioris illius propositionis assumptæ ad probationem concl. videlicet, *Necesse est omne qd inuenitur in aliquo per participationem, ab eo causari, cui essentialiter conuenit*, distinguenda & explicanda est ratio vtriusque generis entis in dicta propositione significati. Alterum est, cui aliquid essentialiter, siue per essentiam cõuenit, quod dicitur tale per essentiam. Alterum est, cui aliquid participatiuè conuenit, quod tale nuncupatur per participationem.

C

Dicitur autem esse quidpiam tale per essentiã dupliciter. Vno modo, vt dictio illa, *per essẽtiã*, determinet subiectũ, & sic esse tale per essentiã idẽ est, quod esse tale non per aliquid extraneum ab essentia ipsius subiecti, quod dicitur tale, sed esse de eius essentia: quo sensu homo est animal per essentiam, quia animal est de essentia hominis; non est aut quantus, aut coloratus per essentiam, quia quantitas & color extrinseca sunt ab eius essentia. Et ita accepta dictio, *per essentiam*, vim habet duarum dictionum; & huic modo essendi tale per essentiam opponitur esse tale per partticipationem, id est per aliquid naturæ superadditũ, & ex eo deriuatum, cui essentialiter, id est intrinsecè conuenit: sicut ferrum dicitur ignitum ab igne. Alio modo dicitur aliquid esse tale per essentiam, prout dictio, *per essentiam*, determinat prædicatum, & habet vim vnius dictionis, & significat esse totaliter essentiam eius, quod de ipso dicit, & postulat tres, immo quatuor illas conditiones, quas hic annotat Caietan. & post eum Bannes *Prima* est, vt sit ipsa natura, quæ de illo prædicatur, puta bonitas, vel albedo: *secunda*, vt essentia siue natura non sit aliquo modo limitata siue contracta: *tertia*, vt sit naturaliter in seipsa subsistens: cuius defectu homo nõ est animal rationale per essentiam, quia non inuenitur animal rationale sic illimitatè subsistẽs: *vltima*, vt actus receptibilis secundum suũ ordinem, vt sapientia, bonitas, & similia, quæ in Deo naturaliter subsistunt; quamuis existimem vltimam hanc in prima contineri, & è contra; omnis enim natura actus est siue forma receptibilis saltem in supposito, cuius est natura, & forma totius; & omnis actus, natura quædam est, prout natura distinguitur contra habens naturã, siue contra suppositum. Et hoc modo ponebat Plato hominem per essentiã, & leonem, ac singulas rerum essentias & species subsistentes; quamuis considerato modo prædicationis dicat Ferrar. *in 1. con. gen. cap. 22.* & post eũ Bannes, hominem esse animal rationale per essentiam. Huic quod sic (vt descripsimus) tale est per essentiam, opponitur id, quod sic tale est per participationem, vt nõ sit ipsa natura, siue essentia absq; limitatione subsistens, sed illã habeat limitatè, & quasi partialiter. Et hoc modo Petrus & Ioannes naturãtha bentes principijs indiuiduantibus limitatam, dicuntur secundum Platonem participare speciem, vt explicat latè S. D. *in 1. Metaph. lect. 10.*

D

E

Vt aliquid sit tale per essentiam quatuor requirit conditiones.

Sed præterea iuxta priorẽ modũ dupliciter aliquid dicitur esse tale per essentiã. Vno modo formaliter, quod .s. per suam essentiã, vt quãdam formã actu, & quidditatiuè denominantẽ est tale: sicut Socrates homo est per suam essentiam formaliter, quam includit actu, & ex qua formaliter & quidditatiuè dicitur homo. Alio modo causaliter, quod scilicet non est, aut dicitur tale per suam essentiam, vt formam denominantem, sed tantum vt radicem, & causam alicuius alterius formæ denominantis, sicut Sortes dicitur sensitiuus, & risibilis per essentiam, quoniam hæc ex essentia pullulant.

Posterior verò modus essendi tale per essentiam similem distinctionem non admittit. Nã quod sic tale est per essentiam, nihil habet extraneum sibi connexum, sed sola essentia est. Quare non satis congrua est distinctio illa Bannesij dicentis aliquid dici per essentiam causaliter tale dupliciter scilicet adęquatè, vt cum prę dicatur passio adæquata de subiecto, exempli gratia risibile de homine: & sic dici tale causaliter per essentiã in secundo sensu; & inadæquatè, cum scilicet passio est inadæquata subiecto; exẽpli gratia, dicitur homo sensibilis per essentiã causaliter, & sic dicitur per essentiã causaliter in primo sensu: Iam .n. diximus hominẽ nõ esse animal rationale per essentiam in secundo sensu propriè loquẽdo, ob defectũ tertię conditionis, sed ita quandoq; nominari propter prædicationis modum, quia .s. homo speciẽ significat, de qua dicitur animal rationale quidditatiuè, & absq; vlla limitatione ad talẽ vel talem essendi modum siue gradum; & ideò licet risibilitas ex rationalitate deriuetur, & per se primò & adæquatè conueniat homini, non propterea dicitur homo risibilis per essentiam causaliter, sumendo per essentiam in secundo sensu.

Bannesij distinctio reiicitur.

Quartò considerandum est, prædictos duos modos essendi tale per essentiam sic adinuicem cõparari, vt secundus inferat primum, sed non è contra, vt explicat Ferrar. *in dicto 22. cap.* Sed in modis essẽdi tale per participationem opposita est compãratio, vt ibidem etiam aduertit Ferrar. Nam primus infert secundum, & non è contra; potest enim aliquid esse per essentiam primo modo, quod tamen est per Participationem secundo modo; nam homo est animal per participationem secundo modo, & tamen est animal per essentiam primo modo; sed omne quod est tale per participationem primo modo est etiam tale secundo modo; nam quod per aliquid additum essentiæ dicitur tale, non est eius essentia totaliter & illimitatè, sed illam habet ad modum aliquem definitum; quod .n. album est per participationem, non est albedinis essentia illimitatè, sed albedinem solam habet in tanto gradu. Cum itaque docet S. Tho.

Deum

Deum esse ens per essentiam, principaliter intelligendus est in secundo sensu siue modo, secundariò verò & consequenter in primo, quem inferri diximus ex secundo. Cùm autem asserit creaturam esse ens per participationem, de participatione loquitur principaliter secundo modo, sed consequenter primo modo. Nam etsi primus participationis modus non inferatur ex secundo formaliter loquendo, in re tamè proposita infertur æque & indifferenter alter modus ex altero. Nam quia creatura nõ est ipsa natura essendi incircumscriptè, sed habet esse in essentia receptum & limitatum, idcircò non est per suam essentiam, id est, quidditatiuè ens participialiter; & è contra, quia non est per suam essentiam, id est, quidditatiuè ens participialiter, sed per superadditam existentiam realiter ab essentia distinctam, ideò non est ens per essentiam secundo modo, sed limitatè. In hoc itaq; discursu S.D. affirmans Deũ esse ipsũ esse subsistẽs, principaliter intendit Deum esse ipsum esse per essentiam in secundo sensu, consequenter autem in primo. Quare non mihi satis probatur expositio Caiet. dicentis de mente D. Tho. & aliorum affirmantium solum Deum esse ens per essentiam nil aliud per hoc significari, quàm quòd esse sit ipsa quidditas Dei; hoc enim iam diximus secundariò tantum intendi.

Cai. expositio reijcitur.

Conciliatur Scot. cum D. Th.

Ex quo patet Scotum in hoc à D. Thom. nõ dissentire, cùm ait Deum dici ens per essentiam, quia eius esse est perfectissimum & infinitum; id enim est, ac si diceret, quia est ipsum esse subsistens illimitatum: quamuis hoc eius verba minus aptè significent. Videnda sunt, quæ latè de hac materia scripsimus supra *q.4.a.2. & q.6.a.3. contr.1.*

Conclusiones, dictæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Ratio D. Tho. probat efficaciter conclusionem.*

SECVNDA CONCL. *D. Thom. in concl. & eius probatione loquitur de omni modo entis, non solum cuiuscunque generis constitutiuo, sed etiam transcendentali, quo scilicet distinguitur ens per actum, & potentiam.*

TERTIA CONCL. *Quãuis nec ad præsentem articulum pertineat modus productionis, nec D. Tho. intendat probare à Deo omne ens immediatè produci, ratio tamen adducta pro conclusione est ad id probandum efficacissima.*

QVARTA CONCLVSIO. *Cùm asserit D. Thomas Deum esse ipsum esse subsistens, siue ipsum esse per essentiam, sumit principaliter dictionem illam per essentiam secundo modo scilicet vt determinat prædicatum, secundariò verò primo modo scilicet vt determinat subiectum.*

Argum. & Sol.

CONTRA *primam concl.* producit Vasq. argumentum supra solutum. Contra eadem sunt argumenta quæ virtualiter tangit & soluit Caiet. & post eum expressè proponit & soluit Ban.

CONTRA *secundam concl.* est argumentum Cai. superius tactum & solutum.

Obi. contr. 3. sungl.

CONTRA *tertiam* argumentatur Valentia. Non est necesse, vt omne quod est tale imperfectè, & per participationem, sit immediatè ab eo, quod per essentiam est perfectissimè tale; ergo solũ probat ratio D. Th. res omnes esse à Deo, tanquam à causa mediata, vel immediata. Antecedens probatur. Nam ferrum, verbi gratia, fit ignitum & calidum, non immediatè ab igne, sed ab aliquo alio ignito ferro vel ligno.

Solut.

Respon. primò falsum esse antecedens, loquendo de eo, quod est tale per essentiam secundo modo. Ad probationem dico ignem non esse per essentiam secundo modo naturam ignis, sed rationem ignis illi conuenire per essentiam primo modo. Secundò dico, si attendamus intentionem D. Tho. veram esse id, quod concludit argumentum, vt ante diximus; sed si consideremus vim rationis secundum se, dico ex ea concludi modũ etiam immediatè causalitatis Dei, respectu totius entis. Nam ea propositio maior, *necesse est omne, quod inuenitur in aliquo per participationem, causar ab eo, cui essentialiter conuenit,* accipienda est sub disiunctione modificata, scilicet mediatè vel immediatè, iuxta naturam & modum causalitatis eius quod est tale per essentiam. Iam autem diximus, ex ipso esse per essentiam, omne ens immediatè dependere. Vnde ad argumentum negatur consequentia; quãuis enim non sit necesse, vt omne, quod est tale per participationem, sit immediatè ab eo, quod est tale per essẽtiam; necesse tñ est, vt omne, q^d^ est tale per participationem, sit vel mediatè vel immediatè ab eo, quod est tale per essentiam, iuxta modum & naturam illius, vt dictum est. Vide si placet apud Banncs. quæst. de ver. concl. D. Th.

Proponitur primum argumentum S.D. in forma, & eius responsio, quæ defenditur à calumnia Valentiæ.

PRIMVM ARGVMENTVM *D. Tho. est.* Nihil prohibet inueniri rem sine eo, quod non est de ratione rei. Sed habitudo causati ad causam non est de ratione entium; ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata à Deo. Minor probatur; quia sine tali habitudine possunt aliqua entia intelligi. *Respõdet* de ente posse nos loqui dupliciter. Vno modo de ente simpliciter, & sic vera est maior & minor & eius probatio bona; quia Deus & entia vt entia sunt, possunt intelligi sine habitudine ad causam: & inuenitur aliquod ens non causatum. Alio modo de tali ente, scilicet per participationem, & sic falsa est maior; quia ex hoc, quòd aliquid per participationem est ens, sequitur quòd sit causatum ab alio; & ideò huiusmodi ens non potest esse, quin sit causatum: sicut nec homo, quin sit risibilis: licet habitudo ad causam non intret diffinitionem entis, quòd est causatum.

Val. obiect.

Hanc responsionem sic impugnat Val Hæc responsio non efficit, quòd per vllam potentiam res aliqua nequeat esse sine huiusmodi habitudine ad causã, sed tm̃ quod esse non possit sine tali habitudine per potentiam ordinariam: ergo non satisfit argumento. Probatur antecedens; quia non videtur absolutè impossibile, vt homo sit absque illa propria passione, quæ est risibilitas, vt risibilitas est accidens extra essentiam hominis. Probat autem ipse duobus argumentis non posse per Dei potentiam absolutam fieri, vt sit aliqua res, quæ nec sit Deus, nec vllo modo à Deo facta tanquam à causa efficiente, quæ nobis non sunt necessaria, Habemus longè meliora *in 2. contra gentes, cap. 15. Respondetur* cum Ferrar. *in 4. con. gent. c. 65 post medium* dictam relationem non esse passionem creaturæ, vt apertè docet D. Thom. *de pot. q.3.a.3 ad 3.* sed esse de ratione eius, inquantum est ens à Deo dependens, quod ab ipsa nullo modo potest separari. Non enim potest à Deo fieri, vt creatura ab ipso non dependeat, sicut nec effici potest, vt creatura sine actione Dei conseruetur in esse. Et quemadmodũ quãtitas, qua Sortes indiuiduatur, accidens est, & tamé de eius ratione est, qua-

Solut. Ferr.

quatenus individuum est ab alijs distinctũ, vt superius ostendimus *q. 3. art. 2.* sic dicta relatio accidens est in re creata, & tamen de eius ratione est, vt est à Deo dependens, & quatenus est ens per participationem à Deo, quod est ipsum esse per essentiam. Exemplum autem de risibili secundum Ferr. ad hoc solum affertur à D. Th. vt dictam relationem ostẽdat esse extra essentiam rei, sicut extra essentiam hominis est risibile. *Sed hæc expositio* manifestè est cõtra textum, cuius verba sunt. *Vnde huiusmodi ens non potest esse, quin sit causatum: sicut nec homo, quin sit risibile.* Ex quibus perspicuè constat fieri comparationem, non quo ad esse extra essentiam, sed quo ad inseparabilitatem. *Dico itaque* exemplum tenere, quo ad inseparabilitatem, non tamen quo ad modum & gradum inseparabilitatis. Nam passio inseparabilis est solum naturaliter, & per potentiam Dei ordinariam: relatio verò dependentiæ inseparabilis est ab ente creato per Dei potentiam absolutam. Secundò dico dictam relationem fundari in relatione transcendente ipsius entis per participationem ad ens per essentiam. Nam, quod se toto participans est, hoc ipso respicit essentialiter seipso toto id, quod est tale per essentiam, non minus quàm materia formam, & anima corpus; quam relationem hic partim supponit, & partim significat S. D. cum ait. *Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, &c.* his enim verbis indicat esse de ratione entis per participationem, vt sit ab alio causatum, prout scilicet esse causatum significat dictam relationem transcendentem, quæ fundamẽtum est relationis prædicamentalis. Ex quo sequitur primò non posse esse, nec intelligen6, quod nec sit Deus, nec sit à Deo productum. Secundò, non posse esse tale ens absque relati one dependentiæ realiter ab ipso distincta; quia posito fundamento & termino, necnon sequitur relatio, sicut positis duobus albis, necessariò resultat similitudo. Tertiò dico duplicem esse consequentiã, vnã essentialẽ & intrinsecam, aliã accidentalem, & extrinsecam. Quando S. D. ait, ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequi illud esse causatum ab alio, loquitur de consequentia essentiali & intrinseca: sicut ab esse hominẽ sequitur esse animal, quia de ratione entis per participationẽ est vt sit causatũ prout esse causatũ dicit relationem transcendẽtem; & idem est, ac si diceret, hoc ipso formaliter, quod aliquid est ens per participationem, est ab alio causatum; sicut etiam hoc ipso quod est homo, est etiã animal: relatio verò prædicamentalis sicut & propria passio sequitur ad subiectum per consequẽtiam extrinsecam, quia extrinseca est ab eius ratione; & ideò exemplum de risibili non est omnino simile, sed modo tantum superius expresso. Et hæc videtur melior solutio, & concidit cum solutione Ferrar. *Igitur ad argumentum* Valentiæ negatur antecedens. Ad eius probationem negatur consequentia; quia non est omnino ratio similis, vt ante diximus.

Reiicitur sol. Ferrar.

Vera Solu.

Ad Argumentũ Valent.

Respons. ad secundum subtiliter explicat, & tuetur Caiet. & latius post eum Ban. De qua re videndæ sunt nostratum disputationes *in 5. Metaph. in cap. de necessario,* & ea quæ diximus supra *quæst. 16. art. 5. controuer. vnica.*

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum materia prima sit creata à Deo.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd materia prima non sit creata à Deo. Omne enim quod fit, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, vt dicitur in * 1. Physic. sed materiæ primæ non est aliquod subiectum. Ergo materia prima non potest esse facta à Deo. 235 *Supra q. 14. a. 1. cor. Et 1 di. 36 q. 1. a. 1. Et ver. q 3. a. 5. cor. Et po. q 3. ar. 5. & q 4 Et opu 3. c. 69 98 12. 230 Et 10 11. lec. 5. Et Phys 8 l 2. * Tex. 62. tomo 2.*

2 Præterea. Actio & passio diuiduntur contra se inuicem. Sed sicut primum principium actiuum est Deus, ita primum principium passiuum est materia. Ergo Deus & materia prima sunt duo principia contra se inuicem diuisa: quorum neutrum est ab alio.

B 3 Prat. Omne agẽs agit sibi simile & sic, cùm omne agens agat inquantũ est actu, sequitur, quod omne factum aliquo modo sit in actu. Sed materia prima est tantum in potentia, inquantum huiusmodi. Ergo contra rationem materiæ primæ est, quod sit facta.

*Sed contra est, quod dicit * Augu. 12. conf. Duo fecisti domine, vnum prope te, scilicet angelum; aliud prope nihil, scilicet materiam primam.* *Tib. 1. confes. c. 7. in fine tom. 1.*

Respondeo. Dicendum, quòd antiqui philosophi paulatim, & quasi pedetentim, intrauerunt in cognitionem veritatis. A principio enim quasi grossiores existentes, non existimabant esse enta nisi corpora sensibilia. c Quorum, qui ponebant in eis motum, 261
C non considerabant motum nisi secundum aliqua accidentia, vt puta secundum raritatem, & densitatem, per congregationem, & segregationem. Et supponentes ipsam substantiam corporum increatam, assignabant aliquas causas huiusmodi accidentalium transmutationum, vt puta amicitiam, litem, intellectum, aut aliquid huiusmodi. Vlterius verò procedentes, distinxerunt per intellectum inter formam substantialem, & materiam, quam ponebãt increatam: & perceperunt transmutationem fieri in corporibus, secundũ formas essentiales. Quarũ transmutationum quasdam causas vniuersaliores ponebãt vt obliquum circulum Arist. * vel ideas secũdum Platonem. Sed considerandum est, quòd materia per *Li 2. de gener. tex 56.* formam contrahitur ad determinatam speciem, e *tom. 2.*
D sicut substantiu alicuius speciei per accidens ei aduenies contrahitur ad determinatum modum essendi, 35
vt homo contrahitur per album. Vtrũq; igitur considerauerunt ens particulare quadam consideratione: vel inquantum est hoc ens, vel inquantum est tale ens. & sic rebus causas agentes particulares assignauerunt, Et alterius, aliqui exierũt se ad considerandum ens inquantum est ens: & considerauerũt causam rerum, non solum secundum quod sunt hæc, vel talia, sed secundum quod sunt entia. Hoc igitur, quod est causa rerum, inquantũ sunt entia oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt hæc per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud
E quod pertinet ad esse illorum quocunque modo. e Et 136
sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab vniuersali causa entium.

Ad Primum ergo dicendum, quod Philosophus in 1. Phys. loquitur de fieri particulari, quod est de forma in formã, siue accidentalem, siue substantialem: nunc autem loquimur de rebus secundum emanationem earum ab vniuersali principio essendi. A qua quidem emanatione, nec materia excluditur, licet a primo modo factionis excludatur.

Ad Secundum dicendum quod passio est effectus actionis. Vnde & rationabile est, quod primum principiũ passiuum, sit effectus primi principij actiui. Nam omne imperfectum causatur à perfecto. Oportet enim primum principium esse perfectissimum, vt dicit Arist. in 12. Metyhpy. * *Lib. 12. Meta. tap. text 25.*

nem *tomo 3.*

Ad Tertium dicendum, quòd ratio illa non ostendit, quòd materia non sit creata, sed; quòd non sit creata sine forma. Licet enim omne certum sit in actu, non tamen est actus purus. Vnde oportet, quòd etiam illud, quod se habet ex parte potentiæ, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est. A

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. dicens hic non sumi creatum, vt distinguitur contra concreatum, sed vt opponitur increato, & idem significat quod incausatum effectiuè.

Forma Textus.

TRES referuntur antiquorum Philosophorum opiniones de causis rerum efficientibus, & exclusis duabus prioribus, vt deficientibus, ac veritatis apicem minimè contingentibus, tertiam approbat, & eius supposita veritate quæsito respondet vnica conclusione.

Prima opinio fuit eorum, qui non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia, quorum substantiam supponebant esse increatã. Et qui ponebant in eis motũ, non considerabant motum nisi secundum aliqua accidẽtia, vt puta secundum raritatem & densitatem, per congregationẽ & segregationem, quarum transmutationum causas assignabant, amicitiam, litem, intellectum aut aliquid huiusmodi.

Secunda opinio fuit eorum, qui discernentes inter formam substantialem & materiam, quã ponebant increatam, cognouerunt in corporibus fieri transmutationem secundũ formas essentiales, quarum transmutationum statuebant vniuersaliores quasdam causas, vt obliquũ circulum, id est Zodiacum secũdum Aristotelem, vel ideas secundum Platonẽ. Has duas opiniones S. Doct. excludit vt deficientes; quoniam vtraque considerauit ens particulari quadã consideratione, vel in quantum est hoc ens, vel inquantum est tale ens, & sic rebus causas agentes particulares assignauerunt; ergo deficienter locuti sunt. Antecedẽs probatur; quia materia per formã contrahitur ad determinatum speciem, sicut substantia alicuius speciei per accidens ei aduenies contrahitur ad determinatũ modum essendi, vt homo contrahitur per album: at prima opinio percepit solã transmutationem substantiæ corporeæ secundum accidentia, secunda verò transmutationem cognouit secundum formas substantiales in materia: ergo vtraque considerauit ens particulari quadam consideratione, &c. B C D

Tertia opinio fuit eorũ, qui mentis aciem erexerunt ad considerandũ ens in quantum ens, & rerũ causam attigerunt, non solum secundum quod sunt hæc, vel talia, sed secundũ quod sunt entia. Hac igitur, vt vera & fidei Catholicæ cõformi præsupposita sententia, hac vnica.

CONCLVSIONE quæsito respondet. *Oportet ponere etiam materiã primam creatam ab vniuersali causa entiũ.* Probatur. Quod est causa rerum inquantũ sunt entia, oportet esse causã rerũ, non solum secundũ quod sunt talia per formas accidẽtales, nec secundũ quod sunt hæc per formas substantiales, sed etiã secundũ omne illud quod pertinet ad esse illorũ quocunq; modo: ergo oportet ponere etiam materiã primam creatam ab vniuersali causa entiũ. Antecedens patet ex differentia tertiæ opinionis à duabus prioribus, Consequentia verò relinquitur vt euidens. E

Expositio Textus.

PRISCORVM hæreticorum erroré, negantium fuisse materiã primam à Deo creatam, lege si placet apud recentiores. Dicta singulorum, & nomina refert Vasq; præ omnibus diligentius, aduersus quam hæresim producunt Magister Porrecta, Val. & Vasq. diuinarum litterarum oracula, Sacrorum Conciliorum definitiones, & Sanctorum dicta.

Ex ratione qua probatur in textu conclusio deducit Valentia materiam primam non esse ita puram potentiam, vt nullo modo sit ens actu in latitudine entis; alioquin nulla esset consequentia D. Tho. sed dicitur (inquit) & est pura potẽtia respectu actus formalis in genere substãtiali, quia scil. omni actu formali &, specifico ex se caret, tantummodoque est pura potentia ad illum. *Sed illatio* Val. falsa est, & omni probabilitatis colore destituta: nec eius probatio aliquid valet. Nam vis rationis D. Tho. non innititur actualitati, quæ materiæ secundum se formaliter insit, sed in hoc posita est, quòd materia aliquo modo, nimirum vt pura potentia in genere entis, pertinet ad esse perfectum entis materialis siue corporei: & ideò oportet eam causari ab vniuersali causa entium, quatenus entia sunt. Constat enim ex Arist. *in 5. & 9. Metaphy.* ens diuidi per potentiam & actum, atque ideò ens purè potentiale non esse extra latitudinem entis, quamuis non nisi per actum siue formam possit existere. Est ergo materia prima secundum rationem sui quidditatiuam pura potentia, & tñ pars actu est ipsius compositi ad eius essentiam siue quidditatem intrinsecè pertinens. Nec tamen ex se formaliter vllum habet actum, sed à forma tantum. Et licet actuata per formam non habeat statum puræ potentiæ, quem nunquam habere potest, semper tamen est quidditatiuè pura potentia. *Confutatio.*

Caiet. totam huius artic. doctrinam optimis illustrat Metaphysicæ documentis, quæ Banes & Mol. complectuntur, & approbant, nec ampliori videntur indigere declaratione, sed lectorem ingenij postulant perspicacis.

Ferrar. *in 2. cont. gent. cap. 16. ratione 4.* declarat tribus modis intelligi posse fieri ens simpliciter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

AD *Tertium sic proceditur. Videtur, quòd causa exemplaris sit aliquid præter Deum. Exemplatum enim habet similitudinem exemplaris: sed creatura longe sunt à diuina similitudine. Non ergo Deus est causa exemplaris earum.* 236 *pot. q. 7. ar. 1. ad 3. & 2. co. 11. in prin.*

*2 Præterea. Omne, quod est per participationem, reducitur ad aliquid per se existens, vt ignitum ad ignem, sicut iam dictum est. * Sed quæcunque sunt in sensibilibus rebus, sunt solum per participationem alicuius speciei. Quod ex hoc patet, quòd in nullo sensibilium inuenitur solum id, quod ad rationem speciei pertinet, sed adiunguntur principijs speciei principia indiuiduantia. Oportet ergo ponere ipsas species per se existentes, & vt per se hominem, & per se equum, & huiusmodi. Et hæc dicuntur exemplaria. Sunt igitur exemplaria res quædam extra Deum.* *art. 1. huius quæst.* 336

3 Præterea. Scientia & diffinitiones sunt de ipsis speciebus,

cielus, non secundum quod sunt in particularibus, quia particularium non est scientia, nec deffinitio. Ergo sunt quædam entia, quæ sunt entia, vel species non in singularibus. & hæc dicuntur exemplaria. Ergo idem quod prius.

Ca.5.non ve quòd à pr. 4. Præterea. Hoc idem videtur per Dionys. qui dicit * 5. capit. de diuin. nomin. Quod ipsum secundum se esse, prius est eo, quod est per se vitam esse, & eo quod est per se sapientiam esse.

Sed contra est, quòd exemplar est idem quod idea.

Lib 83.qu. q. 46. ante med 10.4. Sed ideæ (secundum quod Augustinus * lib. 83.q. dicit) sunt formæ principales, quæ diuina intelligentia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt extra Deum.

Respondeo. Dicendum, quòd Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd ad productionem alicuius rei ideo necessarium est exemplar, vt effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia, propter exemplar ad quod inspicit, siue illud sit exemplar ad quod extra intuetur, siue sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quòd ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio, oportet, quòd reducatur sicut in primum principium, in diuinam sapientiam, quæ ordinem vniuersi excogitauit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideò oportet dicere, quòd in diuina sapiẽtia sunt rationes omnium rerum, quas supra * diximus ideas, id est formas exemplares in mente diuina existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen nõ sunt realiter aliũ à diuina essentia, prout eius similitudo à diuersis participari potest diuersimodè. sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium. Possunt etiam in rebus creatis quædam aliorũ exemplaria dici, secundum quod quædam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitationis.

Pd Primum ergo dicendum, quod licet creaturæ non pertingant ad hoc, quòd sint similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei, vt homo genitus homini generanti: attingunt tamen ad eius similitudinem secundũ repræsentationem rationis intellectæ à Deo, vt domus quæ est in materia, domui quæ est in mente artificis.

74.

Ad Secundum dicendum, quod de ratione hominis est, quod sit in materia. Et sic non potest inueniri homo sine materia. Licet igitur hic homo sit per participationem speciei, non tamen potest reduci ad aliquid existens per se in eadem specie, sed ad speciem superexcedentem, e sicut sunt substantiæ separatæ. Et eadem ratio est de alijs sensibilibus.

b 3.6.

Ad Tertium dicendum, quòd licet quælibet scientia, & diffinitio sit solũ entium, non tamen oportet, quòd res eundem modum habeant in essendo, quem intellectus habet in intelligẽdo. e Nos enim per virtutem intellectus agentis abstrahimus species vniuersales à particularibus cõditionibus: non tamen oportet, quòd vniuersalia præter particularia subsistant, vt particularium exemplaria.

e 79. 89.

Cap.11.inter med.& fin. Ad Quartum dicendum, quòd sicut dicit Dion. * 11. cap. de diuin. nom. Per se vitam, & per se sapientiam quandoq; nominat ipsum Deum, quandoque virtutes ipsis rebus datas: non autem quasdam subsistentes res, sicut antiqui posuerunt.

Sensus quæsiti.

QVID exemplaris causæ nomine significetur, hic explicat Cai. & post eum Val. Nos supra q.15.art.1. rationem exemplaris, quod alio vocabulo nuncupatur idea, latissimè declarauimus.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *Deus est primum exemplar omniũ rerum.* Probatur. Oportet dicere quod in diuina sapientia sunt rationes omnium rerum, quis supra diximus ideas, id est formas exemplares in mente diuina existentes, quæ non sunt realiter aliud à diuina essentia: igitur ipse Deus est primum exemplar omnium. Antecedens quo ad priorem partem probatur. Ad productionem alicuius rei ideò necessarium est exemplar, vt effectus determinatam formam consequatur; at ea quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur ex diuina sapientia, vt primo principio; ergo oportet dicere &c. Maior huius argumenti probatur exemplo artificis. Minor autem: quia diuina sapientia ordinem vniuersi excogitauit, qui in rerum distinctione consistit. Posterior verò pars antecedentis, videlicet quod ideæ, id est formæ exẽplares nõ sint aliud realiter à diuina essentia, manifestatur soluẽdo tacitam obiectionẽ. Nã licet ideæ multiplicẽtur secundum respectum ad res, & essentia sit vna, non tamen sequitur eas ab essentia realiter distingui: sed tantum sequitur essentiæ diuinæ similitudinem à diuersis posse diuersimodè participari, & secundum hoc eam habere rationem plurimum idearum.

SECVNDA CONCL. *Possunt in rebus creatis quædam aliorum exemplaria dici.* Probatur: quia quædam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitationis; ergo.

Expositio Textus.

PROBATIONEM antecedentis quo ad priorem partem hic eleganter explicat Cai. necessitatem aperiens exemplaris, & radicem eiusdem probationis ostendens. Vide etiam quæ notat hic Valen. de ideis, ex Scripturis & Patribus.

Reliqua ad huius articuli commentarium spectantia, petenda sunt *ex a.1. & 2.q.15.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Deus sit causa finalis omnium.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd Deus non sit causa finalis omnium. Agere enim propter finem videtur esse alicuius indigentis fine. Sed Deus nullo est indigens. Ergo non competit sibi agere propter finem.* 237 Infr. q. 65. art. 2. & 9. 103. ar. 3. Et 2. dis. 1 q. 2 art. 2. co. 5&

2 *Præterea. Finis generationis, & forma generati, & agens, non incidunt in idem numero (vt dicitur in * 2. Physic.) Quia finis generationis est forma generari: Sed Deus est primum agens omnium. Non ergo est causa finalis omnium.* 3. contra c. 17. & 18. *Tex. 70. tomo 2.

3 *Præt. Finem omnia appetunt: Sed Deum non omnia appetunt; quia neque omnia ipsum cognoscunt. Deus ergo non est omnium finis.*

4 *Præterea. Finalis causa est prima causarum. Si igitur Deus sit causa agens, & causa finalis, sequitur quòd in eo sit prius & posterius. quod est impossibile.*

Sed contra est, quod dicitur Prou. 6. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.

Respond. Dicendum, quòd omne agens agit propter finem. Alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quàm illud, nisi à casu. e Est autem idem fi-

nis agentis & patientis inquantum huiusmodi, sed aliter & aliter. Vnum enim & idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam, quæ simul agunt, & patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta: & his conuenit, quòd etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non conuenit agere propter acquisitionem alicuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est eius bonitas. Et vnaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis & bonitatis diuinæ. c Sic ergo diuina bonitas est finis rerum omnium.

Ad Primum ergo dicendum, quod agere propter indigentiam, non est nisi agentis imperfecti: quod natum est agere & pati: sed hoc Deo nõ competit. Et ideo ipse solus est maximè liberalis: quia non agit propter suam vtilitatem, sed solum propter suam bonitatem.

Ad Secundum dicendum, quod forma generati non est finis generationis, nisi inquantum est similitudo formæ generantis, c quod suam similitudinem communicare intendit. Alioquin, forma generati esset nobilior generante, cum finis sit nobilior his, quæ sunt ad finem.

Ad Tertium dicendum, quod omnia appetunt Deũ, c vt finem, appetendo quodcunque bonum, siue appetitu intelligibili, siue sensibili, siue naturali, qui est sine cognitione. Quia nihil habet rationem boni, & appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

Ad Quartum dicendum, quòd cum Deus sit causa efficiens, exemplaris, & finalis omnium rerum, & materia prima sit ab ipso: sequitur, quòd principium omnium rerum sit vnum secundum rem. Nihil tamẽ prohibet in eo considerari multa secundum rationem, quorum quædam prius cadant in intellectu nostro, quàm alia.

Sensus quæsiti.

TERMINOS huius quæsiti declarant Cai. & Vasq. sermo est enim de fine non operatione producto, quem finem gratia cuius appellat Vasq. sed de fine præexistente, cuius bonitatem agentia concupiscunt, & in cuius laudem, & gloriam cedunt vniuersa, quem idẽ expositor nominat finem cui. Dictio autem *omnium* pro rebus omnibus alijs à Deo distribuit, vt hic aduertit Cai. cum hic tractatus circa Dei causalitatem ad extra versetur.

Forma Textus.

" CONCL. *est. Diuina bonitas est finis omnium*
" *rerum.* Probatur. Primum agens non agit propter acquisitionem alicuius finis, sed intẽdit solum communicare suam perfectionem, quæ est eius bonitas: & vnaquæquè creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis & bonitatis diuinæ; ergo diuina bonitas est finis omnium rerum. Probatur simul antecedens & consequentia, quia omne agens agit propter finem: sed idem est finis agentis, & patientis inquantum huiusmodi, quamuis aliter & aliter, quia scilicet idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere; ergo primum agens, &c. Antecedens probatur; Quia alioquin ex actione agentis, non magis sequeretur hoc, quàm illud. Conseq. verò; quia primum agens est agens tantum, reliqua verò agentia, quæ sunt imperfecta, simul agunt & patiuntur. Igitur iltis conuenit, vt etiam in agendo intendant aliquid acquirere, non autem primo agenti, sed agere solum ad communicationem suæ bonitatis.

Expositio Textus.

AMPLIOR est quæsito conclusio, quæ Deum etiam comprehendit, vt perspicuè patet ex textu. Sensum illius aperit S. D. *in 3. cont. gent. c. 18.* vbi Ferrar. *in fine illius capituli* mouet dubitationem, & soluit de prima illa parte antecedentis: *Primum agens non agit propter acquisitionem alicuius finis.* Alteram verò partem eiusdem antecedentis, videlicet, *& vnaquæq; creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis, & bonitatis diuinæ*, probat D. Thom. *in 19. c. eiusdem libri.* Totum autem antecedens explicat Ferrar. *in cap. 17. eiusdem libri ratione 7.* Propositio verò assumpta ad probationem antecedentis illa videlicet, *Omne agens agit propter finem*, probatur ab eodem A. nostro D. *in 1. 2. q. 1. a. 2.* Denique Cai. hic sensum explicat illius propositionis. *Reliqua agentia simul agunt, & patiuntur:* quem sequitur Bannes.

CONTROVERSIA VNICA.

An diuina bonitas sit finis actionis diuinæ?

VALENTIA dicit tria. *Primum.* Deus in rerum productione aliquem finem prætendit, scilicet suam bonitatem communicare. *Secundum.* Bonitas Dei non est finis Dei, vel operationis immanentis ipsius Dei, per quam res producit. *Tertium.* Falsissimum est dictum illud Cai. videlicet operationem Dei formaliter, vt operatio est, habere pro fine ipsam diuinam bonitatem, loquendo de operatione diuina vt est in ipso Deo. *Sententiæ Doctorum.*

Molina *suprà q. 19 art. 2. disp. 3.* docet obiectum primarium voluntatis diuinæ esse finem obiecti secundarij, non autem actus voluntatis diuinæ.

Suarez *disput. Metaph. 23. sect. 9.* dicit quatuor. *Primum* est. Finis non potest exercere causalitatem suam in diuinam voluntatem, quantum ad actus immanentes, seu determinationes liberas eiusdem voluntatis. *Secundum.* Quo ad actiones Dei transeuntes, finis non habet in ipso agente Deo aliquam propriam causalitatẽ. *Tertium.* Deus vt agens ad extra, siuè quod idẽ est, actio Dei ad extra habet causam finalem, quæ tamen actio non est Deus, nec in Deo, sed in creatura. *Quartum.* Non satisfacit Caietanus dicendo actionem Dei esse Dei essentiam, & quantum ad rem, quæ est actio, non habere causam finalem, sed inquantum est actio formaliter, habere Dei bonitatem vt causam finalem.

Paulus Soncinas *in 5. Metaph. quæst. 2.* affirmat Dei voluntatem moueri ab eius bonitate Metaphoricè, & ideò ibi saluari veram causalitatem finis.

Ferrar. *in primò cont. gent. c. 87.* ait diuinam bonitatem secundum modum nostrum intelligendi esse causam diuinæ voluntatis, eo quod sit finis, qui apud nos mouet voluntatem ad ea, quæ sunt ad finem: sed tamen secundum rem (inquit) non est eius causa; cum non sit realiter distincta ab actu volendi. In tertiò verò *lib. c. 17.* ait Deum secundum suam entitatem

vt sic non esse finem sui ipsius, sed tantum in- A quantum est agens. Eadem hic vtitur distinctione Cai. dicens Deum dupliciter sumi posse. Vno modo absolutè, & sic nullus eius est finis: Alio modo vt primum agens, & hoc dupliciter: Vno modo quantum ad rem, quæ est actio, qua dicitur agens; & sic nullum habet finem, quia actio Dei est eius substantia; & sic consueuit dici, quod Deus agit propter finem, non sui sed aliorum: Alio modo formaliter secundum rationem actionis: & sic habet suam bonitatem finem suæ actionis. Eandem sententiam sequitur Ban. addens in diuina actione formaliter sumpta includi duo scilicet entitatem diuinam, quæ est intrinseca perfectio: & respectum B rationis ad creaturam producendam: qui respectus (inquit) licet non constituat actionem diuinam in ratione actionis, est tamen illi intrinsecus: quantum ad primum, actio diuina non habet diuinam bonitatem vt finem, sed tãtum quantum ad respectum rationis: quia, cum finis moueat agentem non realiter, sed Metaphoricè, non est necesse vt inter agens, vel eius operationem, & inter finem sit realis distinctio, sed sat est distinctio rationis, ita, vt agens habeat aliquam determinationem à fine per respectum & ordinem ad effectum producendũ, & ad dispositionem mediorum. Cui verò non placuerit (inquit) iste modus dicendi, dicat diuinam bonitatem propriè non esse causam fi- C nalem actionis Dei, sed esse rationem eius.

Resolutio. aperitur status controuersiæ, & proponitur sententia D. Th. diuinam bonitatem ipsum operantis Dei finẽ statuentem.

QVAESTIONEM hanc breuiter attigimus ac definiuimus suprà *q. 19. art. 2. in explicatione responsionis ad secundum argum. D. Thom. & a. 5. controu. vnica*: Nunc autem ablata in præsenti materia propriè sedis opportunitate è re esse diximus eam latius explicare, suppositis tamen ibidem dictis de bono creato, & eius volitione, quo ad eius causalitatem & rationem volendi, tam respectu alterius boni creati à Deo voliti, quàm respectu diuinæ volitionis. Cum autem duplex sit circa creaturas liberarum operationum genus in Deo, ad propositam cõtrouersiam pertinentium: Quædam enim ad a- D ctus pertinet immanentes, vt liberæ præfinitiones siuè decreta vel determinationes diuinæ voluntatis, quibus ab æterno decreuit vniuersa in quauis temporis, vel durationis parte, siuè mensura producenda: Quædam autem dicuntur & sunt virtualiter & eminenter transeuntes, vel etiam formaliter sumendo cum multis actionem Dei pro rei emanatione ad creaturam intrinsecè terminata: Proponitur hæc quæstio de vtroque actionum genere; proprias enim vtrinque trahit difficultates: Atque ideò Bannes immeritò difficultatem hanc ad solas arctat actiones immanentes.

Notandum est itaque primò ex D. Thom. *in 2. dist. 1. q. 2. art. 1.* duplicem esse finem scilicet o- E peris, & operantis. Finis operis, qui dicitur etiam ratio operis, est bonum, ad quod ordinatur opus ab agente: Finis autem operantis est bonum, quod agens principaliter intendit. Differunt hi duo fines: quod finis operis potest esse in re ab operante distincta, sicut lapidum compositio, in qua consistit forma domus, quam vt finem operis ædificator intendit, non in ipso ædificante est, sed in externa materia: Finis autem operantis in ipso semper est operante, sicut domus vtilitas ex eius forma prouenies finis est & bonum operantis in ipso receptum. Vterque verò finis Deo conuenit operanti; agit enim propter finem operis, quoniam opus omne diuinum in finem aliquem dirigitur ab ipso Deo. Et quia finis operis semper in finem reducitur operantis, ideò finis etiam ipsius Dei operantis, & actionis eius in Deo est, quod bonum ipsum diuinum est: longè tamen diuerso modo ab eo fine, qui conuenit operanti creaturæ. Nã, vt ibidẽ ait S. D. põt agens dupliciter agere propter finem: Vno modo propter finem ab eo desideratum, quod soli conuenit creaturæ; quia desiderium est rei non habitæ: creatura verò bonum aliquod ab alio acquirit agendo, vt affirmat etiam Auerroes de motricibus intelligẽtijs *in 12. Metaph. tex. 36.* dicens eas mouere perpetuò, vt assimilentur Deo in faciendo entia. Alio modo potest agens agere propter finem non ab eo desideratum & acquirendum, sed iam habitum & amatum: quod enim habeamus bonum, non desideramus, sed amamus; & propter hunc finem bonum scilicet suum infinitum habitum, & amatum Deo conuenit operari; nihil enim potest eius bonitati perfectionis adiungi. Ex hoc etenim, quod Deus suam perfectè diligit bonitatem, vult eius similitudinem in res creatas multiplici graduum varietate diffundi. Quod August. *in lib. de doctrina Christ. c. 13.* significauit dicens: *In quantum Deus est bonus, sumus.* Et Dionys. *in 4. c. de diuin. nominib.* indicat illis verbis: *Diuinus amor non permisit eum sine germine esse*: loquitur enim ibi de rerum creatione. Expressius autem S. D. *in eo a. ad 2.* sententiam suam aperit dicẽs: *Deus agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis à se habitus & amatus; & ideo dicimus, quod diuina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas.* Et *ad quartum* sic ait: *Actio diuina est eius essentia, & ex hac parte non quæritur finis eius, sed ex illa parte, qua effectũ creaturæ communicat.* Et *in primo cont. gent. cap. 87.* ita loquitur: *Voluntati causa volendi est finis: finis autem diuinæ voluntatis est sua bonitas: ipsa igitur est Deo causa volendi, quæ est etiam ipsum suũ velle aliorum autem à Deo volitorum nullum est Deo causa volendi.* Quod idem ferè clarius repetit *in 3. eiusdem operis lib. c. 17.* vbi etiam addit finem vltimum cuiuslibet facientis, inquantum est faciens, esse ipsummet facientem, & consequẽter Deum, qui factiua est rerum omnium causa, esse earundem omnium finem. Dixerat autem prius, quidquid agit supremum agens, agere propter finem suum, & finem diuinæ voluntatis nihil aliud esse, quam eius bonitatem. Quãuis autem ex verbis hucusque relatis perspicua satis videatur esse D. Thom. sententia: plures tamen apud interpretes habuisse videtur intelligentias, quas tamen existimo bene perpensas, in nullo ferè esse discordes, & mirificè consentire. Ad cuius euidentiam.

Explicatur sententia D. Tho. & ostenditur verum primum, ac realem esse finis causalitatem, & eam diuinæ bonitati cõtranseuntem actionem diuinæ essentialiter primo & cõsecutiue.

Secundò considerandum est finem non exercere suam causalitatem, siuè actum finalizandi, nisi media efficiẽtis causalitate; Illud enim est actu finis, propter quod agẽs actu operatur; Cui igitur agentis operatio ex nulla propriè depẽdet effectiua causa, eius nec absolutè, nec quatenus agẽs est, ac, pindè, nec operationis eius propriè loquẽdo potest vlla esse causa finalis. Certum est autem nullam siuè immanentem, siuè transeuntem actionem Dei, quæ sit idem realiter quod eius substantia, causam aliquam propriè ac verè efficientem habere in Deo, vel extra, sed rationem tantum siuè causam virtualiter in essendo; Igitur neque finem habet in Deo, vel extra Deum verè & propriè, ex *sumpta, &*

cuius

cuius causalitate dependeat aut existat. Nam etsi finis Metaphoricè tantum dicatur mouere voluntatem, vbi tamen est vera & propria finis causalitas, vera est etiam & propria voluntatis & operationis & ipsius agentis ex fine dependẽtia, qualis in quolibet reperitur agente creato. Cum itaque diuinæ voluntati vel eius operationi nulla verè dependentia cõgruat, quia supremum ens est & prima causa, consequens est eius verè nullum esse finem Metaphoricè mouentem: significat enim hæc finalis causæ motio metaphorica, veram, realem, & propriè dictam causalitatem ab efficientis causalitate distinctam. Si verò Metaphoricæ motionis vocabulo non realis ac propriæ causalitatis differentia, sed eius quædam translatitia locutione similitudo significetur, rectè dicitur Deum ad agendum à sola sua bonitate moueri, & ita loquitur S. Th. *supra q. 19. a. 2 ad 2.* Hac enim loquendi forma nulla designatur actionis diuinæ causa formaliter & propriè dicta, sed agendi ratio, siue causa virtualis in essẽdo: quomodo dicimus immutabilitatem Dei perfectam esse rationem ac virtualem, siue conditionalem in essendo causam æternitatis in Deo.

Actio transiens dupliciter.

Tertiò recolenda sunt ea, quæ latè supra *q. 25. a. 1.* diximus, ac de mente D. Th. definiuimus de actione transeunte, quam ibi diximus essentialiter & Metaphysicè sumptam esse perfectionem agentis: quamuis concomitanter siue essentialiter Physicè sit in passo. Est igitur actio Dei essẽtialiter & Metaphysicè sumpta diuinæ virtutis infinita perfectio: concomitanter autem siue Physicè quidpiam est à Deo productum, in re creata receptum, siue illud sit relatio, siue sit esse creaturæ vt à Deo producente & conseruante dependens. De hoc secundo actionis modo certum est illius esse finalem causam, nõ solum diuinam bonitatem, sed etiam aliud bonum à Deo creatum, saltem totius vniuersi perfectionem, vt affirmat etiam Aristoteles in *12. Metaph. tex. 52.* & D. Thom. *supra qu. 19. ar. 1. & 5. & expressius infra q. 65. a. 2. & q. 103. a. 2. & alibi sæpè.* Quamuis enim causa finalis nullum producat effectum, nisi moto prius finaliter agente ad operandum: non semper tamen est hæc motio realis & propria causalitas, vt ante diximus, sed virtualis quãdoque & sola ratio, vt in Deo, qui nullius boni mouetur ad operandum desiderio, sed ex amore solius agit congenitæ bonitatis.

Tota difficultas est de actione Dei, prout in Deo est, vt eius infinita perfectio: an scilicet huius, vt actio est, sit causa finalis diuina bonitas, vt hic affirmat Cai. & post eum Ferrar. Bannes & Ripa. Ad cuius euidentiam obseruandum est actionem agentis, vt actio est, includere formaliter ordinem ad passum, siue terminum actione productum; est enim in agentibus creatis actio propter perficiendum passum: In agente verò primò, quamuis ad nullius rei creatæ perfectionem ordinetur vt ad finem, ad eam tamen habet ordinem hoc ipso, quòd eius actiua communicatio est. Et quoniam ordo vinculũ quoddam est rerum ordinatarum vnitiuum, vt perspicuè patet in exercitu, familia, populo & vniuerso: & in his sic vnitis, quod vni conuenit, sæpè denominatione quadam redundat in alterum & in totum: cùm præsertim vnum se toto dependet ex altero, & eodem vocabulo nominatur, vt adeò, idem cum eo, & eius quasi complementum esse videatur: sicut in proposito passiua creaturæ productio & conseruatio ab actione Dei se tota dependet, & actio nũcupatur, prout emanatio à Deo: atq; ideo velut vna sola & integra sumitur operatio actionẽ simul essẽtialiter & Physicè continens, cuius sic consideratæ dicitur esse finis diuina bonitas, quæ propriè tamen ac vere finalis causa est solius emanationis creatæ, siuè actionis concomitanter sumptæ. Et hoc est, quod *hic, & locis suprà notatis* significat S. D. & exprimit Cai. & probat euidentibus argumentis ex littera præsentis articuli deductis. Et idem videtur Bannes intendere, quamuis non satis aptè loquatur dicendo actionem diuinam, quantum ad respectum rationis inclusum, habere pro fine diuinam bonitatem, & finem ab agente, aut eius actione non necessariò distingui realiter: eo quòd agentem non realiter, sed Metaphoricè moueat: atque ideò satis esse distingui ratione finem ab agente sic, vt à fine determinationem habeat agens in actione sua per ordinem ad effectum producendum, & ad dispositionem mediorum: siue illa determinatio sit per modum realem siue rationis; Hæc enim esse videtur opinio Soncinatis, quæ sufficienter ex dictis remanet confutata: Siquidem ea finis motio metaphorica vera est, ac propria & realis eius causalitas, qua differt ab agentis causalitate: Constat autem propriam & verè causam ab eo realiter distingui, cuius est causa; implicat enim idem à seipso causari. Atque ideo rectè dixerunt alij actionem Dei siue immanentem, siue transeuntem prout in Deo est, nimirum præcisè sumptam non respicere vt finem diuinam bonitatem.

Soncinatis & Banneſij opinio reiecta.

PRIMA CONCLVS. *Actionis diuinæ secundum rem, siue secundùm eius substantiam nulla est finalis causa.* Probatur; Quia diuinæ substantiæ nulla est causa.

Conclusiones, deductæ & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Actionis immanentis diuinæ, qua determinatur productio creaturæ, causa finalis est diuina bonitas, non vt actus, & propriè causa, sed virtute tantum, & vt finalis agendi ratio, & secundum modum nostrum intelligendi.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Actionis Dei transeuntis concomitanter siue Physicè sumptæ finis est vltimus diuina bonitas; proximus verò creatum aliquod bonum.* Probatur; Quia actio sic sumpta boni creati emanatio siue passiua productio est secundum rem; igitur ad suum terminum rem scilicet emanantem, & ad vniuersi perfectionem, & ad Dei bonitatem vt finem ordinatur.

QVARTA CONCLVSIO. *Actionis diuinæ, vt actio est essentialiter, & Metaphysicè sumpta, finis est diuina bonitas.* Hæc conclusio accipienda est in sensu declarato in tertio fundamento.

CONTRA *secundam concl.* argumentatur Suar. Quia si intelligamus in Deo causalitatem obiectiuè respectu suæ voluntatis, falsum intelligimus; ergo intelligenda est ratio causalitatis in Deo, ex parte nostra tantum; quia scilicet non possumus diuina concipere aut explicare, nisi ad modum rerum creatarum.

Argum. & Solut. Obj. 1. cont. 2. concl.

Respondetur hoc argumento probari non esse in Deo realem & actualem, ac propriè dictam causalitatem finalem respectu actus diuinæ voluntatis, cum sit tamen in Deo causa virtualis & finalis agendi ratio, non solum ex parte modi nostri concipiendi, sed etiam ex parte rei obiectiuè; vnde dicitur à Philosophis causa in essendo virtualiter,

Solut.

Obi. 2. *Secundò.* D. Auguſt. *lib. 83. quæſt.* negat quærendam eſſe cauſam diuinæ voluntatis, ob quã voluit mundum creare; & rationem reddit; quia omnis cauſa efficiens eſt, id eſt in omni vera cauſa, intercedit aliqua efficiens cauſa. *Reſp.* hoc etiam argumento ſolum probari nullam eſſe cauſam actualiter & propriè diuinæ voluntatis.

Solut.

Obiect. 3. *Contra eandem* concl. argumentatur Soncinas. Finis mouet voluntatem Metaphoricè, quod mouere non eſt aliquid in moto cauſare, ſed eſt eſſe id, propter quod, ſiue cuius gratia aliquod agens agit; Ergo cum dicitur, quòd Deus amat ſe propter bonitatem ſuam tanquam propter finem, non videtur ex hoc aliud ſignificari, niſi quod bonitas mouet Metaphoricè voluntatem ad amorem ipſius eſſentiæ; ergo bonitas Dei eſt propriè & actu cauſa finalis ſuæ voluntatis. *Reſp.* falſum eſſe anteced. quo ad ſecundam partem; cauſat enim motio finis actionem in agente, & ideo finis cauſalitas eſt realis: ſicut in eo, quod à fine mouetur, eſt dependentia realis à fine. Et ſicut realis finis cauſalitas ſignificatur per hoc, quod eſt eſſe gratia cuius: ſic dependentia realis agentis à fine denotatur per hoc, quod eſt eſſe vel agere propter hoc, vel illud bonum, ſiue finem. Cum ergo dicitur Deus amare ſe propter bonitatem ſuam tanquam propter finem, ſimilitudinaria locutio eſt modum exprimens intelligentiæ noſtræ ſuperius explicatum: & rationem ſiue cauſam virtualem tantum ſignificat diuinæ voluntatis. Non ſatis tamen congruè diceretur Deus amare ſe propter bonitatem ſuam tanquam propter finem; quoniam particula illa, *tanquam propter finem*, videtur exprimere finis cauſalitatem in actu.

Solut.

Obi. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam* concl. eſt argumentum. Cauſa finalis non exercet ſuam cauſalitatem, nec vllum habet effectum, niſi medio efficiente ab ea moto ad operandum. At diuina bonitas non eſt actu & proprie finis mouens Deũ ad operandum. Ergo nec erit actu & propriè finis actionis Dei tranſeuntis concomitanter ſumptæ. *Reſp.* falſam eſſe primam propoſitionem, ſi ſermo ſit de motione actuali & propriè dicta; ſufficit enim in agente Deo motio virtualis, & ſecundum modum noſtrum intelligendi in re diuina eminentiſſima fundamentum habente, vt Deus operetur ad extra, & operum ſuorum effluxum ac eius terminum, rem ſcilicet productam ad ſuam, vt ad vltimum finem ordinet bonitatem.

Solut.

Obi. 1. cont. 4. concl. CONTRA *vltimam* concl. argumentatur Val. Non eſt minus idem cum diuina bonitate operatio Dei formaliter, vt eſt operatio in Deo, quam eſt vel ipſe Deus abſolutè, vel operatio quo ad rem quæ eſt eſſentia diuina; ergo non minus operatio Dei formaliter, quatenus operatio in Deo eſt, caret illo fine diuinæ bonitatis, quam alia duo. Conſeq. patet. Ideo enim illa duo dicit Caiet. non habere pro fine diuinam bonitatem, quia omnino ſunt idem. Antecedens probatur. Quia operatio formaliter, qua Deus produxit creaturas, eſt intellectio & volitio Dei, vt ſunt actiones reales; ergo eſt idem omnino cum diuina bonitate: Nam quidquid eſt in Deo reale, eſt idem cum diuina bonitate.

Conf. *Et confirmatur.* Quia S. Thom. nunquam docet Deum, vel eius operationem habere diuinam bonitatem pro fine, ſed tantum Deũ agere ob ſuam bonitatem, vt ob finẽ, id eſt ob finem creaturarum. *Reſpondetur* antecedens dupliciter intelligi poſſe: Vno modo de identitate reali, & ſic falſa eſt conſequentia. Ad cuius probationem, dico Caiet. negare illa duo habere pro fine diuinam bonitatem, non quia præcisè ſint idem realiter, ſed quia vtrumquè res eſt ſimpliciter infinita, nullum vt ſic dicens ordinem ad effectum, & conſequenter nec etiam ad finem: Alio modo poteſt antecedens illud intelligi de identitate formali, vel etiam abſolutè, in quo ſenſu falſum eſt manifeſtè; Nam actio Dei, vt actio eſt, dicit ordinem ad effectum, quem non importat eadem actio, vt eſt ſubſtantia vel eſſentia Dei: Probatio verò antecedentis, procedit de identitate reali, & perſpicuè probat diſtinctionem formalem; Nam intellectio Dei & volitio, vt actiones ſunt, formaliter diſtinguuntur ratione formali ratiocinata ab eſſentia diuina, & eius bonitate ob dictum ordinem propter quem ſuperius diximus actionem eſſentialiter, & actionem concomitanter pro vna computari, & vnam vel vtramque ſimul ex alterius (ſcilicet eius quæ per ſe dependet) prædicato, quod illi conuenit vt actio eſt, denominari. Sicut enim poſterior ex priori denominatur actio, ſic ex poſteriori prior denominatur eſſe propter finem ob dictam cauſam, quia ſcilicet ob ordinis vnitatem, & nominis identitatem pro vna computantur actione completa. *Ad confirmat.* negatur aſſumptum vt patet ex verbis S. D. ſupra notatis. Ripa multa loquitur in huius argumenti ſolutione, ſed videtur nodum attingere, nec explicat quomodo Deus, vt agens eſt, finem habeat.

Solutio.

Ad confir.

Ripa ſolutio reijcitur.

Contra eandem concl. argumentatur Suar. Vel actio vt actio eſt aliquid rei addit ipſi Deo, & ſic nõ erit in ipſo Deo: Vel nihil rei addit, & ſecundum id non poteſt habere cauſam finalem. *Reſpondetur* ſecundum verum eſſe. Ad impugnationem negatur aſſumptum: Nam ex addita ratione formali dicit ordinem ad effectum, & vnitatem habet ordinis cum actione concomitanter accepta, & ideo in vnum & eundem cum ea finem vltimum dicitur ordinari. Nec eſt eadem ratio de fine proximo; quoniam, vt ante diximus ex D. Thom. *in 2.* ille non eſt finis agentis, vt agens eſt, ſed operationis tantum, quæ operatio in re præſenti eſt actio concomitanter ſumpta. Et ad hunc ſenſum reducenda eſt reſpõſio Ban. quam impugnat Suar. ſi tamen eſt ſuſtinenda. Vide etiam quæ ſcribit Ban. de propoſita difficultate.

Obi. 2.

Solut.

Obiectionis tacitæ ſolutio.

Proponitur, & ſoluitur dubitatio de veritate reſponſionis ad ſecundum argumentum, prout exponitur à Caietano.

SECVNDVM *argumentum*, & eius reſponſio plures ſecum affert difficultates, quas hic ſubtiliter verſat & definit eruditè Caiet. affirmans de mente D. Thom. omne agens ſui diffuſionem ſeu communicationem intendere propter ſeipſum vt finem: quamuis diuerſa ratione primum à cæteris, vt perſpicuè patet

in

in commentario dicti expositoris. Quod idem affirmat S. D. *in 3. contra gentiles. cap. 17.* vbi sic loquitur. *Finis vltimus cuiuslibet facientis inquantum est faciens est ipsemet.* Sed oppositum docet apertè S. D. *quodlib. 1. art. 8. in respons. ad 3. argumentum*, quod erat tale: *Natura in se recurua est: quia scilicet omnia, quæ amat, retorquet ad se. Sed propter quod vnumquodque tale, & illud magis ergo naturali dilectione primus homo plus diligebat seipsum, quàm Deum*. Responsio verò ibidem est: *Dicendum, quòd inclinatio rei naturalis est ad duo, scilicet ad moueri, & ad agere. Illa autem inclinatio naturæ, quæ est ad moueri, in seipsa recurua est; sicut ignis mouetur sursum propter sui conseruationem: sed illa inclinatio naturæ, quæ est ad agere, non est recurua in seipsa; Non enim ignis agit ad generandum ignem propter seipsum, sed propter bonum generati, quod est forma eius; & vlterius propter bonum commune, quod est conseruatio speciei. Vnde patet, quòd non vniuersaliter verum est, quod omnis dilectio naturalis sit in se recurua*. Quibus verbis perspicuè negat S. D. ignem, & quodlibet agens naturale agere ad generandum propter seipsum, dicens agere propter bonum generati, quod est forma eius &c. Sed inspecta diligentius intentione D. Thom. in eo quolibeto, conciliari prædicta facilè poterunt cum his, quæ minus hic apertè significantur, & cum expositione Caiet. Quærebat enim ibi S. D. An primus homo in statu innocentiæ dilexerit Deum super omnia: & pro negatiua tria producit argumenta, ex quibus illud est tertium, cuius responsionem hic examinamus; in qua discrimen statuitur inter inclinationem naturæ, quæ est ad moueri, & eam quæ est ad agere, quod illa in se recurua est, id est ad rem, cuius est inclinatio, tanquam ad finem ordinata; hæc autem in seipsam recurua non est, id est ad rem, cuius est inclinatio, non ordinatur vt finem. Quæ differentia formaliter intellecta verissima est: Nam inclinatio, quæ est ad moueri, ex sui ratione formali est ad perfectionem, & bonum acquirendum ipsi mobili; motus enim & terminus eius formalis est in mobili: & ideo dicitur ignis moueri sursum propter sui conseruationem, vt finem acquirendum. Sed inclinatio naturæ, quæ est ad agere, ex sui ratione formali tendit ad extra, & est propter perficiendum passum, & consequenter propter bonum passi, & propter bonum generati, quod est forma in eo recepta: & multò magis propter bonum commune speciei ad quod ordinantur singula particularium bona: & adhuc amplius propter totius vniuersi bonum extrinsecum, quod Deus est, à quo dependet cœlum, & tota natura, vt ait Philosophus *in 12. Metaph.* His autem non repugnat veritas præsentis doctrinæ D. Thom. & Caiet. dicentis formam geniti non esse finem generationis vt ab agente: (quia scilicet agens sui communicationem ordinat ad seipsum tanquam ad finem) sed eandem vt similem formæ generantis esse finem generationis. Nam, quia forma geniti vt similis formæ generantis vna est cum illa, & eius quasi vicaria est: idcircò finis generationis formaliter est forma generãtis. Quãuis enim finis generationis nõ coincidat in idẽ numero cum forma generantis, redundat tamen in idem numero: si quidem forma geniti non est finis generationis, nisi vt similis formæ generantis: Aliud est autem dicere inclinationem, quæ est ad agere vt sic, non ordinari ad ipsum agens vt ad finem, quod asseritur in dicto quolibeto: & aliud est affirmare agens sui communicationem intendere propter seipsum vt finem, quatenus scilicet forma geniti finis est generationis, vt similis formæ generantis, quod hic significat S. Th. & explicat Caiet. Agere enim vt agere non dicit facere simile aut dissimile, sed agere tantum: agere autem vt sic est propter perficiendum passum. Agere verò, vt agentis est communicatio, vel productio formæ similis, dicit facere simile, quod vt sic vnum est cum faciente; & ideò hoc ipso, quod tale facere est ad simile formaliter, est ad ipsum agens vt ad finem. Præterea. S. D. *in dicta respons. ad 3.* illud argumentum solum intendit excludere, quod eo deducebatur argumento, videlicet primum hominem in statu innocentiæ nõ dilexisse Deum super omnia, sed seipsum plusquam Deum, ac proinde vt vltimum finem, quod sufficienter efficit ea responsione; quia nimirum actio naturæ, quæ est ad agere vt sic, in aliud tendit scilicet in passum perficiendum, cuius perfectio ordinatur in commune bonum, & consequenter in Deum. Et quamuis inclinatio ad moueri ordinatur in commune bonum, & tandem in Deum, non tamen habet ordinem hunc formaliter ex modo, & ratione formali suæ inclinationis, quæ vt sic recurua est in ipsum passum, nec ex sui ratione ordinem habet ad aliud extra passum.

Conciliantur Cai. cum D. Thom.

Quomodo autem agens creatum sit finis vltimus sui ipsius, explicat Ferrariensis *in supradicto cap. 17.*

Qvaestio XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio in octo articulos diuisa.

Deinde quæritur de modo emanationis rerum à primo principio, qui dicitur creatio. De qua quæruntur octo.

Primò, quid sit creatio.

Secundò. Vtrum Deus possit aliquid creare.

Tertiò. Vtrum creatio sit aliquod ens in rerum natura.

Quartò. Cui competit creari.

Quintò. Vtrum solius Dei sit creare.

Sextò. Vtrum cõmune sit toti Trinitati, aut proprium alicuius personæ.

Septimò. Vtrum vestigium aliquod Trinitatis sit in rebus creatis.

Octauo. Vtrum opus creationis admisceatur in operibus naturæ, & Voluntatis.

Ratio ordinis huius quæstionis, & articulorum.

Cognita præcedentis quæstionis discursu triplici rerum in Deo summo totius entis principio ratione causæ scilicet efficientis, exemplaris & finalis, consequens erat, vt quæstio proponeretur de modo causalitatis diuinæ, & emanationis rerum ab ipso Deo principio. Potest autem in emanatione duplex modus considerari: Vnus ex parte producentis, secundum quem distinguitur emanatio in liberam & naturalem siue

necessariam, de quo non agit hic S.D. sed suprà *quæst. 19. art. 3. 4. & 10.* Alius attendi potest modus emanationis ad ipsam emanationem pertinens secundum se, aut secundum eius intrinsecum terminum: & de hoc instituitur hæc præsens quæstio, quam S. D. in octo distinguit articulos: Quorum hic esse videtur ordo. Nam primò differit de quidditate creationis, & eius diffinitionem statuit in primo articulo: deinde singula ad eius explicationem pertinentia, singulis declarat articulis.

Creationis definitio.

Est autem diffinitio. Creatio est emanatio totius entis ex nõ ente à primo principio. Cuius diffinitionis præcipuam partem, quæ tangit terminos, & obiectum formale creationis probat & explicat in primo articulo, illam videlicet totius entis ex non ente. Deinde declarat postremam particulam, quæ prior est cęteris ordine naturæ, decernens in secundo articulo necessarium esse omne ens esse creatum à Deo vt vniuersali & prima causa totius esse. Deinde in art. 3. quærit, & explicat ex parte subiecti rationem emanationis, quæ creatio passiua est in re creata, & ex actione Dei creantis resultat in creatura. Quartò eandem emanationem elucidat art. 4. quo ad intrinsecum eius terminum vbi quærit, an creari sit proprium compositorum & subsistentium. Quintò ad completam principij creationis intelligentiam quatuor ordinatè sese consequentes soluit dubitationes. Prima est, quam in quinto versat articulo, an scilicet possit alterià Deo conuenire creatio saltem vt instrumẽto. Secunda, quæ sexto tractatur articulo est, an creare sit proprium alicuius personæ: quæ sequitur ex præcedente nobis notiore; nã si Deo soli creatio conuenit, meritò dubitatur, an illi conueniat vt actio tribus communis, an vt alicui personæ propria. Denique ex huius definitione consurgit dubitatio de vestigio Trinitatis in creatura. Nam si personæ diuinæ aliquo modo scilicet secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum: cum omne agens agat sibi simile, meritò dubitatur, an in creaturis sit necesse reperiri vestigium Trinitatis. Postremò dubitationem tractat consurgentem ex definitione facta in 4. art. & ex opinione quorũdam Philosophorum. An. s. creatio admiscatur operibus naturæ & artis.

Articvlvs Primvs.

Vtrum creare sit ex nihilo aliquid facere.

233. 2. dist. 2. q. 2. a. 2. Et po. q. 3. art. 1. * Cont. aduer. c. 24.

Ad Primum si proceditur. Videtur, quòd creare non sit ex nihilo aliquid facere: dicit enim Aug. * *contra aduersarium legis, & prophetarum. Facere, est quod omnino non erat: creare verò est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere.*

2 Præterea Nobilitas actionis, & motus ex terminis consideratur. Nobilior igitur est actio, quæ ex bono in bonum est, & ex ente in ens, quàm quæ est ex nihilo in aliquid. Sed creatio videtur esse nobilissima actio, & prima inter omnes actiones. Ergo non est ex nihilo in aliquid, sed magis ex ente in ens.

3 Præterea. Hæc propositio Ex, importat habitudinem alicuius causæ, & maximè materialis: sicut cùm dicimus, quòd statua fit ex ære. Sed nihil non est materia entis, nec aliquo modo causa eius. Ergo creare non est ex nihilo aliquid facere.

Sed contra est, quod super illud Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum, &c. dicit glos. * *quòd creare est aliquid ex nihilo facere.* Beda in hũc locum to. 1.

Respondeo. Dicendum, quòd (sicut supra dictum est *) *non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agẽte, sed etiam emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus: & hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi. Sicut si generatur homo, nõ fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Vnde si consideretur emanatio totius entis vniuersalis à primo principio; impossibile est, quòd aliquod ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente: quod est nihil.* e 335 2 præced. art. 2.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Aug. æquiuocè vtitur nomine creationis, secundum quod creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur; vt, cùm dicitur aliquis creari in episcopum. Sic autem non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est. * In corp. art.

Ad Secundum dicendum, quòd mutationes accipiunt speciem, & dignitatem non à termino, à quo, sed à termino ad quem. Tantò ergo perfectior, & prior est aliqua mutatio, quantò terminus ad quem illius mutationis est nobilior, & prior, licet terminus à quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior. Sicut generatio simpliciter est nobilior, & prior, quã alteratio, propter hoc, quòd forma substantialis est nobilior, quàm forma accidentalis: tamen priuatio substantialis formæ, quæ est terminus à quo in generatione, est imperfectior, quàm contrarium, quod est terminus à quo in alteratione. Et similiter creatio est perfectior, & prior quàm generatio, & alteratio, quia terminus ad quem est tota substantia rei. Id autem quod intelligitur vt terminus à quo, est simpliciter non ens.

Ad Tertium dicendum, quòd cùm dicitur, aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio Ex, non designat causam materialem, sed ordinem tantum: sicut cùm dicitur, ex mane fit meridies, id est, postmane fit meridies. Sed intelligendum est, quòd hæc præpositio Ex, potest includere negationem importatam in hoc, quod dico nihil, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius, quod est ad non esse præcedens. Si verò negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sensus: Fit ex nihilo, id est non fit ex aliquo: e *sicut si dicatur, iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo. Et vtroque modo verificatur, cum dicitur, ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo, hæc præpositio Ex, importat ordinem, vt dictum est.* e *Secundo modo, importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.* b 247

Sensus quæsiti.

De Nomine creationis & eius multiplici significatione differit Zum. *infra q. 65. a. 3.* & Bannes hic, & post eum Mol. Val. & Vasq. Hic sumitur nomen creationis strictè & proprijssimè.

Aduerte præterea creationem dupliciter accipi, scilicet actiuè & passiuè, vt patet *ex 3. a. huius q. ad 1. & 2.* Hic verò quamuis actiuè tantũ sumi videatur ex forma quæsiti, & ex primo argumento & eius responsione, passiuam tamẽ significationem intendi præcipuè declarat euidenter emanationis vocabulum pluries in corpore repetitum: & secundum etiam, & tertium argumentum, cum suis responsionibus quæ de passiua productione loquuntur manifestè. Trãsit autem S.D. ex actiua creatione in titulo proposita ad emanationem, quæ passiua productio est:

est: vt ex hac in re creata existente veluti notiore ea nobis innotesceret, quæ diuina actio est, & Dei substantia cum relatione ad creaturas, vt dicitur infrà *art. 3 ad primum.*

Forma Textus.

CONC. *est. Creatio est ex non ente, quod est nihil.* Probatur. Emationi totius entis vniuersalis à primo principio nullum ens præsupponitur; Sed creatio est emanatio totius entis, & idem est nihil, quod nullum ens; ergo creatio est ex non ente, quod est nihil. Probatur maior; quia duplex est emanatio, scilicet entis particularis ab aliquo particulari agente, & totius entis à causa vniuersali: at quod procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi; ergo in emanatione totius entis vniuersalis à primo principio nullum ens præsupponitur. Minor huius argumenti probatur inductiuè; quia, si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Minor autem principalis argumenti declaratur ex distinctione prædicta, & differentia inter emanationem particularem, & vniuersalem, quâ nomine creationis designamus.

Expositio Textus.

AD huius articuli declarationem pertinet ea, quæ latè scribit Caiet. *suprà q. præced. a. 2.* & Ferrar. *in 2. cont. gent. cap. 16.*

CONTROVERSIA VNICA.

De sensu conclusionis.

Sententiæ Expositorũ.

MOLINA sequens Dur. *in 2. dist. 1. q. 1.* dicit tria. *Primum* est particulam ex in conclusione positam exponendam esse negatiuè, ita vt sensus conclusionis sit: creatio est ex non ente, siue ex nihilo, id est non de aliquo. *Secundum* est. Eandem particulam non denotare nihilum esse materiam, ex qua res fiant per creationem: cum id contradictionem implicet. *Tertium* est: Eandem particulam non denotare habitudinem, siue ordinem ad terminum à quo, quasi præcedere debeat terminum ad quem.

Zumel. infrà *quæst. 65. art. 3.* declarans quid sit creatio, docet dictam præpositionem ex dicere ordinem non affirmatiuum, sed negatiuum.

Sed oppositum affirmat S. D. *hic ad 3.* Capr. *in 2. dist. 1. q. 2. ad argumenta Aur. contra quartam concl.* & Caiet. *hic*, quem alij sequuntur expositores.

Resolutio. Declaratur quomodo fiat aliquid ex opposito, & ex non ente, tam per se, quàm per accidẽs & colligitur diffinitio creationis, & explicatur sensus conclusionis.

Sciendum est primò ex D. Thom. *de pot. q. 3. a. 1. ad 16.* ex opposito priuatiuè fieri aliquid, id est eius oppositum dupliciter, scilicet per se & per accidens: sed alia & alia ratione; Nam si dictio *ex* nominet causam, non fit aliquid ex opposito nisi per accidens, scilicet ratione subiecti: sicut statua fit ex infigurato per accidens, ex ære autem per se, quia accidit æri esse infiguratum. Si verò præpositio *ex* denotet ordinem, fit aliquid ex opposito per se, & hoc modo priuatio dicitur esse principiũ per se fiendi, sed non essendi: & sic etiam dicitur aliquid fieri per se ex nihilo, id est, post *elusionẽ* nihil.

Ad cuius euidentiam recolenda est doctrina Arist. *in primo Physic. text. 76.* quam explicat supra Caietanus *in præcedenti quæstione art. 2.* Illud nimirum fieri per se, cuius ratio factionẽ non præfuit immediatè: Id verò fieri per accidens, cuius ratio præerat, antequam fieret; Exempli gratia, fit per se coloratum ex non colorato: fit verò per accidens coloratum ex nigro, quando fit album, eo quia in nigro præfuit coloratum. Cuius differentiæ Philosophus in eo textu rationem adducit, quòd nullius agentis intentio sit facere, quod iam est, sed efficere, vt de nouo sit, quod ante non erat. Si namque id solum agens intenderet, quod existit, nequaquam ageret, ne frustrà laboraret. Quemadmodum itaquè singula rerum genera, sic & ipsum ens fieri potest ab agente dupliciter. Vno modo per accidens, quando nimirum præfuit ens, cum scilicet efficitur vnum ens ex altero, sicut album vel coloratum ex nigro: Alio modo per se, quando fit ex non ente, seu ex nihilo, id est post nihil: sicut per se fit coloratum ex non colorato, vt hic etiam significat S. D. in probatione conclusionis inferens in emanatione totius entis à primo principio nullum ens præsupponi. Sicut in emanatione particulari quod fit non præsupponitur, & cum generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Similiter itaquè totius entis productio fit ex non ente.

Ens totũ dupliciter.

Quid autem hic nomine totius entis significetur, explicat optimè Caiet. dicens totum ens dupliciter sumi posse: Vno modo pro totius entis participati latitudine: & sic idem est quod totum vniuersum, & sic dicitur Deus totum ens ex nihilo creasse, quia simul totum hoc vniuersum nullo prorsus ente finito præexistente produxit. Alio modo pro aliquo particulari ente toto Sincategorematicè, id est quo ad omnia & singula ad illud intrinsecè pertinentia. Et in hoc sensu, si fieret à Deo nouus Angelus, diceretur hoc totum ens à Deo productum & creatum; quia de nihilo sui, id est post nihil sui factum esset hoc ens. Et eadem ratione creari dicitur anima intellectiua; quoniam, etsi fiat in corpore veluti in subiecta materia, fit tamen ex nihilo sui, id est post nihil sui, quia nihil eius præfuit in materia, nec ab ea dependet in esse: sed vt Philosophus ait *in 2. de partibus anim. cap. 1.* mens inter formas animantium sola diuina est, & de foris venit, secum afferens subsistentiam, ac esse & ea corpori communicans. Eandem doctrinam habet S. Thom. *de pot. quæst. 3. art. 4. ad 7.* & Capreol. *in 2. distinct. 1. quæst. 2. ad 7. Aureol. contra quartam concl.*

Secundò obseruanda est diligenter doctrina responsionis ad tertium argumentum, quam latius extendit author *de pot. quæst. 3. art. 1. ad septimum*, & explicat, ac defendit Capreolus *in 2. distinct. 1. quæst. 2. ad argumentum, & confirmationes, & replicationes Aureoli contrà quartam conclusionem.* Exponit autem S. D. in ea responsione dictum illud Boetij: *Entis ad non ens, non est aliquis ordo*, de ordine determinatæ proportionis, vel de ordine qui sit realis relatio, quæ inter ens est, non ens esse non potest. Vbi verò talis est

ordo, nullum esse necesse est extremis commune subiectum, nisi secundum imaginationem, vt ait S. Thom. *in art. 2. dictæ quæst. de potentia in cap.* quem locum notat & refert ad verbum Capr. *in allegata q. & resp.*

Creationis diffinitio

Ex dictis, ac prænotatis colligi facilè potest non solum creationis diffinitio, sed etiam legitima eius intelligentia. Est enim creatio productio, siuè emanatio totius entis ex nihilo. Cuius non solum singulæ partes habentur in textu, sed etiam ipsa tota diffinitio concluditur in fine corporis. Prima particula, quæ ponitur loco generis, est *productio*, siuè *emanatio*, ad designandum creationem hic sumi tam actiuè, quàm passiuè, & vtrique conuenire diffinitionem hanc. Vnde etiam in titulo proponitur quæstio de creatione actiua, significata verbo creare: in corpore verò respondet de emanatione, qua passiua productio significatur; eadem enim responsio proposito quæsito satisfacit in vtroque sensu. Reliquarum verò partium sensus perspicuè patet ex dictis.

Alia potest etiam afferri creationis diffinitio ex doctrina *secundi præcedentis quæstionis articuli* collecta, videlicet: Creatio est productio entis inquantum ens. Cuius intelligentiam nobis etiam aperient infrà dicenda *articulo quinto*. Sit igitur nobis hæc.

Conclusiones.

PRIMA CONCL. *Creatio est productio entis ex nihilo.*

» SECVNDA CONCL. *Præpositio ex in diffinitione creationis posita dupliciter sumi potest. Vno modo affirmatiuè, & sic designat ordinem eius, quod est ad non esse præcedens. Alio modo negatiuè, & sic negat ordinem, adeò, vt sit sensus: fit ex nihilo, id est non ex aliquo tanquam ex materia.*

Argum. & Solut.

CONTRA *primam concl* sunt argumenta Aureoli apud Capr. *in 2. dist. 1. qu. 2. contra 4. eius conclusionem* ibi soluta. Contra eandem concl. sunt argumenta, quæ profert & soluit Zum. *in dicto a. 3.*

Obi. 1. cont. 2. concl.

CONTRA *secundam concl.* argumentatur Molina. *Primò.* Secundum Ansel. *in Monologio cap. 8.* pars illa ex nihilo exponenda est negatiuè, ita vt sensus definitionis sit: Creatio est productio rei non de aliquo; ergo non denotat ordinem termini à quo, quasi præcedere debeat terminum ad quem. *Respond.* primò Ansel. per eam expositionem velle solum excludere realem ordinem ad materiam, vel terminum præcedentem. Secundò dico nullam esse consequentiam. Non enim excludit aliam expositionem, quæ rationis ordinem tãtum admittit.

Solut. Anselmi dictum exponitur.

Obi. 2.

Secundò. Ad rationem propriam termini à quo requiritur subiectum, cui primò insit terminus à quo, atque adeò à quo expellatur ratio termini à quo per aduentum termini ad quem. *Respond.* hoc argumentum esse replicam Aureoli apud Capr. *loco citato*, cui respondet Capreol. dicens, non vbicunque est talis ordo requiri commune subiectum, siuè substratum propriè loquendo vtrique termino, nisi sit ordo realis, qualis non est inter ens & non ens, vt manifestè docet S. Thom. *in dicta q. 3. de pot. art. 2. in cap. & in art. seq. in respons. 2.*

Solutio.

Obiect. 3.

Tertiò. Ad rationem creationis per accidens est quòd non esse rei, quæ producitur, durationè antecedat rem ipsam, dummodo talis res non producatur de aliquo; ergo: Antecedens probatur; quoniam id solum necessarium est ad creationem, quæ cum nouitate essendi fit: potuit autem aliquid esse creatum à Deo ab æterno. *Respond.* nullam esse consequentiam. vt enim sit ordo rationis entis ad non ens, non requiritur, vt non esse duratione præcedat, sed sufficit naturæ prioritas, non positiuè, sed negatiuè sumpta per hoc significata, quod dicitur ens creatum ex se non habere esse: Quælibet enim res à Deo creata sibi derelicta non habet esse; ergo prius natura illi conuenit non esse, quam esse. Probatur sequela; quia esse conuenit illi ab intrinseco, s. ab efficiente, non autẽ ex se, vt hic etiam aduertit Vasquez.

Solut.

Contra eandem concl. argumentatur Zumel. *Obi. 4.* Ordo affirmatiuus expoſcit existentiam vtriusque extremi; ergo talis ordo reperiri non potest inter nihil & ens. *Resp.* antec. verum esse de ordine reali, non autem de ordine secundum rationem, secundum quem ordinem indifferenter dici potest ens habere ordinem ad nihil, & è contra; dicit enim ordo relationẽ formaliter mutuam. Quarè frustrà laborat Ripa contra Val. & alios.

Solut.

Ripæ labor vanus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Deus possit aliquid creare.

AD *Secundum sic proceditur. Videtur, quòd Deus non possit aliquid creare; Qua secundum Philosophum* * *1. Physic. Antiqui philosophi acceperunt vt communem conceptionem animi, ex nihilo, nihil fieri. Sed potentia Dei non se extendit ad contraria primorum principiorum, vt pote, quod Deus faciat, quòd totum non sit maius sua parte: vel quod affirmatio, & negatio sint simul vera, ergo Deus non potest aliquid ex nihilo facere vel creare.* 239 2. dist. 1. q 1. a 2 & 3 & d 37. q 1. a. 2 Et 2. cõ. c. 6 15. & 56 Et po. q. 3. a 16 cor. * Tex. 34. tomo. 2.

2 Præterea. Si creare est aliquid ex nihilo facere: ergo creari est aliquid fieri. Sed omne fieri est mutari: ergo creatio est mutatio. Sed omnis mutatio est ex subiecto aliquo, vt * *patet per diffinitionem motus. Nam motus est actus existentis in potentia. ergo est impossibile aliquid à Deo ex nihilo fieri.* Li 3. Ph. te. 6. tom. 2.

3 Præterea. Quod factum est, necesse est aliquando fieri. Sed non potest dici, quod illud, quod creatur, simul fiat, & factum sit: quia in permanentibus, quod fit non est: quod autem factum est, iam est: simul ergo aliquid esset, & non esset. Ergo si aliquid fit, fieri eius præcedit factum esse. Sed hoc non potest esse, nisi præexistat subiectum, in quo sustentetur ipsum fieri. Ergo impossibile est aliquid fieri ex nihilo.

4 Præterea. Infinitam distantiam non est pertransire. Sed infinita distantia est inter ens, & nihil. Ergo non contingit ex nihilo aliquid fieri.

Sed contra est, quod dicitur Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, vbi dicit glo. * *quòd creare est aliquid ex nihilo facere.* Habetur ex Beda super hunc locum.

Respondeo. Dicendum, quòd non solum est impossibile à Deo aliquid creari, sed necesse est ponere à Deo omnia creata esse, vt ex præmissis habetur. * *Quicunq; enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit, præsupponitur actioni eius, & non producitur per ipsam actionem. Sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed & ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus nõ ageret nisi ex aliquo præsupposito; sequeretur, quòd illud præsuppositũ non esset causatũ ab ipso. Ostensum est ante supra,* * *q nihil põt esse in entibus, q non sit à Deo, qui est causa vniuersalis totius esse. Vnde necesse* q. præced. art. 1. & 2. q. præced. art. 1.

est

est dicere, quòd Deus ex nihilo res in esse produxit.

Ad Primum ergo dicendum, quod antiqui Philosophi, sicut supra dictum est, * non considerauerunt, nisi emanationem effectuum particularium à causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione. Et secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab vniuersali rerum principio.

q. præced. art. 2.

Ad secundum dicendum, quòd creatio non est mutatio, nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est, quòd aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius. Nam quandoq; est idem ens actualiter, se habens nunc & prius, sicut in motibus secundum quantitatẽ, & qualitatem. Quandoq; verò est idem ens in potentia tantum, sicut in mutatione secundum substantiam, cuius est subiectum materia; sed in creatione (per quam producitur tota substantia rerum) non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc & prius, nisi secundum intellectum tantum: sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter, & postea esse.

B

D.34. Sed cum d actio, & passio conueniant in substantia motus, & differant solum secundum habitudines diuersas, vt dicitur in tertio Physicorum, * oportet, quòd subtracto motu, non remaneant nisi diuersæ habitudines in creante, & creato. Sed quia modus significandi sequitur modum intelligendi, vt dictum est, creatio significatur per modum mutationis. Et propter hoc dicitur, quòd creare est ex nihilo aliquid facere, quamuis facere, & fieri magis in hoc conueniant, quàm mutare, & mutari: quia facere, & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam: sed mutationem ex consequenti.

Lib. 3. Phys. tex. 20. & 2. 10. 2.

C

Ad tertium dicendum, quòd in his, quæ fiunt sine motu, similiter est fieri, & factum esse, siue talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio: (nam simul aliquid illuminatur, & illuminatum est, e) siue non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde, & formatum est. Et in his, quod fit, est cùm dicitur fieri. Sed significatur ab alio esse, & prius non fuisse. Vnde, cùm creatio sit sine motu, simul aliquid creatur, & creatum est.

274.

Ad quartum dicendum, quòd obiectio illa procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum, & ens. Quod patet esse falsum. Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo, quòd creatio significatur vt quædam mutatio inter duos terminos existens.

Forma Textus.

" CONCL. est. *Non solùm non est impossibile à* " *Deo aliquid creari, sed necesse est ponere à Deo* " *omnia creata esse.* Probatur. Si Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito; sequeretur, quòd illud præsuppositum non esset causatum ab ipso; at nihil potest esse in entibus, quod non sit à Deo; ergo necesse est dicere, quòd Deus ex nihilo res in esse produxit. Sequela maioris probatur. Quicunque facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præsupponitur actioni eius; ergo, si Deus non ageret nisi. &c. Antecedens probatur ex artificialibus & naturalibus. Nam artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno & ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ: & rursus, ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiã. Minor autem probatur; quia Deus est causa vniuersalis totius esse; ergo nihil potest esse in entibus, quod non sit à Deo. Antecedens probatum est

D

E

in quæstione præcedente a. primo, & secundo

Expositio Textus.

ADVERTE conclusionis sensum esse omnia à Deo esse creata, id est producta ex nihilo immediatè vel mediatè, vt hic explicat Ban. & post eum Mol. & Val. additis pluribus sacrarum litterarum & SS. Patrum dictis: ac præsertim August. qui *lib. primo de Genesi contra Manichæos cap. 6.* sic loquitur: *Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse; quia etsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est.*

Secundò circa responsionem ad secundum vide, quæ diximus suprà *q. 25. art. 1. controu. vnica*, ad argumenta Ferrar. ex hoc loco nitentis probare actionem non esse in agente, sed in passo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum creatio sit aliquid in creatura.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod creatio nõ sit aliquid in creatura. Sicut enim creatio passiuè accepta attribuitur creaturæ, ita creatio activè accepta attribuitur creatori: sed creatio activè accepta non est aliquid in creatore. Quia si sic, sequeretur, quòd in Deo esset aliquid temporale. Ergo creatio passiuè accepta non est aliquid in creatura. 240. 1. dist. 40. q. 1. a. 1. ad 1. Et po. q. 3. 2. 3.

2 Præterea. Nihil est medium inter creatorem, & creaturam. Sed creatio significatur vt medium inter vtrunq;. Non enim est creator (cùm non sit aterna) neq; creatura: quia oportet eadem ratione aliam ponere creationem, qua ipsa crearetur, & sic infinitum. Creatio ergo non est aliquid.

3 Præterea. Si creatio est aliquid præter substantiam creatam, oportet, quòd sit accidens eius. Omne autem accidens est in subiecto. Ergo res creata esset subiectum creationis: & sic idem est subiectum creationis, & terminus. e Quod est impossibile: quia subiectum prius est accidente, & conseruat accidens. 229 b

D Terminus autem posterius est actione, & passione, cuius est terminus: & eo existente cessat actio, & passio: igitur ipsa creatio non est aliqua res.

Sed contra. Manus est fieri aliquid secundum totam substantiam, quàm secundum formam substantialem, vel accidentalem. Sed generatio simpliciter, vel secundum quid, qua fit aliquid secundum formam substantialem, vel accidentalem, est aliquid in generato. Ergo multò magis creatio, qua fit aliquid secundum totam substantiam, est aliquid in creato. 44.

Respondeo. Dicendum, quòd creatio non ponit aliquid in creato secundum relationem tantum, quia quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem. Quod enim fit per motum, vel mutationem, fit E ex aliquo præexistenti. Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium. Non autem potest hoc contingere in productione totius esse à causa vniuersali omnium entium, quæ est Deus. Vnde Deus creando producit res sine motu. Subtracto d autem motu ab actione, & passione, nihil remanet nisi relatio, vt dictum est, * Vnde relinquitur, quòd creatio in creatura non sit, nisi relatio quædã ad creatorem, vt ad principium sui esse: sicut in passione, quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus. D. 34. Art. præc. ad 2.

Ad Primum ergo dicendum, quòd creatio activè significata, significat actionem diuinam, quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam. Sed rela-

tio

tio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum. Relatio verò creaturæ ad Deũ
*q. 13. art. 7. est relatio realis, vt supra dictum est, * cum de diuino nomine ageretur.*

*Ad Secundum dicendum, quòd quia creatio significatur vt mutatio, sicut dictum est. * mutatio autem media quodammodo est inter mouens, & motum: ideò etiam creatio significatur vt media inter creatorem, & creaturam. Tamen creatio passiuè accepta est in creatura, & est creatura. Neq; tamen oportet, quòd alia creatione creetur. Quia relationes (cum hoc ipsum, quòd sunt ad aliquid dicantur) non referuntur per aliquas alias relationes, sed per*
*art. prec. q. 42. a. 1. ad 4. seipsas, sicut etiam supra dictum est, * cum de æqualitate personarum ageretur.*

Ad Tertium dicendum, quòd creationis, secundum quod significatur vt mutatio, creatura est terminus. sed secundum quod verè est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea in esse, sicut subiectum accidẽte. Sed habet quandam rationem prioritatis ex parte obiecti, ad quod dicitur, quod est principium creaturæ. Neq; tamen oportet, quòd quamdiu creatura fit, dicatur creari: quia creatio importat habitudinẽ creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate, seu inceptione.

Sensus quæsiti.

QVAESTIO est de creatione passiuè sumpta, & de esse aliquid reale, siue absolutũ, siuè relatiuum ab ipsa creatura distinctum, vt patet ex modo & forma conclusionis, qua respondet quæsito, & ex argumentis quæ militãt pro negatiua.

Forma Textus.

» CONCL. *est. Creatio non ponit aliquid in creatura nisi relationem tantum.* Probatur. Deus creando produxit res sine motu; ergo creatio in creatura non est nisi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium sui esse. Antecedens probatur: Quod fit per motum, vel mutationem, fit ex aliquo præexistenti; sed fieri ex aliquo præexistenti quamuis contingat in productionibus particularibus aliquorum entium, non tamen potest contingere in productione totius esse à causa vniuersali omnium entium, quæ Deus est; ergo Deus creando producit res sine motu. Consequentia vero probatur: quia subtracto motu ab actione & passione, non remanet nisi relatio, vt dictum est articulo præcedente ad secundum.

Expositio Textus.

QVARE subtracto motu ab actione & passione remaneat sola relatio S. D. ostendit *in q. 3. de potent. art. 3.* vbi etiam latius explicantur tres hic allatæ respõsiones ad argumenta.

Ex responsione ad tertium præsentis articuli iuncta responsioni ad tertium prædicti articuli tertij q. 3. de potentia Dei, collige duplicem distinctionem & responsionem formalem ad argumentum. Prima distinctio est. Relatio, quæ est passiua creatio dupliciter potest considerari. Vno modo, quatenus significatur vt mutatio: Alio modo prout verè est relatio. Secunda distinctio est. Relatio hæc, quæ est passiua creatio, dupliciter potest considerari. Primò, quo ad esse quo inhæret subiecto vt eius accidens: Secundò quo ad eius rationem, qua respicit obiectum, siue terminum, ad quod dicitur, quod est principium creaturæ, prout scilicet ex actione agentis innascitur dicta relatio. Responsio verò ad argumentum tria dicit. Primum. Creationis, prout significatur vt mutatio, creatura est terminus ea posterior. Secundum. Relatio quo ad esse suum considerata, prout inhæret subiecto, posterior est re creata. Probatur; quia accidens posterius est subiecto, intellectu & natura. Tertium. Relatio, quo ad eius rationem qua respicit &c. quadam ratione prior est subiecto. Probatur; quia sic innascitur ex ipsa actione diuina, vt à causa proxima: at actio diuina prior est termino creationis, quod est subiectum dictæ relationis; ergo & ipsa relatio eodem subiecto prior est. Vis huius rationis in hoc consistit, quòd relatio, quæ creatio passiua est, prout ad principium dicitur creaturæ, « & ex eiusdem innascitur operatione, & non ex principijs subiecti, ex parte agentis, & eius actionis se tenet, & quasi vnum cum ea computatur in ordine ad effectum, siuè terminũ creatione productum: sicque relatio illa, quæ passiua creatio est, iam non mera relatio est, sed modum & vim habet actionis Physicæ siuè emanationis, secluſa tantum ratione mutationis: ac proindè secundum hanc rationem præcedere dicitur subiectum suum: non ea tamen ratione, qua subiectum est (sic enim eo posterior est) sed ea ratione qua terminus est creatione productus, vel etiam qua ratione respicit hæc relatio principium creaturæ.

Secundò, ex eadem responsione, iuncta responsioni ad sextum dicti art. de pot. collige quatuor dicta. *Primũ*. Nec oportet, vt creatura quamdiu est, dicatur creari. Probatur; quia creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam nouitate seu inceptione. *Secundum*. Non esset inconueniens dicere creaturam, quamdiu habet esse, fieri siuè creari à Deo. Probatur ex August. *lib. 8. super Gen. ad litteram cap. 10. & 12. & lib. 2. cap. 12.* & explicatur exemplo aeris à Sole illuminati. Nam quamdiu lucet aer illuminatur à Sole; ergo similiter creatura quamdiu habet esse creatur à Deo. *Tertium* est. Nulla differentia est inter primum & secundum dictum, nisi secundum nomen, prout nomen creationis potest accipi cum nouitate vel sine. *Vltimum* dictum est. Creatura semper refertur ad Deum, quod intelligendum est de creatura formaliter, vt creatura est, & de Deo vt creator est; hæc enim relatio non exigit in creatura nouitatem essendi, sed in totali à Deo dependentia fundamentum habet.

PRIMA CONTROVERSIA.

An creatio actiua sit in Deo vt actio transiens, aut immanens?

MOL. tria dicit. *Primum*. Creatio est actio transiens, quæ neque est velle diuinum, quo tanquam principio efficiente Deus producit res, neque respectus rationis eiusdem principij efficientis ad res productas. *Secundum*. Creatio non est mutatio propriè loquendo, sed est influxus realis & absolutus, quo creaturæ ex tempore emanant à Deo: qui influxus

Sententia Doctorum

realem habet identitatem cum creaturis productis, & ab eis formaliter distinguitur. *Tertium.* Hic influxus vt est Dei, per eum tanquã per actionem conferentis esse rebus creatis, est actio vera de prædicamento actionis existens in creaturis ipsis tanquam in subiecto, denominãsque Deum ex tempore denominatione extrinseca creantem & producentem creaturas: & idem influxus, vt eo creaturæ recipiunt esse, passiuèque producuntur in rerum natura, est vera passio de prædicamento passionis, distincta formaliter à creatione actiua, & à termino producto, nempe à creatura.

Suar. *disp. 20. Metaph.* dicit duo. *Primũ.* Creatio actiuè est dependentia creaturæ, vt dicit habitudinem ad diuinam potentiam, à qua fluit, seu quatenus est quidam fluxus à Deo. *Secundum.* Hæc dependentia creaturæ à Deo est aliquid realiter & intrinsecè existens in creatura, non omninò idem quod creatura, quæ est terminus illius dependentiæ: sed est modus quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino.

Valentia duo dicit. *Primum.* Si creatio accipiatur actiuè, sic in primis creatio est ipsa essentia & intellectio ac volitio diuina per quam Deus creat: quæ tametsi quo ad entitatem suã non possit non esse, atque adeò sit necessaria, tamen, cum sit infinita, habet perfectionem, vt ex ipsa immutata possit procedere creatura, & non procedere, & eatenus creaturarum productio est libera. *Secundum.* Creatio actiuè potest etiam dici effectus creatus, vt à Deo procedit, atque adeò ipsa creatura vt à Deo procedens, quo pacto creatio est etiam operatio transiens. Nec tamen sic creatio est aliquid cõsideratum vt in creatura, sed vt aliquid à Deo existens.

Vasq. *hic, & suprà in notationibus ad primum a. q. 41.* tria dicit. *Primum* est. Creatio actio nõ est velle Dei, nec intelligere, sed est relatio in re creata, à qua relatione Deus nominatur agens extrinseca denominatione ab origine actiua in ipso existente. *Secundum.* Creatio concepta vt actio est medius actus & via inter creatorem & creaturam: sicut in diuinis est origo. Et quamuis sit pura relatio, ea tamen considerãtur veluti in fieri & via, & non sicut in facto esse: atque ideò tanquam actus medius debet constitui. *Tertium.* Nullum absolutum per modum realis influxus est de ratione creationis.

Capr. *in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. ad argumenta Aur.* dicit quinque. *Primum.* Actio Dei non est aliud quàm eius velle & intelligere: nec aliqua eius actio exterior ponenda est, qua dicatur formaliter agens, nisi dicatur respectus eius ad creaturam, vel creaturæ ad ipsum. *Secundum ibidem ad secundum Aureoli.* Illud velle diuinũ, quod dicimus actionem creatiuam, est velle imperij, & executio voliti & imperati: Nec ibi differt executio ab imperio, nisi pro quanto executio vltra diuinum velle includit respectum ad effectum temporalem in actu. *Tertium ibidem ad tertium.* Illud diuinum velle, quod ponitur actiua creatio, non determinatur ex natura rei plus ad hoc volitum creatum, quàm ad suum oppositum, sed Deus ordine suæ sapiẽtiæ liberè se determinauit ab æterno ad hoc volendum & non illud. *Quartum ibidem ad quartum.* Licet diuinum velle sit actiua creatio, non tamen ab æterno fuit actiua creatio: Et infra *ad septimum* ait sumendo agere vel operari, prout distinguuntur contra facere, conceditur, quòd ab æterno Deus operatur & agit. *Quintum ibidem ad sextum.* Nulla diuina operatio aut actio, qua formaliter agit aut operatur, est transiens in passum, sic quod in passo formaliter recipiatur: sed concedi potest, quòd diuina actio dicitur quandoque transiens propter respectum rationis ad realem effectum in creatura: sicut creatio, conseruatio & huiusmodi, quæ dicunt diuinam actionem, cum respectu ad creaturas in propria natura terminatam.

Ferrar. *in 2. cont. gent. cap. 16. ratione 6.* ait actionem transeuntem dupliciter sumi posse. Vno modo secundum rem & secundum eius propriam rationem: & sic est (inquit) motus essentialiter, & connotat respectum in agente. Alio modo secundum quandam similitudinẽ, & modum significandi: & sic dicit aliquid in agente remanens, quod significatur vt in aliud transiens, inquantum per ipsum aliquid ab agente distinctum producitur in esse. Sicut si velle nostrum esset secundum se rerum productiuum, adeò vt ipsum velle esset ipsum producere res, esset secundum rei veritatem actio immanens, quia esset idem omnino, quod velle; tamen significaretur per modum in alterum transeuntis. Actio ergo diuina qua res in esse producuntur, cum non sit aliud quàm ipsum velle diuinum, & ipsa Dei substantia, quæ à genere motus est omninò separata, non est actio transiens secundum rei veritatem, sed actio immanens, quæ est velle & intelligere; secundum enim quod Deus intelligit & vult, ita res in esse procedunt absque vlla media actione & motus. Sed habet aliquam similitudinem cum actione transeunte, in quantum per ipsam aliquis effectus in creaturis relinquitur: & ideò à nobis significatur per modum actionis transeuntis in aliud, cum dicitur Deus producit aut creat res. Vnde potest dici actio transiens productiuè, quia habet terminum extrinsecum productum, non autem subiectiuè, quod est propriè esse actionem transeuntem; quia non recipitur in aliquo extrinseco subiecto, sed remanet in agente. Hæc ibi Ferrariensis.

Bannes dicit tria. *Primum.* Creatio non est actio transiens habẽs esse subiectiuè in creatura, & in vniuersum nulla reperitur actio trãsiens Dei, quæ in creatura subiectetur. *Secũdum.* Creatio non est actio transiens Dei idẽtificata cum potentia Dei. *Tertium.* Creatio essentialiter & formaliter est actio Dei immanens, habet tamen modum actionis transeuntis, & potest cum proprietate appellari actio virtualiter transiens. Eandem sententiam & modum dicendi sequitur Zumel. *in d. cto art. 3. q. 65.*

Cai. *suprà q. 25. a. 1.* affirmat de mente D. Thom. posse Deo tribui dupliciter actionem transeuntem; Vno modo formaliter, & sic est idem quod substantia diuina. Sed actio sic sumpta dupliciter potest considerari, vt inquit idem expositor *in quæst. seq. art. 1. circa respons. ad 10.* Primò secundum id quod in agente ponit actio, quatenus actio, & sic actio est in Deo ab æterno. Secundò, vt infert ex se passionẽ vel effectum: & hoc modo non est actu ab æterno: & ideò non dicitur Deus creasse mundum ab æterno, nec modo creare animam Antichristi. Alio modo tribui Deo potest actio transiens virtualiter, siuè secundum efficaciam, adeò

deò vt actio sit formaliter immanens habẽs tamen efficaciam transeuntis illis verbis significatam, *Dixit & facta sunt.*

D. Th. *hic ad 1.* ait creationem actiuè significare actionẽ diuinam, quæ est eius essentia, cũ relatione ad creaturam.

Resolutio. Distinguitur actionis nomẽ in quatuor significata, & ostenditur actionem Dei transeuntem esse in Deo formaliter idem, quod actus imperij.

AD PROPOSITAE *controuersiæ definitionem recolenda primò sunt ea,* quæ supra notauimus *q. 25. a. primo* pro defensione sententiæ Caiet. & aliorum quorundam Thomistarum asserentium de mente D. Thom. actionem transeuntem essentialiter sumptam esse in agente. Vbi diximus sumi posse quatuor modis actionem in via D. Thom. scilicet antecedenter, essentialiter, concomitanter & formaliter: Et actionem essentialiter sumptam esse actualitatem & perfectionem agentis, & actum eius secundum, quo formaliter & intrinsecè vt propria causalitate dicitur agens, & hæc propriè nuncupatur actio Metaph. ad hanc enim scientiam propriè pertinet eius notitia. Actionem autem concomitanter diximus esse motum aut emanationẽ, aut rem vel formam fluentem: & hæc est & dicitur actio essentialiter apud Physicum: & ita quandoque sumitur etiam à Metaph. & à D. Thom. nonnunquam in Theologia, vt ibidem aduertimus. Ostendimus autem *in dicta controuersia* pluribus argumentis, & dictis A. nostri D. actionem essentialiter ac Metaph. sumptam, esse perfectionem agentis intrinsecam & absolutam: & eorum qui sententiam tuentur oppositam, responsa confutauimus & argumenta dissoluimus: & ea præsertim, quæ de actione diuina procedebant.

Concordia Thomistarum.

Deinde huic absoluendæ difficultati maximè necessaria sunt ea, quæ suprà *q. 14. art. 8. in secunda controuersia* diximus de identitate & modo distinctionis actuum diuini intellectus practici, voluntatis & potentiæ; ex eis enim benè perpẽsius apparebit nullum esse in rei veritate discrimen inter sententiam Cai. & Capr. & aliorũ Thomistarum in re præsenti: quamuis Ferrar. & alij post eum opinentur, ac profiteantur se contradicere Cai. Vt enim ibi notauimus ex D. Thom. *in quol. 6. a. 2.* omnis actio rei cuiusque simplicis est secundum proprietatem, ac modum naturæ illius: ac proinde omnis actio Dei & Angeli, quorum simplex est & intellectualis natura, est secundum intellectum à voluntate motum, quæ inclinatio est naturæ intellectualis, sequens formam intellectam: atque ideò Deus & Angelus agunt per suæ voluntatis imperium. Itaque formaliter & Metaphysicè loquendo, id est secundũ modum quo substantijs intellectualibus à materia separatis, vtà materialibus ac sensibilibus distinguuntur, congruit intelligentia nostra, non sunt in Angelo & multò minus in Deo distincti formaliter actus imperatiuæ voluntatis, & actus executiuæ potentiæ: sicut nec ibi formaliter distinguuntur voluntas & executiua potentia. Et quoniam actus imperij, qui simpliciter & propriè loquendo est actus intellectus & scientiæ practicæ, includit actum voluntatis & executiuæ potentiæ: ideò actus imperij ipsa est essentialiter actio diuina, vel Angelica transiens, quæ in Deo perfectio est infinita, & eius substantia: in Angelo verò perfectio & actualitas accidentalis. Sed quia ratio motiua conuenit voluntati, propter quod ei nonnunquam tribuitur actus imperij, scilicet *loco superius allegato*, & alibi vim & rationem executiuæ potentiæ tribuit voluntati: cum tamen actus imperij, qui simpliciter est actus intellectus, sit proximè & immediatè productiuus, vt ibidem ostendimus. Est igitur actio transiens in Deo formaliter idem quod actus imperij, per ea verba significatus *Gen. 1. Dixit Deus fiat lux. &c.* Quomodo verò sit actio transiens, cum non recipiatur in passo, vel in re facta, sed in Deo maneat vt eius substantia & infinita perfectio, declarat Capr. dicens *ad 6. Aureoli* concedi posse diuinam actionem dici quãdoque transeuntem, propter respectum rationis ad realem effectum in creatura: sicut creatio & conseruatio, quæ dicunt diuinam actionem cum respectu ad creaturam in propria natura terminatum, vt *hic* etiam significat S. Th. *ad primum.* Quod tamen non ita intelligendum est, quasi per respectum rationis formaliter constituatur actio in Deo transiens: cum nullo intellectu considerante creatio sit verè & propriè transiens, sed ad solũ modum nostrum concipiendi pertinet ea relatio rationis. Ad cuius euidentiam.

Ostenditur actionem diuinam esse essentialiter sumptã esse formaliter trãseuntẽ: & conciliantur sententiæ Thomistarum.

Tertiò considerandum est actionem essentialiter ac Metaphysicè sumptam, non ideò dici trãseuntem, quia secundum seipsam formaliter transeat in passum, vel effectum actione productum, veluti effluxus ab agente in passum, aut rem ab ipso agente productam; id enim proprium est actionis Physicè sumptæ, quæ dicitur actio concomitanter: Sed dicitur actio Metaphysicè transiens, eo quòd effectum habeat suè terminum, non in ipsius agentis operatiua potentia, sed extra productum. Hanc enim suprà *quæst. 27. art. 1.* diximus esse differentiam inter actiones immanentes & trãseuntes, quòd per illas nihil ad extra producitur, harum verò terminus est aliquid ad extra productum. Sed hoc interest inter actionem Dei & creaturæ, quòd hæc essentialiter ordinatur ad passum, vt ad finem proximum; est enim vt ait Cai. suprà *q. 25. art. 1* propter perficiendum passum: sed talem ordinem non habet actio Dei ad creaturam, sed potius è contra, res actione diuina producta ad actionem ipsam, quæ Dei substantia est, ordinem habet: cum ab ea tota dependeat in fieri & conseruari: ac proinde res quælibet à Deo creata relatione reali refertur ad ipsum & ad eius operationem: cui relationi necesse est, vt ex parte Dei & actionis eius, altera quædam intelligatur relatio correspondens; quæ, cum realis non sit, esse relationis formale tantum habet, quod à nobis conceptum rationis esse dicitur; quamuis, modo quodam superius expresso *quæst. 13. art. 7.* ea relatio sit nullo intellectu considerante, & ei congruat esse reale, non propria sed aliena realitate. Est igitur in Deo verè & realiter actio transiens, sicut verè & realiter Deus creator est & prima rerum omnium causa; & verè ac realiter res emanant & conseruantur à Deo: quamuis ipsa diuina actio, quæ Dei substantia est, & infinita perfectio, secundum seipsam nõ effluat à Deo in creaturã, vt fiat eius perfectio formaliter; id enim proprium est actionis Physicæ, quæ longè distat à cellitudine actionis Metaphysicæ, & per Analogiã ad eam dicitur actio: licet illa primò, vt prius ac magis nota, fuerit actio nuncupata.

Et ex his sequitur nullam esse nisi verborum aut modi loquendi diuersitatem inter Capr. Cai. & Ferrar. ac alios Thomistas negantes actionem in Deo formaliter transeuntem. Nam hoc ipso, quòd actum diuinæ voluntatis & imperij

Conciliantur Thomistæ.

perij ad producendum asserunt efficacem, rationem illi tribuunt actionis formaliter transeuntis, quæ per hoc, vt diximus discriminatur ab immanẽti, quòd per hanc nihil omnino, per illam verò semper aliquid efficitur ad extra. Sed quia velle diuinum, & intelligere, tam ex suo genere, quàm ex obiecto per se primo, quod est essentia vt prima bonitas & veritas, non habent vt extra producant, sed vt sic actiones tantum formaliter sunt immanentes: vim autem productiuam habent in ordine ad obiecta secundaria siuè terminos, qui sunt creaturę idcircò negant absolutè Capr. & alij actionem in Deo formaliter transeuntem, affirmant autẽ formaliter immanẽtem, quę virtutem habeat & efficacitatem transeuntis. Verum, si eadem intellectus & voluntatis actio sumatur, vt rationem & modum habet imperij, productio ipsa est actio diuina formaliter transiens, vt Caiet. affirmat: atque ideò S. D. *in dicto art. 1. q. 25. in responsionibus ad argumenta* dupliciter ait à nobis actiuam in Deo concipi posse potentiam; Vno modo, vt principium executiuum eius quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit, ab eis ratione distinctum. Alio modo, vt idem sit quod ipsa diuina scientia vel voluntas, quatenus principium est rerum effectiuum. Iuxta priorem dicendi modum statuitur actio transiens in Deo formaliter: secundum alterum verò dicendi modum in Deo non ponitur eadem actio nisi virtualiter, vt ibidem aduertit Cai. sic enim considerãtur actio intellectus, siue scientiæ & voluntatis, vt secundariò tantum respicientes creaturam; priori verò modo consideratur actio diuinæ potentię, vt ad creaturam veluti possibilem per se primò relata, quomodo rationem habet actionis formaliter transeuntis.

Actionem Dei transeuntem non solum materialiter, sed etiam formaliter vt actio est esse in Deo ab æterno, non tamen vt passionẽ, vel effectũ infert.

Quarto sciendũ est actionem Dei transeuntem dupliciter sumi posse. Vno modo materialiter: & sic idem est quod essentia diuina, & Deo conuenit ab æterno. Alio modo formaliter, quatenus scilicet actio est: cuius tñ est duplex consideratio; Vna secundum eam rationem, qua in Deo agẽte est, vt eius actualitas & summa perfectio: & sic etiam actu in Deo est ab æterno; alioquin esset ab æterno Deus agens in potentia tantum, & ei ex productione creaturarum in tempore fieret non exiguę perfectionis accessio: Altera secũdum eam rationem, qua passionem infert ex se vel effectum: & sic actu non est ab ęterno; cum nihil sit à Deo productũ ab æterno: est tamen illatio passionis vel effectus ab æterno, in actiua Dei potentia, quod est esse aut contineri virtualiter in ea, non formaliter, vt notat Cai. *q. in immediatè seq. a. 1.*

Dubitatio & Solutio.

Cur autem ex actione Dei æterna formaliter in actu, prout est diuina perfectio, non sequatur effectus ab æterno: declarat S. D. *in art prædicto ad vlt.* his verbis. *Posita actione sequitur effectus secundum exigentiam formæ, quæ est principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, quod conceptum est & prædiffinitum, accipitur vt forma, quæ est principium actionis. Ex actione igitur Dei æterna non sequitur effectus æternus, sed quale Deus voluit, vt scilicet haberet esse post non esse.* Hæc ibi. Quæ latius explicat idem S. D. *de pot. q. 3. a. 17.* & melius *in secundo cont. gent. ca. 35.* & *ibi* Ferrar. post Cap. *loc. superius allegato ad primũ Aureoli, contra primam concl.* vbi totam hanc materam vberrimè versat, & illustrat mirificè dilues subtiliter prędicti authoris sophismata. Vide etiam quæ de hac difficultate scribit Ban. *dub. 1. in resp. ad 4. suum argum.* ex D. Th. & Capr. Est igitur ab æterno creatio actiua in Deo actio formaliter transiens, ad quam non ab æterno, sed in tempore sequitur effectus, iuxta modum & præfinitionem diuinæ sapientiæ & voluntatis.

Cõclusiones deductæ, & probatæ.

Prima Concl. *Creatio actio non est iusluxus realis & absolutus, quo creaturæ ex tempore emanant à Deo, qui sit idem realiter quod creatura producta, & ab ea solum formaliter distinguatur.*" Probatur primò; quia creatio actiua est realiter essentia Dei, cui repugnat identitas cum creatura. Secundò; quoniam, vt ait S. Th. suprà *q. 41. a. 1. ad 2.* ablato motu, nihil aliud est actio, quam ordo originis secundũ quod à causa aliquavel principio procedit, id quod est à principio: quãuis quia modus significandi sequitur modum intelligendi, creatio significetur per modum mutationis, vt dicitur *in articulo præcedente ad 2.* Igitur actiua creatio non est absolutus influxus, qui sit idem realiter quod creatura.

Secvnda Concl. *Creatio actiua non est relatio creata, quæ Deum extrinsecè denominet agentem.* Probatur; quia actio essentialiter est agẽtis intrinseca perfectio ergo nõ est relatio extrinsecè denominans. Secundò; quia illa relatio est passiua, creatio formaliter; ergo non est formaliter creatio vt actio. Probatur sequela; quia formaliter distinguuntur actio & passio. *Antecedens autem* patebit *in sequenti controuersia.*

Tertia Concl. *Creatio concepta vt actio non est medius actus vt via inter creatorem & creaturam, nisi secundum modum intelligendi & significandi.* Probatur primò, quia creatio actiua est ipsa diuina essentia. Secundò; quia creatio, vt accipitur à Vasquezio, contra quem statuitur hæc conclusio, est realiter ipsa relatio creata existens in creatura; ergo se tenet ex parte creaturæ.

Qvarta Concl. *In Deo est actio transiens formaliter, quæ dici potest actio essentialiter Metaphysicè.*

Qvinta Concl. *Creatio actiua est actio trãsiens in Deo existens idem cum eius substantia, vt eius infinita perfectio cũ relatione rationis ad creaturam.* Hæc patet ex dictis, & habetur hic *ex resp. ad 1. arg. & de pot. q. 3. a. 3. in c. & ad 2. & alibi.*

Sexta Concl. *Probabilis est ea sententia, quæ docet creationem actiuã esse formaliter actionẽ Dei immanentem, sed habere modum actionis transeuntis.*

Obi 1. cont. 1. conc.

Contra *primam concl.* argument. Molina. Creatio actiua non est velle & intelligere Dei, nec respectus rationis in Deo, nec relatio realis creaturæ ad Deum; ergo est influxus realis in creatura, à quo Deus creans denominatur. Consęq. videtur euidens ab enumeratione sufficienti. Antecedentis verò prima pars probatur primò; quia creatio est actio transiens; igitur est in passo; igitur nõ est velle & intelligere Dei. Secundò; quia velle diuinum est id, quo tãquam principio efficiente Deus creat & producit res; ergo non est ipsa creandi actio. Secũda verò pars probatur; qm̃ vt dictum est, actio transiens est in passo, respectus verò rationis principij efficiẽtis ad res productas est in Deo: ideo ridiculum est asserere actionem creandi, per quam Deus formaliter res producit, & à qua formaliter dicitur creans, esse merum ens rationis. Tertia deniq; pars probatur; quia respectus eius, quod ab alio, & à quo aliud, qui

inter Deum & creaturas cernuntur, consequũtur creaturas productas, suntque posteriores illis in genere causæ efficientis: sed actio in genere causæ efficientis antecedit effectum, estque immediatior principio efficiẽti, quàm effectus per eam productus; ergo creandi actio & creatio passiua non sunt respectus illi. Secundò. Relatio effectus ad causã fundatur in actione, per quã Deus producit creaturas, ergo est posterior actione, per quã Deus producit res, & simul natura cũ relatione causæ, quæ se tenet ex parte Dei; ergo relatio illa, nec est actio nec complet rationẽ actionis, per quam Deus producit res.

Dicunt *Resp.* falsum esse anteced. quoad primam partem. Ad primam probationem negatur prima consequentia, loquendo de actione transeunte Metaphysicè, sed sequitur tantũ illam habere effectum realiter productum ad extra. Ad secũdam probationem negatur antecedens formaliter loquendo; est enim velle diuinum ipsa Dei actiua productio. Ad reliquas probationes nõ est necesse respondere. *Aduerte tamen* respectum rationis ad creaturas secundum nos, nec esse actionem, neque actionis diuinæ complementum à parte rei, sed qua ratione tantum à nobis concipitur. Quomodo verò relatio realis in creatura sit passiua creatio, dicimus *in seq. controuersia.*

Obi. 2. *Contra eandem* concl. argumentatur Suar. *Primò.* In calefactione & omnibus similibus dependentia qua fit calor in passo, non alia ratione est actio caloris existentis in igne, nisi quia est fluxus quidam caloris ab illo emanans: sed dependentia, qua fit creatura ab ipso Deo, est fluxus quidam manans ab ipso Deo; ergo habet veram rationem actionis. *Solut.* *Resp.* falsam esse maiorem loquendo de actione Metaphysicè; est enim actio actus, & perfectio potentiæ, prius natura, quàm fluxus ille

Replica *Sed hanc respons.* in simili sic arguit Suar. Nulla potentia actiua vt sic recipit complemẽtum seu actualitatem ex actione, sed solum exercet suam actualitatem: hoc autem exercere non est se actuare, sed aliud in actum reducere, quod Deo etiam conuenit.

Probatur assumptum. Nam, quælibet potentia merè actiua, solum est extrinseca denominatio; potentiæ enim actiuę actione immanente seipsas actuant, non tamen vt actiuè tantum sunt, sed quatenus sunt etiam passiuæ.

Solut. *Resp.* assumptum esse falsum loquendo de actione Metaphysica. Ad eius probationem negatur assumptũ. Ad cuius probationem dico potentiam actiuam vt actiua est seipsam actuare, si dictio vt specificet conditionem agentis creati: quamuis si eadem vox specificet rationem agendi, verum sit illud assumpum, vt etiam supra diximus *in dicta controu. de actione transeunte, in responsione ad primum argumentum.*

Obiect. 3. *Secundò.* Nihil obstat, quo minus hic fluxus creationis vt à Deo, habeat veram rationem actionis; ergo. Antecedens probatur. Nam vel obstat carentia subiecti. & hoc non; quia dependentia passiua præcedit rem factam, vt via, & tamen non inest subiecto; ergo similiter actiua potest præcedere, & non inesse alicui subiecto. Vel obstat perfectio diuinæ potentiæ, & hoc non: quia actio transiens non perficit potẽtiam à qua fluit, & præsertim diuina, quæ nõ est ex se ordinata ad actionem. Vel obstat mediatio inter effectum & potentiam, & hoc non; quia mediat etiam dependentia passiua, & hæc mediatio prouenit ex limitatione & potentialitate ipsorum effectuum: ergo. *Resp.* obstare propriam rationem & quidditatem actionis, tã Metaphysicæ quàm Physicæ: Nam actio Metaphysica est formalis perfectio & actualitas potentiæ: actio verò Physica, si propriè loquendum sit, mutatio quædam est, quæ presupponit materiam: cuius defectu, nec ipsa creatio passiuè sumpta propriè passio est aut mutatio, sed modum solum habet passionis & mutationis, vt *hic, & alibi sæpe* docet D. Th. *Solet.*

Sed contra hanc responsionem trahi potest argumentum hoc ex Suar. Ratio præcisa actionis nõ includit motum neque mutationem, sed fluxum seu dependentiam cum transcendentali habitudine ad principium à quo fluit; ergo. *Resp.* falsum esse antec. de actione Physica loquendo, prout actio Physica distinguitur à Metaphysica, quæ est formalis perfectio potentiæ: Habebit quidem fluxus ille siuè dependentia modũ quendã actionis & passionis, nõ erit tñ actio & passio Physica verè & propriè, sed abusiuè & æquiuoce ac impropriè: nec de nominibus hic expedit litigare. *Replica.* *Solut.*

Tertium eiusdem authoris argumentum ex supradictis perspicuè soluitur.

CONTRA *Secundam concl.* argumentatur Vasq. *Primò.* Quia D. Th. *hic,* & Caiet. & Ferrar. *in 2. cont. gent. cap. 16. & 18.* & Capr. *in 2. dist. 1. q. 2.* & alijs Scholastici dicunt creationem nihil aliud esse secundum rem, quàm relationem ipsam creaturæ pendentis à creatore. *Resp.* D. Tho & alios loqui de creatione passiuè sumpta, non autem prout est actio. *Obi. 1. cont. 3 concl.* *Solut.*

Secundò. Si actioni desit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse, quàm pura relatio: nec alio modo nobis explicari aut intelligi potest, quàm conceptu solius relationis; ergo est relatio. Antecedens est D. Th. supra *q. 41. a. 1. Et confirmatur* ex simili argumento D. Thom. in materia diuinarum originum, quo vtitur *in dicto a. ad 2.* ad probandum diuinas origines esse meras relationes. *Resp.* antec. verum esse de sola actione concomitanter, siuè Physicè sumpta, de qua loquitur ibi D. Th. vt ex ea veluti notissima ducat non in cognitionẽ actionis Metaphysicæ, quæ fundamentum est illius relationis, quę remanet in agente ablato motu. *Obi. 2.* *Conf.* *Solut.*

Tertiò. Quamuis actio, quę ex genere suo non est motus, sit in agente, Deus tamen non est capax alicuius relationis ex tẽpore; ergo à creatione existente in creatura denominatur creans. *Resp.* argumentum hoc falsum supponere videlicet actionem transeuntem etiam Metaphysicè sumptam ablato motu nihil aliud esse, quàm relationem: nos autem dicimus esse realem & absolutam agentis actualitatem, & perfectionem, quę præciso Physicæ actionis motu remanet in agente, cum relatione prædicta. *Obi. 3.* *Solut.*

CONTRA *tertiã argumentatur* Vasq. ex simili modo concipiendi diuinã originem actiuè & passiuè ad modum viæ, priusquam intelligatur relatio, & persona per eam constituta, concludens hunc ordinem ad solum nostrum modum concipiendi pertinere; quod gratis admittimus, cum D. Th. *in dicto art. 1. q. 41.*

CONTRA *quartam concl.* sunt argumenta superius soluta *q. 25. art. 1.*

CONTRA *quintã concl.* argumentatur Bañ. & Zumell. *Primò.* Si creatio est actio transiens identificata cum essentia Dei, sequitur aliquam perfectionem Deo aduenire ex tempore; consequens *Obi 1. cont: 5 concl:*

quens est falsum; ergo & antecedens. Probatur A sequela; quia creatio, quæ essentialiter est actio transiens, non potest esse, nisi quando transit in effectum ad extra; quia natura actionis transeuntis est, vt transeat in effectum extra potentiã: ergo, si creatio est essẽtialiter actio trãsiens, non est in Deo, nisi quando actu transit in creaturam ad extra. *Solut.* *Resp.* nullam esse conseq. Ad eius probationem dico primò actionẽ Dei essentialiter sumptam non transire formaliter in effectum ad extra; ac proinde, quoad id, quod ponit formaliter in agente, esse antequam actu producatur effectus ad extra. Secundò dico naturam actionis transeuntis Metaphysicæ esse, vt effectiuè transeat in effectũ ad extra, iuxta mo- B dum formæ, quę principium est operationis, vt ait S. D. *q. seq. ar. 1. ad vlt. & 2. cont. gent. cap. 35.* & ideò in agentibus per voluntatem non sequitur effectus nisi secundum conceptionem & præfinitionem agentis: nec ex actione Dei æterna sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit, vt scilicet haberet esse, post non esse.

Replica. *Sed hanc respons.* impugnat Zumel. Quoniam (inquit) non potest intellectus percipere, quòd actio sit in actu trãsiens, & quòd non sit terminus illius actionis, & quòd efficiens actu operetur, & nihil agat, præcipuè, cum nullum sit impedimentum, nec ex parte virtutis actiuæ, nec ex parte subiecti; virtus enim creatiua de C nihilo producit rem. *Solut.* *Resp. primò* cum Capr. *ad 4. Aureoli.* & D. Tho. *de potentia q. 3. art. 17. ad. 12. quod actio Dei est æterna; dicitur autem incipere agere ratione noui effectus qui ab æterna actione consequitur dispositionem voluntatis quæ intelligitur quasi actionis principium in ordine ad effectum.* Hæc ibi D. Th. Et *ibidem ad trigesimum: Ex parte* (*inquit*) *ipsius Dei facere non importat aliquid, quod sit aliud quàm dicere: non enim actio Dei est accidens sed eius substantia: sed facere importat effectũ actualiter existentem in propria natura, quod per dicere non importatur.* Ex quibus deducit Capr. hanc non esse concedendam, *Deus faciebat ab æterno*; hanc verò concedi posse, *Deus agebat ab æterno*; quoniam agere, vt ait D. Th. *in 3. s. dist. 35. q. 1. a. 1.* D propriè loquendo est operatio à voluntate elicita vel imperata, in ipso operante consistens, non in materiam exteriorem transmutandam transiens, quia illa dicitur propriè facere. Secundò respondetur actionem Dei non esse ab æterno transeuntẽ, i. inferentẽ effectum; cũ tñ oẽm habeat actualitatem, quæ conuenit illi, vt est ab agente; Nec tamen sequitur effectus ab æterno: tum quia non dependet eius actualitas ab effectu: tũ quia Deus non est agens naturale, sed voluntariũ, ad quod sequitur effectus iuxta modum formæ, quæ est agendi principium, vt ante diximus: Argumentum autem procedit de agente naturali.

Obi. 2. *Secundò.* Siuè creatio ab æterno, siuè ex tempore conueniat Deo, sequitur ex illa quinta cõclusione pefectionem aliquam Deo conuenire, quæ possit non conuenire, quod est falsissimum. Probatur sequela: quia creatio, quæ est actio transiens, potuit non competere Deo: sed creatio, iuxta hanc sententiam, est actio trãsiens identificata cum diuina essentia, estque perfe- *Solut.* ctio ipsius Dei; ergo &c. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem dico creationem, quæ est actio transiens, potuisse non competere Deo secundum eam rationem, qua infert ex se effectum, non autem secundum eam rationem, qua agentis perfectio, seu quo ad id, quod ponit in agente.

Contra eandem concl. sunt argumenta Aur. apud Capr. ab eo soluta.

CONTRA *vltimam concl.* sunt argumenta, quæ proferunt hic & soluunt Ban. & Zumel.

SECVNDA CONTROVERSIA.

An creatio passiua si relatio realis in creatura, & qualis sit hæc relatio?

Sententiæ Doctorum.

MOLINA cõsequenter loquens ad ea, quæ de creatione dixit prout actio est, affirmat creationẽ passiuè sumptam esse realem influxum absolutum absq; mutatione, & esse veram passionem de prædicamento passionis, distinctam formaliter à creatione actiua, & à termino producto, nempè à creatura: & hãc creationem esse creaturã, prout creatura dicitur etiam id quod concreatur.

Eandem sententiam sequitur Suarez *disp. 20. Met. sect. 5.* vbi ait dependentiam, de qua *in præcedenti controuersia*, non habere veram rationem mutationis aut passionis, habere tamen veram rationẽ viæ seu fieri creaturæ, & sic appellari creationem passiuam: & eandẽ habere etiam veram rationem emanationis à Deo, & sic verè ac propriè dici posse actionem ipsius Dei formaliter transeuntem, quatenus scilicet ab ipso Deo est.

Vasquez dicit quatuor. *Primum.* Creatio nó est quid absolutum præuium relationi producti in creatura. *Secundum.* Creatio est relatio realis creaturæ pendẽtis à creatore. *Tertium.* Relatio creationis non distinguitur realiter, neq; ex natura rei formaliter, sed ratione tantum à subsantia creaturæ. *Quartum.* Hæc relatio non est in prædicamento.

Ban. hic tria dicit. *Primum.* Creatura duplici relatione reali refertur ad creatorẽ, scilicet trãscendentali & prædicamentali. *Secundum.* Relatio transcendentalis creaturæ ad creatorem sola ratione distinguitur à creatura: prædicamentalis verò relatio differt realiter à creatura sal- tem formaliter. *Tertium.* Creatio passiua significatur per modum passionis & mutationis, non tamen est passio aut mutatio, sed sola relatio. Eandem ferè sententiam sequitur Zumel. *inf. q. 65. ar. 3.* vbi tamen nihil meminit de relatione transcendentali.

D. Th. hic cuius mentem sequuntur, & explicant Capr. *in secundo dist. 1. q. 2.* Caiet. *super hoc a.* & Ferarri. *in secundo cont. gent. cap. 18.* affirmat creationem passiuè sumptam esse relationem realem in creatura, significatam ad modũ mutationis, & vt media inter creatorem & creaturam: cum tamen non sit mutatio verè & realiter creatura. Eandem sententiam sequitur Valent. super hoc art.

Resolutio. Creationem non esse mutationem: cũ propriè non habeat commune subiectum, nec ibi sit actio, aut passio Physica, sed actio tãtum Dei Metaphysica & essentialis dependẽtia ex parte creaturæ.

E SVPPONENDVM *est in primis* veluti certũ, non solũ in doctrina D. Th sed etiã in opinione omnium scribentium Theologia, creationem siuè sumatur actiuè siue passiuè, non esse mutationem, nisi secundum modum nostrum concipiendi & significandi, vt hic affirmat S. D. & latè probat *in 2. cont. gent. cap. 17. & in 2. dist. 1. qu. 1. art. 2. & de pot. qu. 3. art. 2. & in præcedente quæst. art. 2. ad 2.* Vtitur autem S. D. *in dicto cap. 17.* hac ratione ibidem tertia, & *de potentia, & in qu. præced. art. 2.* In omni mutatione & motu oportet esse aliquid aliter se habẽs nunc quàm prius: sed in creatione non potest esse aliquid idem aliter se habens nunc quàm prius; ergo. Maior probatur: quia nomẽ mutã-

mutationis hoc ipsum ostendit. Minor verò; quia vbi tota substantia rei in esse producitur, non potest esse aliquid idem aliter & aliter se habens; quia illud non esset productioni præsuppositum: Constat autem totam rei substantiam creatione produci.

Vbi aduerte cum D. Thom. *de pot. q. 3. a. 2.* & Ferrar. *super dicto capitulo* dupliciter intelligi posse in creatione esse aliquod commune subiectum aliter se habens nunc & prius: *Vno modo* propriè, & secundum rem: sicut in alteratione, argumento & loci mutatione inuenitur vnum commune subiectum actu existens, quod ex vno oppositio mutatur in aliud: & hoc modo creatio non habet commune subiectum, vt adducta ratio demonstrat. *Alio modo* potest intelligi commune subiectum impropriè & secundum imaginationem tantum, cogitando in vniuersi creatione vnum commune tempus veluti quoddam totum, constans ex imaginaria duratione, siue tempore mundo præconcepto, & reali tempore, quod simul cum vniuerso accepit initium: & vnam & eandem rem creatione productam concipiendo vt prius non habentem esse & post vt existentem actu: & hoc modo inuenitur in creatione commune subiectum aliter se habens nunc & prius; producitur enim in actu, quod prius non erat actu, sed in actiua solum Dei potentia, & eius practica scientia, ac præfinitione fuit ab æterno.

Obiectio. *Sed dices.* Vna & eadem realis essentia rei, puta cœli vel hominis, prius non habuit esse in rerum natura, sed solum in intellectu Dei; igitur in qualibet re creata vnum est commune subiectum secundum rem, quod modo se habet

Solus. aliter quàm prius. *Sed resp.* obiectionem hanc ex falsa imaginatione procedere; existimat enim arguens cœli vel hominis essentiam ex sui ratione esse simpliciter ens reale, aut per illud esse, quod habet in intellectu Dei, pertinere simpliciter ad ordinem entis realis; quod esse falsum latissimè demonstrauimus suprà *quæst. 3. art. 4. in prima controu.* Non est igitur essentia secundum rem commune subiectum in creatione, sed imaginatione tantum.

Replica. *Sed oppones* dictum Arist. *in 7. Phys.* probantis generationem esse mutationem, quia per ipsam fit, quod non est: At per creationem fit magis, quod non est, quàm per generationem; ergo creatio est mutatio. Et præterea docet Auer. *7. Phy. tex. 20.* realem relationem non aduenire alicui nisi per mutationē: At verò creature aduenit realis ad Deum relatio per creationem.

Solut. *Resp.* Arist. ibi supponere in omnis rei generatione aliquid fieri ex præiacenti materia, in qua res generanda præexistit in potentia: atque ideò secūdum Arist. in omni generatione fit id, quod non est actu, quod tamen erat in potentia in ipsa materia. Auerroes etiam loquitur de relatione aduenient rei iā in actu, aut in potentia materiæ præexistenti: relatio verò creaturæ ad Deum nihil rei creandæ præsupponit existens actu, vel potentia. Et quoniam vbi non est mutatio, ibi nec est actio Physica neque passio: consequens est in creatione nullam esse actionem Physicam quæ scilicet sit in passo, sed tantum Metaphysicam quæ est agentis perfectio: nec passionem vllam verè ac propriè dictam interuenire, vt scitè aduertit Capr. *in 2. dist. 1. q. 2 in probatione secundæ concl.* vbi ex verbis D. Th. suprà *q. 41 art. 1. ad 2. & 3* probat non omnem actionem ex se inferre passionem, sed eam tantū, quę est cū motu aut mutatione.

A Sic enim ait S. D. *ad 3. in dicto art.* *Actio secundum quod importat originem motus infert ex se passionem, sic autem actio non est in diuinis personis, ideo nec ibi est passio:* Hæc ibi. Actio verò, quæ est cum motu vel mutatione, non est aliud quàm motus vel mutatio, vt ibi notat Capr. licet actio dicat in obliquo relationem causæ ad effectum, scilicet relationem originis ipsius motus, quæ quidem relatio est in mouente: Passio autem dicit eundem motum in recto, relationem autem ad causam motus in obliquo. Cum igitur actiua creatio sit sine motu & mutatione, sequitur in ea nullam esse actionem Physicam, & creationem passiuè significatam non esse verè ac propriè passionē, sed grāmaticè tantum, & secundum modum nostrum concipiendi & significandi. Nam si vna & eadē mutatio ob diuersos respectus ad ea necessario consequentes dicitur actio Physica & passio, & non potest inueniri passio sine mutatione, sequitur necessariò absq; Physica actione passionem nunquam esse, nec absque passione Physicam actionem esse posse: cum sine mutatione non sit actio Physica vere & proprie dicta, quæ est actio concomitanter distincta cōtra actionem Metaphysicam, quæ est agentis perfectio; hæc enim consequitur actionem Metaphysicam non quatenus aliquid efficit absolutè, sed prout in subiectam agit materiam, illam accidentaliter vel substantialiter transmutando. Nam; vt res tota simul producatur ex nihilo, sola sufficit actio Metaphysica, quod est agētis infinitæ virtutis imperium, cui ex altera parte correspondet effectus, siuè terminus cum essentiali dependentia, & relatione reali ad primum agens. Illa siquidem emanatio siuè fluxus aut influx⁹ aut fieri quod ibi interuenit vt instantaneū, ac simul cum facto esse, vt ait S. Th. *art. præced. ad 3.* nihil aliud est, aut significat secundum rem, quam id, quod ita producitur, ab alio esse & prius non fuisse, vt ibidem affirmat S. D. Hoc autem quod est rem ab alio esse, nihil aliud importat nisi dependentiam cū dicta negatione, si sermo sit de creatione cum nouitate essendi. Sed quia nouitas essendi nō pertinet intrinsecè ad rationem creationis; cū potuerit mundus ab æterno creari, vt ait S. D. *q. seq. a. 2.* idcircò de ratione creationis vt sic, ex parte rei creatæ, non est nisi dependentia essentialis cum relatione ad creatorem. Dependere autem vt sic, siuè esse ab alio essentialiter, non est agere aut pati, siuè actio aut passio, nisi grāmaticè; alioquin conseruatio rerū passiuè sumpta esset verè ac propriè passio, quod non admittit Suarez. Sequela est euidens; quoniam si mundus esset ab æterno creatus, sicut continuò conseruatur à Deo, ita continuò crearetur ob eandem omnino causam, quia scilicet ab æterno & semper eodem modo penderet à Deo. Præterea certum est, posita illa essentiali depēdentia ex parte rei creatæ, sufficere ex parte Dei actionem essentialiter, siuè Metaphysicè dictam, quæ est eius imperium illis verbis expressum: *dixit & facta sunt*; non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate. Chimericum igitur ac planè fictitium est existimare Deum medio quodam influxu, qui sit actio Physica, id est extra Deum & realiter à Deo distincta, à creatura verò formaliter, res simul totas ex nihilo produxisse.

Quod si dependentiam illam essentialem actionem Physicam esse contenderint, haud rectè loquentur; Nam dependentia idem est,

quod

quòd fieri, quod se tenet ex parte producti; igitur magis erit passio quã actio; passio verò non est vt etiam Suar. admittit; igitur nec actio est. Non est igitur præter actionem Dei, quæ est eius substantia & infinitæ virtutis imperium, actio quædam alia, quæ Deus non sit sed creatura, qua res producuntur asserenda.

Relationem siue ordinẽ transcendentalem habere creaturã ad creatorẽ, & ex eo cõsequi realẽ relationem tertij modi.

Secundò obseruanda est differentia inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, quam hic tradit Bannes, & nos paulò fusius explicauimus *supra q.13. a.7. controuersia vnica.* Et quoniam relatio transcendens fundamentum est relationis realis ad terminum eiusdem relationis, idcircò ad essentialem illam creaturę dependentiam à Deo creante conseruante consequitur necessariò relatio realis prædicamentalis ad Deum ipsum creatorem & conseruatorem, & pertinet hęc relatio ad tertium relatiuorum ordinem, quem statuit Arist. *in 5. Metaph. in c. de ad aliquid*, qui attenditur secundum rationem mẽsuræ & mensurati. Cuius naturam explicat S. D. *de pot. q.7. a.10.* dicens relationem realem consistere in ordine vnius rei ad aliam, atque ideò in illis tantum mutuã realem relationem inueniri, in quibus ex vtraque parte est eadem ratio ordinis vnius ad alterum: sicut in omnibus relationibus consequentibus quantitatem; eiusdem enim rationis est quantitas in omnibus corpobus naturalibus. At in relationibus actionem & passionem, siue virtutem actiuam & passiuam consequentibus, non est semper mutuus ordo ex vtraque parte; necesse est enim vt id, quod rationem habet patientis, & moti vel causati, ordinem habeat ad agens siue mouens; quia semper effectus à causa perficitur, & ab ea dependet: sed agentia siue mouentia, vel etiam causæ, non semper habẽt ordinẽ ad patientia vel mota vel causata, sed ea tm̃, quæ mota mouẽt, vel causant, vel quib. aliqua perfectio, siue bonũ aduenit ex effectu; quę verò nec mota mouẽt, nec eis bonũ aliquod prouenit ex effectu, & quæ alterius ordinis sunt, & prorsus extrinseca ab illo genere actionum, vel virtutum quas consequitur talis ordo, ad hæc alia quidem ordinem habent, sed ipsa non ordinantur ad alia, vt patet in scientia & scibili, in sensu & sensibili, & alijs similibus prout ibi declarat vberrimè S.D. Vbi concludens adiungit: *Deus autem non agit per actionem mediã, quæ intelligatur à Deo procedens, & in creaturam terminata, sed sua actio est sua substãtia, & quicquid in ea est, est omnino extra genus creati, per quod creatura refertur ad Deum: nec iterum aliquod bonum acceßit creatori, ex creaturæ productione, vnde sua actio est maximè liber alis, vt Auicenna dicit. Patet etiam quòd non mouetur, ad hoc quod agat, sed absque omni sua mutatione mutabilia facit. Vnde relinquitur, quòd in eo non est aliqua relatio realis ad creaturam, licet sit relatio creaturæ ad ipsum, vt effectus ad causam.* hæc ibi.

Nomine aũt ordinis intelligit S.D. ordinem transcendentalem, quo vna res essentialiter ordinatur ad aliam, sicut scientia ad scibile, sensus ad sensibile, & imago ad id cuius est imago, & vniuersaliter omnis effectus ad causam, à qua intrinsecè dependet; alioquin si per ordinem intelligeret realem respectum de genere relationis, assumeret id quod intendit probare. Vult igitur S.D. in omnibus relatiuis tertij modi ordinem transcendentalem esse fundamentum ordinis siue relationis prædicamentalis, & consequẽter etiam talem ordinem ad Deum in creatura esse fundamentum realis, ac prædicamentalis relationis eius ad Deum: hoc autem est esse creaturæ, vt à Deo dependens, & vt concipitur ad modum passionis, & vt rationem habet mensurati in ordine ad Deum vt mensurã.

Molina & Suar. di ctum reijciuntur.

Aduerte præterea D. Th. negare Deum agere actione media, quæ intelligatur à Deo procedens, & in creaturam terminata, cuius oppositũ affirmant absque legitimo fundamento Molina & Suarez.

Tertiò considerandum est, quòd cùm in re creata duo tantum sint ad rem propositam pertinentia, videlicet prædictus ordo transcendens siue essentialis dependentia, quæ idem est quod ipsa creatura vt à Deo dependens, & relatio prædicamentalis ad illum ordinem siue dependentiam consequens: necesse est alterum horum vel vtrumque simul esse creationem passiuam. Dependentiam autem essentialem non esse creationem passiuam, satis apertè constat ex *hoc articulo, & alijs locis in doctrina D. Thom. suprà notatis*, in quibus affirmat relationem, quæ relinquitur in creatura sub' facto motu, vel mutatione esse creationem passiuè sumptam. Affirmare verò solam hanc relationem, esse creationem, multas secum affert angustias ac difficultates inferius adducendas, quibus non videtur plenè posse satisfieri.

Creationem passiuè significatam esse essentialem creaturæ à Deo dependentiam, cũ relatione reali ad ipsũ Deum, vt creatorem.

Vt igitur meam in hac tam ardua controuersia sententiam proferam, dico proportionaliter iudicandum esse de creatione passiua, sicut & de actiua: vt quemadmodum de creatione actiua ablata mutatione, quæ ibi nulla est, nec esse potest, relinquitur in creatore nõ sola relatio ad creaturam, sed actio Metaph. sumpta, quę realiter est eius substantia, formaliter autem est eius velle ac infinitę virtutis imperium cum relatione ad creaturam: sic de creatione passiua ablata mutatione, quæ nulla in ea est, nec esse potest, non remanet sola relatio prædicamentalis ad creatorem, sed essentialis illa dependentia, quæ idem est realiter quod esse creaturæ, & ipsa tota creatura: formaliter autem est creaturam nunc à Deo esse, & prius non fuisse, si sermo sit de creatione cum nouitate essendi: absolutè verò est creaturam à Deo esse vel causari. Igitur sicut actiua creatio est actio Dei infinita cum relatione ad creaturam: ita creatio passiuè significata est essentialis creaturæ à Deo dependentia, cum relatione reali ad ipsum Deum vt creatorem.

De sola tamen relatione meminit S.D. quoniam duæ illæ relationes, sc. prędicamentalis & transcendens in ea fundata computantur vt vna: tum propter naturalem & necessariam connexionem: tum quia respiciunt eundem terminum saltem materialiter: tum quia ex vna intelligitur alia: tum denique quia nomen relationis habent commune.

Cum igitur ait S. D. in textu creationem in creatura non esse nisi relationẽ quandã ad creatorem vt ad principium sui esse, vtramque complectitur relationem, quoniam vtraque est ad creatorem & ad principium, quamuis diuersa ratione: Nam dependentia; quę est relatio transcendens, est ad creatorem vt ad principium efficiens, quatenus efficiens est formaliter, & prius ipsa creatura, sed relatio prædicamentalis creaturæ est ad creatorem vt ad principiũ, quatenus hoc vocabulo principium significatur terminus formaliter relatiuus natura simul existens cum suo correlatiuo.

Vnde etiam, cum S.D. *in 3.p.qu.2.a.3 & alibi* vnionem humanæ naturæ ad Deum affirmat esse relationem, quidam exponunt de relatio-

ne transcendente: vbi etiam obseruant D. Tho. *in dictis locis* non distinguere inter relationem prædicamentalem & modum vnionis, quem dicunt includere trascendentalem habitudinem ad vnibilia. Singulariter autem de dicto ordine cum relatione consequente videtur intelligenda responsio ad tertium *in dicto a. 7.*

Consonat autem hæc nostra expositio doctrinæ D. Th. in responsionibus ad argumenta præsentis articuli, quæ singulæ ad vtramq; prædictam relationem referri possunt; Nam vtraque relatio realis est, & vtraque hoc ipsum quod est, ad aliud dicitur, quamuis diuersa ratione vt ante diximus, & vtraque prior est vno modo, & alio modo posterior ipsa creatura, vt dicit *in resp. ad 3. argumentum*: licet vtraque non eodem modo distinguatur à creatura: Nam relatio transcendens ratione tantum ratiocinata, vel ad summum formaliter ex natura rei distinguitur à subiecto: relatio verò prædicamentalis distinguitur realiter non solum à subiecto, sed etiam à fundamento, vt existimo secundum mentem D. Th.

Hunc dicendi modum videtur satis apertè significasse D. Tho. *de pot. q. 3. a. 3. in fine corporis* dicens nomine creationis non importari aliquem accessum ad esse, nec transmutationem à creante, sed solam inceptionem essendi, & relationem ad creatorem à quo esse habet; idem est enim inceptio essendi, quod essentialis illa dependentia cum nouitate. Igitur secundum D. Tho. creatio dicit essentialem dependentiam, quæ est relatio transcendens, & relationem prædicamentalem ad creatorem. Cum itaque docet ablato motu vel transmutatione ab operatione solam relinqui relationem, nomine relationis vtramque complectitur, & non vnam tantum.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Creatio siue sumatur actiuè siue passiuè, non est mutatio nisi secundum modum concipiendi & significandi.*

" SECVNDA CONCL. *Creatio passiuè significata non est passio verè & propriè, sed grammaticè tantum & secundum modum concipiendi & significandi.*

" TERTIA CONCL. *Creatio actiuè significata non est actio Physi.* Nomine actionis Physi. sæpè diximus significari omnem actionem, quæ non sit in agẽte, sed in passo; Hanc enim ideo Physicam nuncupamus, quia licet inueniatur etiam in separatis à materia, illis tamen videtur conuenire secundum communem illis imperfectionem ex parte subiecti cum ijs, quæ materia constant; congruit enim vtrisque ratione potentialitatis, quæ perficitur in eis actione ab agente suscepta.

" QVARTA CONCL. *Creatura duplici relatione refertur ad creatorem, scilicet transcendente & prædicamentali, & hæc posterior in priori fundatur.*

" QVINTA CONCLVS. *Creatio passiuè significata est essentialis dependentia creaturæ à Deo, cum relatione reali ad ipsum Deum vt creatorem.*

Argum. & Solut. CONTRA *primam* concl. sunt argumẽta, quæ proponunt hic & soluunt Bann. Zumel. & alij, præter ea quæ soluit S. D. *de pot. q. 3. a. 2.*

Obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concluſ.* argumentatur Molina. Actio & passio neque sunt relationes secundum esse, neque complentur per relationes reales: ergo actio non est motus cum relatione reali causæ, aut principij efficientis ad effectum, vel motum, aut mutationem; nec passio est motus cum relatione opposita, sed potius eiusmodi relationes consequuntur actionem & passionem tanquam rationem fundandi; ergo actio, quando in productione effectus interuenit motus, est motus ipse: non in ratione motus, sed vt est influxus agentis, seu vt est ab agente; quod est quid absolutum ac formaliter distinctum à motu, & ipsius termino atque à passione: & passio est idem motus: non in ratione motus, sed vt receptio patientis: vniuersimque passio est alicuius esse receptio, aut in subiecto, aut qua effectus aliquis recipit suum esse in subiecto, aut qua effectus aliquis recipit suum esse in seipso: esto producatur extra subiectum, quod similiter est quid absolutũ & formaliter distinguitur à termino, motu & actione, & à reliquis rationibus formalibus aliorum prædicamentorum. Antec. prob. Nam alioquin vel actio & passio non pertinerent ad prædicamenta actionis & passionis, sed ad prędicamentum relationis. Vel res vnius prædicamẽti in sua ratione formali compleretur intrinsecè per rationem formalem alterius prædicamenti: quo dato, prædicamenta non essent primò diuersa, nec impermixta, immò nec vnum per se. *Resp.* falsum esse antecedens. Nam prædicamenta distinguuntur secundũ diuersos modos cõcipiendi & prædicandi, nec est necesse distingui realiter: & ideo potest vnum ex alterius ratione compleri. Ad probationem autem negatur conseq. Nam, vt prædicamenta sint primò diuersa, sufficit, vt eorum rationibus formalibus integrè sumptis, nullum vniuocum sit commune, & secundum easdem etiam rationes formales dicuntur impermixta formaliter, & quodlibet vnum per se formaliter. *Solut.*

CONTRA *tertiam concl.* sunt argumenta soluta in præc. controu.

CONTRA *vltimam concl.* argumentatur Vasq. Si actioni & passioni desit ratio motus, nihil aliud videtur superesse, quàm pura & sola relatio: nec alio modo à nobis explicari aut intelligi posse, quàm cõceptu solius relationis: vt patet ex D. Thoma suprà *q. 41. a. 1. ad 2.* ergo. *Resp.* iam huic argumento fuisse satisfactum dicendo nomine relationis vtramque simul comprehendi, scilicet transcendentalem & prædicamentalem. Secundò dico dictionem exclusiuam non excludere à concomitantibus, & ideò à relatione non excludi fundamentum per exclusiuam illam, *sola*. Vide, quæ diximus *in præced. controu.* *Obi. cont. 4. concl.* *Solut.*

Contra eandem concl. quoad secundam eius partem sunt agumenta Scoti, quæ referunt & soluunt Cap. *in dict. q.* & Caiet. *hic*, & alij recentiores.

Videndà sunt, quæ diximus supra *q. præc. a. 1. circa resp. ad 1. arg. D. Thom.* Hic multa commiscet Vasq. de ratione relationis, quæ ad rem præsentem non pertinent.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum creari sit proprium compositorum, & subsistentium. 24. *Inf. ar 8. Et ve. q. 27. a. 3. ad 9. Et pa. q. 3. a. 5. ad 12. Et a. 3. ad 2. & 4. & 8. ad 3 Et quol. 8. q. 5. a. 1. Et opuſ. 37. c. 4. * Propoſ. 4. in prin. to. 3.*

AD *Quartum sic proceditur. Videtur, quòd creari non sit proprium compositorum, & subsistentium.* Dicitur enim *in libro de causis.* * *Prima rerum creatarum est esse. Sed esse rei creatæ non est subsistens. Ergo creatio propriè non est subsistentis, & compositi.*

2 *Præterea. Quod creatur, est ex nihilo. Composita autem non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus. Ergo compositis non conuenit creari.*

3 Præ-

3 *Præterea. Illud propriè producitur per primam emanationem, quod supponitur in secunda. Sicut res naturalis per generationem naturalem, quæ supponitur in operatione artis. Sed illud, quod supponitur in generatone naturali, est materia. Ergo materia est, quæ propriè creatur, & non compositum,*

Sed contra est, quòd dicitur Gen. 1. In principio creauit Deus cælum, & terram. Cælum autem, & terra sunt res compositæ subsistentes: ergo horum propriè est creatio.

Art. præc. *Respondeo. Dicendum, quod creari est quoddam fieri, vt dictum est: * Fieri autem ordinatur ad esse rei. Vnde illis propriè conuenit fieri, & creari, quibus*
239 240 452 *conuenit esse. e Quod quidem conuenit propriè subsistentibus, siue sint simplicia, sicut substantiæ separatæ: siue sint composita, sicut substantiæ materiales. Illi enim propriè conuenit esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse. Formæ autem, & accidentia, & alia huiusmodi, non dicuntur entia, quasi*
336 337 *ipsa sint, sed quia eis aliquid est, e vt albedo ea ratione dicitur ens, quia eius subiectum est album. Vnde, secundum Philosophum, * Accidens magis propriè di-*
Lib. 7. Meta. text. 2. to. 3. *citur entis, quàm ens. e Sicut igitur accidentia & formæ & huiusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt*
542 452 *coexistentia, quàm entia, ita magis debent dici concreata, quàm creata. Propriè verò creata sunt subsistentia.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd cum dicitur, prima rerum creatarum est esse, ly esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum, quòd est ens, non ex eo, q̃ est hoc ens, cùm creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali, vt
Art. 1. huius quæstionis & q. 44. a. 2. *dictum est. * Et est similis modus loquendi: sicut si diceretur, quod primum visibile est color, quamuis illud, quod propriè videtur, sit coloratum.*

Ad Secundum dicendum, quòd creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principijs præexistentibus: sed compositum sic dicitur creari, quòd simul
360 *cum omnibus suis principijs in esse producitur. e*

Ad Tertium dicendum, quòd ratio illa non probat, quòd sola materia creetur, sed quòd materia nõ sit nisi ex creatione. Nam creatio est productio totius esse, & non solum materiæ.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Caietanus.

Forma Textus.

„ PRIMA CONCL. *Creari propriè solis conuenit „ subsistentibus simplicibus vel compositis.* Probatur. Illius propriè cõuenit fieri & creari, quib. cõuenit esse; Sed esse cõuenit propriè solis subsistentibus, siuè sint simplicia sic substantiæ separatæ, siuè sint conposita, sicut substantiæ materiales, ergo: Maior probatur. Creari est quoddam fieri; At fieri ordinatur ad esse rei; igitur illis conuenit fieri & creari; quibus conuenit esse. Minor ob dictionẽ exclusiuã duas habet exponentes: quarum altera est affirmatiua, videlicet subsistentib. omnib. cõuenit esse: quæ probatur; quia illi propriè cõuenit esse, quod habet esse & quod est subsistẽs in suo esse. Altera est negatiua videl. alijs à subsistẽtibus nõ conuenit esse: quæ sic probatur. Formæ & accidẽtia, & alia huiusmodi nõ dicũtur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ergo eis nõ cõuenit esse. Antec. prob. Primò exẽplo albedines, quę ea ratione dicitur ens, quia ea subiectum est album. Secundo ex Arist. 7. *Metaph. tex. 2.* dicente accidens magis propriè dici entis, quàm ens.

SECVNDA CONCL. *Accidentia & formæ & huiusmodi, quæ non sunt subsistentia, magis dici debet concreata, quam creata.* Probatur; quia talia sunt magis coexistentia, quàm entia. ergo. Antecedens patet ex probatione dictæ exponentis negatiuæ.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate, & sensu, tam primæ, quàm secundæ conclusionis.

Sententia Expositiua.

MOLINA *supra ar. 1.* dicit nouem. *Primum.* Angelus proprijssimè dicitur creari. *Secundum.* Accidentia Angeli, quæ non consequũtur eius naturã, vt gratia & alia dona supernaturalia diuinitus ei infusa, in eo sensu dici possunt cõcreata, quia simul sunt cum creatione naturę producta: nõ verò quia propria eorum productio sit creatio, aut pars creationis. *Tertium.* Quę consequuntur naturã, vt intellectus & volũtas, fortè etiã nõ dicunt concreari, nisi in sensu explicato: quamuis cũ mediatè cõsequantur creationẽ naturæ, maior ratio sit, vt cõcreari dicantur cũ natura. *Quartũ.* Corpora simplicia huius vniuersi, quæ in prima rerum constitutione de nihilo producta sunt, dicũtur propriè à Deo creata: partes verò vt formæ corporũ simpliciũ, quę tm̃ comproductæ sunt, vt tota materia prima, quæ sub eisdẽ formis cõproducta fuit, dicũtur à Deo concreatæ. *Quintum.* Actio creationis, per quã prędicta fuere producta, coaluit tanquã ex partib. ex partiali productione materiæ, & partiali productione formæ: & ideo sicut tota actio fuit creatio, ita comproductio formæ & materiæ fuit concreatio. *Sextum.* Species rerũ, quæ post primam diem productæ sunt, non dicũtur creatæ in ea acceptione creationis, de qua nunc loquimur, sed dicitur productũ à Deo per generationẽ supernaturalem ex materia præiacente. *Septimum.* Productio animæ rationalis est proprijssimè creatio. *Octauũ.* Quod virtute caloris natiui proximè producitur in stomacho ex speciebus sacramentalib. nõ dicitur creari, sed generari. *Nonum.* Dona supernaturalia, quæ post creationẽ Angelorũ, aut hominum generationẽ successu temporis à Deo illis infunduntur, vt gratia, charitas, fides, spes, &c. nõ creantur neque cõcreantur, sed producuntur à Deo per accidentariam mutationem supernaturalem, educũtur que de potentia obedientiali Angeli, aut animæ rationalis.

Vasquez *super hoc articulo* dicit octo. *Primũ.* Neque gratia, nec vlla forma accidentaria, aut substantialis, quæ natura sua pendet à subiecto vel à materia, creatur aut concreatur, sed peculiari actione educitur de potẽtia materiæ: quod verũ est, nõ solũ quoties gratia posterius tẽpore quã subiectũ incipit esse, verùmetiã quando simul cum illo incipit. *Secundum.* Gratia & aliæ formæ accidẽtariæ supernaturales, educũtur de obediẽtiali potẽtia animæ aut Angeli; quæ licet nõ possit appellari naturalis, dici tm̃ potest natiua seu innata, quia consequitur ipsam naturitatem & constitutionem naturalem hominis. *Tertiũ.* Inter formas substantiales sola anima rationalis peculiari quadã rõne sibi propria creatur, & de nihilo producitur. *Quartum.* Creatio est nõ tantũ subsistentiũ actu per se sed etiã eorum quæ suapte natura sine alio subsistere possunt, vt anima rationalis actu informans corpus. *Quintum.* Nullũ compositũ, sim̃ eã rationem cõpositi quã à suis partib. distinguitur, potest creari. *Sextum.* Aliæ formæ substantiales & accidentariæ præter animam non creantur, niti

quando separatæ à subiecto, vel à materia producuntur, sed educuntur de potentia materiæ. *Septimum.* Materia secundum suam entitatem naturalem & partialem sola creatione produci potest. *Octauum.* Compositis ex materia & forma conuenit creatio, non secundum formam (nisi sit anima rationalis) sed secundum materiam, quæ à solo Deo creatur, & conseruatur.

Sanctus Thomas autem *in hoc articulo* affirmat creari proprium esse cõpositorum & subsistentium, quatenus distinguuntur contra formas & partes minimè subsistentes; hæc enim ait dici debere concreata, cum primò à solo Deo producuntur. Et de gratia singulariter pluries videtur asseruisse eam concreari, vt significare videntur eius dicta inferiùs adducenda. Quam sententiam secuti sunt plures Thomistæ, scilicet Capr. *in 4. dist. 1. q. 3. ad argumenta Scoti.* Eandem sententiam sequitur Sotus *in 4. dist. 1. q. 3. ar. 1. & lib. 1. de natura, & gratia c. 9.* & Ripa *super hoc art.* Pro eadem sententia allegant Sotus. Vasq. & quidam alij Caiet. & Conradum, qui tñ disertis verbis oppositum affirmãt, vt patebit inferius.

Alij verò censent gratiam non creari, neque concreari, sed educi de potentia animæ vel Angeli obedientiali, vt Medina *1. 2. q. 112. a. 1.* Hierony. de la Rua *in sua vltima Scholastica controu. in fine*, Val. *art. seq.* Albertin. *in suis corrolarijs fol. 407.* Didac. Nugnus *in 3. par. q. 62. art. 1. difficultate 7. ad 3. argumentum*, & alij plures, quos consultò prætereo quoniam non est hic locus omninò proprius huius controuersiæ.

Resolutio. Vna, & eadem productione creari materiam, formam, & compositũ, quando producuntur simul, idest in eadẽ durationis, & naturæ instanti, in quo & tunc propriè compositum creari.

Ex Pavcis benè cognitis & attentè consideratis principijs poterunt omnes prętactę difficultates, non solum facilè definiri, sed etiam quæ videntur oppositæ doctorum sententiæ conciliari.

Præmittendum est autem primò, quod *hic* affirmat D. Th. *in prima concl.* videlicet creari solis propriè conuenire subsistentibus siuè simplicia sint, siuè composita: Quod efficaci probat argumeto suprà notato: quia nimirum illis propriè cõuenit fieri & creari, quibus conuenit esse, hæc verò sola sunt subsistentia &c. Ex quo sequitur nullam cuiusuis rei formã accidentalẽ, aut substantialem, naturalem aut supernaturalem, aut modum rei vel formę pręter animã intellectiuam propriè fieri aut creari: & eadem ratione neq; materiam, neq. partes rei essentiales aut integrales, quia scilicet nulli prædictorum conuenit esse per se subsistens.

Secundò considerandũ est formas siuè sint ordinis naturalis, siuè sint ordinis supernaturalis, posse dupliciter à Deo produci. Vno modo simul cum subiecto siuè materia & toto composito. Alio modo post subiecti, siuè materiæ productionem. Dico aũt *simul produci*, quando vnũ est instãs durationis & naturæ, in quo producitur subiectũ & forma: quamuis non sit idẽ instans naturæ à quo, quod est instans causalitatis ac dependentiæ formæ à subiecto siue materia, & materiæ à forma præsertim substantiali. Cum enim exempli gratia præduxit Deus Solẽ, fuit vnum & idem instans durationis & naturæ, in quo creata fuit materia Solis & eius forma substantialis, & quantitas ac figura, & lux ex eo resultans. Cũ itaq; sic simul producũtur, necesse non est, aut expedit hic plures partiales productiones distinguere, vt visum est Mol. & Vasq. sed existimandum est, prout verè est simul à Deo produci materiam ac totum compositum & eius proprietates, vno duntaxat actu creationis, tã actiuè quã passiuè sumpto, quo totaproducitur solis substantia, cũ omnibus suis perfectionibus ita, vt non nisi per vltimam perfectionem, puta lumen intelligatur Solis creatio terminari: Sicut etiã in naturalibus vna generatione leonis substantia cum omnibus suis naturalibus proprietatibus & accidentibus ex leone generatur, & ignis ex Igne. Vnde vulgatũ illud videtur emersisse proloquium, *Deus formam dat, & consequentia formam.*

Quamuis itaque forma dependeat à materia, & è conuerso, & inuicé se præcedant instanti naturæ à quo, & sit inter ea hæc mutua dependentia, & ordo naturæ siuè causalitatis etiam in ipso creationis instãti: non ideò tñ negandũ est creatã siuè cõcreatam fuisse formã, ac multò minus materiam, aut etiam totum cõpositum, quo ad eam tertiam entitatem, quæ consurgit ex partibus simul vnitis, vt sapienter admonet S. D. hic ad secundum dicens *creationem non dici constitutionem rei compositæ ex principijs præexistentibus, sed compositum sic creari, vt simul cum omnibus suis principijs in esse producatur.* Quibus verbis planè significat S. D. in actu creationis rei compositæ non interuenire plures partiales productiones, quando esset, quando creata vna partiali productione materia, alia productione educeretur ex ea forma, & alia cõstitueretur compositũ ex dictis partibus simul vnitis: ac demũ alia seorsum operatione educerentur proprietates & accidentia: Hæc enim omnia vt vana ac puerilia reijcit. S. Th. affirmans creationẽ non esse constitutionẽ rei compositæ ex præexistẽtibus principijs; quia licet secundum ordinem naturæ. i. causalitati intelligantur præexistere, non tautum ita præexistunt, vt ex eis actione aliqua distincta ab eorũ productione cõstituatur à Deo substantia cõposita: sed vt ait S. D. cõpositum sic dicitur creari, vt simul id est vnica productione siue creatione simul cũ omnib. suis principijs in esse producatur. Quod maximè consonat formali termino creationis, quod est esse, ex cuius vnitate pensanda est etiã vnitas creationis: Est autẽ vnum & idem esse numero materiæ & formæ, ac totius compositi: igitur hæc omnia vno producũtur actu creationis. Et quamuis accidentia nõ habeant idem esse realiter cum esse substantiæ, quia tamen non alia ratione sunt entia, nisi quia eis aliquid est, & magis sunt coexistẽtia quã entia: idcricò vt affirmat 2. cõcl. magis debẽt dici cõcreata. i. vna & eadẽ actione cũ subiecto creata, quã absolutè creata: siue sint ordinis naturalis siuè supernaturalis.

Si verò post subiecti, vel materiæ creationem forma producatur, si fuerit naturalis certum est eam non creari: cum actione, siuè magis passione noua educatur de potentia subiecti, & fiat ex materia præexistente. Quod si fuerit forma supernaturalis, vt gratia, charitas & similia, quadam ratione creatio vel concreatio videtur eorum productio, sed alia quadã ratione supernaturalis videtur esse mutatio siuè generatio, & impropriè tantum ac moraliter dicta creatio. Nam vt ait S. D. *de potent. q. 3. a. 8 ad 3. Infusio gratiæ accidit ad rationem creationis, inquantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficientem, nec talẽ materiam in qua sit hoc modo in potentia, vt per agens naturale educi possit in actũ: sicut est de alijs formis naturalibus.* Et subdit ibidem pro solutione quarti argumenti. *Cũ dicitur aliquid fieri ex nihilo, negatur causa materialis: hoc verò aliquo modo ad carentiã materiæ pertinet, quòd aliqua forma de naturali materia potẽtia educi nõ potest.* Et in respõsione ad quintum ait: *Licet in natura nõ inani-*

Creari, & quamlibet formam supernaturalẽ post subiecti creationem in eo productam nõ propriè creari, aut concreari, sed educi de potentia obedientiali subiectiua.

ueniatur principium efficiens respectu formarum artificialium, tamen huiusmodi formæ non excedunt naturæ ordinem, sicut gratia, immo infra subsistunt; quia omne naturale est nobilius quàm artificiale. Significatur etiam gratię productio nomine creationis metaphoricè, siue moraliter sumpto: ex eo quòd homines secundum ipsam creantur, id est in nouo esse constituũtur ex nihilo, id est nõ ex meritis, secundum illud ad *Ephes. 2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis*: vt ait S. Tho. *in 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.* His adde D. Th. *in 2. dist. 26. a. 2. ad 5.* affirmare gratiam in nihilũ redire cùm corrũpitur. Ex quibus dictis moti videntur Capreol. Ferr. & alij, qui dixere gratiam à Deo creari; eo modo quo formę inhęrẽti conuenit creari, quia scil. secundùm ipsam homines dicuntur creari.

Nota. *Verùm opposita sententia* lõgè firmioribus innititur fundamentis. In primis enim nusquam inuenitur simpliciter asseruisse D. Th. gratiam creari aut concreari: sed vbicunque similibus vtitur verbis, explicationem semper ac moderamen adiungit, quo vera ac propriè dicta seclu ditur ratio creationis, aut concreationis, vt patet ex locis supra notatis. Vnde etiam *de Verit. q. 27. a. 3. ad 9.* sic loquitur: *Creari propriè est rei subsistentis, cuius est propriè esse, & fieri: formæ autem nõ subsistentes, siue substantiales, siue accidentales non propriè creantur, sed concreãtur, sicut nec esse habent per se: sed in alio. Et quamuis non habeant materiam ex qua, quæ sit pars eorum, habent tamen materiam in qua, à qua dependent, & per cuius mutationem in esse educũtur, vt sic eorum fieri sit propriè eorum subiecta transmutari.* Hæc ibi. Vbi primò loquitur in communi de formis, quæ simul cum tota re producuntur ex nihilo, dicens eas non propriè creari sed concreari. Deinceps agit de formis, quæ rei iam creatione vel generatione productę per actionẽ cuiusuis agentis inducuntur, & ait eas in esse persubiecti mutationem educi: agitur autem ibi de causa gratiæ. Affirmat itaq; S. D. formas omnes siue naturales siue supernaturales, quæ fiunt in præexistenti subiecto, ex eius educi potentia. Non continentur autem formæ supernaturales in potentia naturali, vt ex ea per actionem agentis educi valeãt, vt ait S. D. *in dicta q. 27. de verit. a 3. in c. & de pot. q. 3. a. 8. ad 3. 4. & 5.* educuntur ergo formæ supernaturales ab agente supernaturali, mutatione quadam supernaturali ex potentia obedientiali, vt etiam aduertit & explicat Conradus de mente D. Thom. *1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.* & colligitur ex eodem S. D. *infra q. 104. a. 4. ad 3.* vbi postquam in corpore statuit, & probauit hanc conclusionem, simpliciter dicendum est, quòd nihil omninò in nihilum redigitur, respõdens ad hoc argumentum ibidem tertium, *Formæ & accidentia nõ habent materiam partẽ sui, sed quandoq; desinunt esse; ergo in nihilum redigũtur*, ait: *Formæ & accidentia non sunt entia completa, cùm non subsistant, sed quodlibet eorum est aliquid entis; sic enim ens dicitur, quia eo aliquid est: & tamen eo modo quo sunt, non omnino in nihilum redigũtur, non quia aliqua pars eorum remanet, sed remanet in potentia materiæ, vel subiecti.* Hic ibi. Oportet autem respõsionem esse vniuersalem de omnibus formis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus; alioquin non satisfieret argumento de omnibus formis vniuersaliter procedenti. Cùm itaque desinunt esse formæ supernaturales, remanent in potentia subiecti, non naturali, vt dictum est, igitur obedientiali. Hanc eandem resp. colligit scitè Conradus *in dicto loco*, conferendo respõsionem illam ad argumentum.

Cùm itaq; ptoducitur à Deo forma supernaturalis in Angelo, vel in anima, *considerandum est* formam illam nõ habere causam in subiecto, nec efficientem, nec materialem in qua sit hoc modo in potentia, vt per agens naturale educi possit in actum, vt ait S. D. *in dicta q. 3. de pot. a. 8. ad 3. Et secundum hanc rationem infusio gratiæ* (inquit) *accedit ad rationem creationis*: cum enim dicitur aliquid ex nihilo fieri, negatur causa materialis: ad carentiam verò materiæ pertinet aliquo modo, vt ibidem asserit D. Thomas, quòd aliqua forma de naturali potentia materiæ educi non possit. In quibus verbis duo sunt maximè ponderanda. Primum est, non affirmari simpliciter gratiæ creationem, sed solum accessum, id est similitudinẽ ad rationem creationis: quam similitudinem apertius exprimit S. D. *in 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.* vt ante diximus; ait enim gratiam dici creari ex eo, quòd homines secundum ipsam creantur, id est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis. Quem locum obseruat Cai. *in dicto a. & q. 112. a. 1.* aduertens non esse dicendum gratiam creari cum infunditur, aut annihilari cũ perditur, sed tantum ipsum hominem creari in tali esse: & dici gratiam creari, quia non educitur de potẽtia subiecti (sc. naturali) nec datur ex meritis. Sed cum propriè fiat homo gratus ex aliquo, scil. ex homine non grato, non dicitur propriè gratia creari. Est igitur Metaphorica locutio cum dicimur *creati in Christo in operibus bonis, ad Ephes 2.* quia nimirum, sicut creari propriè dicitur id, quod ex nullo efficitur præexistente subiecto, nec alicuius agentis virtute naturali: sic creari dicũtur homines in operibus bonis, cum à Deo iustificantur per gratiam; quia nulla præcedunt in eis metita, nec virtus aliqua naturalis gratiæ productiua. Hunc creationis modum recentiores moralem appellãt, eo quod homo ex nihilo bonorum operum, ac meritorum supernaturali Dei virtute fiat consors diuinæ naturæ, & particeps esse diuini.

Secundò ponderandum est, quod ait S. Thom. ideò gratiæ iufusionem accedere ad rationem creationis, quia creari est ex nihilo fieri. Cum autem dicitur aliquid ex nihilo fieri, negatur causa materialis: ad carentiam verò materiæ pertinet, quòd aliqua forma de naturali potentia materię educi non possit; his enim verbis non excluditur materia siue potentia simpliciter, id est, in vniuersum, ex qua possit educi gratia diuina virtute, sed solum potentia naturalis. At verò creatio & concreatio propriè dicta nullam omnino materiam aut potentiam, siue naturalem siue obedientialem præexistentem admittit. Non affirmat ergo S. D. gratiam aut quãlibet formam supernaturalem à Deo verè & propriè creari aut concreari, sed effici cum accessu & similitudine ad creationem propriè dictam, siue moraliter tantum creari.

Gratiam & eius vnionẽ cũ subiecto, & eorum cõpositum, scilicet hominẽ gratum à sola dependere causa supernaturali, & gratiam non cõcreari, sed educi de potentia obediẽtiali.

Tertiò Considerandum est in qualibet eductione formæ de potentia naturali subiecti tria saltẽ formaliter distincta à nobis intelligi. *Primũ* est depẽdentia ipsius formæ à subiecto: quã recentiores quidam appellant concursum sustẽtatiuum. *Secundum* est vnio formæ eductæ cum ipso subiecto, ex quo educitur: quæ quidem vnio fundamẽtaliter sumpta, ex parte ipsius formę, est effectus formalis ipsius; nihil enim aliud est quàm esse id, quo formaliter subiectũ est actu tale. Vel dicas esse ipsam formã, prout actu dat esse materiæ vel subiecto: ex parte verò materiæ,

teriæ, est materiam esse actu per formam. *Tertium*, totum compositum ex vnione prædicta resultans, puta album vel quantum.

Primum igitur, quod est dependentia à subiecto, non conuenit gratiæ; quia non educitur de potentia Angeli vel animæ naturali; cum in eius virtute siue facultate naturali contineri non possit; est enim gratia diuini ac supernaturalis ordinis: anima verò rationalis & Angelus ad ordinem pertinent naturalem. Quemadmodum igitur gratia virtute diuina supernaturaliter operante educitur ex obedientiali potentia animæ rationalis aut Angeli: sic eadem virtute supernaturali sustentatur ab eodem subiecto sc. anima vel Angelo, & in eo conseruatur.

Secundum autem quod est vnio ex parte formæ. s. gratiæ, à sola dependet causa supernaturali, sicut & ipsa gratia; ab eodem enim principio pendent forma & eius effectus formalis, qui est ipsa forma vt dans esse subiecto. Ex parte verò subiecti sumpta hæc vnio propriè & simpliciter ab eo non pendet; tum quia ex eius naturali potentia non educitur; tum quia nullius agentis naturalis operatione potest anima vel Angelus eas habere dispositiones, quę ad vnionē eius cum gratia sunt necessariæ, vt dicitur in *1.2.q.112. a.3.* Sed quia dispositio ad gratiam est operatio vitalis animæ & Angeli, quamuis ab agente supernaturali proueniens: ideo S. Th. *1.2. q.113. a.10.* dixit iustificationem impij non esse miraculosam, quia naturaliter anima est capax gratię, eo ipso quod facta est ad imaginem Dei. Vbi notat Cai. potentiam animæ ad gratiam esse quodammodo naturalem, & quodammodo supernaturalem: Nam ea ratione, qua dispositio ad gratiam superat naturalem animæ facultatē, qua seipsam ad gratiam non potest mouere, nisi ab agente supernaturali præmota, dicitur esse potentia supernaturalis: qua ratione verò ex ipsius animæ, aut Angeli potentia educitur dispositio, quæ est ipsius animæ vitalis operatio, non nihil sapit de potentia naturali ea potentia, quam habet Angelus aut anima rationalis ad gratiam. Legendus est Cai. *in d.a. & infra q.118. a.2. in resp. ad 4. D.Th.*

Tertium autem, scilicet totum compositū resultans ex animæ vnione cum gratia scilicet anima, vel homo gratus dependet sicut secundum ex causa supernaturali. Si namque compositum ex vnione resultat, quæ causam habet supernaturalem: necesse est & ipsum compositum ex eadē posse deriuari. Falsa est igitur eorum sententia, qui dicunt animæ vel Angeli potentiam nulla indigere supernaturali eleuatione, vt gratiam valeat sustentare, eò quòd gratia seipsa formaliter informet animam, aut Angelum: Quam opinionem Albertinus ascribit Vasq. Iam enim diximus formam educibilem de potentia subiecti obedientiali, eadem in eo virtute supernaturali sustentari & conseruari, qua educitur.

Gratiam nō concreari probatur tripliciter.

Postremò tribus argumentis satis validis confirmanda est sententia nostra. *Primum* est. Sicut illud dicitur congenerari, quod simul producitur cum eo, quod propriè generatur: ita dicitur illud concreari, quod ex nihilo producitur simul cum alio, quod propriè creatur: At qñ gratia producitur in anima, nihil est quod propriè dicatur creari; ergo productio gratiæ non est concreatio. Maior patet. Minor prob. quia neque anima, neque homo gratus propriè creatur; supponitur. n. anima & homo; igitur cū fit homo gratus nō fit ex nihilo. *Secundu arg. est.*

A Sacramenta sunt causæ gratiæ, nō solū morales, sed etiā Physicæ instrumentales; At nulla creatura potest instrumētalis esse causa creationis; ergo gratia non producitur per creationē. *Resp.* Cap. & Ferr. sacramenta esse causas gratiæ instrumentales, non quia gratiā creēt, sed quia dispositionē aliquā ad gratiā causant, hāc verò dispositionē dicunt esse characterē. *Sed hæc resp.* sic impugnatur etiā ab ipso Ferr. Character non magis educitur de potētia animæ, quā gratia; ergo nō magis attribuenda est creatio gratiæ, quā characteri. *Resp.* dici posse gratiā esse supra totū ordinē naturæ, vtpote quæ Deo hominē formaliter coniungit: characterē aūt non esse supra totū ordinē naturæ, immo esse infra naturalia sui generis; qm̄ in genere dispositionum ad gratiā est actus liberi arbitrij, qui nobilior est ipso charactere, & ideò posse characterē instrumentaliter à creatura produci, non aūt gratiam. Et præter ea characterem non produci ex nihilo, quia producitur in aliquo, quod est in potentia naturali ad aliquid sui generis: Et hoc (inquit) sufficit, vt dicatur aliqua forma accidentalis produci per aliquam simplicem mutationē & non per creationem. *Sed hæc friuola sunt.* Nam character, cùm sit spiritualis potestas ad actus supernaturalis ordinis, superat necessariò totam naturæ facultatem: nec actus liberi arbitrij, quatenus est vltima, & proxima diffinitio ad gratiam, est ordinis naturalis, vt affirmat incautè Ferrar. nec ad eūvt talem habet anima potentiam naturalē: sicut ergo character qui forma est ordinis supernaturalis, nó creatur aut cōcreatur, sed educitur ex obediētiali potentia animæ, sic & gratia quæ forma est supernaturalis inhærens animæ, sicut character. Quāuis. n. nobilior sit gratia charactere, ad vnū tñ ordinē ambo pertinēt, sc. supernaturalem, & eundē habent essendi modū, sc. accidentalē in subiecto; ac proinde eiusdē ordinis causā, & eundē postulant modū producendi, videl. per supernaturalē subiecti trāsmutationē & eductionē vtriusq; ex eius obediētiali potētia.

Resp. Ferr. neg. ant. quia D. Th. *in 2.s.d.26.a.2.ad 5.* ait, quod cū gratia corrūpitur, simul etiā in nihilū redit. *Sed iam* ostendimus supra nihil vnquā à Deo annihilari. Cū ergo affirmat S. D. gratiam in nihilū redire, significat nec ipsam, nec aliquam eius partē, neq; potentiā aliquam ad eā naturalem remanere: Non igitur intendit eam propriè simpliciter annihilari, sed impropriè tm̄, & secundum quid, sicut etiam impropriè dicitur creari. Quam interpretationem tangit ex parte Conr. *1 2.q.110. a.2.ad 3.* & Ferr. quam tamen non impugnat.

Tertiū arg. ad idem confirmandū est. Quia gratia cū desinit esse, non annihilatur; igitur cū infunditur nō creatur. *Resp.* Ferr. neg. ant. quia D. Th. *Resp. Ferr.*

Conf.

Refutatio.

Responsio.

Confutatio.

Conclusiones, deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Forma quælibet, siue substantialis, siue accidentalis, quæ producitur vna cū re subsistente ex nihilo producta, licèt non dicatur propriè creari, dicitur tamen propriè concreari.* Hæc est cōclusio S. D. in textu.

SECVNDA CONCL. *Materia & quælibet pars integralis actu totum constituens, & simul cum eo producta non dicitur propriè creari, sed concreari.* Prob. ex 1. concl. D. Th. quia sc creari conuenit propriè subsistentibus, materiæ verò & partibus nō conuenit per se subsistere; implicat enim esse partem, & per se separatim existere.

TERTIA CONCL. *Compositum secundum illā rationem compositi, qua à suis partibus distinguitur, verè & propriè creatur.* Hæc est prima conclusio D. Th. Quòd si sermo sit de composito ratione cōpositionis præcisè, dicitur propriè concreatū.

QVAR-

" QVARTA CONCL. *Formæ naturales, quæ modo supernaturali à Deo producuntur in subiecto, siue materia præexistente, non possunt verè ac proprie dici creatæ aut concreatæ.* Probatur; quia tales formæ educuntur de potentia subiecti.

" QVINTA CONCL. *Formæ supernaturales, vt gratia, charitas, fides, character, & aliæ similes, quæ præexistente subiecto producuntur à Deo, non verè & propriè creantur, aut concreantur, sed earum productio similitudine quadam, ac diminuta participatione ad rationem creationis accedit.* Hæc conclusio patet ex dictis Angelici nostri Doctoris superius explicatis. Et per hanc videntur posse conciliari non solum diuersa dicta D. Tho. sed etiam aliorum Doctorum sententiæ, quæ videntur oppositæ.

" SEXTA CONCL. *Formæ prædictæ supernaturales educuntur ex subiecti potentia obedientiali.* Hæc sequitur ex prædicta, & colligitur ex doctrina D. Th. vt supra notauimus.

obi. cont. 1. concl. CONTRA *primam concl.* argumentatur Vasquez. Creatio est productio entis vt ens est, hoc est totius esse rei, non talis aut talis esse; igitur cùm sit aliqua forma in subiecto aut in materia, quæ natura sua pendet à subiecto, non producitur ens sed tale ens; ergo cum talis forma producitur, non creatur, neque concreatur, sed generatur cum toto, quod componit, vel cõmuni alia ratione producitur; ergo formæ substantiales omnes præter animam rationalem & omnes accidentariæ etiam supernaturales non creantur aut concreantur, sed generantur cum toto &c. Ant. est manifesta diffinitio creationis tradita à S. Th. *a. 1. huius q.* & prob. quoniam hac de causa resurrectio, quæ est in coniunctione animæ & corporis, etiamsi à solo Deo fieri possit, non est creatio, quia coniunctione illa non fit ens secũdum totum esse entis, sed quod aliàs erat ens fit tale ens, scilicet homo. Vnde resurrectio non fit ex non ente, sed ex non homine. Prima conseq. probatur; quia cum fit aliqua forma in subiecto, aut in materia, quæ sc. forma natura sua pendet à subiecto vel à materia, postulat à materia vel subiecto vt à causa sustẽtari; quia esse illius formæ naturale est inesse, aut informare aliud, non autem per se esse; ergo tunc non producitur ens sed tale ens. Secunda conseq. est euidens: tertia prob. quia omnes dictæ formæ suaptè natura postulant inesse subiecto: quia suaptè natura ab eo pendent, ex quo, & in quo constituunt tale esse: tale aũt esse non fit ex non ente sed ex non ente tali, quod est aliquid.

Solu. *Resp.* nullam esse primam consequentiam loquendo de formis, quæ simul cum re creata producuntur. Ad prob. negatur sequela; Nam vt inquit S. D. *hic ad 2.* creatio non dicit constitutionem ex principijs præexistentibus, sed compositum sic dicitur creari, vt simul cum suis principijs in esse producatur; non enim distinctis ac partialibus productionibus singulæ partes producuntur à Deo, vt opinatur Vasq. sed vna dumtaxat est perfecta productio totius & partium. Nec mutua partium essentialiũ dependentia causalitatis obstat, quo minus concreatæ propriè dici possint; qm̃ hæc dependentia non est secundum ordinem instantis naturæ in quo, ita vt vna præsupponat aliam, quasi prius in aliquo instanti naturæ à Deo productam, sed est secundum ordinem instantis naturę à quo, id est solius causalitatis: atq; ideò sicut totum, ita & partes cum suis naturalibus causalitatibus dicuntur ex non ente simpliciter à Deo productæ; alioquin si prædictæ causalitates concreationi partium repugnarent, eadẽ ratione & multò magis repugnarent creationi totius compositi, cuius esse duplici causalitate dependet à partibus, scilicet causalitate formali à forma, & materiali à materia.

obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argumentatur Vasq. *Primò.* Materia quamuis naturaliter sine aliqua forma nunquam existat, à nulla tamẽ forma pendet secũdum suam entitatem naturalem & partialem quam habet; ergo non potest alio modo produci quàm creatione. Probat ant. *primò*; quia impossibile est materiam à forma pendere, & mutata forma substantiali ipsam nõ mutari: ergo. Antec. hoc probat. quia diuersa forma diuersum effectum formalem efficit. *Secundò* probatur primum anteced. quia sequeretur, quòd omne agens naturale introducens formam attingeret etiam conseruationem aut productionem substantialem ipsius materiæ. Probat. hæc sequela: qm̃ id, quod aliquam formam producit, non tantum facit illam esse, sed etiam id quod per illam est; Nam eadem causa producit formam & effectum formalem illius; tam primarium quàm secundarium. *Tertiò.* Si Deus conseruat materiam media forma tanquam principio & materia, ex illa est, nõ creabitur à Deo, quotiescunque coniuncta alicui formæ producitur: & ita nullum compositum præter hominem dicetur creari, nec secũdum rationem compositi, nec secũdum formã, vt supra probatum est: nec secundum materiã, quia ex forma fieret; ergo nullo modo crearetur. Suppono autem (inquit) materiam habere aliquam existentiam, quam vocant entitatiuam, nec esse puram potentiam in genere entis.

Solut. Materia quomodo dependeat à forma. *Resp.* duplicem entitatem conuenire materiæ: alteram essentię, quæ est ratio puræ potentiæ in genere entis: alteram actualis existentiæ in rerum natura. Ant. verum est de prima, falsum aũtem de secunda entitate: Et admissa veritate antecedentis de priori entitate neg. conseq. *Ad primam* autem probat. anteced. iuxta posteriorem sensum negatur assumptum, loquendo de mutatione essentiali, aut etiam de mutatione quoad existentiam simpliciter, i. absolutè: quãuis necesse sit eam mutari de vna existentia in aliam; quia diuersarum formarum sibi succedentium in eadem materia diuersæ sunt existẽtię. Nec tamẽ ex hoc dicitur corrumpi materia; quia semper eadem numero est habens esse existentię substantiale ab aliqua forma. Contingit autem hic facilè decipi non considerãti naturam materiæ esse longè diuersam à natura compositi & cæterorum entium, quibus vnum tantum esse substantiale potest cõuenire, quo amisso desinunt esse simpliciter, quòd materiæ minimè congruit: quæ, cum sit pura potentia, commune est omnium formarum subiectum, & vna numero perseuerans, diuersas recipit existẽtias ex diuersis formis illam actuantibus emanãtes: ita tamen vt nullo durationis vel naturæ momento non existat. Quomodo verò materia sit vna, satis diximus *supra q. 3. a. 2. controu. vnica, in prob. 3. concl.* Ad *secundam* probation. negatur seq. Ad eius probat. dico illud assumptum: Agẽs quod aliquam formam producit, non tantum facit illam esse, sed etiam id quod per illam est, verum esse sed diuersa ratione. Nam per formam substantialem compositum habet esse substantiale simpliciter, id est absolutè, & omnibus modis quibus potest habere, & per eius priuationem habet nõ esse simpliciter, id est absolute

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lutè & omnibus modis quibus potest habere esse substantiale actuale : & per formam accidentalem subiectum habet esse secundum quid, & ea remota habet non esse secundum quid : & ipsi formæ conuenit esse per se primò vt quo, & eo remoto definit ipsa forma simpliciter, id est absolutè & omnibus modis quibus esse potest : Materia verò per formam substantialem hanc numero, vel specie non habet esse simpliciter, id est omnibus modis quibus substantialiter esse potest . Nam sicut vna abiecta forma recipit aliam , sic esse substantiali existentiæ quod ab vna conferebatur amisso , recipit aliud ab alia substantiali succedente forma collatum . Illud autem solum agens attingit conseruationem aut productionem substantialem ipsius materiæ , quod primam in ea formam immediatè producit , & omnes alias saltem mediatè , ac proinde causat esse materiæ simpliciter, id est, absolutè & omnibus modis, hic verò est solus Deus ; nam cætera agentia, vel vnam tantum vt agens vniuocum, vel plures , sed non omnes in materia producunt; primam enim producere non possunt.

Ad vlt. prob. negatur conseq. & ratio adducta est supra *in resp. ad arg. contr primam concl.* non enim sequitur materiam fieri ex forma, tãquam ex re præexistente , licet fiat ab ea dependens modo dicto: de composito verò dicemus inferius. Denique suppositum de existentia materiæ falsum est secundum veram & peripateticam philosophiam, vt ostendemus *infra qu. 66. a. 1. & 2.*

Obj. 1. cont. 3 concl. CONTRA *tertiam concl.* argumentatur idem expositor. Omne esse quod ex aliquo est & constituitur , dicitur etiam fieri ex aliquo; omne autem quod fit ex aliquo , vel tanquam ex subiecto, vel tanquam principio constituente , quod solum natura prius est , non dicitur creari ; ergo nec compositio, nec compositum quatenus compositum est , creari dicitur , sed ex aliquo produci. Min. prob. quia creatio est ex nihilo : nihil autem excludit omne subiectum, vel etiam principium constituens, quod saltem natura prius sit.

Respond. maiorem esse veram de eo quod est, & constituitur ex aliquo præexistente saltem instanti naturæ in quo, non autem si fiat ex aliquo vt priore secundum solam causalitatem, qui est ordo instantis naturæ à quo. Et in eodem sensu vera est minor & eius probatio. In posteriori verò sensu falsæ sunt omnes assumptæ propositiones , vt suprà satis ostendimus. Et quoniam huius viri sententia satis apertè destruit creationem, non videtur in fide tuta.

Obi. 1. contr. 5. concl. CONTRA *quintam concl.* arg. Ferrar. *Primò.* Creari est ex nihilo aliquid fieri: sed gratia ex nihilo fit ; ergo creatur eo modo, quo formæ inhærenti conuenit creari ; quia scilicet secundum ipsam aliquid creatur ? Secundum quem modum inquit S. Thom. *1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.* gratiam creari, quia secundum ipsam homines dicuntur creari, id est in nouo esse constitui. *Resp.* falsam esse minorem propositionem, educitur enim gratia ex potentia obedientiali subiecti, & ita fit ex aliquo.

Solut.

Replica. *Sed contra* resp. hanc militat aliud eiusdem expositoris argumentum , ex authoritate D. Th. *de pot. q. 3. a. 8. in resp. ad argumenta: & pr. sent. d. 14. q. 3.* vbi dicitur gratiam non educi de potentia materiæ *Resp* D. Th. ibi loqui de potentia naturali, vt patet ex supra dictis.

Solut.

Obi. 2. *Contra eandem concl.* argumentatur Ripa. S. Tho. contrarium hic palam indicat, dum dicit accidentia & formas , & huiusmodi alia quæ non subsistunt, dici concreata, & de gratia singulatim *q. de pot. 3. a. 8. ad 3. & 4* & Caiet. *in 1. 2. q. 110. a. 2. & q. 112. a. 1. Resp.* D. Th. hic loqui de formis & accidentibus quę simul cum re creata producuntur à Deo. Alia verò loca satis fuerunt superius explicata; nec vspiam Caiet. asseruit gratiam concreari , sed negat solum eam creari: & *in 3 p. loc. super. alleg.* negat absolutè eam creari , ob eam causam ; quia cùm desinit esse non annihilatur , qua ratione probatur etiam eam non concreari.

Solut.

Obi. cont. 6. concl. CONTRA *sextam concl.* argumentantur quidam. Nunquam inuenitur in Scripturis vel Cõcilijs vel Patribus vel Philosophis, quod illud dicatur infundi, quod educitur ex aliquo subiecto: immò esset locutio omnino contraria rei, quæ fit. At in Scripturis, Concilijs & Patribus dicitur gratia & charitas infundi; ergo. Minor probatur; quoniam *ad Ephes. 5.* dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* & Concilium Viennen. *in Clem. de sum. Trin. & Fid. Cath.* in fine sic definit ; *In baptismo culpa remittitur. virtutes ac informans gratia infunditur.* Concilium etiam Tridentinum *sess. 6. de iustific. cap. 7.* sic loquitur: *In ipsa iustificatione simul cum peccatorũ remissione, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, charitatem.* Et Concilium Later. sub Leone X. ad explicandam animæ rationalis immortalitatem docet eam infundi . *Præterea.* Ideo quia Angelorum species in intellectu Angelorum à Deo creantur , dicuntur infusæ.

Denique Concilia & Patres eodem modo infundi dicunt gratiam , quo etiam fidem. At fides non potest educi de potentia obedientiali subiecti; ergo nec gratia. Minorem probant; quia fides subiectatur in intellectu qui non est substantia, sed potentia ex qua non apparet quomodo fides educi possit. *Resp.* falsam esse maiorem. Nam quæ sunt ordinis supernaturalis, ea solum ratione dicuntur infundi, quia non continentur in potentia subiecti naturali, vt ea possit virtute naturalis agentis educi, sed à solo Deo vt agente supernaturali sic fiunt, vt nullam conferente vim passo educantur ex eius potentia obediẽtiali , atque ideò dicuntur infundi, id est supernaDei virtute in Angelis & animabus illi sub ectis sic operante, quasi ex alto demissa produci. Species autem Angelorum alia ratione dicuntur infusæ ; quia nimirum, non sicut nostræ sunt acquisitæ, sed eorum substantiæ & intellectui concreatæ. Et simili ratione species animæ separatæ dicuntur infusæ; quia scilicet eas non acquirit in statu separationis, sed ex eius natura in tali statu naturali consecutione resultant virtute illius actionis , qua Deus produxit animæ substantiam. *Vltima* ratio nullius est omnino valoris : Falsum est enim ex obedientiali potentia intellectus non posse à Deo fidem educi ; potest enim Deus quodlibet ens ex obedientiali cuiuslibet entis potentia producere.

Species Angelorum ut infusæ dicuntur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum solius Dei sit creare.

2. di 1 q. 1. a 3. & 4. di. 5. q. 1. a. 3 & q 3. Eb 2. cons. c. 21. 85 & 96 & li 3. c. 68. & po.

AD *Quintum sic proceditur. Videtur, quòd non solius Dei sit creare. Quia secundum Philosophum. *Perfectum est, quod potest sibi simile facere. Sed creaturæ immateriales sunt perfectiores creaturis*